

LEIPZIGER STUDIEN

ZUR

CLASSISCHEN PHILOLOGIE

HERAUSGEGEBEN

VON

O. RIBBECK H. LIPSIUS C. WACHSMUTH

ZWÖLFTER BAND

Erstes Heft.



LEIPZIG
VERLAG VON S. HIRZEL
1890.

DE
ORATIONUM QUAE INTER LYSIACAS
FERUNTUR
XIV. ET XV. AUTHENTIA.

SCRIPSIT

FRID. NOWACK.



Utrum XIV. et XV. quae feruntur inter Lysiacas orationes genuinae sint necne, quaestionem instituenti quot et quantae difficultates obstent, non ignoro. Causae enim extrinsecus petitae, quibus eiusmodi controversiae interdum dissolvuntur, nullae inveniuntur. Namque Falkium (= Fa: *Reden d. L.* p. 195) nimis praedicavisse XIV, 4 et XV, 9 inter se pugnare nunc omnes consentiunt.[1]) De elocutionis autem similitudine, quae inter XIV. et XXX. or. intercedit (cf. Sachsius *über d. 30. Rede d. L.* 1886 p. 41 sqq.) recte disputavit B: p. 493. Idem docet (p. 421) ad nostram quaestionem nihil spectare, quanta ratio concursus vocalium habita sit. In or. XIV. et XV. quidem hiatus pari neglegentia admittitur; nam Benseleri (de hiatu p. 175 sqq.) placita correxit B: III₂ p. 337 sq. Quod denique idem Alcibiades, qui in nostris or. summo odio vexatur, in XIX, 52 quodammodo laudatur — nam F.[i] huius loci interpretationem veram esse tuo iure negaveris — contra neutrius orationis authentiam quicquam valet. Etenim ne Lysiam quidem alienum fuisse a causidicorum consuetudine easdem res clientium gratia vario modo enarrandi apparet e XII, 65. XIII, 74. XXV, 9 comparatis. cf. Scheibius (= Sch.) *d. olig. Umwälzung* p. 59, Poehligius *JJ. Suppl.* IX p. 228 sq.[2]) Quae

1) Dobreus adv. crit. ed. Wagner I p. 228, Rauchensteinius (= R) *N. Schweiz. Mus.* 1862 p. 284, Franckenus (= Fra) comment. Lys. 1865 p. 111, Kayser (= K) Philol. XXV p. 328, Frohberger (= F) in ed. II p. 52, Blassius (= B) *att. Beredsk.* ²I p. 496.

2) Huc spectant etiam, quae de Lysiae et Thrasybuli amicitia et discidio legimus. cf. Grosser *d. Amn. d. J. 403 v. Chr.* 1868 p. 17, Pretzschius de vitae L. or. temp. def. 1881 p. 44. Iniuria igitur R: *JJ.* XCI p. 612, K: ll. p. 306, Fuhrius (= Fu) ed. II 1881 p. 115 sq., Hirtius comm.

cum ita sint, controversia illa diiudicari non poterit, nisi genera dicendi et Lysiae et orationum illarum auctoris vel auctorum diligenter exquirentur et alterum cum altero comparabitur. Atque hoc negotium ut apud alios scriptores, quorum consuetudini loquendi observandae pauci e viris doctis operam navaverunt[1]), ita potissimum apud Lysiam propterea non facile peragitur, quod ne eae quidem orationes, quas ex 425 antiquitus Lysiae adscriptis superstites habemus, certa fundamenta praebent. Primum enim nonnullas earum a Lysia non profectas esse manifestum, nonnullas ei abiudicandas esse verisimile est (v. adpendiculam); deinde autem, cum cod. Pal. X plurimis et foedissimis corruptelis scateat[2]), non modo reliquae,

---

L. c. II. 1881 p. 46 sqq. assensi sunt Westermanno (W.°), qui XIX, 52 interpolatoris esse censuit (qu. L. p. II. p. 19). cf. B: p. 536, 3. Argumentum e plurali παῖδες petitum scite redarguit F. in praef. or. XIV. p. 7 adn. 60, 5. — Obiter id quod Keckius invenit (cf. Schanzius *Beitr. z. hist. Synt.* etc. I p. 155) commemoro, singularum orationum originem Lysiacam inde non posse deduci, utrum insit forma dualis necne.

1) Satis celebrari nequeunt, quae F. in ed. congessit, nunc Gebaueri (= G) doctrina aliquanto aucta et quae B. in aureo de eloq. att. libro (p. 383 sqq.) effudit. Praeterea laudandi sunt: Foertschius (= Foe) obs. crit. in L. or. 1829, Lebeauus (= Leb) *d. L. Epit. als echt erw.* 1863, Berbigius (= Bb) *üb. d. gen. dic. ten. d. Redn. L.* 1871, FrAMueller (= M) obs. d. eloc. L. p. I. 1877, Albrechtius (= A) de L. or. XX. 1878 inde a p. 47, Stutzer in Hermae vol. XIV p. 501 sqq. (= St 1) et XVI p. 92 sqq. (= St 2), RRichter (= Ri) de epit., qui sub L. nom. fertur, gen. dic. 1881 p. 9 sqq., PSchultzius d. L. or. XXX. 1883 p. 38 sqq. Quanti aestimanda sit Careli de L. iudic. serm. sententiae vet. 1874 rectius quam Roehlius (= Roe) *Zschr. f. Gymnw.* 1878 p. 41 ff., dicere mihi videtur B: *Burs. Jber.* 1874/5 p. 479. Alios libros postea nominabo.

2) De eius statu disputaverunt Sauppius (= S) epist. crit. p. 7 sqq., W: comm. cr. in scr. gr. p. V. p. 11 et de locis aliquot or. att. interpol. corr. p. 3 sqq., Lampros Herm. X p. 257 sqq., Schoellius ibd. XI p. 202 sqq. (cf. Roe: *Z. f. G.* 1877, 9. 10, Fu: anim. in or. att. p. 37 sqq.), Erdmannus de Pseudolys. epit. codd. p. 5 sqq. et p. 36 sqq. atque in Pseudolys. or. fun. edit. p. 3 sqq. (cf. S: *Gött. gel. Anz.* II 1633 sqq., Wilamowitzius *deutsch. Litztg.* 1882 p. 462, Fu: *ph. Rdsch.* 1882 p. 712 sqq., K. S: *ph. Anz.* XIII p. 713 sqq.), Weidner ibd. IX p. 102 et in ed. p. III sq. et inde a p. 146. — De codicis Laur. C pretio uberius egerunt Sch: obs. in or. att. p. 5 sqq. et S: ep. cr. p. 9 sqq. — Codici S. Marc. 422 (= HBk) quin Schenklius

quibuscum XIV. et XV. conferri oportebit, turpissime depravatae, sed eae ipsae ita comparatae sunt, ut compluribus locis, quibus ab usitato sermone decedunt, memoria codicis iure in suspicionem vocari possit. Huc accedit, quod Lysias in usu dicendi sibi non constat et in singulis orationibus eae voces, structurae, figurae leguntur, quae in reliquis non redeunt. Quarum quae oratori vindicari possint, quae non, perdifficile dictu est, quoniam quae huc pertinent, magis sentiuntur quam demonstrantur.

Addenda sunt duo, quae e natura earum, quas tractaturus sum orationum sequuntur. Inspectis enim XIV, 3 et XV, 12 liquet utramque orationem habitam esse ab actoribus, ut Archestratidi cuidam adessent, qui Alcibiadem λιποταξίου sive ἀστρατείας (v. excursum) accusaverat.[1]) Sunt igitur orationes non primariae, sed synegoriae atque XIV. deuterologia, XV. tritologia. Nimirum cum illud omnes concedant, Marklandus (ed. Reisk. V p. 553 sqq.) et Sluiter (lect. Andoc. 1804 p. 263) or. XV. superioris epilogum esse putaverunt. Sed quoniam eorum sententia a Fra° (p. 110 sq.) explosa est neque cuiquam iam probatur[2]), mentionem eius fecisse sufficit. Quod vero Sittlius (*griech. Litgesch.* II p. 149 et 151) et Christius (*griech. Litgesch.* in Iw. Muelleri enchiridio antiquitatum scientiae VII p. 290 adn. 5) pro explorato habent illam pariter ex XIV. excerptam esse atque XI. ex X., neutiquam tolerari potest. Cur hoc sibi persuaserint, non profitentur; verum similitudine ar-

---

Wien. Stud. III p. 81 sqq. nimium tribuerit, dubium non est; cf. B: *Burs. Jber.* 1882 p. 227, A: *Z. f. G.* 1885, 5. — Scripturas in Aldinae Hamburgensis margine adscriptas (cf. Rosenbergius *JJ.* CIX p. 333 sqq. et Philol. XXXV p. 263 sqq.) spernendas esse docuerunt Roe: *Z. f. G.* 1877, 15, B: *Burs. Jber.* 1879 S. 260, Fu: ed. I p. 163 adn. 1.

1) Quo anno haec causa instituta sit, tractabam in commentationibus in honorem Ribbeckii editis p. 466 sqq. — Liceat hac occasione data quae tum praetermisi afferre. Fraenkelius de or. pro Polystr. hab. p. 8 iniuria vv. dd. negavisse censet or. XIV. Lysiae esse. Sch: *olig. Umwälz.* et Dessoulavy (v. i.) huius orationis numerum uncis incluserunt.

2) cf. Dobr. p. 228, F: p. 11, Lipsius (= L) *att. Proc.* p. 921, B: p. 495.

gumentorum et verborum quorundam videntur permoti esse. Nam ab utroque actore eadem figura adhibita poscitur, ut reus puniatur (XIV, 12, 13—XV, 9), eadem ratione iudices admoneantur, ne faventium preces pluris aestiment quam leges et iura iuranda (XIV, 22—XV, 8) neve periculorum olim urbi imminentium nunc obliviscantur (XIV, 15—XV, 12), eodem τόπῳ ἐκ διαβολῆς probatur, cur actor Archestratidi opem tulerit (XIV, 3—XV, 12), eodem denique nomine praetores appellantur ἄρχοντες (XIV, 21—XV, 5) eorumque preces imperia (XIV, 22—XV, 8).[1]) Quid? eandem rem eisdem verbis significari et similibus enthymematis refutari num mirum est? oratores ut auctoritatem et potentiam praetorum, qui reo aderant, infringerent vel ut ostenderent, cur Archestratidem adiuvarent, num quid aliud agere poterant? Ac vide quantum discrimen sit inter XV. orationem et XI. Ubi or. XI. auctor iudices alloquitur sicut accidit in XV.? ubi iuris attici tantam notitiam praebet quantam alter in §§ 1—3? ubi res tantae novitatis tantique momenti adiungit quanti sunt hipparchi, phylarchi, taxiarchi rationes, Pamphyli nomen, Alcibiadis inter hippotoxotas stipendia? Praeterea num credi poterit ea quae XV, 9 de iudicibus dicuntur, scripta esse ab eo epitomatore, qui contrarium fere in XIV, 4 legerit?

Immo ex his ipsis argumentis concludi necesse est or. XV. germanam esse orationem et revera in lite contra Alc. ἀστρατείας intenta habitam esse. Quod ne inter eos quidem ambigitur, qui eam spuriam esse existimant.[2]) Ergo nihil relinquitur nisi ut or. XV. tritologiam esse censeamus, quamquam

1) In hac argumentorum similitudine iam offendit Sch: *JJ.* XXXI p. 367.

2) Boeckhius *Staatsh.* [1]I 1817 p. 284 (= [2]I p. 332) adn. b, cui adstipulatur Sch: *JJ.* XXXI p. 367 et in ed. p. LXXXII, Bakius schol. hyp. II p. 282, Fa: p. XIV et 195. — Quantopere vero ea, quae et ex or. XIV. et ex or. XV. de re militari Atheniensium comperimus, cum eis quae aliunde vel novimus vel colligimus, non modo congruant, sed ea suppleant et augeant, optime cognoscitur cum e Gilberti libro *Beitr. z. inn. Gesch. Ath.* 1877 inde a p. 24, tum e L[i]: lite att. p. 121 sqq. 462 sqq.

alterum eiusmodi exemplum non invenitur (cf. L: ll. p. 921 adn. 445).

Has autem orationes synegorias esse si quidem iuste statuimus, id quod proposui, duplicem ob causam difficilius expeditur. Quarum una est, quod eo subsidio quod e narrationis condicione sumitur quodque tanto gravius et fidius est, quanto magis Lysias ea arte omnes superabat, plane destituti sumus; altera, quod cum alia tum argumentationem orationum illarum eadem severitate qua ceteras metiri non debemus, cum argumenta plerumque rebus extra causam positis (locis ante, post, circa rem, non in re) contineri consentaneum sit.

His omnibus difficultatibus explicatis non mireris viros doctos indagantes quo iure Harpocratio (s. v. *Ἀλκιβιάδης*) or. XIV. suppositam esse coniecisset, alios abiudicavisse eam a Lysia, alios attribuisse. Quoniam autem eorum sententias ll. exposui, nunc quid eidem de altera oratione senserint, enumerabo.

Eam igitur a Lysia compositam esse primus quod sciam, negavit Taylorus (ed. Reisk. V p. 553). Cui quamquam refragabatur Reiskius p. 557, tamen assensi sunt Boeckhius ll. et Bremius (or. sel. 1826 p. XVIII et 123). Reiskianae autem opinionis defensores exstiterunt Franzius (edit. 1831 p. 286) et Hoelscher (de vit. et scr. L. 1837 p. 85) nec tamen persuaserunt Bakio ll., Sch°: ll., Fa°. Deinde in hanc controversiam inquisivit R: ll., qui quid a Lysiae sermone alienum esset, se non videre professus est. Idem probabatur K° et F° (v. s.), nihil commotis Fra[i] scrupulis.[1]) His adiungendus est Thomaschikius (= Th), qui Lysiae or. XIV. et XV. iniuria a quibusdam in dubium vocari in thesibus dissertationi (de L. epit. authentia verisimili) adsertis contendit. Postremo B[i] sententiam referre opus est. Qui quamvis argumentis non contemnendis or. XIV. authentiam addubitaverit, tamen alteram propterea tantum in suspicionem trahit, quod hanc ab eodem auctore compositam esse sibi persuasit.

---

1) p. 115 et 237. Huius argumenta suo loco tractabuntur.

Haec sunt, quae vv. dd. disseruerunt. Omisi ut par est, nomina eorum, qui utram in partem abirent, planis verbis non pronuntiaverunt. Videmus autem or. XV. a Lysia profectam esse multo plures negavisse quam contendisse, cum de praecedente contrarium statuendum esset.

Sed cum considerarem, qua via ac ratione disputatio mea rei convenienter procederet, id optimum mihi esse videbatur primum de verborum delectu, deinde de compositione, tum de ornatu disserere, quarto autem loco Dionysii de Lysia iudicio[1]) pro fundamento posito, ea quae illis capitibus enucleavero, examinare et utrum orationes illae eisdem virtutibus excellerent vitiisque eisdem laborarent pervestigare. Hoc enim si statui potest, eas Lysiae esse, sin negari oportet, suppositas esse per se intellegitur.

Dignam autem esse Dionysii disceptationem, qua et vitia et virtutes illas dimetiamur, nemo infitietur. Nam ea ingenii facultate et eo naturae habitu Dionysius exornatus erat, ut quid uniuscuiusque scriptorum vetustorum proprium et laudabile esset, dignosceret et perspiceret.[2]) Quare discrepans ab aequalium consuetudine neque Thucydidi neque cuiquam alii summam laudem tribuit, sed Demosthenem unum in fastigio artis et eloquentiae stare eiusque solius vestigia persequenda esse censuit. Ac ne in Lysia quidem, quamvis eius indole adeo captaretur, ut quatenus nunc iudicare licet, interdum nimiis eum laudibus efferret, quid vituperandum et vero artifice indignum esset, celavit aut silentio praetermisit. Praeterea id velim respicias multo plures quam nobis illi libellos cum ab aliis tum a Lysia compositos in promptu fuisse, quibus inter se comparatis certum et iustum iudicium facere posset.

---

1) Dion. Halic. op. ed. Reisk. V p. 452 sqq. — Nostra aetate Lysiae generis dicendi arbitri fuerunt: Hoelscher p. 31 sqq., RFu et FG in praef. ed., Girardus *des caract. de l'attic. danc l'éloqu. de L.* 1854, Fra: p. 1 sqq., B: p. 383 sqq., Pluntkius *Platos Urteil üb. Isocr.* 1871 p. 24 sqq., Perrotus *rev. d. deux m.* XCIV. p. 859 sqq. (= *l'éloqu. à Athènes* etc.), Morawskius *Zschr. f. östr. G.* 1879 p. 401 sqq.

2) cf. B: *d. griech. Beredk. v. Alex. bis Aug.* 1865 p. 169, Schmidius *d. Atticism. in s. Hauptvertr.* I p. 6 sqq., 14 sqq.

Caput primum.

De delectu verborum.

Iam igitur enumerabo singula verba et singulas elocutiones, quibus auctores illi usi sunt; sed ne molestus sim, et notissima omittam et ubi fieri potest, ad eos relegabo, qui similes locos iam congesserunt. Eorum autem libros nominavi p. 4 in adn. 1.

1) Verba.

ἀγανακτέω a) cum *εἰ* [1]) XV, 2—IV, 19. XXVI, 1. b) absolute XIV, 39—XIII, 13. XXXII, 12. [IX], 20. cf. F: ad XIV, 39, Ri: p. 13. Qui quo iure XIV, 39 et [IX], 20 *ἀγ.* absolute dictum esse dubitaverit, non video.

αἱρέομαι a) = praeferre *α*) *μᾶλλον* non adponitur XIV, 7 *ἱππεύειν εἵλετο* XIII, 17. XXIV, 25. XXIV, 25; aliter [II], 62. (cf. *δέχομαι* X, 21. XXV, 32.) *β*) *μᾶλλον* adponitur cf. A: p. 50. b) = eligere XIV, 11 *στρατηγούς*. XII, 65—54, 58. XIII, 9, 10, 23. XVIII, 4. — XIV, 15 *τἀρεστὰ ὑμῖν αὐτοῖς*, cf. XII, 72 *τὰ συμφέροντα*.

αἰσθάνομαι cf. F: ad XXX, 15 adp. a) absolute XIV, 13 —I, 41. XII, 10. XIII, 81. b) cum *ὅτι* XIV, 43 *ὅτι .., ἐκ τ. ἄλλων ἐπιτηδευμάτων ᾔσθησθε* [2]) (cf. XIII, 19. fr. 75, 2 *ἐκ τ. πεπραγμένων αἰσθήσεσθαι*) — fr. 5.

αἰσχύνομαι a) c. *ὑπέρ* c. gen. XIV, 39: *ὑπ. τ. δουλευσάντων* III, 3 *ὑπ. ὧν*. cf. *ὀργίζομαι ὑπ.* XII, 2. XXX, 12. b) c. *ἐπί* c. dat: XIV, 42. — XXXII, 17. cf. *ἀγανακτέω ἐπί*: I, 1.

Admodum dubia est lectio §i 2. In X traditur: *ὥστ' ἐπινικίοις, ὧν οὗτος φιλοτιμεῖται, τοὺς ἐχθροὺς αἰσχύνεσθαι.* Quid verum sit, vix unquam dicetur. Per se vis voculae *ἐπινικίοις* quadrat ad prooemii maiorem vivacitatem et K: *Münch.*

---

1) Quomodo haec particula explananda sit, cum dependet aut de verbis affectum significantibus aut de adiectivis impersonalibus, disserit Akenus *d. Grdzge d. Lehre v. Temp. u. Mod. im Griech.* p. 87.

2) Haec emendatio Boissonadii (ad Philostr. ept. p. 98) certa esse mihi videtur. cf. F: adp., Sch: vind. Lys. p. 83.

gel. Anz. 1852 S. 408, Philol. XI p. 163, *Heidelb. JJ.* 1866 p. 300, denique (contra F) *JJ.* CV p. 254 eius verbi defensor exstitit. Cuius sententiam secutus est R: *JJ.* XCIII p. 660. Attamen stant F[i] verba: '*schwerlich passt eine solche, ohne weitere Ausführung nicht leicht verständliche Anspielung in das Prooemium*'. Bakius schol. hyp. II p. 279 temere: *ἐπ' ἐναντίοις τοῦτον καὶ τοὺς χρηστοὺς φιλοτιμεῖσθαι καὶ αἰσχ.* Fra° p. 103 *ἐπ' ἐκείνοις* opposuit M: Philol. XII p. 92 et in *Merseb. progr.* 1866 p. 7. Nuper hunc locum tractavit Thalheimius *JJ.* CXVII p. 550 sq. qui scribi iussit *εἰπεῖν ἐνίοθ' ὧν* et assensum tulit Roe[i]: *Z. f. G.* 1879, 10. Sed ut omittam illud *ἐνίοτε* non minus languere quam *ἐπ' ἐνίοις*, hanc coniecturam ad irritum cadere puto propterea, quod deest verbum, cui genetivus *ὧν* attrahatur. Quare donec melius proponetur, acquiesco in Reiskii emendatione *ἐπ' ἐνίοις*, quae probatur Sintenisio *Zschr. f. AW.* 1835 p. 524, M° ll., W°, Sch°, Cobetio, F°.[1])

αἰτέομαι a) eodem sensu quo *ἐξαιτεῖσθαι* frequentius legitur. Dicitur enim de eis, qui reo adsunt et pro eo iudicum misericordiam commovere student (= deprecari). XII, 86 *τῶν συνερούντων αὐτοῖς ἄξιον θαυμάζειν πότερον ὡς καλοὶ κἀγαθοὶ αἰτήσονται.* cf. FG et RFu ad hunc locum. — XXVII, 13 *εἰ δὲ νομίσαντες ἀδικεῖν αἰτήσονται* (hic paulo ante legitur *ἐξαιτεῖσθαι αὐτοὺς παρ' ὑμῶν*), XXX, 33 *τῶν αἰτησομένων οὐδεὶς τοσαῦτα ἀγαθὰ πεποίηκε.*

Hi loci a quibusdam — cf. Pluygersius Mnem. 1862 p. 88, W 3 p. 27 — tentati sunt. Verum optimo iure traditam scripturam defenderunt Sch: ed. p. XXXI et lect. L. (in *JJ. Suppl.* I) p. 331, Fritzschius emend. L. p. I. progr. Rost. p. 16, Fu: in diss. p. 36 et in edit., FG.

Id autem si Lysiae attribues, non ab eo alienum esse hoc putabis XIV, 22 *οἱ λέγοντες καὶ αἰτούμενοι ὑπὲρ Ἀλκιβιάδου* praesertim cum *αἰτεῖσθαι* ibi conexum sit cum vocabulo *λέγειν*.

1) Idem monet *καί* ante *τ. ἐχθ.* quod post Iacobsium denuo protulit Herwerdenus anal. crit. 1868 (cf. *ph. Anz.* II p. 238) non inserendum esse. Sehrwaldius *JJ.* IC p. 27: *ἐπιεικῶς ἐφ' οἵοις οὔτ. φιλ., τοὺς χρηστοὺς αἰσχύν.*, satis cumulat commutationes.

Habemus autem *λέγειν ὑπ. τινος*: XII, 41. XXXII, 1. cf. XVI, 21. XII, 86 (*συνεροῦντες αὐτοῖς* secundum Reiskii correcturam). Itemque conferri potest *δεῖσθαι ὑπέρ τινος*: XVIII, 24. XXX, 31. — b) c. acc. = rogare aliquem XV, 1: *ὑμᾶς αἰτοῦμαι .. καὶ .. δέομαι* — III, 4. XIX, 2.

ἀκούω a) c. genet. rei: XIV, 23 *ἧς* (*πονηρίας*) cf. XIII, 3. XXV, 1. b) *τὶ παρά τινος*: XIV, 1: *οὐδεμίαν ἀκοῦσαι πρόφασιν παρὰ τῶν βουλομένων* — [VI], 35. Apud Lysiam nullum exemplum inveni; dicit enim: *ἀκ. τί τινος*: XII, 61. XXV, 34. fr. 53, 1. XIX, 45.

ἁμαρτάνειν F: ad XXXI, 23; A: p. 49. Constat Lysiam *ἐξαμαρτάνειν* non minus adamare quam *ἁμαρτάνειν*. Utrumque etiam in or. XIV. legitur, cum in XV. neutrum reperiatur. a) *εἴς τινα α*) *ἐξαμαρτάνειν*: XIV, 16. *β*) *ἁμαρτάνειν*: XIV, 28: *ὅσα ἢ .. εἰς τ. πολίτας ἢ εἰς τ. ξένους*[1]) *ἢ περὶ τ. αὑτοῦ οἰκείους ἢ περὶ τ. ἄλλους ἡμάρτηκε*, § 24, 38: *εἰς ὑμᾶς*. § 42: *εἰς ἅπασαν τὴν πόλιν*. XVIII, 9, 10. XXX, 25. b) *περί τινα* XIV, 2 — fr. 53, 1: *περὶ θεοὺς ἐξαμ.* XXXI, 23: *περὶ τ. ἑαυτοῦ ἀναγκαίους* (cf. *ἀσεβέω*). c) absolute XIV, 12 (bis). 18, 21. — XII, 49. XXV, 16. fr. 86. — Accedit acc. pron.: XIV, 23 (*ταῦτα*), 29 (*τοιαῦτα*).

ἀμελέω c. genet. XV, 10: *ἀμ. τ. πόλεως, τούτου* (sc. rei) XVI, 19. XVIII, 17. XXV, 1. XXXIV, 9. fr. 74.

ἀναβαίνω a) *ἐπὶ τοὺς ἵππους* XIV, 10 (bis; sed altero loco rei naturae convenienter verba illa non repetuntur) XVI, 13. XXIV, 5, 11, 12. — cf. XXI, 7. [II], 4: *ἐφ' ἵππους*). b) in suggestum ascendere XIV, 16. XV, 2 (v. i.). — Apud Lysiam non legitur, sed cf. *ἀναβιβάζω* XVIII, 24. [XX], 34.

ἀναγιγνώσκω cf. Schepius: de transit. formulis, quibus or. att. utuntur p. 14. — Formula, qua scriba ut leges et testimonia recitet, admonetur: *ἀνάγνωθι τὸν νόμον, τὸ ψήφισμα* etc. adseritur: a) particula *δέ* XIV, 3: *ἀνάγνωθι δέ μοι τ.*

---

1) Transpositionem verborum *οἰκείους* et *ξένους* necessariam esse F mihi persuasit; cf. K: *JJ.* CV p. 254; Heldmannus: em. L. Marb. 1875 p. 2. Idem alios Lysiae locos enumerat, quos vv. dd. eadem medela usi sanaverunt.

νόμον[1]) 47, *ἀ. δ' αὐτοῖς τ. νόμους..* I, 30, 31. b) particula *καί* XIV, 8: *καί μοι ἀν. τὸν νόμον* X, 14, 15. XIII, 35, 50. (particula *οὖν*: I, 29. — *ἀναγνώσεται* sc. *ὁ γραμματεύς*: XIII, 33. XIX, 27. cf. XVII, 9). Nullo vinculo adnectitur formula XIV, 5: *ἀνάγνωθί μοι τὸν νόμον.* Quam discrepantiam ad nostram quaestionem nihil attinere existimo. Nam nisi asyndeti apud Lysiam usum [2]) similem esse concedis, facillime hic inseras *δέ*. Sed etiam apud alios oratores et asyndeton et particula *δέ* promiscue usurpatur.

ἀναχωρέω XIV, 6 *εἰς τοὐπίσω* (legis ipsius verba videntur) XVI, 15, 18.

ἀντιβολέω. Cum apud ceteros oratores atticos, tum apud Lysiam verba precandi saepenumero non sola, sed cum aliis eiusdem significationis coniuncta ponuntur. *ἀντιβολέω* et *ἱκετεύω* XV, 3. — I, 25, 29. IV, 20. XXII, 21. XXXII, 11. [VI], 55. (*ἱκετεύω* et *δέομαι* V, 1 et fr. 78, 4. Nam utroque loco codicum *κελεύοντος* corrigendum esse in *ἱκετεύοντος* vidit Hirschigius. Interdum haec tria verba consociantur: XVIII, 27. XXI, 21.) — Separatim collocari oportet: XV, 1: *ὑμᾶς αἰτοῦμαι καὶ τ. στρατηγῶν δέομαι* et XIV, 16: *ἀναβαίνοντες δ' ὑμᾶς ἐξαιτήσονται καὶ ἀντιβολήσουσι.* Nam haec verborum iunctura a Lysia non adhibita est. — Ceteroquin v. s. *αἰτέομαι* et *ἐξαιτέομαι.*

ἀπαλάσσω pass. c. genet. = liberari. XIV, 47: *τοιούτων πολιτῶν.* — V, 4. VII, 35. XII, 45. XXV, 12: *τῶν παρόντων κακῶν.* Erot. 233^{d}.[3]) XXXII, 2, 23.

ἀπέρχομαι = discedere: XIV, 14 *οἴκαδε* — passim; v. i. — Non raro fit, ut insit vis peculiaris, quae idem significat atque inferiorem discedere (F: ad XV, 10): X, 20 *οἰχήσεται*

1) Quamquam hoc loco formula melius deletur, quod primus proposuit Bakius sch. h. II p. 280. Nam nec quae lex nec cur recitetur, cognoscitur.

2) cf. F: ad XII, 10. X, 5. XIII, 62. I, 14. XXXII, 11. — In or. XIV. praeterea asyndeton exstat § 3, in qua librarius cod. C suo Marte interposuit *οὖν*. cf. Sch: *JJ. Suppl.* I p. 302.

3) vide adpendiculam.

ἀπιὼν ἀπὸ τ. βήματος σιωπῇ XIX, 4 *μισηθέντες ἀπελθεῖν.*[1]) Sed tamen 'superiorem discedere' uno loco valet: XV, 10 *καταγελῶν τ. πόλεως ἄπεισιν.*

ἀπέχομαι = abstinere: XIV, 42: *οὐδεμιᾶς τόλμης.* — XXIV, 2.

ἀποδείκνυμι a) = demonstrare α) c. *ὡς*: XIV, 22. β) c. ptcp. XV, 11 (cf. XIII, 95. XVII, 10). cf. Sch: vind. L. p. 9 sq. — A: p. 50. b) c. dupl. acc. = reddere. XV, 11: *οὐδένα ἄλλον κυριώτερον* XXXII, 17. fr. 1, 5.

ἀποδέχομαι c. genet. ptcp.: XIV, 24 *τ. ἀπολογουμένων — λεγόντων* IV, 14: *αὐτοῦ οὐκ ἀξιοῦντος.* — FG: ad XIII, 89 accuratissime.

χάριν ἀποδίδωμι XV, 10 *ὑμῖν.* — Erot. 231[b], 233[e]. XII, 60. XVIII, 26. XXVIII, 17. [II], 75. — cf. Leb: p. 88.

ἀπολογέομαι a) *ὑπέρ τινος*: XIV, 21—XII, 89. XXI, 17. XXII, 10. XXVI, 3. b) absolute: XIV, 24, 43—XII, 17, 77, 86. XIX, 3. FG: ed. I p. 165.

ἀποφαίνω XIV, 24. cf. A: p. 53. Schultz. p. 39.

ἄρχω a) = regere: XIV, 34: *ὑμῶν*—XII, 51 (*τ. πόλεως*) XXXIV, 9 (*τ. Ἑλλήνων*). — XIV, 36 (*τριήρων*). — XXVIII, 2 (*νεῶν*). b) *οἱ ἄρχοντες = στρατηγοί* XIV, 21. XV, 5. — XVI, 16. XXVIII, 5, 15. cf. Siegfriedius: de multa, quae *ἐπιβολή* dicitur 1876 p. 38.

βιόω XIV, 41: *σωφρόνως βεβιώκασιν.* cf. XVI, 3: *περὶ τὰ ἄλλα μετρίως βεβιωκώς.* § 1, 10.

βοηθέω a) *βοηθοῦσιν οἱ συνήγοροι* XIV, 21, 22, 23. XV, 1, 4, 12. V, 1. XXXII, 3. fr. 78, 4: *τὰ δίκαια β.* (cf. F: ad XXXII, 3). X, 4 (cf. XXXIV, 10. [II], 14, 67). XII, 88. b) *οἱ δικασταί*: XV, 9 (*ὅλῃ τ. πόλει*). X, 28 (*τ. πατρί*) 32 (*τ. νόμοις καὶ ὅρκοις*). XII, 80, 85, 99. XVIII, 25.

βούλομαι[2]) 1) formula quasi sollemnis: *ὅτι* (*ἄν*) *τις βού-*

---

1) XIX, 3—6 a Kocksio *krit. u. exeg. Bem. z. L.* 1888 et Heldmanno *ph. Rdsch.* 1888 p. 371 e textu eici non comprobo.

2) de augmento (*ε* et *η*) cf. Pertzius: qu. L. cap. II p. 6, Meisterhansius: *Gram. d. att. Inschr.*[2] p. 134.

λέται ποιεῖν: XIV, 11: ἐξέσται ὅτι ἂν τις β. π. = XXV, 33. I, 19. X, 3. XII, 84. XXV, 32. XXX, 34. XXI, 7. similiter: XV, 1, 7—XII, 85. XXV, 31. — Nonnunquam variatur: XV, 3: ὅτι ἂν βούληται πραχθῆναι XII, 27: οἷς ἐκεῖνοι ἐβούλοντο πραχθῆναι (cf. XXV, 24). 2) β. μᾶλλον — ἤ W 2 p. 16 sq., Foe: p. 39, qui recte adnotat 'maxime L. libenter in hac locutione prius verbum βούλεσθαι, tum saepe pluribus interiectis verbis μᾶλλον ἤ ponere'. — XIV, 9: ἐβουλήθη καὶ ἄτιμος εἶναι καὶ . . γενέσθαι μᾶλλον ἤ, 38 ἐβούλετο πολίτης γενέσθαι μ. ἤ . . XIX, 37, 54. XXIII, 5, 12. XXXII, 2. fr. 53, 3. XXXI, 9. [II], 12. (μᾶλλον ante βούλεσθαι ponitur: [II], 62. XXXI, 9). — De ceteris locis: XIV, 1, 15, 34, 35. XV, 8 nihil adnotare opus est.

γίγνομαι a) c. genet. XIV, 11: τ. πρώτης τάξεως τεταγμένος τῆς δευτέρας γένηται. Apud Lysiam nullum exemplum simile inveni, sed genetivus prorsus ex more Atticorum est. b) τὰ γεγενημένα opponuntur τὰ μέλλοντα: XIV, 29. — XXV, 23. XXXIV, 5. FG: ad. I p. 498. — Ceterum cf. A: p. 50.

γιγνώσκω XV, 8. XXII, 2. XXIV, 27. fr. 88: τὰ δίκαια γιγνώσκειν; (cf. fr. 89); v. s. ψηφίζομαι. — De XIV, 4 (περί), XIV, 37 (ὅτι) nihil.

δέδια Ri: p. 13, St 2 p. 118. — XIV, 9, 10.

δέω a) XIV, 21 οὐδὲν τ. στρατηγεῖν [1]) — X, 5. fr. 16, 1. b) δέον XIV, 7: δεῖν v. excurs. — XIII, 84—VII, 15. XIII, 85 (ὥσπερ δέον).

Participia absoluta e Lysiae orationibus diligentissime, ut solet, collegit G: in ed. I p. 450 sqq., de arg. ex contr. p. 283 sqq. Unde apparet illum huic dictioni valde favisse. Nonnulla praebent Leb: p. 76 et A: p. 53. — Creberrima omnium usurpantur δέον et ἐξόν. Huius verbi ptcp. fut. dependens de particula ὡς scriptum legimus XIV, 10: ὡς οὐκ ἐξεσόμενον τῇ πόλει δίκην λαμβάνειν, quo cum loco probe contendas XXVI, 16 ὡς προσληψόμενον αὐτὸν δοκιμαστάς. cf. XXV, 2 ὡς ἐμοί τι προσῆκον XIV, 16 ὡς ἐκεῖνον αἴτιον γεγενημένον

---

1) PRMueller (cf. F): αὐτοὺς στρατηγεῖν. Sed recte, opinor, iam adversatus est ei R: *JJ.* LXXXI p. 328.

33 ὡς ὄντας ἀξίους, quibus locis acc. subiecti et ptcp. legitur.

δέομαι a) c. gen. XIV, 20 τούτου XVII, 10 ὑμῶν XXXII, 2 (bis). b) c. gen. et inf.[1]) XV, 2, 12 — passim. c) absolute XV, 3, 4, 8. Erot. 233e (bis).

δηλόω XIV, 35 ἃ φυλάττεται cf. XIX, 39. XXXII, 8, 11.

δημηγορέω XIV, 45 περὶ τ. ὑμετέρων — X, 1 absol. XVI, 20 ὑπὲρ τ. ἐμαυτοῦ πραγμάτων.

διάκειμαι XIV, 42. cf. G: ad XXV, 27.

διακινδυνεύω XV, 12 πρὸς τ. πολεμίους. XXXIV, 11 ὑπὲρ τ. ἐλευθερίας [II], 20 ὑπ. τ. Ἑλλάδος πρὸς μυριάδας.

διδάσκω XIV, 22, 26, 35. — sollemne verbum propositionis: XIV, 3. VII, 3. XII, 3, 62. XIII, 4. XXV, 7.

δίδωμι a) δωρεάς XIV, 31—X, 24. cf. XII, 9, 11. XIII, 72. b) εὐθύνας F: ad XXV, 30, Schultz. p. 39 — XIV, 38. c) τὴν ψῆφον = in suffragium mittere XV, 2[2]), 4. Haec locutio nusquam apud Lysiam legitur, v. infra d) ἐξουσίαν XV, 11. XXV, 17.

δοκέω XIV, 4, 17, 19 (bis), 25, 31. XV, 7, 9. cf. A: p. 47 et 49.

δουλεύω XIV, 34: τ. βουλομένους δ., 39 ὑπὲρ τ. δουλευσάντων τ. πολεμίοις, XII, 92 τούτοις 98. XXVI, 19 (c. dat.) [II], 64. XIV, 39 aoristus incohativus, quem vocant grammatici, intellegendus est. Eadem ratione explicandum est XIV, 36 ἐπειδὴ κατῆλθε καὶ πολλῶν ἦρξε τριήρων (= postquam imperio classis ornatus est). Huius consuetudinis apud L. exempla congessit FG: ad XXV, 14.

δύναμαι[3]) a) XIV, 35 οὕτω μέγα. X, 13. XII, 50. XVIII, 13 τοσοῦτον. XXV, 24 μέγα 33 μεῖζον. XVIII, 5 ἔλαττον. b) XIV, 38: λέγειν δυνάμενος cf. Leb: p. 82. — XXVII, 5. XXX, 24. — cf. XVII, 1. XXXI, 2. (ἱκανός: XVII, 1. δεινός: XII, 86.

1) XIV, 20 δεηθέντες οὐκ ἐδύναντο εὑρέσθαι interpolata sunt verba; cf. L: qu. L. p. 16 et F. Denuo nec tamen feliciter eis patrocinabatur R: *JJ.* XCVII p. 601.

2) *ΔΙΑ* in διαδιδόντες dittographiam esse arbitror litterarum *ΔΙΔ*.

3) De augmento disputavit Pertzius ll.

fr. 78, 4.) contrarium: ἀδύνατος XIV, 44 πράττειν, XXV, 2 λέγειν, XVII, 1 εἰπεῖν. XXX, 24. c) XIV, 46 ὡς ἐδυνάμην ἄριστα κατηγόρηκα. Similiter XII, 62 ὡς ἂν δύνωμαι διὰ βραχυτάτων XVI, 9. — cf. Erot. 231[a], fr. 7 (ὡς ἂν c. opt.); V, 1. XIX, 1 (ὅπως ἂν δύνωμαι); XIII, 92 (ὅσον ἂν .. δύνηται XII, 36, 94. XIII, 3 (καθ' ὅσον δυν.); XXXIV, 5 (καθὸ δύνασθε); cf. fr. 78, 4: καθ' ὅσον οἷός τ' εἰμι.

ἐθέλειν XIV, 21, 45. Locos conquisivit Pertzius p. 7. Praeterea cf. F: ad XII, 58, 69. XXXII, 12, 13. XXXI, 1.

εἰσπράττομαι XIV, 26 ἀργύριον εἰσεπράττετο (impf. de conatu). XVII, 4. (simplex: fr. 60—XVII, 3.) De impf. illo cf. F: ad XII, 88. XIII, 54. I, 38.

ἐκβάλλω XIV, 36 τ. πολεμίους ἐκ τ. χώρας XXXII, 16. fr. 75, 4 ἐκ τ. οἰκίας.

ἐνθυμέομαι XIV, 11, 14, 39, 47. XV, 2, 4, 8. cf. M: p. 30. — Weiskius: *JJ.* CXXIX p. 821 sqq., St 2 p. 118, G: ad XXV, 13 et 19.

ἐξαιτέομαι cf. Maetzner ad Lyc. Leocr. p. 304, Sch: lect. L. p. 329 sq., F: ad XIV, 16 adp., Thalheimius *d. L. Rede f. Pol.* p. 36.

Ex tribus locis, quibus in or. XIV. haec vox exstat, unus integer est XIV, 20: ἐὰν τινες τῶν συγγενῶν αὐτὸν ἐξαιτῶνται. Apparet verbum significare: 'aliquem deprecari, precibus liberare' et haec notio redit XII, 95: φεύγοντας ὑμᾶς ἐκ τῶν πόλεων ἐξῃτοῦντο, XXX, 31: περὶ τῶν ἐξαιτησομένων .. εἰπεῖν βούλομαι [II], 12; forma passiva: XX, 15.

Saepius nomina eorum, qui rogantur, ut aliquem remittant, praepositione παρά adiunguntur: XXI, 17. XXVII, 12 (cf. Hentschelius qu. d. L. or. Epicr. p. 34 sq., St 2 p. 120).

His locis aliisque quos F ex ceteris oratoribus affert, nisus XIV, 18: οὐκ οὖν δεινὸν τούτους μὲν οὕτως εὐτυχεῖς εἶναι, ὥστ' ἐπειδὰν ἐξαμαρτάνοντες ληφθῶσι, διὰ τὸ αὑτῶν γένος σώζεσθαι, ἡμᾶς δ' εἰ ἐδυστυχήσαμεν διὰ τοὺς οὕτως ἀτακτοῦντας, μηδένα ἂν δύνασθαι παρὰ τῶν πολεμίων ἐξαιτήσασθαι μηδ' ἂν τὰς τῶν προγόνων ἀρετάς (sic cod. X), tueor illud μηδένα, quamvis Sch: ll. p. 327 obloquatur. Oppositionis

enim concinnitate poscitur, ut vocem ἡμᾶς subiectum accipias; quid autem Athenienses aliud Lacedaemonios reposcerent quam captivos? — Reliqua, ut hoc statim addam, pars huius enuntiati quomodo sanetur, difficile dictu est. Verba μηδ' ἂν τὰς .. ἀρετάς intellegi posse unusquisque largietur Sch° (p. 329). Verum mihi quidem magis placet prioris antitheti membro διὰ τὸ .. γένος respondere in posteriore alterum ab eadem particula incipiens. Ideo scribam: διὰ τὰς ἀρετάς (ἄν et διά saepius confusa sunt).

Sed utcunque ea verba restituuntur, e lectione tam incerta nullo modo, utrum Lysias huius orationis auctor sit necne, colligi potest.

Utique conformationem, quae insit in voce ἀρεταί, non minus tolerari existimo quam illud: τὴν ὑμετέραν ὀργὴν τιμωρεῖσθαι βουλομένην (XXIX, 6), quod sane omnes fere Taylori auctoritatem secuti commutant in genetivum βουλομένων.

Sed ne longius oratio mea vagetur, restat unus or. XIV. locus, quo ἐξαιτεῖσθαι in libro Palatino legitur: XIV, 16 ἀναβαίνοντες δ' ὑμᾶς ἐξαιτήσονται καὶ ἀντιβολήσουσιν οὐκ ἀξιοῦντες . . καταγνῶναι. Si memoriae confidimus, ἐξαιτεῖσθαι nova notione ornandum est: exorandi, obsecrandi. Atqui duo offensioni sunt; unum, quod semel eadem significatio invenitur loco mea quidem sententia corrupto: [XX], 35 οἱ ἄλλοι τοὺς παῖδας παραστησάμενοι ἐξαιτοῦνται ὑμᾶς; alterum, quod ea ipsa res pro certa poneretur, quae ne fiat, orator maxime operam dat. Nam Thalheimius haec F[1] argumenta iniuria parvi ducit. Quare cum Hirschigio facio et in textum recipio: ὑμᾶς αἰτήσονται καὶ ἀντιβολήσουσιν, eorum memoriam renovans, quae ad haec verba disputavi.

ἐξαλείφω XV, 5: αὐτὸν ἐκ τοῦ τῶν ὁπλιτῶν καταλόγου, XVI, 13: ἐξαλεῖψαί με ἐκ τ. κ. § 7. — I, 48. XXX, 2.

ἐξελαύνω cf. A: p. 51. — XIV, 34: τοὺς πολεμίους. — XV, 5: Ἀλκιβιάδην ἐκ τ. φυλῆς III, 7, 40, 43. XII, 8, 21. (XIII, 13, 47.) XXV, 26.

ἐξευρίσκω XIV, 46: ἐξευρεῖν τὰ ἁμαρτήματα I, 31. III, 7. XXXII, 18. fr. 1, 1.

ἐπιδείκνυμι cf. A: p. 50. Schultz. p. 40. — XIV, 3 *τ. νόμους ἐπέδειξε* (actor primarius), cf. I, 5: *τὰ ἐμαυτοῦ πράγματα ἐπιδείξω* 21. III, 44. XXIV, 9.

ἐπιτηδεύω XIV, 26 — I, 1, 29. XIII, [65]. XXX, 2. cf. F: ad XXX, 2.

ἔρχομαι = reverti. cf. G et R: ad XII, 16. XIV, 38: *οὐδέποτ' ἐλθὼν εὐθύνας ἐτόλμησε δοῦναι* X, 25. XII, 54. XIII, 13. XVI, 4. XIX, 50. [XX], 14. XXXI, 9. cf. *ἥκω*: III, 11. XII, 16. XIII, 8.

ἑταιρέω XIV, 41 — III, 24.

ἔχω 1) c. acc. subst. a) XIV, 33: *τὴν χώραν* — XIII, 46 *τὴν ἀκρόπολιν*. cf. IV, 20. XXXIV, 4. b) *ἡλικίαν*: XIV, 6 — X, 4. VII, 29. c) *γνώμην*: XV, 4. 12. *τὴν αὐτὴν γν.* cf. Leb: p. 75; apud Lysiam sescentiens. XXI, 19: *δέομαι ὑμῶν τὴν αὐτὴν νῦν περὶ ἐμοῦ γνώμην ἔχειν ἥνπερ καὶ ἐν τῷ τέως χρόνῳ* et XXIV, 21: *δέομαι πάντων τὴν αὐτὴν ἔχειν περὶ ἐμοῦ διάνοιαν ἥνπερ καὶ πρότερον* non modo propter verborum et sententiarum congruentiam, sed etiam propterea comparanda sunt, quod ex praegresso infinitivo *ἔχειν* ad alterum membrum subaudiendum est impf. *εἴχετε*. d) *συγγνώμην*: XIV, 11. — X, 2, 26, 30. XII, 29, 31. XIII, 90. XXV, 1, 35. e) *προθυμίαν*: XV, 1: *δέομαι τῶν στρατηγῶν μὴ πᾶσαν προθυμίαν ἔχειν παρὰ τὸ δίκαιον ψηφίσασθαι*. v. i. Praeterea *ἔχειν* legitur: XIV, 35, 37. — 22, 25. Sed exempla proferre supervacaneum est.

ἡγέομαι α) c. genet. = praeesse. XIV, 21: *οὐδὲ γὰρ* (sc. *ἄν*) *εἶχον, ὅτου ἡγοῦντο.*[1]) XV, 6 *ἡμῶν ἡγήσασθαι* — XIII, 80.

1) Praefero igitur, quod codex exhibet. Nam vim particulae *ἄν* e praecedenti enuntiato pertinere posse ad id, quod sequitur, dummodo alterum cum altero sententia arte cohaereat, multis exemplis F: Philol. XIX p. 606 sqq. et in ed. ad XII, 47, 98. XIV, 14 ostendit. Nec tamen inutile est inspicere eius ad locum adnotationem. (Adstipulatur praeterea K: *JJ.* CV p. 254.) Simile fit etiam XIV, 14. cf. X, 2. XII, 34. 47 etc. — Formae *ἡγοῦντο* post Akenum et F denuo probe patrocinatus est Gerthius: *Krit. z. griech. Moduslehre.* Progr. p. 18. — Verba supra laudata per interiectionem addita sunt. Scripsit, sicut vidi e censura Hergelii: *Wochschr. f. klass. Phil.* V p. 456 sq. de huius figurae apud or. att. usu Egger in diurnis, quae inscribuntur *Mittelschule, Wien* I p. 22 sqq. Doleo,

β) = putare. Nihil addo nisi XIV, 43 *νομίζειν* et *οἴεσθαι* inter se opponi, cum oppositio conformari soleat verbis *νομίζειν* et *ἡγεῖσθαι* XVI, 13—XXVIII, 17. cf. G: ed. p. 497. Sed eadem quae hoc, de quo agitur loco verba variata sunt in antithesi fr. 1, 1[1]) (bis *οἴεσθαι* XIII, 33).

θαυμάζω a) c. *εἰ*: XIV, 11, 23—fr. 53, 1 (*θαυμαστὸν εἰ*: III, 24. VII, 7). b) c. enunt. interrog. XIV, 46 *θαυμάζουσιν, ὅπως . . ἐδυνήθην*. cf. XII, 34 (*τί ἂν . . ἐποίησας*), XIII, 49 (*ὅ, τι*).

θεραπεύω XIV, 14: *ἐν τ. πόλεσι καταμείναντες ἐθεραπεύοντο ἄν*, Erot. 233[b]: *τὴν παροῦσαν ἡδονὴν θεραπεύων*, XIX, 37: *ὑπὸ τῶν παίδων θεραπεύεσθαι* — XXIV, 6. VII, 26.

κάμνω XIV, 14: *τῶν στρατιωτῶν οἱ κάμνοντες*, cf. fr. 53, 4: *τὸ ἀποθανεῖν καὶ καμεῖν κοινὸν ἅπασιν*.

καθαιρέω XIV, 39: *τῶν τειχῶν καθῃρημένων* XII, 63, 68. XIII, 12. XVI, 4—XII, 99. XIII, 46—XII, 40.

καταγελάω XIV, 46: *μου*, XV, 10: *τῆς πόλεως*, fr. 53, 2: *τῶν θεῶν καὶ τῶν νόμων*.

κατάκειμαι vox propria = accubare. XIV, 25: *ὑπὸ τ. αὐτῷ ἱματίῳ*[2]) *κατακείμενος*, I, 24: *κατακείμενος παρὰ τῇ γυναικί*.

καταλαμβάνω XIV, 33 *Φυλήν*, 35 *ἃ χρὴ τ. χωρίων κ.*, XII, 52 *Φυλήν*, XXVIII, 7 *χωρία*.

καταφρονέω XIV, 9: *οὕτως ὑμῶν κατεφρόνησε καὶ τοὺς πολεμίους ἔδεισε κτλ.*, cf. XII, 84: *τοσοῦτον . . ὑμῶν καταπεφρόνηκεν*. XIII, 73.

κατηγορέω περί: XIV, 3—VII, 35.

---

quod huius commentationis inspiciendae mihi non facultas erat. Exempla compluria collegit Leb: p. 74.

1) Quae Welcker (*kl. Schr.* I p. 412 sqq.) affirmat or. a Lysia contra Aeschinem Socraticum compositam, subditiam esse, ea cecidisse puto iam recensione, quam scripsit Vischer *JJ.* LXXIII p. 7. Praeterea cf. R: *JJ.* LXXXI p. 325 et B: p. 630.

2) cf. F: adp. Praeterea adsentiuntur: Bremius *JJ.* I p. 374, Keilius Herm. XIX p. 162 adn., Teichmüller *literar. Fehd.* II p. 267. — *ἱμάτιον* commemoratur: XII, 18 (ad tegendum corpus Polemarchi mortui); XIII, 40. X, 10. fr. 18. XXXII, 16.

κεῖται ὁ νόμος περί: XIV, 6—XXXII, 23.

κωμάζω = commissari; est hominis protervi et petulantis: XIV, 25. — III, 23.

λέγω a) *ἀληθῆ λέγειν*: XV, 5. cf. Pertzius ll. p. 12, St 2 p. 101. b) *λέγειν ὡς*: XIV, 5, 31, 32, 35. cf. Karlowa *Bem. z. Spr. gebr. d. Dem. mit Berücks. a. att. Redn.* p. 3.

λύομαι = e servitute redimere; cf. F: ad XIV, 27 *Ἀρχεβιάδης αὐτὸν ἐλύσατο* — XII, 20. XIX, 59. XXVI, 24.

μαρτυρέω. De huius verbi constructione disputant Fu: in diss. p. 58 et Weiskius ll. p. 822 sq. — XV, 6 significat testimonium eorum, qui reo adsunt. cf. XII, 87.

μέλει XIV, 9. — X, 9. XII, 74. Pertinet huc etiam XIV, 29: *οὔτε τῶν γεγενημένων αὐτῷ μεταμέλει οὔτε τῶν μελλόντων ἔσεσθαι.* Nam quod olim Bremius (exc. III) [1]) demonstrare studebat hoc zeugma — e voce enim *μεταμέλει* ad alterum membrum promendum est *μέλει* — ferri posse, iure recentioribus interpretibus non probatur. F igitur accipit Reiskianum additamentum *μέλει*, quod Halbertsma lect. Lys. p. 33 sq., utpote Batavorum gens rarissime ea curat, quae aliorum opera dudum elaborata sunt, iterum se invenisse mea pace gaudeat. (cf. *phil. Anz.* II p. 139). Sed libere confiteor mihi antecedente composito (*μεταμέλει*) iterationem simplicis (*μέλει*) praesertim cum in fine enuntiati positum sit, iusto languidiorem videri. Potius tolerarem, si ordine verso *μέλει* ante *μεταμέλει* collocari posset. Confugio igitur ad coniecturam K[1], qui *JJ.* CV p. 254 *μετα* deleri et *μέλει* ad utrumque membrum referri iubet. *μεταμέλει*, ut hoc adiciam, scriptum est: III, 43. XVI, 2. XXVI, 20. Erot. 231[a].

μέλλω c. inf. fut.: XIV, 4, 29, 30. cf. A: p. 53. XIV, 30: *καὶ ὑμῖν καὶ τοῖς μέλλουσιν ἔσεσθαι προσήκει* non res, sed homines significantur. Comparari potest XVIII, 5: *τοὺς ἄρξειν μέλλοντας* et XXVI, 8. — Paulo uberius tractanda sunt XV, 9: *ὑπὲρ τῶν παρεληλυθότων ὀλίγους τιμωρησάμενοι πολλοὺς*

1) De zeugmatis apud or. att. usu egit praeter eum Sch: obs. p. 19 et vind. p. 24 sq.

κοσμιωτέρους ἐν τοῖς μέλλουσι κινδυνεύειν et XV, 10: *ἄλλως τε καὶ περὶ Ἀλκιβιάδου μέλλοντας ψηφίσασθαι.*

Illic enim haesitat F, num *κινδυνεύειν* aptum esse possit a voce *κοσμιωτέρους*. Iure opinor. Nec tamen id verbum e textu eicio. Quid enim? infinitivum ab eo verbo regi, quod suscipit (*μέλλουσι*), nonne simplicius et rationi magis conveniens est? Praefracte autem nego valere id, quod idem in hanc Bauri interpretationem explicat verba *ἐν τ. μέλλ.* propter opposita *ὑπὲρ τ. παρελ.* ad nihil posse referri nisi ad tempora futura. Etenim prorsus non intellego, cur dici nequeat: 'poenis criminum iam perpetratorum a quibusdam repetitis multos inter eos, qui in posterum pro patria pericula subibunt, reddetis tenaciores disciplinae militaris'.

Propter alterum autem locum paucis tangenda est controversia illa veterrima, utrum liceat *μέλλειν* coniungere cum inf. aor. necne. Ut aliorum sententias omittam, Fu: *Rh. M.* XXXIII p. 577 infinitivum illum cum ceteris scriptoribus largiatur, oratoribus atticis abrogat. Sed quae ratio hac in lege insit, non video. Immo cum neque aoristi natura neque Graecorum ingenium renitatur, infin. aor. attribuendum esse arbitror et verbis dicendi et voculae *μέλλω* tum, cum is, qui loquitur, non quo tempore aliquid futurum sit, curat, sed omnino aliquid fieri exprimit. (Idem statuit Roeder *üb. Cobets Emend. d. att. Redn.* p. 88.)

Qua causa commotus XV, 10 codicis memoriam *ψηφίσασθαι* amplector. Verum quamquam inf. aor. in corpore Lysiaco iterum non exstat — fortasse [VI], 37 traditur —, tamen e loco ab aliis in suspicionem vocato nihil colligo.

μεταπέμπομαι XIV, 26: *μετεπέμφθη* [1]) *ὑπὸ Ἀλκιβιάδου, ἐπειδὴ .. ἐξήμαρτεν.* — XIII, 54 — XII, 71. XIII, 39, 40. fr. 75, 5.

---

1) F[1] coniecturam *ἀπεπέμφθη* comprobari non posse eius censor docuit (*lit. Centrbl.* 1869 p. 395). Alcibiades enim filius, cum pater postremum Athenis versaretur (anno 407), nonum fere annum agebat. Manifestum autem est eum hac aetate nondum ea perpetrasse, quae § 25 ei crimini dantur, quamvis *ἀνήβῳ ὄντι.*

μηνύω = deferre. XIV, 35: *τοὺς βουλομένους ἀφίστασθαι μην.* cf. Ri: p. 14.

μιμέομαι XIV, 25: *μιμούμενος τοὺς αὐτοῦ προγόνους,* XXXIII, 6: *τοὺς προγόνους μιμ.* cf. [II], 61.—XVI, 20.

νομοθετέω XV, 9: *νομοθετήσοντες περὶ αὐτῶν.* cf. fr. 87.

ὀργίζομαι cf. Ri: p. 13, F: ad XXXI, 11 adp. a) c. *ἐπί* c. dat: XIV, 13. XXVIII, 2. XXXII, 21. b) c. *ὅτι*: XIV, 20. XII, 58. Nomen eius, cui aliquis irascitur, in dat. collocatur: XIV, 8, 39. XV, 9 — passim.

παραδίδωμι 1) *τοῖς ἕνδεκα,* vox propria: XIV, 17. cf. F: ad XIII, 68. 2) XIV, 34: *τὴν τ. θαλάσσης ἀρχὴν — Λακεδαιμονίοις* XII, 80, 95. XIII, 14, 15, 34, 46, 62.

παρακαλέω XIV, 28: *πολλοὺς παρακαλέσας,* I, 46. fr. 75, 5: *παρακαλέσας μάρτυρας.* cf. XXII, 8. — XIII, 18, 71. XXXII, 10. Erot. 233ᵉ.

παρακελεύομαι XV, 2 — I, 35. XII, 13. XXVIII, 16.

παραλαμβάνω XIV, 26: *ὁ δὲ παραλαβὼν τὸ χωρίον,* VII, 9, 34: *ἐπειδὴ παρέλαβον τὸ χωρίον.*

παραλείπω = relinquere XIV, 3: *ὅσα παραλέλοιπεν* (actor primarius), 47: *τὰ εἰρημένα καὶ τὰ παραλελειμμένα ἀναλογισάμενος.* I, 5: *ἅπαντα ἐπιδείξω οὐδὲν παραλείπων,* fr. 16, 2: *δίκαιος εἶ μηδὲν παραλιπεῖν, ἀλλ᾽ εἰπεῖν ἅπαντα,* Erot. 234ᶜ: *ἱκανὰ τὰ εἰρημένα.. εἰ δέ τι ποθεῖς ἡγούμενος παραλελεῖφθαι.*

παρέχω a) *ἑαυτὸν παρέχειν,* α) c. acc. XIV, 1: *τοιοῦτον πολίτην* — passim. β) c. inf. cf. Foe: p. 44 sqq. XIV, 7: *οὐ παρέσχε μετὰ τῶν ἄλλων ἑαυτὸν τάξαι* (dativus: *τοῖς στρατηγοῖς* facile subauditur), XXXI, 9: *ὑμῖν ἑαυτὸν τάξαι παρασχεῖν.* — Sunt etiam alia verba apud Lysiam, quibus infin. adponatur, ut quo intendas, exprimatur (A: p. 53) *αἱρεῖσθαι*: XII, 58. XXVI, 20. XXX, 29. XXXI, 16 (cf. F), *ἀποδιδόναι*: XIX, 7, *δοκιμάζειν*: XXVI, 11, *εἶναι*: XII, 95. XXXII, 11 (cf. G: ad hos locos et de praeterit. form. apud or. att. progr. Zwick. 1874 p. 38.), *καταλέγειν*: XVI, 13, *παραδοῦναι*: VII, 34. XXII, 2, *παρακαλεῖν*: XVIII, 4, alia. — b) c. acc. subst. α) de suppeditanda et mutuo danda pecunia (Foe: p. 45.) XIV, 37: *παρ-*

ἕξειν βασιλέα χρήματα, XIX, 22. (43, 59.) XXVI, 24—XIII, 91. XVI, 14. β) XIV, 2: ἐλπίδα παρέχοντα. Idem non legitur; sed simile: Erot. 233ᵇ: ἃ λύπην παρέχει. XIX, 1: πολλὴν ἀπορίαν ὁ ἀγών, 30: ἡδονήν. γ) μάρτυρας παρασχέσθαι: XIV, 3. cf. W 1 p. 19.

πειράομαι Usitatissimum huius verbi futurum in propositione: XIV, 2: πειράσομαι.. μεθ' ὑμῶν αὐτὸν τιμωρήσασθαι. VII, 3. XII, 3, 5. XXV, 7. XXXII, 3.

περιοράω cf. Leb: p. 86, F: in ed. II p. 166.

ποθεῖν XIV, 1: οὐδεμίαν ὑμᾶς ποθεῖν ἀκοῦσαι πρόφασιν, Erot. 234ᶜ: εἴ τι σὺ ποθεῖς — ἐρώτα.

ποιέω a) c. infin. = efficere. cf. A: p. 53. Schultz. p. 40. b) medium α) περὶ πολλοῦ etc. ποιεῖσθαι[1]): περὶ πλείονος π. XIV, 40. XV, 8 - XXVIII, 11 etc. π. ἐλάττονος π. XV, 11 (τῶν νόμων).[2]) I, 26 etc. β) c. acc. subst. ἀπολογίαν: XIV, 8 ταύτην τὴν ἀπ., ὡς οὐκ ἠδίκει cf. A: p. 48. — cf. ἀπολογεῖσθαι ὡς: XIII, 77, 89. (XII, 22.) [VI], 37; τεκμηρίῳ χρῆσθαι, ὡς XXIV, 12. — ἐπίδειξιν XIV, 21: τῆς ἑαυτῶν δυνάμεως. XXXIII, 2: ἐ. τῆς γνώμης (ἀπόδειξιν: XII, 19 τοῦ τρόπου τοῦ αὐτῶν. cf. XVIII, 13: ἡγούμενος αὐτῷ καλὴν εἶναι τὴν ἀπόδειξιν καὶ πρὸς τοὺς πολίτας καὶ τοὺς ξένους); τοὺς λόγους: XIV, 33 (is, qui se defendit) XXII, 3. XXV, 2. fr. 23. cf. Fu: ad XII, 2.

πολιτεύομαι XIV, 42: ἀδίκως καὶ παρανόμως καὶ πρὸς τοὺς ἄλλους πολιτευόμενοι καὶ πρὸς σφᾶς αὐτοὺς διακείμενοι.[3])

---

1) PRMueller, vir d. de L. or. emendandis ceteroquin optime meritus, acta egit, cum nuperrime (*JJ.* CXXXVII p. 471) XXI, 25 περιποιῆσαι pro π. πολλοῦ ποιήσασθαι scribi iuberet. Idem enim iam Pluygersius Mnemos. 1862 p. 84 proposuerat.

2) cf. F: adp. — Cobetum Mnemos. 1882 p. 332 eandem coniecturam ut novam viris doctis obtulisse quis est, qui miretur? — Scriptura probatur anonymo (*lit. Centrbl.* ll.) et Kirchnero quaest. L. spec. progr. Demmin p. 8. — Quemadmodum Lysias operam dederit, ut adposito ad comparativum vel genetivo vel ἤ perspicuitatem servaret, scite explanavit St 2 p. 112. Supplet exempla G: de arg. ex contr. p. 294.

3) Haec transpositio verborum, cuius auctor est Bekker (cf. F: adp.), necessaria videtur esse. Etiam Roe: *Z. f. G.* 1877, 7 et Heldmannus p. 2 adstipulantur.

Lysias verbo plerumque utitur absolute: XII, 20, 63, 94. XXV, 10, 27. XVI, 18 (*φιλοτίμως καὶ κοσμίως*) XXVI, 19—XXI, 18 (*ὑπὲρ ἁπάντων*).

Sed tamen non puto offendendum esse. Nam ut missum faciam contendi posse Erot. 234ᵃ: *φιλοτιμεῖσθαι, σιωπᾶν πρός* vel XVI, 10: *πρὸς τοὺς ἄλλους οὕτω βεβίωκα*, praepositio *πρός* c. acc. qua est indole, cum eiusmodi verbis recte consociatur et eo facilius hoc loco fertur, quod concinnitatis studio videtur nata esse. Constat autem Lysiam et ipsum hac causa nonnunquam permotum esse, ut uteretur verbis vel elocutionibus insolentioribus. cf. FG: proleg. adn. 83; G: de arg. p. 142 sq. 147 sq.

τὰ πεπραγμένα XIV, 2, 17, 19, 23. cf. W 2 p. 4, Schultz. p. 38.

προσήκει cf. FG: ad XXV, 7. a) c. dat. c. inf. *α)* = conducit XIV, 24: *προσήκει ὑμῖν περὶ αὐτῶν εἰδέναι.* — X, 5. XII, 38. XXV. 11 etc. *β)* = convenit XIV, 30: *καὶ ὑμῖν καὶ . . τιμωρεῖσθαι πρ.* XIII, 89, 92, 96. fr. 89. — cf. XVII, 1. b) c. inf. nudo XIV, 1, 21.[1])—XIII, 96. XVI, 9. Erot. 231ᵃ. Multorum assensum tulit Cobetus (cf. F: adp.), qui scribi iusserit XIV, 29: *τῶν ὀνειδῶν τῶν αὐτῷ προσόντων* pro tradita scriptura *προσηκόντων*. Sed nescio an id, quod codex exhibeat, defendi possit comparato fr. 53, 4: *τὸ μὲν γὰρ ἀποθανεῖν ἢ καμεῖν νομίμως κοινὸν ἅπασιν ἡμῖν ἐστι, τὸ δ' οὕτως ἔχοντα τοσοῦτον χρόνον διατελεῖν καὶ καθ' ἑκάστην ἡμέραν ἀποθνήσκοντα μὴ δύνασθαι τελευτῆσαι τὸν βίον τούτοις μόνοις προσήκει τοῖς τὰ τοιαῦτα ἅπερ οὗτος ἐξημαρτηκόσιν.*

προσιέναι XIV, 11: *προσιόντων τ. πολεμίων*, XVI, 16: *τ. πολεμίους μὴ δύνασθαι πρ.*[2]) — cf. [II], 34.

τὰ προστραττόμενα ποιεῖν XIV, 20, 21, 45. G: ad XII, 20, Ri: p. 14.

1) Herwerdenus anal. crit. et eius censor in *lit. Centrbl.* 1869, 24 *προσῆκε* praeferunt. At me iudice *προσήκει* multo fortius est.

2) Herbstius (*JJ.* LXXVII p. 686): *παριέναι*, quod F et Weidner ed. 1888) receperunt. Sed nescio, cur verbum amplioris notionis falsum sit. — Alio sensu saepius: I, 16 (in § 20 haec vox corrigenda est cf. Kappeyne van de Copello *JJ.* XCVII p. 479 et F: II p. 176) VII, 34. XXIII, 8, 9 etc.

πυνθάνομαι a) absolute: XIV, 12, 13.—XIII, 40. Erot. 231°. b) *παρά τινος*: cf. St 2 p. 113.

σκέπτομαι cf. A: p. 60. a) c. acc. subst. XV, 10: *τὴν αὑτοῦ* [1]) *σωτηρίαν*, XII, 12: *τὰ ἐν ἐκείνῃ τ. οἰκίᾳ*. b) c. enunt. interrog. XIV, 6, 41. XV, 5. cf. I, 35. III, 24. XXVI, 21. fr. 8.

συλλέγω XIV, 11: *οὐδὲν ὄφελος νόμους κεῖσθαι ἢ ὑμᾶς συλλέγεσθαι*, XIII, 21: *συλλέγονταί τινες ἐναντιωσόμενοι τοῖς πράγμασι*, XVI, 14: *συλλεγέντων τῶν δημοτῶν*.

συνεξέρχομαι XIV, 7 cum Thalheimio restituendum esse explanaturus sum in exc. (*μεθ' ὑμῶν συνεξῆλθε*).[2]) Hac voce Lysiam usum esse me non posse ostendere profiteor. Sed velim haec respicias. Primum *ἐξελθεῖν* dicuntur ab illo ei, qui proficiscebantur, ut trigintaviros caperent XXV, 9: *ἐξελθόντες μεθ' ὑμῶν .. ἐπολιόρκουν* (cf. III, 45). Deinde adamat Lysias inter bicomposita ea, quorum altera pars est praepositio *συν*: *συναπιέναι* XIII, 52, *συναπόλλυσθαι* XII, 88, *συνδιαβάλλεσθαι* XII, 93. XIII, 26, *συνεισπίπτειν* III, 15, *συνεκδιδόναι* XIX, 59, *συνεκπλεῖν* XIII, 25, 26, 27, 58, *συνεξαμαρτάνειν* III, 12, *συγκαταλύειν* XVI, 5. XXX, 9, 15, 30 [3]), *συγκατιέναι* XIII,

1) F hoc loco et XIV, 23 adnuente G°: de arg. p. 355 codicis scripturam *αὑτοῦ* tueri studet. Nec vero mihi persuasit. Primum enim id fundamentum, unde proficiscitur, futtile est. Nam cod. X scriba omnibus fere locis (cf. Sch: lect. L. p. 299 adn. 1 et p. 348; Erdm: Ps. Lys. or. fun. p. 4) spiritum asperum confudit cum leni (in or. XIV § 28 (ter) et § 38), ut ubi traduntur formae mollitae, eas magis forti quam manui oratoris vindices. Deinde autem tota titulorum copia teste Schmollingio (*üb. d. Gebr. ein. pron. auf att. Inschr.* I p. 5) nullum huiusmodi exemplum invenitur. Atque periculosum esse mihi videtur suo quemque arbitrio eos locos sibi eligere, quibus pron. *αὑτοῦ* cum vi dictum esse putet.

2) Etiam Hertlinius Herm. XIII p. 10 idem verbum coniecit.

3) Praeterea numerus haud exiguus est aliorum bicompositorum: *ἐπεξιέναι* X, 12, 31. XXIII, 14. XXVII, 15. XXXI, 18. fr. 8 (cf. Maetzner ad Antiph. p. 128, Kirchner ll. p. 3, F: ad X, 2 et in ed. min. ad X, 31, Roschattus *die Metapher b. d. att. Redn.* p. 16). *περικαταρρέω* XXX, 22, *προκαταγιγνώσκω* XIX, 10. [XX], 21, *προσαπογράφειν* XIII, 31 (si verba genuina sunt, quod vix credibile est; cf. G ad hunc locum), XIII, 56, *προσαπόλλυσθαι* XII, 64; *ἐπανάγνωθι* X, 18 omnium consensu PRMueller mutavit in *ἔτι δ' ἀναγν.* — *ἀποδιοπομπεῖσθαι* et *ἐπεγκαλεῖν* spuriarum orationum sunt ([VI], 53. [VIII], 1). Multa insunt in or. [II]: § 24 *προα-*

77. XXV, 9. XXXI, 13. Praepositio denique *μετά* cum eius modi compositis etiam alibi coniungitur (cf. G: ed. I p. 347 sq.): XIII, 27, 58. XXV, 9. cf. fr. 53, 2: *συνεστιᾶσθαι μετά*, XIII, 80: *συνακολουθεῖν καὶ συμπέμπειν μετά* (*ἀκολουθεῖν μετά*: XII, 12. fr. 20), XXI, 8: *συμπλεῖν μετά*.

τελευτάω F: ad XXXII, 20. a) = mori: XIV, 27. — XIII, 95. XVII, 3. fr. 74 etc. b) ptcp. praes. = postremus *α*) c. altero ptcp. XIV, 26: *πρότερον μὲν ὕβρισεν αὐτὸν* .., *τελευτῶν δὲ δήσας* .. *εἰσεπράττετο*, XXXII, 20: *ἐτόλμησε τὰ μὲν ἔξαρνος γενέσθαι, τὰ δὲ τελευτῶν ὁμολογήσας ἔχειν* ... *β*) I, 20. XII, 60. XXV, 27. XXXII, 11, 12, 28.

τέμνω XIV, 38: *δένδρα τεμεῖν*, VII, 6. XXXIV, 9 tralaticio sensu: *τ. χώραν τεμνομένην*.

τιμωρέομαι FG: ad XIII, 41 et XII, 35. a) *τιμωρεῖσθαί τινα*: XIV, 2, 10, 12, 19, 30. — passim. b) cur aliquis ulciscatur, significatur praepositionibus: *α*) *ἀντί* XIV, 30: *ἀνθ' ὧν τιμ. προσήκει* — XII, 94: *ἀνθ' ὧν* .. *τιμωρήσασθε*, *β*) *περί* XIV, 2: *π. πάντων τ. πεπραγμένων* .. *αὐτὸν τιμωρ.*, X, 3: *π. τοῦ πατρὸς μὴ τιμωρ. τὸν ταῦτ' εἰρηκότα*. Neque enim video, quidni alter locus alteri praesidio sit, quamquam haec locutio his duobus solis locis legitur et *περί* facillime mutatur in *ὑπέρ*.[1]) Et III, 42: *τιμωρίαν καταστήσασθαι περί*, I, 35 et ubicunque *δίκην δοῦναι* vel *δ. λαβεῖν περί* invenitur (cf. F: ad I, 35 adp.), nonne *περί* eadem ratione adhibetur? Huc accedit, quod L. eam ipsam praepositionem apprime in deliciis habuit, ut totidem fere usurpata sit atque *ἐν*, cuius adhibendae multo maior erat occasio (cf. Lutzius *allg. Beob. üb. d. Präp. b. d. att. Redn.* p. 9 sq.). Quare non mirum est, quod Lysias *περί* coniungit cum verbis, quae alibi cum ea non componuntur. Exempla sunt *ἐναντιόομαι* XIII, 17 *περί*[2]) — [XX], 8:

πόλλυσθαι, § 59 *ἐγκαθίστασθαι*, § 60 *συγκαταθάπτω*, §§ 34, 36 *ὑπεκτίθεσθαι*.

1) Ad eos, qui W° 1 p. 5 teste *ὑπέρ* in textum recipiunt, adde R: *JJ.* LXXXI p. 329, B: *Jen. Litztg.* 1875 p. 375, Hamakerum quaest. de nonn. L. or. p. 10.

2) W et R: ll. hic quoque *ὑπέρ* corrigendum esse existimant.

ὑπέρ (idem Xen. Anab. VII, 6, 5; codd. deteriores exhibent genetivum causalem) — et *ἀποδέχεσθαι* XIII, 89, quod Schoemannus (cf. G: ed. p. 457) satis defendisse mihi videtur.[1]) Aliter scriptor or. XV. v. i.

ὑβρίζειν F: ad XIV, 26. a) = stuprare α) c. acc. XIV, 26: *ὕβριζεν αὐτόν* — III, 26: *ὑβρ. τὸ μειράκιον* (XII, 98: *οἱ παῖδες .. ἂν ὑβρίζοντο*). β) c. *εἰς*: I, 16. b) = superbire α) c. acc. XIV, 29: *ἑτέρους* — III, 23: *ὑβρίζων καὶ τύπτων ἀμφοτέρους ἡμᾶς*. I, 4. β) absolute: I, 25 (cf. I, 4, falso Ri: p. 9). III, 40. X, 26. fr. 44. γ) *εἰς*: I, 16.

ὑπάρχω XIV, 2, 35, 46. cf. F: ad XIV, 46; A: p. 52.

ὑπολαμβάνω cf. Sch: vind. p. 82. Docet G: ed. p. 447 semper fere praecedere enuntiatum ab *ἐάν* particula ordiens et Lysiam, cum ceteri praeferant *ὑπολαμβ. δεῖ*, anteponere *ὑπ., χρή*. XIV, 21: *ἐάν — ὑ. χρ., ὅτι οὐδὲν ἂν ἔδει*, XIII, 82: *ἐάν — ὑ. χρ., εἰ .. ἐγένετο*, XXVI, 5: *ἄν —, ταῦτα χρ. ὑ., μὴ εὐήθεις δοκῆτε*.

ὑφαιρέομαι vóx propria; nam *ὑφαιρεῖται* is, qui munere publico fungens reipublicae pecunias subripiat XIV, 25: *οὐκ ὀλίγα τῶν ὑμετέρων ὑφῃρημένῳ*, 37: *πλέον ἢ διακόσια τάλαντα τῆς πόλεως ὑφείλετο*, XXVIII, 10: *ὡς πλεῖστα τῶν ὑμετέρων ὑφελόμενος* cf. § 7, 16, XXX, 26: *τῶν ὑμετέρων πολλὰ ὑφῄρηται*, (XXV, 18 non opus est cum S° *ὑφαιρεῖσθαι* restituere).

φέρω τὴν ψῆφον XIV, 15. XV, 12. — XII, 33, 92, 100. fr. 88.

φοβέομαι c. acc. XIV, 15 — Erot. 232c.

φροντίζω XIV, 9: *τῶν νόμων οὐκ ἐφρόντισε*, XXX, 5: *μήτε τῶν νόμων φροντίζειν*. cf. III, 16, 29.

φυλάττω XIV, 35 *φρούρια*, XXVI, 9 *πρᾶγμα*.

χράομαι XIV, 4: *ἡ πόλις αὐτοῖς* (sc. *τ. νόμοις*) *χρήσεται*, X, 13: *χρῆσθαι τοῖς νόμοις*. b) c. dupl. dat. XIV, 12: *τούτῳ παραδείγματι χρώμενοι*, 32: *ταῖς ὑμετέραις ἀρεταῖς χρῆται*

1) Boblenzius *krit. Bem. z. L.* p. 17 (cf. Fu: *ph. Rdsch.* 1882 p. 748) *περὶ τούτων* falso e sequenti enuntiato huc pervenisse arbitratur; a Lysia scriptum fuisse *τοῦτο*.

παραδείγμασι περί, cf. XXV, 23: *τοῖς πρότερον γεγενημένοις παραδείγμασι* XIII, 82. — XXVIII, 16 (*χείροσι τοῖς πολίταις*). XXXII, 12.

ψηφίζομαι a) c. *περί*: XV, 10: *π. Ἀλκιβιάδου* — XXI, 1: *π. οἵου τινὸς ἐμοῦ ὄντος ψ.* b) c. acc. XIV, 10: *τὰ βέλτιστα*, XIV, 47. XV, 1, 11, 12: *τὰ δίκαια*, XV, 8: *οὐχ ὅτι ἂν οὗτοι κελεύωσι*, X, 21. XXI, 12: *τὰ δίκαια*, XIX, 64: *τά τε δίκ. καὶ ὑμῖν αὐτοῖς τὰ συμφέροντα*, XII, 72: *τἀκείνοις δοκοῦντα* (cf. XIII, 97: *δίκαια καὶ ὅσια*, articulus deest cf. G: ed. I p. 468 —96. XII, 44, 75). c) absolute: XV, 1. 9.

Adiungo nonnullas res grammaticas ad verba spectantes, quae nondum tractatae sunt.

1) XIV, 2: *οὐ γὰρ μικρὰ τὰ ἁμαρτήματα οὐδὲ συγγνώμης ἄξια οὐδ' ἐλπίδα παρέχοντα ὡς ἔσται..., ἀλλ' οὕτω πεπραγμένα καὶ εἰς τοσοῦτο κακίας ἀφιγμένα, ὥστε..* Duo monenda sunt; unum est, quod desideratur *ἐστί*, alterum, quod copulativa particula conglutinantur adiectiva et participia. Gemellum exemplum est XXV, 6: *ἱκανοὶ γὰρ* (sc. *εἰσὶν*) *οἱ ὑπάρχοντες ἐχθροὶ καὶ μέγα κέρδος νομίζοντες εἶναι.*

Adiectivo in neutrius generis plurali posito deest copula *ἐστί* XXIX, 8. XXX, 31: *ἱκανά μοι τὰ εἰρημένα* (contra XII, 79: *ἱκανά μοί ἐστι τὰ κατηγορημένα*). Raro fit, ut *ἐστίν* omittatur apud masculini generis adiectivum: XIV, 35 *καίτοι τίς οὕτως ἄπειρος τῆς αὑτοῦ πατρίδος, ὅς*, saepius apud substantivum XIV, 35: *τίς οὖν ἐλπίς.. πείσεσθαι τὴν πόλιν*, XXXIII, 7: *ὧν ἕνεκα ἐλπίς... κεκτῆσθαι*, (positum est: XIV, 21: *τίς γάρ ἐστιν ἐλπίς*); saepissime denique, cum adiectivum in neutrius generis singulari numero collocatur XIV, 19: *δῆλον ὅτι*; v. s. v. *δῆλος*; 23, 32: *ἄξιον* c. inf.; (Leb: p. 80). — XIV, 18. XV, 6: *δεινόν* c. inf., idem XII, 36 — (additum est XIV, 4: *εἰκὸς τοίνυν ἐστί.* Erot. 231[ee]).

Consentaneum est in enuntiatis secundariis hanc consuetudinem minus increbuisse; attamen etiam Lysiae orationes huius rei exempla praebent. Quae collegerunt: St 1 p. 558, FG: ad XII, 33 (plenius), Schultz. p. 40. — Satis habeo ea eligere, quae proferre mea interest; XIV, 11: *ἐνθυμηθῆναι*

χρή, ὅτι οὐδὲν ὄφελος νόμους κεῖσθαι. cf. XXVIII, 15: ἐπίστασθε, ὅτι οὐδεμία ἐλπὶς ἡμῖν, XIV, 24: ἐπειδὴ γὰρ εἰκὸς ὑμᾶς ἀκροᾶσθαι, cf. XII, 33: ἐπειδὴ οὐχ οἷόν τε, XXVII, 15: ὡς εἰκός, XIV, 37: ὥστ' οὐ χαλεπόν, 45 ὥστ' οὐδὲ ἄξιον, cf. XIX, 36. XXX, 16: ὥστ' εἰκός, XXX, 18. XXXIII, 6: ὥστ' ἄξιον.

Si quis quae aliae formae verbi εἶναι omittantur a Lysia, cognoscere vult, eum remitto ad ea, quae adnotant St 1 p. 558, St 2 p. 102, FG: ad XII, 53, 72. XXIV, 4. XXV, 7 (cf. etiam RFu).[1])

Simile genus ellipsis[2]) est, ut hoc statim addam, XIV, 5: ἐάν τις λίπῃ τὴν τάξιν εἰς τοὐπίσω δειλίας ἕνεκα (sc. ἀναχωρῶν v. § seq.). Nec quicquam habet offensionis; nam constat etiam Lysiam brachylogiam, ut hoc verbo utar, admisisse in elocutionibus cotidiano usu tritis. Testes sunt hi loci: XII, 12, 16: ἀκολουθεῖν εἰς Δαμνίππου, Ἀρχένεω (sc. οἰκίαν), XII, 95: ἐν τῇ ἀλλοτρίᾳ μαχεσάμενοι, 98 ἐπὶ ξένης, XXXIV, 7, 8, 10: τὴν αὑτῶν οἰκοῦντες, εἰς τὴν τούτων ἐμβάλλειν, ἐν τῇ ἀλλοτρίᾳ, fr. 78: εἰς τὴν ἡμετέραν αὑτῶν κατελθεῖν, XXXIII, 2: ἐν τῷ καλλίστῳ (sc. χώρῳ) τῆς Ἑλλάδος, XVI, 15: τῆς πρώτης (sc. τάξεως) τεταγμένος, XII, 34: φέρε δή, τί ἂν (sc. ἐποιεῖτε), εἰ.

Artificiosius est genetivum vel accusativum subiecti omittere (cf. St 1 p. 510 (adde fr. 75, 6), G: ad XII, 45 et XXV, 13) velut XIV, 4: εἰκὸς τοίνυν ἐστίν.., ἐξ οὗ τὴν εἰρήνην ἐποιησάμεθα, πρῶτον.. δικάζοντας μὴ μόνον δικαστὰς ἀλλὰ καὶ νομοθέτας αὐτοὺς γενέσθαι (deest ὑμᾶς).[3]) Similes loci sunt VII, 42: ἃ χρὴ μεμνημένους διαγιγν., XII, 85: ὧν ἀμφοτέρων ἄξιον ἐπιμεληθῆναι ἐνθυμουμένους.

Postremo huc refero XIV, 5: ὁ νόμος οὐ περὶ τούτων

1) Exemplis ab eis congestis nisus tolerabilem esse arbitror codicum scripturam XXXIII, 9: τίς γὰρ οὐκ ἂν ἐνορῶν (sc. εἴη) et q. s. (Non plane abhorret I, 19: εἶπον ὅτι οὗτος ὁ φοιτῶν εἴη πρὸς τὴν γυναῖκα.)

2) De ellipsis usu pauca Fritzsch. diss. p. 5.

3) Iam intellegitur, quantopere erraverit Halbertsma lect. L. p. 31 sq., qui postulat, ut ὑμᾶς inculcetur. Neque cetera ei felicius contigerunt; cf. F adp.

κελεύει μόνον, ἀλλὰ καὶ (supple: *περὶ τούτων*), *ὁπόσοι ἂν μὴ..* cf. XIX, 10: *μὴ προκαταγιγνώσκετε ἀδικίαν τοῦ δαπανῶντος, ἀλλὰ (τούτων), ὅσοι εἰθισμένοι εἰσίν,* XXX, 13: *εἰκὸς τοίνυν ἐνθυμεῖσθαι καὶ (τούτους), ὁπόσοι.* Non dissimile est XII, 14: *ἐδόκει αὐτῷ βέλτιον εἶναι πρὸς Θεόγνιν μνησθῆναι* (sc. *περὶ τούτου*).

Sed labebar longius; redeo ad XIV, 2, ut duos addam locos, quibus adiectivum et participium particula *καὶ* inter se conectuntur: XXIV, 15: *ὑβριστής εἰμι καὶ διακείμενος*, I, 7: *οἰκονόμος δεινὴ καὶ διοικοῦσα.*

Propter eiusdem paragraphi verba: *ἐγὼ μέντοι καὶ πρότερον.. διαφορᾶς ὑπαρχούσης καὶ πάλαι τοῦτον πονηρὸν ἡγούμενος* ad FG: XII, 69, St 2 p. 119, A: p. 53 relego.

Apud Lysiam enim persaepe copulatur ptcp. absol. cum pt. coniuncto. In XIV. or. idem redit § 38: *λέγειν δυνάμενος καὶ φίλων ὄντων καὶ χρήματα κεκτημένος.*

2) § 5: *τολμῶσι γὰρ λέγειν, ὡς οὐδεὶς ἔνοχός ἐστι λιποταξίου οὐδὲ δειλίας. μάχην γὰρ οὐδεμίαν γεγονέναι, τὸν δὲ νόμον κελεύειν..* Eadem ratione enuntiatum ab *ὡς* (*ὅτι*) incipiens excipitur infinitivo X, 6. XIX, 25. XXXI, 15. cf. M: p. 25.

3) XIV, 7: *δεῖν.. κινδυνεύειν ἱππεύειν εἵλετο.* Duo infinitivi, apti ex diversis verbis, sese subsequuntur XXXIII, 6: *ἄξιον περὶ τῶν μελλόντων ἔσεσθαι δεδιέναι.* (Aliquotiens tres infinitivi sese excipiunt; cf. Foe: p. 39, F: ad XXXI, 5.)

4) XIV, 14: *ἡδέως ἂν οἱ μὲν.. ἐθεραπεύοντο, οἱ δὲ ἐπεμέλοντο, οἱ δὲ ἐστρατεύοντο, οἱ δὲ ἐκινδύνευον.*[1]) Imperfectum tenet locum aoristi in enuntiatis irrealis condicionis, ut quod olim fuerit, maiore vivacitate describatur. cf. F: ad XIII, 36 et XIV, 14, St 1 p. 544.

5) XIV, 15: *οὐκ ἐτολμᾶτε ἀπολιπεῖν τὰς τάξεις οὐδὲ τἀρεστὰ ὑμῖν αὐτοῖς αἱρεῖσθαι,* XIV, 45: *οὐδὲ.. ἄξιον.. φυλάττεσθαι, ἀλλὰ.. ποιῆσαι.* Infinitivus aoristi et praesentis sibi respondent etiam VII, 38: *ψεύδεσθαι ἢ ἐργάσασθαι,* XII, 73: *ἐπιτρέψαι καὶ χρῆσθαι* etc. cf. Fu: diss. p. 28, St 1 p. 558.[2])

1) Non video, qua re Dobreus commotus hanc vocem exterminarit. v. i.
2) Iniuria igitur vv. dd. I, 40 et III, 25 vexabant.

6) XIV, 21: *οὐδὲν ἂν ἔδει τοῦ στρατηγεῖν*, 47: *μεγάλη εὐτυχία τὸ .. ἀπαλλαγῆναι.* De infinitivo apud or. att. cum articulo coniuncto scripserunt Wagner progr. Schwerin. 1885 et Birkleinius *Entwicklgsgesch. d. subst. inf.* (= Schanz: *Beitr.* III 1) p. 59 sq. Lysias hac dictione admodum parce [1]) usus est. Nec tamen desunt exempla. Est autem inf. a) subiectum: fr. 53, 4 (locum exhibui p. 24), b) obiectum I, 1: *περὶ πολλοῦ ἂν ποιησαίμην τὸ ὑμᾶς γενέσθαι* [2]), c) genetivus exstat XII, 13: *ὡς τοῦ γ' ἀποθανεῖν ὑπάρχοντος ἤδη*; XII, 52. XIII, 14 (bis): *ἀντὶ τοῦ*, (XIII, 79, 82. XXVI, 5. XXX, 16: *αἴτιος τοῦ*; quinquiens *περὶ* c. genet., singularis: fr. 6 *νεώτερός εἰμι τοῦ συμβουλεύειν = ἢ ὥστε*).

7) XV, 1: *τῶν στρατηγῶν δέομαι κοινοὺς εἶναι καὶ μὴ βοηθοῦντας .. ψηφίσασθαι, ἐνθυμουμένους.* Leb[i]: p. 72, FG[i]: ad VII, 30 et XXV, 11, M[i]: p. 21 sqq., A[i]: p. 53 opera supersedeo hunc usum loquendi exemplis illustrare.

8) XIV, 38: *λέγειν δυνάμενος .. καὶ χρήματα κεκτημένος οὐδέποτ' ἐλθὼν εὐθύνας ἐτόλμησε δοῦναι.* Sunt igitur duo participia ad unum verbum primarium referenda, alterum alteri subiectum. cf. G: ad I, 8. XIII, 11. XVI, 16. XIX, 13.

2) Substantiva.

ὦ ἄνδρες δικασταί in XIV. or. (= 47 §§) undeviciens, in XV. (= 12 §§) octiens. De allocutionis apud L. usu tractavit Rockelius in diss., quae inscribitur de all. usu, qualis sit apud Thuc. Xen. or. att. Dion. Arist. p. 17 sqq.[3]) Inde apparet nec collocationem nec frequentiam earum allocutionum quae in or. XIV. et XV. inveniuntur, cum Lysiae consuetudine dissentire. Nam scriptores illi et alloquuntur iudices statim initio (v. adp. ll.) et collocant hanc formulam vel post pron. *ὑμεῖς*

1) Eo magis monendum est in or. XXXI. non minus undeciens articulum cum infin. componi (v. adp.).

2) Idcirco Cobetus articulum inseruit [VIII], 4: *π. πλείονος ἐποιήσατο δοκεῖν ἐμοῦ κήδεσθαι.* Nec vero opus est. cf. Kirchner p. 11.

3) Fugerunt eum disputationes Philippii *d. Areop. u. d. Eph.* p. 323 sq. et Sittlii p. 152 sqq. Alia in adp. supplebo.

vel post incisum enuntiati. In fine autem longioris periodi sicut XIV, 18 formula illa ponitur XIII, 70. XXV, 19 et contra G. qui XIV, 17: *δεινὸν δέ μοι δοκεῖ, ὦ. ἀ. δ., εἶναι* verba transposuit (de arg. ex contr. p. 92) codicis memoria nescio an defendi possit loco simili XIII, 47 *ταῦτα ἐκεῖνοι.. οὐκ ἔφασαν ἐπιτρέψαι τὴν εἰρήνην, ὦ ἀ. δ., ποιήσασθαι.* Utique non comprobo Halbertsmae (p. 33) sententiam, qui *εἶναι* deleri iubet.

ἀργύριον XIV, 26: *ἀργύριον εἰσεπράττετο.* cf. Pertz. p. 12.

ἀρετή a) = *καλοκἀγαθία*, quod verbum non novit Lys. cf. Jabrius quaest. Isocr. p. 16. b) pluralis = merita (= *εὐεργεσίαι*) XIV, 18: *αἱ τῶν προγόνων ἀρ.* XXX, 1 idem. — XIV, 24: *λεγόντων τὰς σφετέρας αὐτῶν ἀρ. καὶ τὰς τῶν προγόνων εὐεργεσίας*, 32: *ταῖς ὑμετέραις ἀρεταῖς χρῆται παραδείγμασι*, cf. XVIII, 25: *αἱ τῶν προσηκόντων ἀρεταί.*

βασιλεύς XIV, 37: *ὑποσχόμενος δι' ἑαυτὸν παρέξειν βασιλέα χρήματα*, XXXIII, 5: *τῶν χρημάτων βασιλεὺς ταμίας.* Saepius attributum adicitur, cf. F: ad XIV, 37.

γένος XIV, 18. XVIII, 11.

δῆμος = populus Atheniensium. XIV, 31: *δωρεὰς παρὰ τοῦ δήμου λαβεῖν.* — XV, 6. cf. XIII, 7, 17, 32 (bis), 33 (bis), 51, 55, 59, [65], 70 (bis), 86, 91 etc. (Si additur *τῶν Ἀθηναίων*, haec verba certa lege ponuntur; cf. Fu: diss. p. 32 sq.)

διδάσκαλος XIV, 30: *διδ. τῶν τῆς πόλεως κακῶν ἐγένετο*, XII, 47: *τ. διδ. τῶν σφετέρων ἁμαρτημάτων κολάζειν*, 78: *δεινοτάτων ἔργων διδάσκαλος καταστάς.*

δύναμις = vis et auctoritas a) pertinet ad res domesticas XIV, 21: *ἐπίδειξιν τῆς αὑτῶν δυνάμεως ποιούμενοι*, cf. Erot. 232ᶜ: *τὴν δύναμιν ἑκάστου φυλάττονται*, XII, 14: *παράσχου μοι τὴν σεαυτοῦ δ.* b) ad res publicas XIV, 36: *οὐ γὰρ διὰ τ. δύναμιν* [1]) *κακῶς οἷός τ' ἦν ποιεῖν*, XIV, 37: *Ἀλκιβιάδης δυνάμει οὐδὲν τῶν ἄλλων διέφερε*, XIII, 46: *ἡ δύναμις ἅπασα τῆς πόλεως παρελύθη*, XII, 76: *τὴν ὑμετέραν ἀσθένειαν ἑώρων καὶ τὴν αὑτῶν δύναμιν ἠπίσταντο.*

1) Facio cum Fra° (cf. F: adp.), qui verba *διὰ τὴν δύναμιν* inserit ante *ὅτε μέν.*

δωρεά XIV, 31 (bis). cf. F.

ἐλπίς a) *ἐλπίς ἐστι* c. inf. — cf. Karlowa p. 20. *α*) fut. XIV, 21: *τίς γὰρ ἐλπ. τοὺς ἄλλους ἐθελήσειν ποιεῖν*, 43: *τίς οὖν ἐλπ. ὑπὸ τούτου τι ἀγαθὸν πείσεσθαι τ. π.*, Erot. 232^e: *πλείων ἐλπ.... γενήσεσθαι.* *β*) praes. XXXIII, 7: *ἐλπίς.. κεκτῆσθαι καὶ προορᾶσθαι.* *γ*) aor. XIX, 8: *ἐλπ. ἦν ἐκτραφῆναι*, 20 *ἦσαν ἐλπ. πεῖσαι*, Erot. 231^d: *ἐλπ. τυχεῖν.* b) *ἐλπίδα παρέχειν, ὡς* XIV, 2: *οὐδ' ἐλπίδα παρέχοντα, ὡς ἔσται βελτίων.* Haec constructio notanda est, quod apud Lysiam non redit. Sed similiter is dicit *ἐλπίδας ἔχειν* c. genet. vel inf. XXV, 21. XXVII, 3—XII, 53.

ἐραστής XIV, 27 *ἐρ. γενόμενος* — fr. 75. Erot. 231^a, 233^a.

ἔργον a) pluralis = facinora XIV, 22: *τῶν αὐτῶν ἔργων ἐπιθυμεῖν* = XVI, 11. 45: *τοιούτων ἔργων ἐπιθυμοῦσιν*, 34: *οὐχ ὁμοίων τῶν ἔργων.. γεγενημένων*, 42: *ἔργου δεινοῦ* = XII, 78. b) *ἔργον ἐστί τινος* = est alicuius cf. Leb: p. 84; F: ad XIV, 4; unde sua hausit, opinor, Heldmannus em. Lys. p. 31. XIV, 4: *δοκεῖ.. πολίτου χρηστοῦ καὶ δικαίου ἔργ. εἶναι* XII, 99. XXIV, 14. XXV, 3. (XXXIII, 3).

θεός XIV, 42: *περὶ πάντας τ. θεοὺς ἠσεβήκασι*, XII, 9. cf. XXXII, 17. — XIII, 3. XXV, 22.

κατάλογος a) *τῶν ὁπλιτῶν* XV, 5: *ἐξαλείφειν αὐτὸν ἐκ τοῦ τῶν ὁπλ. καταλόγου*, cf. XVI, 13: *ἐξαλεῖψαί με ἐκ τοῦ καταλόγου* cf. F: praef. ad XIV p. 2. b) *τῶν πολιτῶν*: XXV, 16. cf. Sch: *ol. Umw.* p. 71, quem impugnant G et Fu.

μέρος XIV, 29: *ὥσπερ δυνάμενος ἂν πολλοστὸν μέρος τῶν ὀνειδῶν τοῖς ἄλλοις μεταδοῦναι*, cf. XIX, 35: *τῶν οὖν ὠφελειῶν Κόνωνα εἰκὸς π. μ. ἄλλῳ τινὶ μεταδοῦναι*, XIV, 46: *οὐδὲ π. μ.*[1]) *εἴρηκα τῶν τούτοις ὑπαρχόντων κακῶν.* cf. XXV, 2: *οὐδὲ .. π. μ. τῶν ἐκείνοις πεπραγμένων εἰρήκασιν*, XIX, 34, 39, 42. — cf. XII, 20, 22. XVIII, 2. XXV, 8 (*ἐλάχιστον μ.*).

---

1) Articulum *τό* inducendum esse docuit Foe: p. 42. Videtur enim ortus esse ex iteratis *πο* litteris, quae insequuntur. — Silentio autem praetermitto Halbertsmae coniecturam (p. 34): *πω.* — Eos locos, quibus in cod. X articulus falso aut additus aut omissus est, permultos congessit Sch: lect. L. p. 362 sq.

μηνυτής a) in malam partem XIV, 37: *μηνυτὴς αὐτῶν Λακεδαιμονίοις*[1]) *ἐγένετο,* XIII, 18: *μ. κατὰ τῶν στρατηγῶν καὶ τῶν ταξιάρχων γενέσθαι* et *ἐδόκει εἶναι αὐτοῖς ἐπιτήδειος μηνυτής.* b) in bonam partem XII, 32, 48 (cf. RFu: ad XII, 32). XIII, 2.[2])

νομοθέτης XIV, 4—X, 7, 30. cf. Carelius p. 14.

ὄνειδος XIV, 33: *καταλιπεῖν* XXV, 6. Erot. 231°; plur. XIV, 29. XII, 93.

παράδειγμα saepe numero in Lysiae orationibus legitur et multis cum verbis componitur. a) XIV, 45: *παρ. ποιῆσαι καὶ τοῖς ἄλλοις καὶ τοῖς τούτου φίλοις, οἳ..,* XVIII, 23: *π. ποιῆσαι τοῖς βουλομένοις,* XXVII, 6. XXVIII, 11. b) XIV, 12: *τούτῳ παραδείγματι χρώμενοι,* 32: *ταῖς ὑμετέραις ἀρεταῖς χρῆται παραδείγμασι περὶ τῆς ἑαυτοῦ πονηρίας* (cf. p. 46), XXV, 23: *τοῖς πρότερον γεγενημένοις παραδείγμασι χρωμένους* — cf. XII, 92. (XXX, 24. XXVII, 5—XVI, 14. fr. 53, 3—XXII, 20.)

πλῆθος XIV, 10, 34. cf. F: ad XIV, 34—Sch: vind. p. 75. A: p. 51.

πρᾶγμα C. Rehdantzius: de vario, quem habeat apud or. att. *πρᾶγμα* vocabulum usu ac ratione. diss. 1874. a) = 'id, quod in dicendo agitur; argumentum.' XIV, 16: *περὶ αὐτοῦ τοῦ πράγματος οὐχ ἕξειν αὐτούς, ὅ,τι λέξουσιν.* XXIII, 1. [IX], 2. [VIII], 11: *περὶ τ. πρ. λέγειν,* XIII, 3: *ἐξ ἀρχῆς τῶν πραγμάτων ἁπάντων ἀκοῦσαι*—III, 46: *ἔξω τ. πράγματος.* — cf. I, 5, 43. VII, 37, 42. XXII, 8. XXVI, 3, 15. b) *τὰ πράγματα* = respublica XIV, 35: *ἃ πονηρῶς ἔχει τῶν πραγμ.* cf. F.

πρόφασις = causa. XIV, 1: *οὐδεμίαν πρ. ἀκοῦσαι.* Cum sit vox media (cf. Aken. p. 83), adponi solet, si illam notionem amplectitur, attributum (cf. F: ad XIV, 1 et XII, 28). Id tamen deest etiam XXIV, 1. cf. [IX], 13, 15.

τεκμήριον, ὅτι XV, 5. III, 23. IV, 12. XXII, 11. XXIV, 11. XXIX, 1. XIII, 73—XVI, 11. XXV, 5. XXX, 15. cf. F: ad XV, 5 et XXV, 5 (p. 471).

1) Cur sic locum restituam, p. 36 disputabo.

2) Reo *JJ.* CXV p. 156 iniuria verba: *μηνυτὴς—γενόμενος* deleri iubet.

τόλμα XIV, 42: *οὐδεμιᾶς τόλμης ἀπεχόμενοι*, XII, 41: *ἐθαύμασα τῆς τόλμης τῶν λεγόντων ὑπὲρ αὐτῶν* III, 45.

φρούριον XIV, 35: *δηλώσειε δ' ἄν, ἃ κακῶς φυλάττεται τῶν φρουρίων*, XII, 40: *τὰ περὶ τὴν Ἀττικὴν φρούρια καθεῖλον.*

χάρις = iudicum gratia XIV, 40: *μήτε ἔλεον .. μήτε χάριν μηδεμίαν περὶ πλείονος ποιήσασθαι τῶν νόμων*, XXVII, 13: *οὐ χάριτος ἄξιον τυχεῖν, ἀλλὰ τιμωρίας.*

χωρίον = castellum. XIV, 26, 35. cf. XVI, 16: *ἐν Κορίνθῳ χωρίων ἰσχυρῶν κατειλημμένων.*

Iterum addo pauca, quae commemorandi nondum occasio fuit.

1) Sunt quaedam verba, quae per brevitatem ita usurpentur, ut quamquam in universum dicuntur, tamen propriam rem et certam significent. Cuius generis voces sunt: *αἱ νῆσοι* XIV, 30 = eae insulae, quae cum Atheniensibus foedus inierant; *ἡ ναυμαχία*: XIV, 39 = pugna apud Aegos flumen commissa. Suppetit relegare ad F: ad hos locos.

2) XIV, 4: *εἰκός .. ἐστιν, ἐξ οὗ τὴν εἰρήνην ἐποιησάμεθα, πρῶτον περὶ τούτων νυνὶ δικάζοντας μὴ μόνον δικαστὰς .. γενέσθαι.*

Quod una est res, de qua agitur, potius exspectes *περὶ τούτου*. Sed frequentissimus est huius pluralis usus; cf. Sch: vind. p. 38, 69; R et F: ad XII, 9; St 2 p. 103.

3) Articulus.

Tria sunt, quae de articulo moneam:

1) Omittitur ante nomina hominum, populorum, terrarum, urbium. cf. Pertzius qu. Lys. sp. I. En exempla: a) in XIV. *Ἀλκιβιάδης* α) filius § 1, 10, 21, 22. § 23 probe eum tutatus est F. β) pater: § 16, 26 [1]), 30, 32, 37. γ) *ὁ παλαιός*: § 39. *Ἀρχεστρατίδης* § 3, *Ἀρχέδημος* § 25, *Θεότιμος* § 26 etc. cf. §§ 27, 28, 38 (bis), 39. *Ἀθηναῖοι* § 15. *Χῖοι* § 36. *Λακεδαι-*

1) Teneo nomen Alcibiadis; cf. Emp. opusc. ed. Schneidew. 1847 p. 87.

μόνιοι § 30, 33, 34, 39. In § 37 cod. praebet *αὐτοῖς Λακεδαιμονίοις*, quod stare non potest. Sch[1] autem coniectura (v. ed. p. XL) refutata est a M°: Philol. XII p. 101 sq., Bremii (v. ed.) a Foe°: p. 40 sq., Foe[1] ab illo *JJ.* I₂ p. 376, Sintenisii denique emendatio *Ztschr. f. AW.* 1835 p. 524 (*μηνυτὴς ἂν ἐγένετο* = dicere solebat) non quadrat ad sententiam, cum Alcibiadem omnia, quae noverat, eodem tempore, non eadem identidem dixisse perspicuum sit. Itaque relinquitur, ut corrigamus: *αὐτῶν Λακεδαιμονίοις*. — Cur in § 19 *Ἕλληνες* articulum habeat, per se intellegitur. — Nomina terrarum vel urbium insunt in: § 38 — 26 (*Ὄρνοι*) [1]), 27, 30, 33. b) in XV: 5 (ter), 6, 10, 12 (bis).

2) XIV, 13: *οἱ ἐν τῇ πόλει*. Saepius coniungitur articulus cum subst., quod dependet de praepositione. cf. St 2 p. 101.

3) XIV, 28: *ἢ εἰς — ἢ εἰς — ἢ περὶ — ἢ περὶ* Lysiam post particulas *ἀλλά, ἤ, καὶ* (*καὶ — καί, τέ — καί*), *οὔτε — οὔτε, εἰ μή*, cum sequitur substantivum cum praepos. compositum, modo iteravisse, modo omisisse articulum ostenderunt F: ad X, 7 et St 1 p. 502.

4) Pronomina.

ἄλλος XIV, 1, 43.—37—23 (bis) — 5, 12 (bis), 21, 26, 29, 37, 42, 45, 46. XV, 8, 11. De XIV, 4, 10, 44 v. i. — de XIV, 3, 32. XV, 1 cf. Foe: p. 32, Fra: p. 181, M: p. 18.

ἀμφότεροι = ambo: XIV, 6, 39. XII, 57, 85. = uterque: XIV, 34. XII, 51, 53. XXV, 9. XXXIV, 1. fr. 88.

αὐτός a) excipit pron. relat. XIV, 17: *ὃς αὐτὸς μὲν οὐκ ἐτόλμα .., ὁ δὲ πατὴρ αὐτοῦ .. ἠξίου* cf. Foe: p. 67, Sch: vind. p. 31, Fra: p. 93, F et R: ad XXV, 11, Hamaker p. 23, M: p. 23. b) locum tenet pronominis *οὗτος* XIV, 37: *ἃ μὲν γὰρ ᾔδει.., μηνυτὴς αὐτῶν..ἐγένετο* (v. p. 46) cf. Foe: p. 74 atque F: ad hunc locum. c) desideratur pro eo pron. refl. XIV, 31: *εἴθισται λέγειν, ὡς οὐκ εἰκός ἐστι πατέρα αὐτοῦ* — cf. M: p. 19 sq.

1) Haec forma, a L° inventa (qu. L. spec. p. 16 sq.), nunc omnibus probatur.

— § 20: *τῶν γεγενημένων αὐτῷ μεταμέλει.* Quem locum M. sicut alios falso putabat huc spectare; quomodo explanandus sit, docuerunt B: *Burs. Jber.* 1877 p. 260 et Roe: *Z. f. G.* 1878, 7. — Iure autem huc referretur XIV, 9: *ἐβουλήθη καὶ ἄτιμος εἶναι καὶ τὰ χρήματ'* 1) *αὐτοῦ δημευθῆναι καὶ .. ἔνοχος γενέσθαι* nisi propter sententiae perversitatem haec verba (*καὶ τὰ χρ.—δημ.*) esse interpolata statuendum esset. cf. contra F[um] L: att. Proc. p. 465 adn. 783.

ἐγώ a) iusta oppositione XIV, 3: *ὅσα οὗτος παραλέλοιπεν, ἐγὼ καθ' ἕκαστον διδάξω.* b) modestia quadam actor id, quod ipse sentit, opponit eis, quae alii indicant. XIV, 8: *ἐγὼ δ' ἡγοῦμαι,* 22: *ἐγὼ τοίνυν ἀξιῶ* cf. FG: ad XIII, 74. XII, 8. Similes sunt ei loci, quibus actores ea, quae facturi sunt, hoc modo instituunt XIV, 2: *ἐγὼ .. πειράσομαι,* cf. XIII, 30: *ἐπ' αὐτοφώρῳ ἐγὼ αὐτὸν ἐξελέγξω.* XII, 5, 51. XIII, 75. c) *ἐγὼ μὲν οὖν.* Incipit ab hac formula peroratio: XIV, 46. XV, 12. cf. Th: p. 30. d) XV, 1: *ἐγὼ μὲν .. αἰτοῦμαι* recte explicuit F. cf. XVIII, 27. XIX, 45. XXIX, 4.

ἐκεῖνος a) subsequitur pronomen *οὗτος* vel *αὐτός* et pertinet ad eandem personam XIV, 28: *φάσκων τοῦτον οὐχ ὡς* (sic emendavit Hirschigius codicis memoriam, cf. F) *ἀδελφὸν αὐτῆς, ἀλλ' ὡς ἄνδρα ἐκείνης εἰς τὴν οἰκίαν εἰσιέναι τὴν αὐτοῦ.* — Gemellus locus, quo haec duo pronomina eodem in casu ponantur, apud Lysiam non exstat; similes tamen sunt I, 20: *ὡς αὐτῇ τελευτῶσα εἰσαγγείλειε καὶ ὡς ἐκείνη τῷ χρόνῳ πεισθείη* (cf. F). XXVIII, 13: *οὐδὲ ἀδίκως τούτοις φημὶ ἂν εἶναι ὑπόλογον τὴν ἐκείνων φυγήν* (cf. PRMueller *progr. Merseb.* 1866 p. 10). Praeterea F in adnot. ex aliis scriptoribus non pauca exempla protulit, quae plane congruunt. Itaque illo in loco offendendum esse non arbitror. — b) substituitur pro pron. refl. XV, 11: *περὶ ὧν οἱ νόμοι .. οὔτε στρατηγὸν .. κυριώτερον ἐκείνων ἀποδεικνύουσι,* cf. F: ad hunc locum, Foe: p. 71, Sch: vind. p. 46, Th: p. 37.

οἷός τ' εἰμι XIV, 36. Locos congessit F: ed. II p. 171.

1) De subiecti commutatione egit Foe: p. 47 sq.

[illegible] ἄν XIV, 5: ὁ νόμος οὐ περὶ τούτων κελεύει [illegible] ἀλλὰ καὶ ὁπόσοι ἂν μὴ παρῶσιν — X, 18: ὁπόσον ἂν [illegible].

[illegible][1]) a) per emphasim dictum est XV, 10: περὶ Ἀλκιβιά[illegible] μέλλοντας ψηφίσασθαι, ὃς ἂν .. ἐξαπατήσῃ, καταγελῶν .. [illegible] et paulo post: ὃς τοὺς εὖ ποιήσαντας κακῶς ποιεῖ. cf. Fro: ed. p. 8, F: ad XII, 40. b) sicut pronomen ὅστις in enuntiatis interrogativis secundariis XIV, 35: εἰσηγήσαιτο (ἄν) .., ἃ χρὴ καταλαβεῖν, δηλώσειε δ' ἄν, ἃ κακῶς φυλάττεται, διδάξειε δ' ἄν, ἃ πονηρῶς ἔχει cf. Fra: p. 174, R et F: ad XIII, 4, Karlowa p. 15 sqq. c) si praecedit οὕτω, particulae ὥστε vice fungitur. XIV, 35: τίς οὕτως ἄπειρος τῆς αὑτοῦ πατρίδος, ὃς οὐκ ἂν εἰσηγήσ. Notandum est Lysiam duobus locis, qui similes sunt, usurpavisse ὅστις I, 3: οὐδεὶς οὕτως ὀλιγώρως διάκειται, ὅστις οἴεται, III, 41: τίς .. οὕτως ἐστὶν εὐήθης, ὅστις προνοεῖται. cf. M: p. 26. Sed dubito an hoc non premendum sit. Namque numerus locorum minor est quam ut certa lex statui possit, et adiectiva τοιοῦτος et τοσοῦτος semper fere componuntur cum ὅς pronomine. cf. G: de arg. p. 25 et in ed. ad XIII, 13, Sch: obs. p. 27. d) dependet de verbo enuntiati secundarii, non relativi proprii XIV, 16: ὃν εἰ τηλικοῦτον ὄντα ἀπεκτείνατε, οὐκ ἂν ἐγένοντο συμφοραί .. I, 44: ὃ ἐγὼ δεδιὼς μή τις πύθηται, ἐπεθύμουν αὐτὸν ἀπολέσαι XXXIV, 4, 5. cf. [II], 5. XXV, 27. — e) attractio α) adhibita: XIV, 2(?), 30 (ἀνθ' ὧν), XV, 1: μὴ βοηθοῦντας, ᾧ ἂν βούλωνται, 11 (περὶ ὧν). β) omissa XIV, 40: τ. νόμων καὶ τῶν ὅρκων, οὓς ὠμόσατε (aliter § 37 et § 43). Huius rei exempla cum Bohlmannus (de attr. usu et progr., qual. fuerit in enunt. rel. apd. Hdt. Antiph. Thuc. Andoc. Lys.) congesserit et illustraverit et quae neglexit, suppleverit Schulzius censor *ph. Rdsch.* 1883 p. 664 (idem scripsit de attractionis apud ceteros oratores usu), aliquid addere supervacaneum est.

---

1) Quas formas pronominum ὅς et ὅστις Lysias adhibuerit, indagavit Karlowa ll. p. 15. Comparari possunt eae, quae in titulis inveniuntur; cf. Schmollingius part. II p. 2 sqq.

ὅσος ἄν XIV, 6—XII, 100. Erot. 231ᶜ. cf. XXXIV, 8. XIII, 92.

ὥσπερ XV, 12: *ὑμᾶς χρὴ τ. αὐτὴν γνώμην ἔχοντας τὴν ψῆφον φέρειν ἥνπερ ὅτε ᾤεσθε.* I, 1. XXV, 20. XXXIV, 1. fr. 87 etc.

ὅστις XIV, 6: *οὐχ οἵτινες ἄν..; οὐχ οὓς ἄν..;* cf. XXV, 18: *οὐδὲ οἳ ἔμειναν, ἀλλ' οἵτινες μετέσχον.*

οὗτος a) spectat ad reum eiusque socios XIV, 2 (bis), 9, 12, 17, 20, 23, 25, 28, 31, 39, 40, 43, 45, 46.— 18, 19, 21, 30, 34, 46 (bis)—XV, 10—(4, 5, 7 (bis), 8, 11 ad praetores, qui reo adsunt; cf. XIII, 90). Qui usus tam frequens est, ut pron. illud saepissime etiam eis locis collocetur, quibus pron. reflexivum postulatur XIV, 31: *εἴθισται λέγειν, ὡς οὐκ εἰκός ἐστι τὸν μὲν πατέρα αὐτοῦ λαβεῖν, τοῦτον δ' ἀδίκως διαβεβλῆσθαι,* cf. L: qu. L. p. 13, Fra: p. 182 sq., Foe: p. 68 sqq., M: p. 20, G: ad XII, 84.[1]) — b) referendum est ad pron. relat. praecedens XIV, 29: *ἀλλ' ὃν ἔδει .. εἶναι ..., οὗτος πειρᾶται,* XV, 11: *περὶ ὧν ... ἀποδεικνύουσι, περὶ τούτων ...* XII, 70: *περὶ ὧν .., ταῦθ'* XXV, 8. XXVI, 12. c) comprehenduntur ea, quae enuntiato secundario antecedenti dicuntur. XIV, 5: *τὸν δὲ νόμον κελεύειν, ἐάν τις λίπῃ τὴν τάξιν ..., περὶ τούτου δικάζειν,* 39: *εἴ τις ὑμῶν ἢ .. ἐλεεῖ ἢ .. αἰσχύνεται ἢ ..., τούτων ἁπάντων αἴτιον ..* XIII, 76: *ἐὰν .. φάσκῃ Φρύνιχον ἀποκτεῖναι, τούτων μέμνησθε* § 83, 89. d) indicatur id, quod sequitur XIV, 8: *ταύτην τὴν ἀπολογίαν ποιήσεσθαι, ὡς .. οὐκ ἠδίκει* et *ἡγοῦμαι .. διὰ τοῦθ' ὑμᾶς ὀργίζεσθαι, ὅτι ἐτόλμησεν,* cf. Fu: ad XII, 4. — *εἰς τοῦτο ἐλθεῖν* c. genet. v. s. *τοσοῦτος.* e) genere et casu adaequatur pronomen ei substantivo, quod pars praedicati est XIV, 12: *τούτῳ παραδείγματι χρώμενοι,* cf. Brem: exc. II, FG: ad XXV, 13, M: p. 17. f) Interdum fit, ut genetivo *τούτου,* apto de comparativo adiectivi, id introducatur, quod comparatur; cf. FG: ad X, 28 et XXV, 23, quibus locis etiam aliorum virorum doctorum scripta enumerantur. XV, 3: *τί δ' ἂν αἴσχιον ἔθος ἢ δεινότερον πρᾶγμα τούτου τῇ*

1) Renner: comm. Lys. cap. II p. 25 sq. falso contendit hanc rationem non admissam esse, nisi *οὗτος* in genetivo positum esset.

πόλει γένοιτο, εἰ τολμήσει ὁ ἄρχων (Markl.), X, 28: *Τί γὰρ ἂν τούτου ἀνιαρότερον γένοιτο αὐτῷ ἢ τεθνάναι μὲν .., αἰτίαν δ' ἔχειν,* XXV, 23: *οὐδὲν γὰρ ἂν εἴη αὐτοῖς τούτων*[1]) *χαλεπώτερον ἢ πυνθάνεσθαι μέν ..,* [II], 73: *τί γὰρ ἂν τούτων ἀνιαρότερον γένοιτο ἢ τεκεῖν.* Apparet inter XV, 3 et ceteros locos discrimen interesse, quod illic particula *ἢ* omittitur, hic adponitur. Quare Meier (cf. Sch: ed. p. XLI) illud *ἢ* XV, 3 inserebat. Sed optimo iure oblocuti sunt Sch: ll. et G: de arg. p. 299. Discrepat igitur hac in elocutione consuetudo dicendi Lysiae et scriptoris or. XV.

πᾶς, ἅπας Neque in eis, quas tractamus neque in Lysiae orationibus discrimen inter has formas statui potest. Utra in elocutione *πάντες ἄνθρωποι* usitatior sit et frequentius coniungi soleat cum pron. *ἄλλος*, docet Fu: Rh. M. XXXIII p. 569 sq. Nec vero eum certam legem invenisse affirmaveris. — Praeterea nihil habeo, quod adiungam nisi XIV, 35: *ἐπὶ τῇ τοῦ πατρὸς πονηρίᾳ φιλοτιμεῖται καὶ λέγει, ὡς οὕτως ἐκεῖνος μέγα ἐδύνατο, ὥστε τῇ πόλει πάντων κακῶν * αἴτιος γεγένηται* articulum loco insignito inculcandum esse propter sententiam F recte contendisse. Etenim Alcibiadem cavisse puto, ne diceret patrem malorum tantum fuisse auctorem (cf. Isocr. XVI). — Aliud est XII, 57.

πρὸς σφᾶς αὐτοὺς XIV, 42 idem valet ac *πρ. ἀλλήλους.* Idem XXII, 8. cf. F: ed min. ad hunc locum.

τὶς coniungitur cum pron. interrogativo XIV, 26: (*ποῖός τις*) XIII, 46—XIV, 17 (*ὁποῖός τις*), XXIII, 9. XXV, 29. XXVI, 17. XXXI, 20, 34. — XVIII, 1 (*οἷοί τινες* certa correctura est) XXI, 1. cf. G: de arg. p. XVI, A: p. 54.

ὁ τοιοῦτος XIV, 13, 21. V, 4. XII, 41 (cf. G: p. 329). XVI, 11, 18, 21.

τοσοῦτος XIV, 2: *εἰς τοσοῦτον*[2]) *κακίας ἀφιγμένα* (sc. *ἁμαρτήματα*). Constat etiam pron. *οὗτος* eadem vi usurpari

---

1) Transposui hoc verbum auctore G°: in ed. p. 499, cum Fra: p. 179 id eiceret.

2) Ut ubique forma *τοσοῦτον* restituatur, iure postulant Brem. ed. p. 22, Leb: p. 73, Pertz: II p. 11, Frankius lect. Aesch. (*Phil. Suppl.* I) p. 435.

XIV, 9: *εἰς τοῦτ' ἦλθε πονηρίας καὶ ..* In huius locutionis usum accuratius inquisivit Dessoulavyus *gramm. statist. Beob. üb. e. Redensart u. d. Absichtssätze b. d. att. Redn.* 1881. Sed deest ibi p. 6 Lys. XXXIV, 11, qui locus iam F^um^ fefellit. — Ceteroquin monendum est hanc formulam, cum ceteris locis ad homines pertineat, XIV, 2 referendam esse ad rem (facinora), quod praeterea Dessoul^o^ teste uno loco Dem. IV, 47 redit.

τὰ ὑμέτερα a) = ea quae reipublicae sunt XIV, 25 *οὐκ ὀλίγα τῶν ὑμ. ὑφῃρημένῳ* XXVII, 6, 9, 11. XXXIV, 5. b) = reipublicae rationes XIV, 37 *ἃ ᾔδει τ. ὑμετέρων κακῶς ἔχοντα,* 45 *περὶ τ. ὑμ. δημηγοροῦσι,* XII, 5. XXV, 19, 21. XXIX, 11.

5) Adiectiva.

ἀμείνων, βελτίων cf. F: ad XIV, 19.

ἄξιος XIV, 43 *οὐδενὸς ἄξ.,* XV, 1 *πολλοῦ ἄξ.* cf. F: ad XVI, 21 adp. (et XXX, 18).

ἄπειρος XIV, 35: *ἄπειρος τῆς αὐτοῦ πατρίδος,* 42: *ἔργου δεινοῦ ἄπειροι,* VII, 14 (*κινδύνων*), fr. 16 (*πραγμάτων*), [II], 2 (*γῆς*).

δεινός Usitatissimae sunt formulae: *δεινὸν δοκεῖ εἶναι,* (XIV, 17, 31. XV, 7), *οὐκ οὖν δεινόν* (XIV, 18), *δεινόν ἐστι* (XV, 2, 6) c. inf. aut cum *εἰ* coniunctae. cf. Rosenbergius *Phil. Anz.* V p. 453.

δῆλος a) personaliter [1]) XIV, 17: *οὔπω δῆλος ἦν, ὁποῖός τις ἔσται,* simillimum est XXV, 29: *φανεροὺς γεγενῆσθαι, ὁποῖοί τινές εἰσιν οἱ πολ.* b) impersonaliter XIV, 19: *δῆλον ὅτι .. δόξετε,* 34: *πᾶσιν ἡγοῦμαι δῆλον εἶναι, ὅτι.* Apud Lysiam sescentiens; semper deest *ἐστίν.*

διάφορος c. dat. = infestus XIV, 44: *τοῖς οἰκείοις διάφορος* — XVI, 11 (*μοι*).

ἐνδεής XIV, 14: *ἐνδεεῖς ὄντες τῶν ἐπιτηδείων,* XII, 97. XIII, 11 idem; cf. XVIII, 23. XII, 44. XXI, 25 (Ri: p. 11).

1) Ea adiectiva, quae a Lysia personaliter dicta sunt, congessit St 1 p. 509 et St 2 p. 94.

εὔνους XIV, 10: *εὔν. τῷ πλήθει.* — cf. Kirchner progr. p. 20.

ἰσχυρός XV, 9: *εἴ τῳ δοκεῖ μεγάλη ἡ ζημία καὶ λίαν ἰσχυρὸς ὁ νόμος.* — I, 34: *χρὴ τούτους (τοὺς νόμους) ἰσχυροὺς ἢ μηδενὸς ἀξίους εἶναι* est *ἰσχυρὸν εἶναι* idem atque *τοὺς νόμους ἰσχύειν* XXVIII, 13 = valere.[1]) Sed similis translatio est *ἰσχυροτέρα τιμωρία* I, 31, *ἰσχυρότατος ἔλεγχος* VII, 34.

κύριος a) spectat ad homines: XV, 8, 11—XII, 26, 44. XXVI, 11, 12. (Opponitur *ἄκυρος*: XV, 8. [IX], 19.) b) ad res: I, 29 (*νόμος*), XVIII, 15 (*συνθῆκαι*). Eadem ratione *ἄκυρος* dicitur de rebus XV, 5: *ἄκυρον ἐποίει τὴν τούτων τάξιν*, XVIII, 15. [IX], 7.

λαμπρός XIV, 25: *ἡγούμενος οὐκ ἂν δύνασθαι λαμπρὸς γενέσθαι.* cf. XIX, 63 *ἵππους λαμπροὺς ἐκτήσατο.*

λοιπός de tempore futuro a) *τοῦ λοιποῦ* XIV, 2—XII, 85. XXIV, 27. b) *εἰς τὸν λοιπὸν χρόνον* XIV, 4 (*εἰς τὸ λοιπόν* XIV, 43. cf. *τὸ λοιπόν* X, 15). XVI, 2. XIX, 30. XXX, 34. XXXII, 3.

μικρὰ ἁμαρτήματα: XIV, 2. cf. XII, 78.

μόνος a) XIV, 7: *μόνον αὐτὸν τῶν πολιτῶν ἔνοχον εἶναι.* *μόνος αὐτός* usitatior est collocatio; F: ad XXXII, 27 enumerat eos locos, qui excipiuntur. Genetivus (*τῶν πολιτῶν*) nunquam praegreditur. cf. Karlowa p. 8. — b) *οὐ (μὴ) μόνον — ἀλλὰ καί*: XIV, 4, 5, 12, 13. Adamat Lysias hanc elocutionem sicut apparet ex copia exemplorum a Ri°: p. 33 prolatorum. Interdum fit, ut id verbum, quod cum vi dicitur, inseritur inter *οὐ* et *μόνον* XIV, 5: *ὁ δὲ νόμος οὐ περὶ τούτων κελεύει μόνον*, XII, 44: *οὐχ ὑπὸ τῶν πολεμίων μ., ἀ. κ.*, XIX, 45: *οὐ νῦν μόνον*, fr. 75, 4: *οὐκ ἐξήρκεσεν αὐτῷ ταῦτα μόνον ἐξαμαρτεῖν* cf. V, 5.

ξένος opponitur *πολίτης* vel tale quid XIV, 28: *ἢ εἰς τοὺς πολίτας ἢ εἰς τοὺς ξένους*, XII, 35: *πολλοὶ καὶ τῶν ἀστῶν καὶ τῶν ξένων*, fr. 75, 6: *πολλοῖς μὲν Ἀθηναίων, πολλοῖς δὲ καὶ τ. ἄλλων ξένων.*

1) Quare Cobetius Mnemos. 1882 p. 328, ut est studiosus aequandi, adductus est, ut *ἰσχύειν* scriberet.

οἰκεῖος a) = propinquus XIV, 28: *περὶ τοὺς αὑτοῦ οἰκείους ἢ περὶ τοὺς ἄλλους ἡμάρτηκε*, 44: *τοῖς οἰκείοις διάφορος καὶ ὑπὸ τῶν ἄλλων μισούμενος*, fr. 90: *τοὺς μὲν οἰκείους ἐχθρούς, τοὺς δ' ἀλλοτρίους πιστοὺς νομίζειν*. — b) *τὰ οἰκεῖα* = res privatae XIV, 14: *οἴκαδ' ἀπελθόντες τῶν οἰκείων ἐπεμέλοντο (ἄν)*, XXV, 1: *ἀμελοῦντες τῶν οἰκείων τῶν ἀλλοτρίων ἐπιμελοῦνται*, XIII, 41: *τὰ οἰκεῖα τὰ αὑτοῦ διέθετο*.

πατρικός XIV, 40: *πατρικὸς ἐχθρός* = XXXII, 22. cf. F: ad locum illum.

πλέον XIV, 37: *πλέον ἢ διακόσια τάλαντα*, cf. Pertz: p. 8 sq.

πολύς πολύ c. comparativo XIV, 21: *π. μᾶλλον αὐτοὺς προσήκει . . κατηγορεῖν ἤ*, 47: *καὶ τὰ εἰρημένα καὶ τὰ παραλελειμμένα ἀναλογισάμενοι π. μᾶλλον αὐτοῦ καταψηφίσασθε* (omissum est alterum membrum), cf. XII, 32: *χρῆν σε π. μᾶλλον μηνυτὴν γενέσθαι ἤ . . .* fr. 1, 5: *π. μᾶλλον ἃ ἂν . . αὑτοῦ νομίζει ἤ . .* — Constat *πολὺ μᾶλλον* saepius usurpari, ut vis coniunctionis *ἀλλά* augeatur: XIV, 15, 45. XV, 9—V, 4 etc.

πρῶτος a) XIV, 37: *πονηρίᾳ δὲ τῶν πολιτῶν πρῶτος ἦν*, cf. XII, 66: *ἑτέρους ἑώρα προτέρους αὑτοῦ γιγνομένους*, XXXIV, 3: *τῶν ἀντιλεγόντων πρότερος ὤν*. cf. F: ad XII, 66. — b) *πρῶτον* = primum XIV, 4: *ἐξ οὗ τὴν εἰρήνην ἐποιησάμεθα, πρῶτον δικάζοντας*, cf. XVII, 3: *ἐπειδὴ εἰρήνη ἐγένετο, ὅτε περ πρῶτον αἱ δίκαι ἐδικάζοντο* — XIV, 16: *ὅτε πρῶτον εἰς ὑμᾶς ἐλάβετε ἐξαμαρτάνοντα* XIII, 17 etc. — in enumeratione XIV, 21: *χρὴ ὑπολαμβάνειν πρῶτον μὲν ὅτι . ., ἔπειθ' ὅτι . .* XII, 48, 95. XIII, 4, 27, 30 etc.[1])

συγγενής XIV, 20—XXI, 6. fr. 23, 64, 84. [VI], 23, 53 saepius *ἐπιτήδειος*.

τὸ τελευταῖον XIV, 38 *τ. τ. . . ἐτόλμησε*. XII, 48, 71. XIII, 47.

φανερός XIV, 15: *χρὴ πᾶσι φανερὸν ποιεῖν, ὅτι* XXII, 3. cf. XXII, 19. XXV, 27. fr. 16, 2.

---

1) Qua varia ratione Lysias enumerationem instituerit, multi vv. dd. perquisiverunt: Schepius p. 24, FG: ad XII, 65, 92. XIII, 97, M: p. 7, A: p. 55, Karlowa p. 13.

χαλεπός XIV, 37: *ὥστ' οὐ χαλεπὸν γνῶναι, ὅτι,* XXIII, 12: *οὐδενὶ χ. γν., ὅτι.* cf. XIX, 11. XXVI, 4. Erot. 232[b].

χρηστός περί τινα, τι XIV, 31: *περὶ τὴν πόλιν* — XIII, 60: *π. τοὺς δεδεμένους, τὸν δῆμον,* cf. *δεινὸς περί τι* X, 9 (*δίκαιος π. τινα* XXXII, 23 et § 5, si probas S[1] coniecturam (ept. crit. p. 143) cf. F: ed. II p. 165.

ὡραῖος XIV, 26: *ὕβριζεν αὐτὸν ὡραῖον ὄντα,* cf. fr. 4: *ἐπεὶ (θυγάτηρ) ἦν ἀνδρὸς ὡραία.*

6) Adverbia.

ἀκριβῶς XIV, 46: *ἀκρ. ἐξευρεῖν,* XIII, 4: *ἀ. μαθόντες.*

ἄλλως a) = ceterum XIV, 41: *πότερον ὡς πρὸς τὴν πόλιν δεδυστυχήκασιν, ἄλλως δὲ κόσμιοί εἰσι καὶ σωφρόνως βεβιώκασιν;* XII, 45: *ἄλλως μὲν οὐχ οἷοί τ' ἔσονται περιγενέσθαι, κακῶς δὲ πραττόντων δυνήσονται.* b) *ἄλλως τε καὶ* c. ptcp. XV, 10: *ἀ. τ. κ. ὅρκους ὀμωμοκότας,* cf. Foe: comm. p. 30.

ἤδη c. aor. gnomico, quem grammatici vocant, XIV, 43: *ἤ. τινῶν ἀπεψηφίσασθε,* cf. F: ad hunc locum, St 2 p. 117.

ἡδέως = libenter. XIV, 14 — X, 9.

οὐδὲν ἧττον = nihilosetius: XIV, 1 — XII, 15. XIII, 84.

ἰδίᾳ XIV, 1: *ἰδ. ἀδικούμενος* = XII, 23. XXV, 5 — XIX, 8. fr. 78, 2 etc. De XV, 4 infra disseram.

ἱκανῶς XIV, 3: *ἱκ. κατηγόρησεν,* XIII, [66]: *ἱκ. μεμαρτύρηται,* III, 40. XXI, 1: *ἱκ. ἀποδέδεικται.*

κρύβδην XV, 10: *τῇ ψήφῳ κρ. εὖ παθών,* cf. G: ad XII, 91.

νῦν, νυνί[1]) a) significant tempus praesens: XIV, 2, 10, 40. XV, 3 — XIV, 4 (bis), 15. b) *νῦν δὲ* formula praegresso enuntiato irreali introducuntur ea, quae re vera sunt[2]) XV, 6: *ἐχρῆν γάρ*[3]) *αὐτοὺς .. ἀνακαλεῖν μὲν .. νῦν δὲ .. οὐδὲν ἐποίησαν.* cf.

---

1) In usum vocis *νυνί* accuratius inquisivit A. Hofmeister *üb. Gebr. u. Bed. d. Iota demonstr. b. d. att. Redn.* p. 42 sqq.

2) Etiam *νυνὶ δέ* particulas eo modo usurpari Roeder p. 11 ostendit.

3) Haec enuntiata, quibus ea, quae fieri opus fuit, exprimuntur, varia

PRMueller *progr. Merseb.* 1873 p. 17 et FG compluribus locis: XII, 23 (p. 39, 219), 32 (p. 225), XIII, 36, 62 (p. 131, 389 sqq.). Per ea nimirum, quae ibi p. 389 sqq. disputata sunt, penetrare non ita facile est.

πάλαι = iam dudum: XIV, 2—XII, 72. XXX, 1. Erot. 231[b].

ποτέ XIV, 46: *θαυμάζουσιν, ὅπως ποθ' οὕτως ἀκριβῶς ἐδυνήθην ἐξευρεῖν,* cf. XII, 34: *θαυμάζω, τί ἄν ποτε ἐποίησας,* XIII, 49: *θ. ὅ,τι π. τολμήσει* — XXXII, 12. XII, 29.

ταύτῃ XIV, 4: *ταύτῃ τ. νόμους διαλαμβάνειν, ὅπῃ μέλλει συνοίσειν,* XII, 15: *ταύτῃ πειρᾶσθαι σωθῆναι,* XXIV, 23: *τ. θῆσθε τ. ψῆφον.*

7) Praepositiones.[1]

ἕνεκα[2]) XIV, 5 *δειλίας ἕν.*, 44 *τούτων ἕν.*, 12: *οὐ μόνον τῶν ἐξαμαρτανόντων ἕν., ἀλλὰ καί* — 32: *ἄλλων τε πολλῶν ἄξιον ἕνεκα αὐτοῦ καταψηφίζεσθαι καὶ ὅτι . . χρῆται,* cf. XXXIII, 1: *ἄλλων τε πολλῶν καὶ καλῶν ἔργων ἕνεκα καὶ ὅτι πρῶτος συνήγειρε.* — A Lysia praepositio a genetivo non diremitur ([XX], 30: *τούτων δεῖ ἡμᾶς ἕνεκα,* cf. Foe: p. 37); sed v. i.

ἐπί a) c. acc. = adversus: XIV, 30 (bis), 32—XII, 55 etc. b) c. dat. = penes XV, 7: *ἐπὶ τούτοις ἐστί* c. inf. (bis)—I, 6. VII, 16. XII, 33. cf. XII, 26. XIII, 46 — I, 34 (*ἐν*).

μετά a) XIV, 9: *μετὰ τῶν πολιτῶν*[3]) *εἶναι,* XXXIV, 10: *τὸ δίκαιον μ. τῶν ἀδικουμένων ἔσεσθαι.* β) XIV, 25: *μεθ' ἡμέραν* — I, 41. III, 34. VII, 15.

περί c. genet. = quod attinet XV, 4: *ὅτι οὐδὲν διοίσει*

---

specie sunt. Eadem qua ille locus: XII, 29, 64. XXII, 12, 17. XXIV, 11. cf. PRMueller *JJ.* XCI p. 619.

1) Lutzii de praepositionum apud or. att. usu dissertationis iam p. 26 mentionem feci.

2) Hanc formam praepositionis omnibus locis Lysiae eiusque aequalibus reddendam esse elucet e disputatione Meisterhansi: *Gramm.*[2] p. 176 sq.

3) Tueor codicis memoriam, quod verba cum acerbitate dicta esse arbitror de eo, qui in hippotoxotarum turba stipendia facere non vereretur. Hanc autem rem iam in narratione protologiae commemoratam esse veri simile est. Unde fit, ut F[1] offensio ad irritum cadat.

ὑμᾶς ἰδίᾳ π. τῆς ἀστρατείας βοηθεῖν, fr. 79: περὶ δὲ ἀργυρίου.. δῆλον ὅτι δέδωκεν. XII, 79. XIII, [65]. (cf. F: ad hunc locum et X, 3.) Eundem in modum interpretor XV, 1: περὶ τῶν γραφῶν κοινοὺς εἶναι. F. etiam XIV, 32 huc referre videtur ταῖς ὑμετέραις ἀρεταῖς χρῆται παραδείγμασι περὶ τῆς ἑαυτοῦ πονηρίας. Verum hoc fieri posse ut negem collocatione verborum perducor; immo περὶ—πονηρίας addita esse existimo, ut cuius rei exempla intellegenda sint, ostendatur. Similis locus est VII, 33 τοῖς μεγάλοις χρῆσθαι τεκμηρίοις π. τ. μεγάλων, quamquam id concedo in Lysiae orationibus non inveniri παράδειγμα περί, sed aut genetivum (XXII, 20. XXV, 23) aut infin. (XXX, 24 — genet. infinitivi XXVII, 5) adponi.[1])

πρός a) c. dat. XIV, 17: πρὸς τοῖς ἐκείνῳ πεπραγμένοις ἐπίστασθε καί, cf. XIII, 47 πρὸς τούτοις. b) c. acc., habet vim relationis, ut ita dicam. Iure igitur coniungitur cum διάκειμαι XIV, 42 (apud Lysiam passim), δυστυχέω XIV, 41, πολιτεύεσθαι (v. s. hac v.), κίνδυνος XIV, 15 (= XVI, 12. XIX, 20). — XIV, 2 autem, ubi X praebet: πρὸς τοὺς πατέρας ἡμῖν διαφορᾶς ὑπαρχούσης, id quod Frohb. explicat πρὸς τῶν πατέρων scribendum esse comprobo. Nam quaecunque exstant exempla similia (cf. Fra: p. 76 sq.), ubique ἔχθρα vel διαφορὰ ὑπάρχει (ἐστί) τινι (A) πρός τινα (B) significat inimicitias esse inter A et B. Eo autem, quem tractamus, loco non alterum alterius patrem, sed ut patres, ita filios inter se odio esse insectatos in propatulo est.[2]) — c) c. genet. XIV, 39: Ἀλκιβιάδην τὸν πρόπαππον αὐτοῦ καὶ τὸν πρὸς μητρὸς πάππον Μεγακλέα οἱ.. πρόγονοι ἐξωστράκισαν. — Sic exhibet cod. Hunc locum, si modo corruptus est, emendare desisto, cum de maioribus Alcibiadis verum vix indages. cf. comment. in hon. Ribb. ed. p. 470.

1) Concidit igitur opinio K[1], qui vocem ἀπολογούμενος in fine enuntiati excidisse putat (*JJ.* CV p. 255). Alia autem commutare non opus est. cf. F: adp.

2) Censor F[1] (*lit. Centrbl.* 1869 p. 395) codicis memoriam defendit, quod πατέρες ad maiores Alcibiadis, ἡμεῖς ad populum Atheniensium pertineat. At haec explicatio longius repetita est nec quadrat ad exordium ex persona.

ὑπό a) c. dat. = sub c. abl. XIV, 25: ὑπὸ τῷ αὐτῷ ἱματίῳ κατακείμενος, cf. XXXIII, 3: ὄντα ὑπὸ τῷ βαρβάρῳ — XXIV, 6. b) c. genet. apud verba passiva: XIV, 1, 10, 12, 20, 21, 26 (bis), 44. XV, 6 (bis) (παθεῖν: XIV, 2, 15, 43). Constat cum ad indicativum tum ad participium perfecti loco huius praepositionis adponi solere dativum subst. vel pron. Imprimis hoc cadit in verbum πράττειν: XIV, 17 τοῖς ἐκείνῳ [1]) πεπραγμένοις, 23: τῶν τούτῳ πεπραγμένων. Sed ne apud hoc quidem verbum dativus substituitur, cum participium ipsum in dativo eiusdem numeri ponitur: XIV, 19 τοῖς ὑπὸ τούτων .. πεπραγμένοις. (Forte in Lysiae orationibus huius rei nullum nisi fallor, exemplum legitur.) Diligenter hanc quaestionem pertractavit Karlowa (p. 9 sqq.), qui praeterea ea verba enumerat, quibuscum dativus eo modo a Lysia compositus est.

8) Coniunctiones.

ἀλλά a) orator ea, quae antea disputavit, concludit et ad nova transit XIV, 42—X, 20. XII, 87. XIX, 31. Adduntur μὲν δή (cf. M: p. 12) XIV, 44: ἀ. μ. δ. οὐδ' ἂν ἐξελθὼν .. δύναιτο, XXVI, 22: ἀ. μ. δ. οὐδὲ τὴν οὐσίαν ἡμᾶς .. κτήσασθαι. b) ἀλλ' οὐ (= und nicht vielmehr) XIV, 16: ὡς ἐκεῖνον πολλῶν ἀγαθῶν, ἀ. οὐχὶ πολλῶν κακῶν αἴτιον γεγεν., XII, 64: ὥσπερ πολλῶν ἀγαθῶν αἴτιον, ἀ. οὐ μεγάλων κακῶν γεγεν. XIX, 23. XXVI, 1. cf. G: de arg. p. 283. (aliter XV, 8: ὀμωμοκότας τὰ δίκαια γνώσεσθαι, ἀ. οὐχ ὅτι ἂν οὗτοι κελεύωσι ψηφιεῖσθαι, cf. Erot. 231[d]: εἰδέναι ὅτι κακῶς φρονοῦσιν, ἀλλ' οὐ δύνασθαι αὐτῶν κρατεῖν — XXIX, 14).

γάρ a) per ellipsim refertur ad sententiam suppressam XIV, 5: πολίτου χρηστοῦ καὶ δικαστοῦ δικαίου ἔργον εἶναι ταύτῃ τοὺς νόμους διαλαμβάνειν, ὅπῃ μέλλει συνοίσειν. Quod quidam non faciunt. τολμῶσι γάρ τινες λέγειν, ὡς οὐδεὶς ἔνοχός ἐστι λιποταξίου .. Pariter XIV, 36—X, 4. XII, 6. cf. Sch: vind. p. 2, F: ad I, 40. X, 12. b) καὶ γάρ. XIV, 3, 33—I, 7. XXIV, 3, 4, 8. Erot. 231[d]. cf. St 2 p. 119.

1) Mos est, ut dativus post ptcp. collocetur; sed idem atque hic: XXV, 2, 5, 13, 15. XXVIII, 12. XXXII, 18. — De XIV, 29 v. p. 37.

ἐπειδή a) respondet particulae *ὅτε* in argumentatione ex contrario XIV, 36: *ὅτε μὲν ἔφευγε, οὐ .. οἷός τ' ἦν· ἐπειδὴ δὲ .. κατῆλθε καὶ .. ἦρξε ..*[1]), *οὔτε ἐδύνατο .. οὔτε*, XII, 26: *ὅτε μὲν .. ἦν, ἀντιλέγειν φῄς .., ἐπειδὴ δὲ .. ἐγένετο, ἀπήγαγες.* — b) *ἐπειδήπερ*: XIV, 8—VII, 40. cf. *ἵνα περ* XIII, 72.

οὐ (μή) πρότερον, ἕως[2]) XV, 6: *τοὺς στρατηγοὺς μὴ ἂν τολμῆσαι πρότερον ἡμῶν ἡγήσασθαι, ἕως* (cod. X: *ἂν*) *ἐδοκιμάσθησαν*[3]), XII, 71: *οὐ πρ. εἴασε τ. ἐκκλησίαν γενέσθαι, ἕως ὁ καιρὸς ἐτηρήθη*, XXV, 26: *οὐ πρ. ἐπαύσαντο, ἕως .. κατέστησαν.*

καί a) cum duae sententiae inter se comparantur XV, 3: *οἱ ἕνδεκα δεήσονται ἐν ταῖς δίκαις ταῖς ὑφ' ἑαυτῶν εἰσαγομέναις ὥσπερ καὶ νῦν ὑμεῖς*[4]), XII, 23. XXI, 14 (*ὥσπερ καὶ πρότερον*), 18. XXIV, 21. XXVII, 12. XIII, 92 (cf. G). b) duplici *καὶ* vinculum quoddam inter enuntiatum primarium et secundarium efficitur XIV, 24: *ἐπειδὴ γὰρ καὶ τῶν ἀπολογουμένων ἀποδέχεσθε λεγόντων τὰς ἀρετὰς .., εἰκὸς ὑμᾶς καὶ τῶν κατηγόρων ἀκροᾶσθαι*, XV, 1: *τῶν στρατηγῶν δέομαι, ἐπεὶ καὶ ἐν τῇ ἄλλῃ ἀρχῇ πολλοῦ ἄξιοι .. γεγόνασι, καὶ περὶ τῶν*

1) Fortasse recte Roe: *JJ.* CXV p. 157 (cf. B: *Burs. Jber.* 1879 p. 266) suspicatus est post *κατῆλθε* verbum voces quasdam excidisse, quibus Alcibiadem summa imperii in terra quoque ornatum esse significaretur. Certe hoc ad orationis indolem optime quadrat.

2) Quomodo haec elocutio exorta sit ex *οὐ πρότ. πρίν*, explicat Sturmius *Geschichtl. Entwicklg. der Constructionen mit πρίν* (in Schanzii *Beitr.* I p. 340 sq.), cuius argumenta emendantur a B°: *Burs. Jber.* 1882 p. 177.

3) 'Difficillimum est, ut verba G¹ (de arg. p. 232) mea faciam, de hac tam singulari sententiae conformatione certum aliquid pronuntiare; hoc tamen non dubito, quin, si librorum lectio tolerari non queat, reponendum sit: *ἕως ἐδοκιμάσθησαν* (Sch. Cob. F.).' Akenus (*Temp. u. Mod. Lehre* p. 182), quocum consentit Middendorfius (*Constr. d. Nebensätze d. or. obl. in d. att. Prosa* p. 5), tuetur illud *ἄν*; Fra: p. 114 praefert *ἕως δοκιμασθεῖεν*.

4) Verba *ὥσπερ — ὑμεῖς* si deessent (*ὑμεῖς* enim adiunxit F assensu R¹: *JJ.* XCVII p. 601), nemo desideraret. Et profecto ea delent Fra: p. 113 et Fu: in diss. p. 45. Sed cum or. XV. obscuritate et verbositate quadam laboret, quod infra demonstrabo, conservanda esse mihi videntur, dummodo voce *ὑμεῖς* addita restituatur sana sententia.

γραφῶν κοινοὺς εἶναι, XXIII, 3: *πυθόμενος ὅτι καὶ ἑτέρας δίκας τὰς μὲν φεύγοι, τὰς δ' ὠφλήκοι..*, *ἔλαχον καὶ ἐγώ.* — XXX, 1, 33. Hoc vinculum eis in sententiis, in quibus *οὕτως* et *ὥσπερ* sibi respondent, ita adamatur, ut raro particula illa omittatur; tamen sunt exempla XV, 10: *χρὴ δέ, ὥσπερ οὗτος ἀμελήσας.. ἐσκέψατο, οὕτως ὑμᾶς ἀμελήσαντας.. ψηφίσασθαι*, X, 13: *εἰ οὕτω τοὺς νόμους ὥσπερ ἐγὼ νῦν λαμβάνειν ἠξίους*, cf. F: ad XV, 10. c) *καὶ μὲν δή*. Nemo est, qui nesciat, quantopere Lysias hanc transitionis formulam in deliciis habuerit; cf. Schep. p. 15, FG: in ed. I p. 47 et 229 sqq., M: p. 11. — Legitur in or. XIV, 12, 32, 34, 43, in or. XV, 9.

καίτοι[1]) a) introducit praesumptionem, v. p. 77 sq. b) refutationem XIV, 35: *λέγει, ὡς ... καίτοι τίς οὕτως ἄπειρος*, III, 22: *ἐτόλμησεν εἰπεῖν ... καίτοι ἐχρῆν αὐτόν*, [VI], 10, 13. cf. XII, 63. c) in conclusione idem valet quod latine 'atqui'; indicat igitur assumptionis initium. XIV, 19: num nobis, cum isti origine sua serventur, maiorum virtus nihil prosit? *καίτοι πολλαὶ καὶ μεγάλαι..*(sc. *αἱ ἀρεταί*) *γεγόνασι καί...* cf. Kirchn. ll., G: de arg. p. 272. — De XIV, 26 et XV, 6 v. p. 68.

μέν — δέ a) alterum deest *α*) *μέν* XIV, 10: *καὶ ἕτεροι μὲν οὐδεπώποτε ὁπλιτεύσαντες *, ἱππεύσαντες*[2]) *δέ.. Ἀλκιβιάδης δέ* (v. i.); XV, 5 sq.: *ἐχρῆν γὰρ αὐτοὺς.., νῦν δέ*, cf. Sch: lect. Lys. p. 300, F et Fu: ad I, 38. XIII, 85, M: p. 9. — *β*) *δέ*. De XIV, 21 (*πρῶτον μέν*) et 46. XV, 1 (*ἐγὼ μέν*) v. s. *πρῶτος* et *ἐγώ*. — XIV, 25: *οὗτος γὰρ παῖς μὲν ὢν.. ἔπινε* facile suppletur *ἡβήσας δέ*. XIII, 21: *τὰ μὲν οὖν ὀνόματα οὐκ ἔφη.. ἐρεῖν* (supple: rem tamen veram esse), 51, 81. XXV, 16. — b) alterum iteratur XIV, 11: *ἐὰν μέν τις — τούτου μέν — ἐὰν δέ τις*, XIII, 54. XXXII, 22[3])—XXIV, 8. cf. F: ad XIV, 11. XXIV, 8; M: p. 8. XIV, 20 sq.: *ἐὰν μὲν — ὀργίζεσθαι — ἐὰν δὲ — ὑμᾶς δέ*, cf. M: p. 29, G: de arg. p. 309 adn. 29.

---

1) Eos locos, quibus in Lysiae orationibus *καίτοι* legitur, enumerant Kirchner p. 4 sq. et Ri: p. 32 sq.

2) De hac emendatione cf. F: adp.

3) Gleiniger Herm. IX p. 172 falso affert X, 15, quod recte interpretatur F.

μέντοι compensatur particula *δέ* XIV, 2: *ἡγοῦμαι μέν — ἐγὼ μ... πειράσομαι,* cf. M: p. 4, A: p. 54.

ὅμως ptcp. concessivo praemittitur XIV, 35: *ἀλλ' ὅμως τοσούτων συμφορῶν καὶ οὕτω μεγάλων ὑπαρχουσῶν.. φιλοτιμεῖται,* XII, 73: *ὑμεῖς δ' ὅ. καὶ οὕτω διακείμενοι ἐθορυβεῖτε* (cf. FG.). XIX, 11.

οὖν a) *ἐγὼ μὲν οὖν* v. s. *ἐγώ.* b) finitur pars argumentationis XV, 11: *ὑμεῖς οὖν.. τὰ δίκαια ψηφίσασθε. ἀποδέδεικται δέ,* XIII, 48: *νῦν οὖν μνησθέντες.. τιμωρεῖσθε,* 95: *ἀναμνησθέντες οὖν.. τιμωρήσατε.* cf. 83. XII, 47. — c) introducitur praeteritio XIV, 28: *ὅσα μὲν οὖν.. ἡμάρτηκε, μακρὸν ἂν εἴη λέγειν,* III, 5. XXIII, 11: *ὅσα μὲν οὖν..* XXXI, 20. — d) tanquam cum vi adversativa dicitur XIV, 43: *ἤδη τινῶν ἀπεψηφίσασθε ἀδικεῖν μὲν νομίσαντες, οἰόμενοι δ' εἰς τὸ λοιπὸν χρησίμους ὑμῖν ἔσεσθαι. τίς οὖν ἐλπὶς ὑπὸ τούτου τι ἀγαθὸν πείσεσθαι τὴν πόλιν,* XIII, 97: *οὐ προσήκει καταψηφίζεσθαι· ἐὰν οὖν τὰ ἐναντία ψηφίζησθε.. οὐχ ὁμόψηφοι γίγνεσθε.*

τέ—καί[1]) XIV, 32: *ἄλλων τε πολλῶν.. καὶ ὅτι,* XV, 1: *κοινοὺς εἶναι τῷ τε διώκοντι καὶ φεύγοντι* (cum vi prius membrum dictum est cf. XVII, 3). Apud Lysiam sescentiens.

τοίνυν[2]) a) *μεταβατικόν,* = porro XIV, 4. XIII, 33, 35. XVI, 12, 14, 15. XIX, 47. XXV, 14 etc. Postquam leges vel testimonia recitata sunt XIV, 9—III, 15. XVI, 9, 18 etc. cf. G: I p. 233 sqq. 247 sqq. b) *συλλογιστικόν,* = igitur XV, 4, 8. X, 26. XII, 84. XIII, 51 etc. Adponitur ad pron. personale (= *οὖν*) XIV, 22: *ἐγὼ τοίνυν* — XXV, 11, 12 etc. — In assumptione conclusionis XIV, 12, 13. — XIII, 96. XIX, 60. cf. FG: ad XIII, 87.

ὡς = tanquam a) c. participio α) absoluto XIV, 10: *οὕτω*

---

1) Particulae *τέ* usum tractaverunt FG: ad XII, 30, 54, 61. XIII, 1 (cf. Fu). XXV, 34. XXXI, 2. XXXII, 1; Fu: Rh. M. XXXIII p. 595 sqq.

2) Eos locos, ubi in Lysiae et Pseudolysiae orationibus *τοίνυν* adhibetur, contulerunt Ri: p. 32 sq. et Rosenbergius *JJ.* CIX p. 110 sqq. Idem de usu et significatione huius particulae uberius egit. Quae omisit, supplet B: *Burs. Jber.* 1879 p. 255 sq.

γὰρ ἦσαν παρεσκευασμένοι οὐχ ὡς ἀπολουμένης τῆς πόλεως, ἀλλ' ὡς σωθησομένης καί.. XII, 2, 13 etc. De subiecti accusativo disserui p. 14 sq. — *β*) coniuncto XIV, 23: *ἀποψηφίζοισθε ὡς ταῦτα μὲν ἡμαρτηκότος, τὰ δ' ἄλλα .. γεγενημένου*, 31: *αὐτοῦ ἀφείλεσθε ὡς οὐ δικαίως δεδωκότος — τούτου δ' ἀδικοῦντος ἀποψηφιεῖσθε ὡς τοῦ πατρὸς χρηστοῦ γεγενημένου*. — Apud Lysiam sescentiens. b) c. indicativo (cf. G: de arg. p. 147 et ed. proleg. adn. 83) XIV, 41: *πότερον ὡς .. δεδυστυχήκασιν, ἄλλως δὲ .. βεβιώκασι*, XXX, 27: *ὡς ἀποδώσει* (cf. F: ad hunc locum). De XIV, 46 cf. p. 16. — XV, 1: *μὴ βοηθοῦντας, ὡς ἂν* (sic X) *βούλωνται* correcturam Reiskii: *ᾧ ἂν* veram esse arbitror.

ὥσπερ ἂν XIV, 29: *πειρᾶται ὥ. δυνάμενος ἂν .. μεταδοῦναι*, cf. XII, 20: *ἐξημάρτανον ὥ. ἂν ἕτεροι μεγάλων ἀδικημάτων ὀργὴν ἔχοντες*, cf. FG: ed. I p. 212, 217.

ὥστε in conclusione ratiocinationis: XIV, 34. – XIII, 37, 87. (III, 32. VII, 28. — IV, 7. VII, 6. Erot. 231^d^) cf. A: p. 54.

Adsero hic, quae habeo

de coniunctionibus et enuntiatis condicionalibus.

ἐάν a) = num XV, 5: *σκέψασθε, ἐὰν ἱκανὸν γένηται τεκμήριον*[1]), *ὅτι*, X, 15: *βούλομαι αὐτὸν .. διδάξαι, ἄν πως .. παιδευθῇ*, fr. 16, 2: *ἵνα βουλευσώμεθα, περὶ ὧν λέγεις, ἐάν πως φανερὸν γένηται, πότερον* — (*εἰ*: I, 42. XII, 9. XIII, 82). b) = si, coniunctivus praes. locum obtinet coniunct. aor.[2]) XIV, 12: *ἐὰν .. κολάζητε, οὐδεὶς ἔσται βελτίων* et paulo post: *ἐὰν τιμωρῆσθε, πάντες πεύσονται*, cf. § 13: *ἐὰν .. καταψηφίσησθε, εἴσονται*. Idem XXVII, 9: *ὡς ἐὰν ἀκροᾶσθε, αὐτοῦ*

1) Fra, cum verba: *ἐὰν — τεκμήριον* exterminaret, sententiarum cohaerentiam neglexit. Namque actor demonstraturus est praetores iam in castris Alcibiadi favisse.

2) Iure con. praes. adhibitus est XIV, 8: *τοῦ νόμου κελεύοντος, ἐάν τις ἱππεύῃ, ἄτιμον εἶναι*, quamquam XIV, 5 legitur: *τὸν δὲ νόμον κελεύειν, ἐὰν λίπῃ, .. δικάζειν*. Etenim cum is, qui stationem reliquerit, tum demum puniri possit, cum facinus perpetravit, is, qui contra leges in equitum numero militaverit, inde ab eo ipso momento, quo id commiserit, *ἄτιμος* esto.

ἀποψηφιεῖσθε, XXX, 33: *ἄνδρες ἀμείνους δόξετ' εἶναι, ἐπὰν δίκην λαμβάνητε.*[1])

εἴπερ Usitatissima est formula: *ἐχρῆν* .., *εἴπερ* c. indic. XV, 5: *ἐχρ. γὰρ αὐτούς, εἴπ. ἀληθῆ λέγουσιν, ἀνακαλεῖν μέν*, III, 22: *καίτοι ἐχρ. αὐτόν, εἴπ. ἦν ταῦτ' ἀληθῆ* .. XII, 32, 48. XXII, 12. cf. XIII, 72. — cf. FG: ad XII, 32 p. 224 sqq.

Miscentur variae constructiones XV, 3: *τί δ' ἂν αἴσχιον ἔθος* .. *γένοιτο, εἰ τολμήσει* III, 43. VII, 41. XIII, 94. cf. Bremi exc. VII, FG: ad XII, 83, Roeder p. 17 sq.

Hac exemplorum copia commotus retineo futurum etiam XIV, 25: *ἡγούμενος οὐκ ἂν δύνασθαι* .. *λαμπρὸς γενέσθαι, εἰ μὴ* .. *δόξει*[2]) *εἶναι.* — Quae compositio invenitur XV, 8: *εἰ μηδένα εἴασαν, οὐκ ἂν δικαίως χαρίζοισθε* (v. i.), huius argumentandi rationis ipsius propria est, sicut docet G: in ed. I p. 410 sq.

9) Particulae.

ἄν a) Si quis de XIV § 18 restituenda (v. p. 16 sq.) mecum dissentiat et praeferat: *μηδὲν ἂν δύνασθαι* .. *μηδ' ἂν τὰς* .. *ἀρετάς*, paucis commemoro particulae *ἂν* iterationem ex Lysiae usu esse; Erot. 232[c]: *εἰκότως ἂν τοὺς ἐρῶντας μᾶλλον ἂν φαβοῖο.* Praeterea legitur [XX], 9, 15 et XXXI, 28, quem locum a F[o] recte explicatum esse G (de arg. p. 210, 323 et in ed. p. 360) iure, opinor, negavit. — b) *ἔδει ἄν* XIV, 21: *εἰ* .. *ὅμοιοι ἐγένοντο, οὐδὲν ἂν ἔδει τοῦ στρατηγεῖν*, VII, 22. fr. 88—IV, 13. XXXIII, 4. fr. 79. De XII, 48 sibi repugnant Akenus p. 59 et R, F, La Roche *Ztschr. f. östr. Gymn.* 1882 p. 893.

μή a) Nullo exemplo opus est, ut demonstretur iusto loco hanc particulam poni et in eis enuntiati condicionalis membris, quae arte cum eo cohaerent XIV, 13: *ἐὰν ὁρῶσιν* .. *ὀργιζομένους καὶ μηδεμιᾶς συγγν. τυγχάνοντ.*, 22: *ἐὰν* .. *μηδὲν ἔχον-*

1) XXV, 17: *ἐὰν ἀδικῶ, παραχρῆμα δώσω δίκην* Fra: p. 101 falso huc refert. Nam *ἀδικεῖν* saepissime perfecti vim habet.

2) cf. F, Middendorfius p. 7. — In cod: *δείξει*; idem mendum X, 12 et XII, 53, quamquam hoc loco Kocksius (*krit. u. exeg. Bem. z. L.* cf. *ph. Rdsch.* 1888 p. 370) obsoletam F[i] coniecturam deprompsit.

τες δίκαιον κελεύωσιν et apud ea participia, quae substituuntur pro enuntiatis condicionalibus. XIV, 15: *οἱ μὴ βουλόμενοι,* cf. F. — b) est legitima negatio apud eos infinitivos, qui dependent de verbis impersonalibus XIV, 18. XV, 6 (*δεινόν ἐστιν*), XIV, 4 (*εἰκός ἐστι*), 40 (*χρή*). cf. V, 1. X, 3—XXV, 6—XII, 48. XXV, 14—XII, 26—XII, 31—79. V, 3. Excipitur XXX, 15. cf. F: ad XV, 6. — Si sequitur particula *εἰ,* adhibetur *οὐ* XV, 7: *δεινόν.., εἰ οὐκ ἐπὶ τούτοις ἐστίν.* XXII, 13. XXX, 32—XXXI, 31.

οὐδέποτε, οὐδεπώποτε[1]) XIV, 38: *οὐδέποτ' ἐλθὼν ἐτόλμησε.* XXVI, 20—X, 13. XIII, 49, 60, 75. — XIV, 10: *οὐδεπώποτε ὁπλιτεύσαντες* XII, 19. XIII, 62. XXV, 25.

πώ solet coniungi cum negatione; = dum XIV, 17 *οὔπω,* XV, 5 *οὐδείς πω,* XIII, 26 *οὔπω,* XVI, 3 *μηδέν πω.* cf. FG: ad XIII, 31.

Adhuc paucis vocibus exceptis[2]) ea tantum verba tractavi, quae apud Lysiam redeunt eadem notione ornata pariterque cum aliis composita. Iam venio ad ea, quae quamquam a Lysia aut non aut alia ratione adhibentur, tamen quatenus nobis quidem licet iudicare, ei attribui possunt. Sunt igitur inter *ἅπαξ εἰρημένα*[3]) omnia ea, quae in orationibus nunc amissis repetita esse probabilitate non caret vel quae iterum usurpandi omnino non occasio fuit. Ac primum quidem huc pertinent verba quaedam, quae ad rem militarem spectant: *ἀτακτέω* XIV, 18 cf. Xen. Cyrop. VII, 2, 6. VIII, 1, 22. — *ὁρμάομαι ἐκ* XIV, 27. v. XXXI, 17. [II], 24. — *παρεῖναι* XIV, 5, 6 (bis). cf. F: praef. p. 2 adn. 8 (alio sensu X, 1. XII, 9, 45, 72, 76, 78, 80 etc.). — *προσβάλλω* XIV, 33 (alio sensu: fr. 53, 3). — *ἱπποτοξόται* XV, 5. — *πεζὴ στρατιά* XIV, 6 (bis); [II], 27, 32,

---

1) Discrimen, quod statuit Moeris et probavit Wolfius (ad Lept. p. 313): *τὸ οὐδέποτε ἐπὶ τοῦ μέλλοντος, τὸ οὐδεπώποτε ἐπὶ τοῦ παρεληλυθότος* vanum esse adnotat F: ad I, 17.

2) v. s. *αἰτέομαι, ἀναβαίνω, ἀντιβολέω, ἀπέρχομαι γίγνομαι, δύναμαι, ἀπολογίαν ποιέομαι ὡς, πολιτεύομαι, δυστυχέω* (s. v. *πρός*), *συνεξέρχομαι, ἐκεῖνος, ὅς, ἰσχυρός, περί.*

3) Ad orationes suppositas rationi convenienter non respicio.

34, (49). — *ψιλός* XIV, 14.[1]) — *εἰς τοὐπίσω* XIV, 5, 6 (v. s. *ἀναχωρεῖν* p. 12).

deinde nonnullae voces propriae: *δίδωμι τὴν ψῆφον* XV, 2 v. s. *δίδωμι* cf. F. — *ἐκπέμπω τ. γυναῖκα* XIV, 28. cf. L: *a. Pr.* II p. 511 (*ἐκπέμπω* XIII, 19. XVI, 4) — *ἐξοστρακίζω* XIV, 39 cf. *ἐκκηρύττω* XII, 35, 95 etc. — *ἐπιτειχίζω* XIV, 30. cf. F. — *κατακυβεύω, καταποντίζω* XIV, 27. cf. F.[2]) — *κομίζομαι τ. ὀστᾶ* ibd.[3]) — *περικόπτω τ. Ἑρμᾶς* XIV, 42. — *ποιέω τὰ* (v. R: *JJ.* XCVII p. 600) *μυστήρια* XIV, 43. — *συγγίγνομαι* XIV, 41; [VI], 6, 7. — *πρόπαππος* XIV, 40. — *ἄνηβος, γλάμων* XIV, 25.

denique haec singula vocabula: *οὐδὲν διαφέρει* (inf.) *ἤ* (inf.) XV, 4 v. i. — *προπηλακίζω* XV, 6—[IX], 4 v. i. — *ἐπιφανής* XIV, 12. cf. *περιφανής* III, 39. XVI, 8. XXII, 11. *ἐμφανής* IV, 11. — *εὐτυχής* XIV, 18. cf. *εὐτυχίαι* XVIII, 19 (de plur. numero v. F: ad XIX, 35).

ἀκοσμέω cf. FG: ad XII, 20. XIV, 12. XV, 9. Tribus locis XIV, 12: *ἵνα τοὺς ἄλλους τῶν ἀκοσμούντων σωφρονεστέρους ποιῆτε,* 13: *καὶ μηδεμιᾶς συγγνώμης τοὺς ἀκοσμοῦντας ἐν τῷ πολέμῳ τυγχάνοντας*; 21: *οὗτοι τοὺς ἀκοσμοῦντας σώζειν πειρῶνται* voce *ἀκοσμεῖν* significantur ei, qui malos cives — nam etiam ignavi milites mali sunt cives — se praebent. Apud Lysiam adiectivum solum scriptum est III, 45: *δόξας ἀκοσμότατος εἶναι καὶ πονηρότατος,* ubi propter alterum adiectivum evitabatur infinitivus *ἀκοσμεῖν.* Ei autem, qui bonis moribus sunt, eisdem adiectivis ab utroque notantur a) *κόσμιος*: XIV, 29. (cf. XV, 9.) VII, 41. XII, 20. XXII, 19. XXVII, 7. cf. XVI, 18, 19 — coniungitur haec vox cum *σώφρων*: XIV, 41—XIX, 16. XXI, 19. cf. I, 26. XXVI, 3—[VI], 54. XIX, 54. — b) *βελτίων*: XIV, 2, 12 (bis)—III, 4. XVI, 2, 17. XXVIII, 15. XXX, 23.

ἀνακαλέω XV, 5: *ἐχρῆν αὐτοὺς ἀνακαλεῖν Πάμφιλον.*[4])

---

1) Hamaker (p. 12) VII, 6 pro *φίλων* coniecit *ψιλῶν*; falso.

2) In genuinis orationibus non minus quam undequadraginta verba legi, quae cum praepositione *κατά* composita sunt.

3) Utrum hoc in enuntiato particula *ἄν* delenda an servanda sit, non ausim diiudicare. cf. Heldm. p. 29 sq. et Roe: *Z. f. G.* 1877, 2.

4) Tenendam esse puto codicis scripturam, quod si Marklandi con-

Verbum ἀνακαλεῖν apud Lysiam non legitur[1]; sollemne est medium, quod exstat apud Pseudolysiam [VI], 49: *ποῖα ἁμαρτήματα ἀνακαλεσάμενος*, [IX], 7: *οἱ ταμίαι ἀνακαλεσάμενοι τοὺς παραδόντας τὴν γραφήν.* Tamen activum satis defenditur And. I, 45: *ἀνακαλέσαντες οἱ βουλευταὶ τοὺς στρατηγούς.*

ἀναλογίζομαι XIV, 47: *καὶ τὰ εἰρημένα καὶ τὰ παραλελειμμένα ἀναλογισάμενοι* (= computare). Est ἅπαξ λεγόμενον in sylloge Lysiaca; verum cum apud Lysiam non modo simplex verbum *λογίζομαι* (XIX, 9, 50. XXXII, 21, 24, 26, 28. fr. 60), sed etiam composita *προσλογίζομαι* (XIX, 44), *συλλογίζομαι* (XXXII, 22), *ὑπολογίζομαι* (Erot. 231ᵇ) reperiantur, iure sumas ne *ἀναλογίζομαι* quidem ab eius dictione abhorrere, praesertim cum significatio propria et ad sententiam accommodata insit.

ἀναφαίνομαι XIV, 11: *ἐάν τις.. ἐν τοῖς ἱππεῦσιν ἀναφανῇ.* Quis non meminit loci gemelli XVI, 15: *ἑτέρων ἀναδυομένων ἐγὼ διεπραξάμην ..*

διαλαμβάνω XIV, 4: *τοὺς νόμους* (= interpretari). X, 13 dicitur simplex: *λαμβάνειν τοὺς νόμους.* At cum ea notio, quae illic in *διαλαμβ.* inest, exemplo Platonico (cf. F) satis confirmetur, haud scio an Lysiam praeter *λαμβ.* etiam voce composita usum esse is crediturus sit, qui consideraverit permulta verba esse in genuinis orationibus, quae nullo significationis discrimine modo simplicia modo cum praepositione conglutinata usurpentur. En exempla: *αἰσχύνω* (= stuprare) I, 32 etc. = *καταισχύνω* I, 49; *ἁμαρτάνω* et *ἐξαμαρτάνω* v. p. 11, *δοῦναι χάριν* XXI, 17 = *χάριν ἀποδοῦναι* (exempla attuli p. 13). — *ἐθίζω* (XIV, 31) XII, 17, 38 etc. = *συνεθίζω* I, 10. — *ἐλέγχω* VII, 37, 42. XIII, 72. XXV, 14 = *ἐξελέγχω* XII, 31. XIII, 30. XXV, 5. — *εὑρίσκω* I, 23, 43. XXXII, 26 = *ἐξευρίσκω*, passim. — *λείπω* XXXIV, 9 = *ὑπολείπω* XVII, 6 etc. — *μιμνήσκω* XVIII, 26. XXI, 9 = *ἀναμιμν.* I, 17. XXXII, 18. = *ὑπομιμν.*

---

lectura (*ἐγκαλεῖν*, cf. fr. 16, 2, fr. 27) comprobatur, duplici eaque gravi mutatione opus est.

1) Nam fr. 71: *ἀνακαλοῦντες συγγένειαν εὐμένειαν* caret sensu atque est orationis dubiae authentiae (*ὑπὲρ Νικίου*, cf. B: p. 447 sq.).

XXVI, 16. — *στερέω* VII, 41. XIX, 1, 7, 9 (bis). XXI, 11, 25. XXXIV, 9. fr. 78, 4 = *ἀποστερέω* XXI, 24. XXXIV, 5, 8 etc. — *τολμᾶν* passim = *ἀποτολμᾶν* VII, 28. — *πᾶς* passim = *ἅπας* = *σύμπας* XIX, 59. Ac ne offendas, quod *διαλαμβ.*, cum hic tralaticio sensu usurpetur, XII, 8 propria vi dicitur (*διαλαμβ. τὰς οἰκίας* = dividere cf. *διανέμειν* XIX, 37), relego ad *διαμάχεσθαι*, quod XXXIV, 9 — XXXI, 33. [II], 12, 17 proprie (= pugnare), IV, 1 per translationem (= negare) adhibetur.

ὑπερβολὴν ποιέομαι XIV, 38: *ὑπερβολὴν ποιησάμενος τῆς προτέρας πονηρίας*. Eadem significatione 'superandi' *ὑπερβάλλειν* Erot. 232c: *χρήμασιν αὐτοὺς ὑπ.*, XXII, 8 (pertinet ad mercaturam); sed *ὑπερβολή* c. genet. obiect.[1]) etiam XIII, 52: *ὧν μὴ οἷόν τε γενέσθαι ἐστὶν ὑπερβολήν* reperitur et *ποιεῖσθαι* in simplici translatione saepissime adhibitum esse ostendit Carelius p. 16.[2]) Praeterea cf. A: p. 48.

ἀρεστός XIV, 15: *τἀρεστὰ ὑμῖν αὐτοῖς αἱρεῖσθαι*, XIX, 13. XXX, 21 *ἀρέσκω*; adiectiva autem verbalia in *-τός* desinentia[3]): *συμμικτός* XIX, 27, *ἀνεκτός* XXII, 20.

Haec igitur satis defendi posse puto. Mirum autem est, quod nonnulla verba cotidiano usu trita, quae in XIV. et XV. orationibus inveniuntur, non redeunt in Lysiacis. Sunt in XIV: *εἰσηγέομαι* § 35, *ὄφελος* § 11, *ἀγνώς* § 12—[VI], 6, 30, *χρήσιμος* § 43, *πλεονάκις* § 30, *οὐχί* § 16; [VI], 27.[4]) — in XV: *ἔθος* § 3; [II], 81. [VIII], 19. XXXI, 11.

Postremo ea tractanda sunt, quae a Lysiae genere dicendi manifesto discrepant.

---

1) De genet. obiect. apud Lysiam cf. FG: ad XXV, 11.

2) Neque alii loci desunt, quibus Lysias circumlocutionem praetulerit: *ἔξαρνον εἶναι, γίγνεσθαι* (III, 27. XXXII, 20 — *ἀρνηθῆναι* IV, 1 (bis). XXII, 18) *ὑπόλοιπον εἶναι* (XIX, 8 — alioquin *ὑπολείπεσθαι*), *ἐπιθυμηταὶ ὄντες* (XII, 90), *τιμωρὸν γίγνεσθαι* (XVIII, 10), *τιμωρίαν κομίσασθαι παρά τινος* (XII, 70), *ἀκόλουθον εἶναι* (fr. 67).

3) De eis, quae in *-τέος* determinantur, egerunt Funkius Rh. M. XXXIII p. 620 et Schulzius quaest. gramm. ad or. att. spect. Bautzen 1889 p. 2 sqq.

4) Etenim quod alia quoque vocula in *-ι* demonstrativum exiens (*ἐντευθενί*) uno loco (XIII, 67) legitur, propterea probe non conferas, quod vocabuli *οὐχί* adhibendi multo crebrior facultas erat.

1) in or. XIV.

a) § 1: *ἀκούω παρά τινος* v. s. *ἀκούω*. *b)* § 15: *ἀπολιπεῖν τὰς τάξεις* (§ 5, 21: *λιπεῖν τ. τάξιν*). Ut omittam scriptorem hic de elocutione sollemni (*λιπεῖν τὴν τάξιν*) recedere, Lysias verbo *ἀπολιπεῖν* tribus locis utitur; I, 15: *ἐμοῦ πολὺ ἀπολελειμμένου τῶν ἐμαυτοῦ κακῶν* (= nulla suspicione malorum meorum mihi exorta cf. F.), XII, 84: *δίκην ἀπολιπ.*, fr. 64: *οἱ μὲν συγγενεῖς παρεγένοντο, μόνος δ' ἀπελείφθη.*[1]) *c)* § 42: *ἀσεβέω περὶ* c. acc. — [VI], 4, 11, 17. Lysias *ἀσεβεῖν* absolute dicit XXX, 17: *ἀσ. καταλύων τὰς θυσίας* et si quidem hoc licet conicere ex ea ratione, qua similibus verbis utitur, eum non *περί*, sed *εἰς* adpositurum fuisse probabile est. Similia autem verba sunt: *ἐξαμαρτάνειν*, *ὑβρίζειν* (v. haec verba), *παρανομέω* (III, 17). *d)* § 14: *ἐν ταῖς πόλεσι καταμείναντες ἐθεραπεύοντο ἄν* — XXXI, 18: *κατέμειναν ἐν τοῖς δήμοις*. Lysias autem simplici verbo utitur[2]): XVIII, 19. XXV, 1. XXVI, 16 (ter): *οἱ ἐν ἄστει μείναντες* = qui in urbe remanserant; XXX, 26: *αὐτοῦ μένων* (cf. F).[3]) *e)* Verbum *φιλοτιμέομαι*[4]) (= gloriari), quod Lys. vel absolute usurpat (XXI, 22. Erot. 232ᵃ) vel cum *πρός* coniungit (XXIX, 14. Erot. 234ᵃ, v. ea, quae sub hac praepositione explanavi), in XIV. or. quater occurrit ac variis constructionibus: c. *ἐπί* c. dat. XIV, 35, 42, c. acc. XIV, 2 (lectio dubia, v. p. 9 sq.), c. *ὅτι* XIV, 21. *f)* *ὁ ἄλλος χρόνος* cum et apud Lysiam (I, 6. III, 20. VII, 4)

1) Praeterea W° auctore legitur XXXII, 13: *τὸν βίον ἀπολιπεῖν* (cod. *καταλιπεῖν*). Sed scriptura dubia est. — XIII, 27 (*οὐ πατρίδα ἂν .. ἀπέλιπες*) et XXV, 18 (*οὐδεὶς τῶν πολιτῶν ἀπὸλειφθήσεται*) Lysiaco usu loquendi postulatur illic *κατέλιπες* (ibd., paulo ante), hic *ὑπολειφθήσεται* (XVII, 6). (*ὑπό* et *ἀπό* ab eodem librario confusa sunt XXV, 11). — Denique affero: [XX], 23, 25.

2) Ea ratio, quam de *λαμβάνειν* et *διαλαμβάνειν* inii, hic abicienda est, quoniam numerus locorum, qui in promptu sunt, maxime differt.

3) Simile discrimen inter haec duo genera dicendi interesset, si cum verbis *οἴκαδ' ἀπελθόντες* (ibd.) comparare liceret *οἴκαδ' ἐλθών* I, 18, 22. X, 25. XXXII, 26. Verum diversi sunt loci, quia illic notio abeundi, hic perveniendi urgetur.

4) *φιλότιμος* XVI, 18, 20. XIX, 23. XXVI, 3; *φιλοτιμία* XIX, 56.

et semel in nostra or. (§ 10) exprimat tempus praeteritum, in § 4 (*οὕτω καὶ τὸν ἄλλον χρόνον ἡ πόλις αὐτοῖς χρήσεται*) de futuro tempore dicitur, cuius rei exemplum in genuinis orationibus non repperi. *g*) vox *ἔνοχος* a Lysia semper cum dativo consociatur. Dativo autem significatur: *α*) poena VII, 37: *οὐδεμιᾷ ζημίᾳ ἔν.* *β*) actio III, 4: *ἔν. εἰμι, οἷς Σίμων διωμόσατο*, XIII, 85: *ἔν. ὧν τῇ ἀπαγωγῇ*, X, 22: *ἔν. ὧν τ. αἰτίᾳ.* *γ*) crimen ipsum XXIII, 12: *ἐνόχους καταστῆσαι τοῖς βιαίοις.* In *α*) et *β*) congruit consuetudo loquendi scriptoris or. XIV.; dicit enim § 9: *πάσαις ταῖς κειμέναις ζημίαις ἔν.* et § 7: *τῷ νόμῳ ἔν.*, § 47: *τῇ γραφῇ.* Eo autem magis mirandum est, quod crimen in genetivo, non in dativo collocat[1]) § 5: *οὐδεὶς ἔνοχος λιποταξίου οὐδὲ δειλίας*, id quod etiam apud ceteros scriptores rarissime legitur. (cf. Ignatius de Ant. Rhamn. eloc. 1882 p. 2 et Hoeckius, censor illius, *phil. Rdsch.* 1883 p. 1160 sqq.) Similiter *ζημιοῦσθαί τινος* VII, 5. *h*) § 2: (*ἁμαρτήματα οὐκ*) *ἐλπίδα παρέχοντα, ὡς . . ἔσται.* Si elocutionem *ἐλπίδα παρέχειν* ita defendas, ut p. 33 feci, tamen monendum est Lysiam similia verba, in quibus vis sperandi inest, plerumque cum infinitivo componere: *ἐλπίζω* III, 2. VII, 39. XII, 70. XXV, 11, 24 etc., *προσδοκάω* VII, 39. XIX, 53. XXV, 22. XXVI, 7[2]) — (*ἐλπίς ἐστι* et *ἐλπίδα(ς) ἔχειν* v. p. 23, 33). *i*) § 2: (*ἁμαρτήματα*) *εἰς τοσοῦτον κακίας ἀφιγμένα* v. s. v. *τοσοῦτος.* *k*) § 35: *ἃ πονηρῶς ἔχει τῶν πραγμάτων.* Ut paucis locis vox *πονηρός* dicitur de rebus (XXIV, 9 si S[i] scriptura probatur alicui; sed cf. F), ita locutionem illam vel quicquam simile in Lysiae orationibus non legi.

Admodum dubitanter profero unum locum § 7: *καταλεγεὶς ὁπλίτης* (v. exc.). Proprie enim dicitur *καταλέγειν τινὰ εἴς τινας* vel *εἴς τι*: XXV, 16 *εἰς τὸν κατάλογον οὐδένα καταλέξας* et similiter XV, 7: *ὅντινα βούλονται εἰς τοὺς ὁπλίτας κ.* Igitur

1) Commutatio constructionis per se non mira est. E. gr. XXIV, 13 primum *ἀφαιρεῖσθαί τινός τι*, deinde *ἀφαιρεῖσθαί τινά τι* dicitur (item XXXI, 19), XXV, 13: *ἐνθυμεῖσθαι* c. acc., § 21 c. genet.

2) Quamquam concedo infinitivum a locutione illa aptum duriusculum visurum esse.

passive, nisi immutatur constructio — velut: XVI, 13 *κατειλεγμένος ἱππεύειν* vel XXX, 8: *τῶν πεντακισχιλίων* (cf. F: adp.) *κατελέγην* (cf. *κληροῦσθαι τῶν ἀρχόντων* XXIV, 13) vel XXXII, 5 absolute: *καταλεγείς* — dicendum est: *καταλέγεσθαι εἰς τοὺς ὁπλίτας*, quod revera legitur XV, 11. Nec tamen illud contra rationem pugnat multisque exemplis confirmatur. cf. [IX], 4: *κατελέγην στρατιώτης*.

2) in or. XV.

a) de *ἀπιέναι* (§ 10) iam disserui p. 13. — *b*) § 5: *ἐπιβάλλειν τῷ φυλάρχῳ*. Mirum est accusativum *ἐπιβολάς*, qui adseri solet (XXX, 3. [XX], 14), omissum esse. Idem [IX], 6. — *c*) § 9: *ὑπὲρ τῶν παρεληλυθότων ὀλίγους τιμωρησάμενοι*. Lysiam praepositione *ὑπέρ* non causam, qua commotus aliquis alium ulciscitur, sed eos, qui pro aliis vindices exsistant, adnectere apparet ex XII, 35 [1]), 94. XIII, 74. XXV, 5 (cf. *τιμωρεῖν* XIII, 1, 51, 92, 94—41, 42, 92 et *κινδυνεύειν* v. F: ad XXIV, 25 adp.). Quod, cum *τιμωρεῖσθαι* Lysias maxime in deliciis habeat, praedicandum est, quamquam idem usus praepositionis illius statuendus est apud verba *τιμωρίαν ποιεῖσθαι* (XXX, 6), *δίκην δοῦναι* et *λαβεῖν* (cf. F: ad I, 35 adp.), *αἰσχύνεσθαι, ἀπολογεῖσθαι, ὀργίζεσθαι* (v. p. 9 et 13), *ἄδεια* (cf. G: ad XII, 85 et XXV, 28). — Neque aliter iudices de § 12: *Ἀλκιβιάδην ἐχθρὸν ἐμαυτοῦ ὄντα τιμωρούμενος*, quo loco causa ulciscendi participio exprimitur. — *d*) *τάξις* est in genuinis orationibus aut manipulus: XIII, 82. XVI, 16 (bis). (cf. *φυλή* XIII, 79) aut statio: fr. 90; item XIV, 5, 11, 15, 21. XV, 11. XXXI, 28. Quare mirum est, quod § 5: *ἄκυρον ἐποίει τὴν τούτων τάξιν*, subito imperium praetorum significat (cf. F). *e*) § 1: *τῶν στρατηγῶν δέομαι κοινοὺς* (in cod. X *κοινωνούς*) *εἶναι τῷ τε διώκοντι καὶ τῷ φεύγοντι*. — Vocem *κοινός* Lysias nunquam hac notione (= incorruptus, sine ira ac studio) induit. [2])

1) Nisi forte opus est Marklandi *τιμωρουμένους* cedere F[1] coniecturae *διατεινομένους*. cf. G: ed. p. 230. In cod. *τηρομένους*, quod Kockaium falso servasse docet Heldm: *Ph. Rdsch.* 1888 p. 370.

2) Immo semper idem est ac 'communis'. V, 5—XIII, 48—XIII, 95. XXII, 19. XXIV, 22. XXV, 19. XXXIII, 6. fr. 53, 4. Erot. 232[b].

Quemadmodum ille hanc sententiam exprimat, perspicitur e XIX, 2 [1]): *αἰτήσομαι ὑμᾶς δίκαια καὶ ῥᾴδια χαρίσασθαι, ἄνευ ὀργῆς καὶ ἡμῶν ἀκοῦσαι ὥσπερ τῶν κατηγόρων* vel fr. 88: *δίκαιον ἀμφοτέρων τῶν ἀντιδίκων ἀκούσαντας τὴν περὶ τοῦ δικαίου ψῆφον φέρειν.* *f*) de verbis *πᾶσαν προθυμίαν ἔχειν* v. i.

Hic primum caput finitur. Videmus autem, ut summam disceptationis meae faciam, copia, usu, constructione verborum scriptores or. XIV. et XV. et Lysiam in universum convenire. Etenim non modo multae voces, quas L. in deliciis habet, in utraque vel altera oratione reperiuntur [2]), velut (*ἐξ*)*αμαρτάνειν, ἐνθυμέομαι, προστάττω, σκέπτομαι, τιμωρέομαι, ψηφίζομαι, παράδειγμα, αἴτιος, βελτίων, δεινός, περί, οὐ μόνον—ἀλλὰ καί, καὶ μὲν δή, καίτοι, τοίνυν,* sed etiam omnes coniunctiones et particulae — quod argumentum non ita parvi momenti haberi solet — eodem modo usurpantur. Quaeritur igitur, num eae discrepantiae, quas suis locis notavi, si per se spectantur, tantum valeant, ut propter earum gravitatem et auctoritatem authentia in dubium vocanda sit. Quam rem si quis diiudicaturus est, tria ei deliberanda sunt: unum quod iam dixi, orationes illas in lite habitas esse, cui inter superstites nec Lysiae nec alius oratoris ulla oratio destinata est. Alterum

1) Quamquam non ignoro hunc locum e prooemiorum sylloge sumptum esse. cf. F: praef. ad XIX p. 94 adn. 67.

2) Sed ne huic rei nimium pretium tribuas, cavendum est. Nam in or. [VI] praeter *ἁμαρτάνειν* et *παράδειγμα* omnia illa verba occurrunt. Omnino e delectu et numero verborum, quae in certa oratione Lysiae insunt, nihil colligi potest, quo origo genuina confirmetur aut labefactetur. Quod duabus illustrissimis orationibus quae simul eiusdem fere amplitudinis sunt, comparatis demonstrabo. Exstant enim *ἀξιόω* in XII: 7×, in XIII: 1×; *ἀπογράφω* in XIII: 18×; *βοηθέω* in XII: 4×; *βούλομαι* in XII: 19×, in XIII: 13×; *ἡγέομαι* in XII: 12×, in XIII: 4×(5×); *ἐξαμαρτάνω* in XII: 9×, in XIII: 1×; *πάσχω* in XII: 11×, in XIII: 3×; *προσήκει* in XII: 1×, in XIII: 9×; *προστάττω* in XII: 6×; *σκέπτομαι* in XII: 2×; *τιμωρέω* et med. in XII: 4×, in XIII: 20×; *χρή* in XII: 14×, in XIII: 3×; *αἴτιος* in XII: 4×, in XIII: 16×; *πᾶς, ἅπας* in XII: 16×, in XIII: 40×; *καὶ μὲν δή* in XII: 4×; *οὖν* in XII: 12×, in XIII: 24×; *τοίνυν* in XII: 6×, in XIII: 16×.

est, quod ea verba, quae peculiari loco sub unum conspectum subieci, vere attica et nativo sensu usurpata nec prisca sunt.[1]) Tertius est locus, qui ducitur ex proprietate orationum Lysiacarum. Neque enim eum, qui huic rei operam navarit, effugiet Lysiam neque orationem suam tantas in angustias compulisse, ut de ea structura, qua plerisque vel omnibus reliquis locis uteretur, non uno duobusve locis recederet[2]) neque id curavisse, num ea verba, quae adhiberet, apud se ipsum aut alium scriptorem repeterentur.[3]) Facile autem cognoscitur inter orationum suspectarum *ἅπαξ λεγόμενα* quid a Lysia profectum sit, quid non, certo dici nequire.

His igitur omnibus consideratis eo deducor, ut censeam discrepantias illas, si praeterea in or. XIV. et XV. nihil offensionis inveniatur, tolerari posse, sin autem alia accedant, quae a Lysiae usu loquendi abhorreant, opus esse suspicionem, si forte de authentia suscitetur, confirmari et augeri.

---

1) Cum id aut statim per se intellegatur aut a F° exemplis demonstratum sit, ipse similes locos non protuli. Ceteroquin, ut hoc interponam, utilissimum est de his quae praecedunt et quae sequuntur rebus inspicere Rehdantzii indices locupletissimos (Dem. 9 *phil. Red.* [2]1874 p. 155 sqq.).

2) Sescenta sunt exempla; ut paucis acquiescam XVII, 4: *παντὶ εὐγνωστόν*; ceteris locis, qui similes sunt, pluralis *πᾶσι*; XVII, 10: *ἀποδείκνυμι ὅτι*, alioquin *ὡς*; I, 17. XII, 70: *ἐνθυμέομαι ὡς*, alioquin *ὅτι*; X, 1 de *δοκῶ μοι* aptus est inf. c. acc.; XXVI, 2 *ἐξελαύνειν* praepos. *ἐκ* caret, cum reliquis locis sicut apud cetera huiusmodi composita *ἐκ* iteretur; XIII, 44 genet. partit. more Herodoti et imprimis Thucydidis attributi instar collocatur (cf. ODiener diss. Lips. 1889); XXV, 8 pro sollemni oppositione *ὀλιγαρχικός* et *δημοτικός* (XXVI, 15) ponitur *δημοκρατικός*; XIII, 12 *ἐν προφάσει*, XXIV, 1 *ἐπὶ προφάσεως*, ceteris locis *ἐπὶ προφάσει*; XIII, 58 *τὸ ἐπ' ἐκεῖνον εἶναι*, *ἐπ' ἐκείνῳ* VII, 16. XII, 26, 33. XIII, 46.

3) Aliquot exempla enumerant Gleiniger: p. 172 et B: p. 409. Adde *πράττειν περὶ πραγμάτων* XIII, 18, *νουμηνιαστής* et *κακοδαιμονιστής* fr. 53, 2, *ἀγῶνα συναγείρειν* XXXIII, 1, *ἀγαθόν τι πρᾶξαι τῇ πόλει* XIII, 48, *τοιαῦτα τὸ μέγεθος* XII, 1 (*τηλικαῦτα τ. μ.* XXVI, 23), multa alia.

Caput alterum.

De compositione verborum.

De periodorum structura.[1])

Quam partem nunc eo aptius sequi propterea credo, quod eis rebus, quas modo explanavi de verborum singulorum usu et significatione atque de elocutionum natura et ratione, aliquid demonstratur enuntiatorum compositionem in or. XIV. et XV. similem esse atque in ceteris orationibus (cf. B: p. 493). Hanc ratiocinationem nunc paulo accuratius comprobabo.

Ac primum quidem scriptor or. XIV. miscuit sicut Lysias dictionem *εἰρομένην* et *κατεστραμμένην*. Exemplo sit prooemium. Primum enuntiatum quamquam caret rhythmo, quod inter singula membra nulla est ratio, particula *μέν* cum alio coniungitur. Sed priusquam id sequatur, ea quae praecedunt, confirmantur enuntiato periodico. Est autem circuitus trimembris. Verum ne nunc quidem adseritur supplementum illud, immo quae dixit orator, eis denuo argumentum opus est. Iterum igitur particula *γάρ* enuntiatum introducitur, cuius finis continet ambitum simplicem. Tum tandem ea sequuntur, quae primo enuntiato respondent (cf. X, 1 sq.: *μέν—γάρ—γάρ—δέ*; XXV, 15: *τοίνυν—γάρ, ὥστε, εἰ—γάρ*). Simili modo § 3 composita est: *περὶ μέν—καὶ γάρ—ὅσα δέ*. Et sic porrigitur oratio. Constat autem id ipsum Lysiae proprium esse miscere inter se enuntiata periodis conclusa et quae non certa verborum descriptione determinentur. Quod etiam in or. XIV. cadere optime apparebit, si § 25—28 cum § 12 sq. contulerimus. Ut enim Lysias adamat in narratione, ubi fieri potest, parvulis enuntiatis dissolutis uti, ita in illa parte or. XIV., quam narrationem quandam duxeris, verba sic comparata videmus, ut aut singulae sententiae, singulis enuntiatis expressae iuxta se ponantur et simplicissimis particulis conectantur, aut si

1) cf. Bernhardtius *Begr. u. Grdf. d. gr. Per.* 1854, Dissenius in Dem. de corona or. ed. praef., Bellingius de period. Antiph. symm. 1868, B: p. 133 sqq., 416 sqq.

compluria incisa exstant, ea laxe coniungantur et rhythmo certo careant (cf. B: p. 420 sq., Gevers p. 37). Contra epichirema illud magna cum arte compositum est. Primum legitur periodus bimembris, cuius membrum prius superatur alterius longitudine (*ἀλλ' ἵνα . .*); sequitur deinde ambitus simplex, qui tamen, tanquam consulto periodorum cumulatio primo evitetur, enuntiato causali segregatur ab altero tripartito. Cum his particula *τοίνυν* enuntiatum coniungitur, quod dividitur in duos circuitus ita quidem, ut membra posteriora bipartita ideoque longiora sint (*ἐὰν — οὐ μόνον, ἀλλὰ καί — καὶ ἡγήσονται — ἐὰν ὁρῶσιν ὀργιζομένους — τυγχάνοντας*).

Sed quamquam omnes periodi ad Lysiacam construendi rationem accommodatae et inter eas perinde atque in genuinis orationibus frequentissime bipartitae usurpatae sunt, tamen unum notandum est, quod non minus ab arte Lysiae disiunctum quam indoli or. XIV., quae infra magis apparebit, congruum est: magna, ne dicam nimia comprehensionum copia. Nam continetur in omni fere paragrapho unus, in permultis duo tresve circuitus, qui saepius inter se conectuntur, ut si quis omnia huiusmodi exempla proferre velit, ei tota oratio laudanda sit. Qua re or. XIV. exit e numero earum, quibus propter genus litis attribuenda est, privatarum et transit ad eas, quas solas Lysias tot et tam accurate descriptis periodis adornavit: orationes dico in causis publicis habitas. (cf. Carel. p. 23). Est autem conspicua, huius discrepantiae natura; procreatur enim studio splendorem quandam ac nobilitatem adsciscendi.

In or. XV., de qua nunc agam, toto caelo periodorum structura differt. Longe enim plurimis locis scriptor incisum ad incisum, enuntiatum ad enuntiatum adponit neque ullam rationem habet subtilioris singularum partium copulationis. Nisi quater argumentatio ex contrario adhiberetur, in duodecim paragraphis sex comprehensiones legerentur atque eae simplicissimi generis. Is igitur, qui hanc orationem composuit, artis sententias in orbem redigendi et cum elegantia disponendi plane ignarus fuisse videtur. Atque ea suspicio augetur, si

initium orationis contemplamur. Tantum enim abest, ut id more Lysiae maiore cum diligentia compositum sit, ut cumulus praedicatorum, subiectorum, obiectorum, participiorum exstruatur et uno tenore per duas paragraphos porrigatur. Quid mirum, quod etiam perspicuitas idcirco periit? (v. i.) Hoc vitium nonne facile evitatum esset, si auctor scripsisset: *ἐνθυμεῖσθαι γὰρ χρή, ὅτι, εἰ . . ἐδέοντο, σφόδρ' ἂν ἠγανακτεῖτε, ἡγούμενοι . . .*

Videmus igitur or. XV. ab altera valde discrepare periodorum constructione et elaborare nimia subsidiorum rhetoricorum abstinentia, quae non simplicitas, sed egestas nuncupanda sit.

Adiungenda sunt hic tria, quae ad periodorum structuram pertinent. Quorum primum est

ratio, qua sententiae inter se conectuntur.

Cum autem scriptores eisdem particulis utantur quibus Lysias et de plerisque earum iam in capite primo actum sit, nunc breviter eos locos enumerabo, quibus nexus efficitur pronomine relativo vel particula *δέ* vel *καί*.

a) pron. relat. *ὧν χρὴ μεμνημένους* XIV, 15. VII, 42—III, 47. X, 32. XVIII, 25. XXV, 13. cf. FG: ad XXV, 13; *ἧς ἄξιον* XIV, 23. XII, 85. *ἀνθ' ὧν* XIV, 30. cf. Leb: p. 80, Th: p. 28.

b) part. *καί* XIV, 29 (cum indignatione cf. G: de arg. p. 265), 38 (bis; *κ. οὕτω* etiam I, 31; ceteris locis *οὕτω δέ* cf. ibd. p. 333), 47; apud Lysiam sescentiens; v. etiam p. 68.

Memorabilis est transitus in XIV, 30: *ὑβρίζειν πειρᾶται καὶ ταῦθ' υἱὸς ὤν.* Legitur haec formula c. ptcp. praeter [VIII], 3, 6, 14. ([IX], 8) (cf. Kirchn. p. 14) etiam XXX, 22. Mihi igitur, quippe qui or. XXX. Lysiae attribuendam esse arbitrer, hic locus satisfacit; sed ne ei quidem qui contra me faciunt, eis verbis authentiam impugnare debent. Etenim haec ratio transeundi, satis simplex et idonea, probe accommodata est ad Lysiae indolem nec potest negari eam locutionem hic elegantiae cuiusdam speciem prae se ferre et suo loco positam comparere. Quod omnes sensuros esse puto, qui or. VIII. locos contulerint.

c) part. δέ α) praemittitur verbum; δοκεῖ δ. μοι XIV, 4. XII, 14. XXIV, 9; de ἐνθυμεῖσθε δ. XIV, 14 et ἐνθυμ. δ. χρή XIV, 11 v. s. ἐνθυμέομαι; σκέψασθε δ. XIV, 6. XV, 5. I, 39, 43. σκέψασθαι δ. χρή XIV, 41. XXV, 28. προσήκει δ. XIV, 24. XIII, 92. fr. 89 (rara est formula). χρή δ. XV, 10. XXII, 20. XXV, 24. — De XIV, 11, 16, 17, 20, 23, 31. XV, 7. v. p. 68. — Participium praegreditur particulae δέ XIV, 16 et 27. Constat Lysiam hoc vinculum sententiarum valde adamavisse. E. gr. in or. XIII. id adhibuit in 19 §§. cf. Gevers: p. 39. — β) aliud verbum; XIV, 26, 27 (ὁ δέ). — Tertio loco haec particula collocatur, quia duo prima verba tanquam in unum coaluerunt XIV, 26: μετὰ Θεοτίμου δ., 27: οὐ πολλῷ δ. χρ. Quod saepe fit apud Lysiam [1]) X, 4 ἐξ ὅτου δ., XII, 74 μετ' ἐκεῖνον δ., VII, 7 οὐ θαυμαστὸν δ., XII, 59. fr. 75, 6: οὐ δυνάμενος δ. — De XIV, 5, 19, 26, 27, 28. XV, 3 nihil est, quod moneam.[2])

Non minus quam in fronte Lysias in calce enuntiatorum participia ponere solet, atque id ut causas et cogitata personarum melius describat [3]) et periodum sententia secundaria affixa elegantius absolvat (cf. St 1 p. 506, Th: p. 32). In eis orationibus, de quibus agitur, idem studium apparet: XIV, 4. XV, 9 εὖ εἰδότες, XIV, 10 δεδιότες, XIV, 25 μιμούμενος καὶ ἡγούμενος, 28 φάσκων, XV, 1, 4 ἐνθυμουμένους, XV, 2 ἡγούμενοι. — In XIV, 42 coacervantur quattuor participia: πολιτευόμενοι — διακείμενοι — ἀπεχόμενοι — γεγενημένοι. Sed hoc

---

1) Propter oppositionis aequabilitatem haec inversio, ut ita dicam, usurpatur: VII, 4. XXII, 4 (Heldmanno p. 2 uterque locus ideo offensioni est). XII, 6. XVI, 18. XXV, 17, 22. fr. 53, 2 — I, 42. XIII, 85. XVI, 10. Erot. 232[d].

2) Desunt igitur sicut in aliis orationibus haece transeundi formulae: ἀλλὰ γάρ: FG: ad XXV, 17, ἀλλὰ καί: id. ad XII, 86, ἔτι δέ: Leb: p. 74 (adde XXI, 2), Pretzsch: p. 32, ἔτι τοίνυν: FG: ad. XXV, 15, Roed: p. 11, ἀλλὰ μήν: Schep. p. 15 (adde [XX], 11), καὶ γάρ τοι: St 2 p. 119, Karlowa p. 4.

3) Ingeniose Otfr. Müller (*Litgsch.* [2] II p. 378 adn. 1): '*die Begründungssätze und Participien pflegt L. anders wie bei Thucyd. dem Hauptsatze teils voraus, teils nachzuschicken; z. B. die äussern Umstände voran, die subjektiven Gründe nach.*'

offensioni non esse ex eis exemplis elucet, quae Ri: p. 19 sq. congessit [1]): XVIII, 19. XXXI, 2—VII, 41. XIII, 15.

Iam me converto ad consuetudinem vere Lysiacam, quam etiam in XIV. et XV. orationibus observamus. Foe. enim animadvertit (obs. p. 8 sqq. et comm. crit. p. 27) Lysiam multis locis, ut orbem quendam verborum et concinnitatem enuntiati membrorum efficeret, non acquievisse in una voce, cuius notio ad omnia incisa pariter pertineret, sed cumulavisse synonyma, ut membro cuique attribueret praedicatum proprium, licet eadem significatione praeditum sit.

Qua de re post Foe. tam multi [2]) egerunt, ut exempla ex orationibus aliis proferre supersedeam. Praebeo igitur or. XIV. et XV. locos; XIV, 13: *οἱ σύμμαχοι αἰσθήσονται καὶ οἱ πολέμιοι πεύσονται*, 14: *οἱ μὲν.. ἐθεραπεύοντο, οἱ δὲ.. ἐπεμέλοντο, οἱ δὲ.. ἐστρατεύοντο, οἱ δ'.. ἐκινδύνευον*, 35: *ἂν εἰσηγήσαιτο —δηλώσειε δ' ἂν—διδάξειε δ' ἂν—μηνύσειε δ' ἄν*, 36: *οἷός τ' ἦν—ἐδύνατο*, 39: *ἐλεεῖ—αἰσχύνεται— ἀγανακτεῖ —μισεῖ —ὀργίζεται*, 42: *ἠσεβήκασι—ἡμαρτήκασι—διακείμενοι—πολιτευόμενοι*, 43: *εἴσεσθε—ᾔσθησθε*—XV, 1: *αἰτοῦμαι—δέομαι*, 8: *γνώσεσθαι—ψηφιεῖσθαι.*

Simili ratione Lysias identidem duo vel tria verba, quae idem exprimunt, composuit ad unumque conexuit. Cuius usus, qui latius patet, cum in fragmentis (fr. 1, 2; 43, 89, 102), tum in orationibus multa exempla invenias. In illis haece exempla XIV, 4: *πολίτου χρηστοῦ καὶ δικαστοῦ δικαίου ἔργον*, 9: *καὶ ἄτιμος εἶναι καὶ πάσαις ταῖς κειμέναις ζημίαις ἔνοχος γενέσθαι μᾶλλον ἢ μετὰ τῶν πολιτῶν εἶναι καὶ ὁπλίτης γενέσθαι*, 10: v. p. 51, 11: *οὐδὲν ὄφελος νόμους κεῖσθαι ἢ ὑμᾶς συλ-*

1) 'XIV, 10, ait, nil miri habet; nam etiamsi enuntiatum primarium apposita multo superant ambitu, tamen concedendum est ea quamquam *πάρισα*, non ex solo illo ornandi studio nata, sed etiam ad rem satis apta esse, quia scriptor participiis consulto coacervatis Alcibiadis audaciam quam maximam esse audientibus ostendere volebat. Accedit quod membra ipsa sunt brevia et exigua.'

2) Sch: vind. p. 69, Leb: p. 26, Fra: p. 179, G et Fu: ad XXV, 22, G: de arg. p. 141 sq., in ed. proleg. § 13 et ad XII, 7; B: p. 410 sq., Th: p. 24.

λέγεσθαι ἢ στρατηγοὺς αἱρεῖσθαι, 19: *καίτοι πολλαὶ καὶ μεγάλαι καὶ ὑπὲρ ἁπάντων τῶν Ἑλλήνων γεγόνασι*[1]), 22: *οἱ λέγοντες καὶ αἰτούμενοι ὑπὲρ Ἀλκιβ.* et *διδάσκουσιν ὑμᾶς ἐπιορκεῖν καὶ τοῖς νόμοις μὴ πείθεσθαι*, 38: *λέγειν δυνάμενος καὶ φίλων ὄντων καὶ χρήματα κεκτημένος*, 40: *μήτε ἔλεον μήτε συγγνώμην μήτε χάριν μηδεμίαν περὶ πλείονος ποιήσασθαι*, 42: *ἀδίκως καὶ παρανόμως*—XV, 1: *οἱ τιθέντες τὸν ἀγῶνα καὶ τὴν ψῆφον διδόντες*, 3: *τί δ' ἂν αἴσχιον ἔθος ἢ δεινότερον πρᾶγμα..γένοιτο*, 9: *εἴ τῳ δοκεῖ μεγάλη ἡ ζημία εἶναι καὶ ἰσχυρὸς ὁ νόμος*. — Si ad eos locos adiungimus illos, quibus oppositio fit verbis *οὐκ — ἀλλά*, habemus in or. XIV. viginti, in XV. sex exempla. Quem numerum non parvum esse, luculentissime apparet comparata or. XIII. Ea enim quamquam duplo maior est et inter Lysiacas maxime verbositate laborat (cf. B: p. 560), tamen, nisi forte locus me effugit, duodeviginti exempla praebet. Congruit autem haec res cum eis, quae disseram et de polysyndetorum in or. XIV. usu, quibus multi loci similes sunt et de similitudine or. XV. Cognoscitur enim utrumque scriptorem pronum fuisse ad verbositatem.

Denique magis instar adpendiculae adseram, quae habeam

de argumentationis ex contrario forma

in utraque oratione adhibita. Namque quamvis haec etiam in quarto dissertationis meae capite exponi queant, tamen cum de varia oppositione et compositione enuntiatorum duorum agatur, ea non minore iure huc referri posse conspicuum est. Eorum autem enthymematum, quae huc spectant, numerum plenum accuratissime, ut solet, congessit Gebauer in libro illo, cuius multis locis iam mentionem feci: de hypotact. et paratact. arg. ex contr. formis, quae reperiuntur apud or. att. Zwick. 1877. Quae quoniam G° diversis locis tractanda erant, nunc eius

1) Rectius fortasse hic gradationis figuram accipias velut § 10: *καὶ ἕτεροι μὲν οὐδεπώποτε ὁπλιτεύσαντες, ἱππεύσαντες δὲ καὶ τὸν ἄλλον χρόνον καὶ πολλὰ κακὰ τοὺς πολεμίους πεποιηκότες.*

opera grato animo usus in brevi conspectu ponam, ut quid forte discedat a Lysiae usu loquendi, cognoscatur.

1) paratactica forma adhibita efficiuntur contraria particulis μέν — δέ: XIV, (10), 11, 17 (bis), 18, 20, 23, 31 (bis), 36. XV, 6, 7 — apud Lys. sescentiens. 2) hypotactica forma XIV, 21: ὅταν = XXVI, 12. (ὁπόταν XXVII, 3; ἐπειδάν XXII, 21); XIV, 26. XV, 10: pron. relat. cf. XXII, 10. XXV, 17. XXXI, 23; XIV, 16 (ἀλλ' οὐ = XXVI, 1), 33: ὡς c. ptcp. Notandum est Lysiam non ὡς, sed ὥσπερ usurpavisse: III, 34. XII, 64. XXIV, 15. XXVII, 11, 16. cf. G: de arg. p. 283 sqq., 324 sqq., supplementa in ed. I p. 212.

Eae particulae, quibus haec enuntiata cum aliis copulantur, sunt: a) γάρ, τίς γ. ἐλπίς XIV, 21. cf. XXII, 10. XXV, 17 (τίς et subst. XXII, 21. XXVII, 3). οὐ γ. δήπου XIV, 36 = X, 8. XXIV, 13. XXXI, 28. (XII, 27. XIII, 18, 51, 87) cf. XV, 10. (XII, 38, 57, ubi codicis δι' sensu caret). — b) δέ, ἀξιῶ δ. XIV, 20 = XXV, 4. δεινὸν δ. μοι δοκεῖ εἶναι XIV, 17 (1). XV, 7 = VII, 29. XXII, 13. XXX, 8, 32. [XX], 10. — cf. V, 5. XXXI, 31. [XX], 36. ἐμοὶ δ. δοκεῖ δεινὸν εἶναι XIV, 31 (2) = VII, 35 cf. XIII, 91 (cf. G: ed. p. 452). v. s. δεινός p. 41. ἡγοῦμαι δ. XIV, 16. cf. XXI, 16. XXV, 29 (v. etiam G: ad XXV, 18). θαυμάζω δ. XIV, 11, 23; in genuinis Lysiae orationibus nullum exemplum; sed idem in contr. hypotact: XXV, 30. XXX, 9. fr. 78 et e paratact. comparanda sunt: XXX, 17. fr. 53, 1 (XII, 34. XIII, 49. XXXIII, 7). — c) καί, cum interrogatione XIV, 17 (2) = III, 33. XVIII, 15. [XX], 10, sine int. XIV, 10; apud Lysiam saepius. — d) καίτοι, c. interrog. XIV, 26 = XXXII, 27. cf. XIII, 77 — XXVII, 3. XXIV, 2. XIX, 17; sine int. XIV, 31. XV, 6. cf. XVIII, 12. XXIX, 4 — III, 25. XVIII, 8. XXIV, 12. XXVIII, 2. — e) οὖν, οὐκ οὖν δεινόν: XIV, 18 = X, 13. XII, 36, 88 etc. cf. G: de arg. p. xi, 19, 85. δεινόν c. inf. in contr. XVIII, 12.

Denique haec singula addenda sunt a) XIV, 10 α) chiasmus: IV, 13. XVIII, 8. XXX, 29. XXXI, 28 (de omissa part. μέν egi p. 49). β) in utroque membro eadem vox, cum alterum membrum affirmativum, alterum negativum sit. XV, 6, 7. XXIX, 11. XXXI, 28. cf. G: p. 138. (Extra contr. IV, 1. fr. 11.

[VI], 15. [XX], 19, 36.) — b) XIV, 11 et in eo membro, quod a *μέν*, et in eo, quod a *δέ* aptum est, *τὶς — οὗτος* sibi respondent, cum XIII, 54. XXXII, 22. [VI], 15. [XX], 30 in priore tantum, XXII, 13. [XX], 10 in posteriore tantum pronomen ponatur. — c) XIV, 17 *α*) *ἀξιοῦν* in posteriore membro: X, 13; *β*) in priore membro ind. praet., in posteriore ind. fut. = XIV, 31. XV, 8. — XII, 88. XXX, 32. XXIV, 11—XXX, 16; *γ*) inest verbum, quod 'impunitatem' significat: XIV, 31. XXII, 17. d) XIV, 18 exemplum fictum eiusmodi, ut fictio ipsius contrarii terminis contineatur: IV, 13. VII, 23. XXVI, 10. XXX, 8. XXXI, 26. e) XIV, 23 obiectum utriusque membri commune, praemissum est: XIV, 36. III, 25. XXIV, 12. [VIII], 5. — f) XIV, 31 *εἰ* in priore membro = *ἐπεί*, in posteriore particula vere condicionalis: XV, 7. XXII, 13. XXX, 32. XXXI, 29, 31. [XX], 36. — g) XIV, 36 negatio in principio posita ad utrumque membrum spectat, in secundo autem repetitur: VII, 26. (De synonymis *οἷός τ' ἦν — ἐδύνατο* v. p. 66; in contr. IV, 13. VII, 26. XII, 87. XXIX, 9.) — h) XV, 3 'Inest anacoluthia quaedam, maxime contrariorum propria, qua membrum a *μέν* incipiens aliter quam exspectas suppletur; apud or. non rara est; apud Lysiam non invenitur' (G: p. 129).

Congruunt igitur omnia cum Lysiaca dictione exceptis XIV, 11, 16, 33. XV, 3. Unde fortasse quispiam, imprimis commotus dissimilitudine locorum XIV, 16, 33, causam suspicionis sibi sumat, praesertim cum alias discrepantias pro certo iam statuerim; sed ne ego faciam impedior, quod multae huius argumentationis formae apud Lysiam ipsum singulares sunt. Testes sint hi loci III, 39 ptcp. c. artic. coniunctum pro rel. enunt. (G: p. 41), IV, 1 *θαυμαστόν γε τὸ διαμάχεσθαι* (p. 94), XIX, 17 transitus a sing. ad pluralem (p. 9), XXIV, 8 *νῦν δ' ἐπειδή — τότε* (p. 112, 202), XXIV, 9 *εἰ — νῦν* (p. 253), XXVI, 1 *ὥσπερ — ἀλλ' οὐκ* (p. 97, 283).

Caput tertium.

De ornatu.

A. tropi.[1])

1) translatio (*μεταφορά*). cf. Roschattus: *d. Metaph. b. d. att. Redn.* 1886, FG: prol. p. 11 adn. 73.

Nihil crebrius usu venit quam ut verba de re militari sumpta ad litem transferantur: *ἁλίσκεσθαι* XIV, 7, *διώκειν* XV, 1, *λαμβάνειν* XIV, 16, 18, 30, *παρασκευάζειν* XIV, 10. XV, 5 (cf. XXVIII, 7—XIII, 26), *φεύγειν* XIV, 24, 33 (bis), 36. XV, 1. — cf. F: ad I, 47. XIII, 76, Gleiniger: Herm. IX p. 171. — Paulo audacior ea metaphora est, qua scriptor or. XV. usus est in § 2. Nuncupat enim thesmothetas *τοὺς τιθέντας τὸν ἀγῶνα* ([II], 80 proprio sensu). Sed superatur haec audacia manifesto eo, quod legitur fr. 90: *τ. τάξιν λιπεῖν τῆς αἰδοῦς.* In illa igitur elocutione non haereo.[2])

2) antonomasia XIV, 16 *τοῦ Ἀλκιβ. υἱέος τοσαύτην δειλίαν*[3]) *καταγνῶναι*. Etiamsi in ceteris orationibus eius figurae exempla non invenirentur (cf. Bb: p. XV), tamen anton. loco illo nihil suspecti haberet. Nam ut omittam cum de Alcibiadis filio agatur, eam satis promptam esse, illa verba sunt synegororum, qui quin sic locuti sint, eo minus dubium sit, quod actor § 30 ea cum incisione perstringit.

3) illusio. Praeter id exemplum, quod modo laudavi XIV, 10: *οὔτε πρότερον ἱππεύσας οὔτε νῦν ἐπιστάμενος*, 21: *εἰ πάντες Ἀλκιβιάδῃ ὅμοιοι ἐγένοντο, οὐδὲν ἂν ἔδει τῶν στρατηγῶν (οὐδὲ γὰρ εἶχον, ὅτου ἡγοῦντο)*, 25: *ἡγούμενος οὐκ ἂν δύνασθαι πρεσβύτερος ὢν λαμπρὸς γενέσθαι, εἰ μὴ νέος ὢν*

1) In universum sequar ordinem eum, quem instituit Volkmannus *Rhet. d. Grch. u. Röm.* [2]1885 p. 415 sqq.

2) Translatio inest etiam in voce *προπηλακίζω* XV, 6 (cf. Rosch. p. 29). Sed hoc verbum semper fere usurpatur sensu tralaticio. — v. p. 54.

3) Post Hirschigium verba *τοσ. δειλ.* deleri iterum iussit Halbertsma p. 33. Sed eius sententia explosa est a F°: *phil. Anz.* II p. 139 (*καταγνῶναι* = aliquem suspectum habere de aliqua re, saepius; cf. XXVI, 2).

πονηρότατος δόξει εἶναι, 34: *ὥστ' οὐχ ὁμοίων τῶν ἔργων ἀμφοτέροις γεγενημένων τοὺς λόγους ποιεῖται.* — Apud Lysiam saepenumero; potissimum in or. X. XIII. XXIV.

4) euphemismus XIV, 18: ..*τούτους οὕτως εὐτυχεῖς εἶναι, ὥστε .. σώζεσθαι, ἡμᾶς δέ, εἰ ἐδυστυχήσαμεν ..*, *μηδένα .. ἐξαιτήσασθαι* cf. Erot. 233[b] (*δυστυχ. μέν — εὐτυχ. δέ*). XVI, 15. XVIII, 5. XIV, 41 de vita publica: *δ. πρὸς τὴν πόλιν* (v. s. *πρός*). cf. XII, 35, 98. XXVIII, 15. cf. F: index C.'s. hac v.

5) litotes. Exempla communis generis: XIV, 19, 23, 25, 27, 31, 34, 37. XV, 8. cf. FG: ad XII, 63. XIII, 23.

6) circumlocutio (*περίφρασις*) Bb: p. xv. — Gleiniger p. 172. XIV, 2: *ἁμαρτήματα εἰς τοσοῦτο κακίας ἀφιγμένα* v. p. 40 sq.; 38: *ὑπερβολὴν ποιησάμενος* v. p. 56; XV, 1: *πᾶσαν προθυμίαν ἔχειν* v. p. 83 (cf. F: ad hunc locum).

7) superlatio (*ὑπερβολή*) cf. Bb: p. xv, F: multis locis (v. index s. v. Hyperbel), St 1 p. 520, Morawskius ll. — XIV, 2: *οὐ γὰρ μικρὰ τὰ ἁμαρτήματα* et quae sqq. — Adamat etiam Lysias prooemii vim exaggerare veritatis traiectione; cf. B: p. 410. — § 7: *ὅλῳ τ. νόμῳ μόνον αὐτὸν τῶν πολιτῶν ἔνοχον εἶναι.* Hoc est genus non rarum exsuperationis, qua reus solus, quod leges violaverit, accusatur (cf. F.). XIV, 33: *τιμὴν παρὰ πᾶσιν ἀνθρώποις κτήσασθαι.* Lenis est hyperbole et usitatissima [1]); locos collegit F: ad hunc locum et XII, 60. — Omnino haec vox *πᾶς* in deliciis habebatur, ut alicuius criminis magnitudo augeretur. In XIV. et XV. his quoque locis XIV, 9: *πάσαις τ. κειμέναις ζημίαις ἔνοχος γενέσθαι μᾶλλον ἤ,* 35: *τῇ πόλει πάντων τῶν* (v. p. 40) *κακῶν αἴτιος γεγένηται,* 38: *Θρᾴκης καὶ πάσης πόλεως ἐβούλετο πολίτης γενέσθαι,* 39: *εἴ τις ὑμῶν ..., τούτων ἁπάντων χρή,* 42: *περὶ πάντας τοὺς θεοὺς ἠσεβήκασι καὶ εἰς ἅπασαν τ. πόλιν ἡμαρτήκασι* et *πεπόνθασί τε ἅπαντα καὶ πεποιήκασι.*[2]) — Praeterea tropus superlationis

1) Similis est superlativi exaggeratio adiecto genetivo *πάντων*; cf. St 2 p. 112, Schultz. p. 40.

2) Quid restituendum sit, certo dici nequit; cf. F, cuius emendatio-

usurpatus est 42: *ἀδίκως καὶ παρανόμως καὶ πρὸς τοὺς ἄλλους πολιτευόμενοι καὶ πρὸς σφᾶς αὐτοὺς διακείμενοι οὐδεμιᾶς τόλμης ἀπεχόμενοι οὐδὲ ἔργου δεινοῦ ἄπειροι γεγεν.*[1] *οὕτω γὰρ διάκεινται, ὥστ' ἐπὶ μὲν τοῖς καλοῖς αἰσχύνεσθαι, ἐπὶ δὲ τοῖς κακοῖς φιλοτιμεῖσθαι*, 46: *οὗτος δέ μου καταγελᾷ, ὅτι οὐδὲ πολλοστὸν μέρος εἴρηκα τῶν τούτοις ὑπαρχόντων κακῶν* (cf. XXV, 2); XV, 10: *περὶ Ἀλκιβιάδου .., ὃς ἂν ὑμᾶς ἐξαπατήσῃ, καταγελῶν τῆς πόλεως ἅπεισιν* et *τῶν φίλων τοὺς φανερῶς αὐτὸν εὖ ποιήσαντας κακῶς ποιεῖ.* Haec exempla considerantes omnia excepta conviciorum exaggeratione (XIV, 42) ex ingenio et indole Lysiae dicta esse concedemus. Attamen quod attinet ad or. XIV., unum est, quo suspicio suscitatur: est magna eorum multitudo. Profecto non memini me in genuina oratione tantam copiam coacervatam videre.

8) similitudo (*παραβολή*) cf. Gleiniger p. 171. — XV, 2: *σφόδρ' ἂν ἠγανακτεῖτε, εἰ ἐν τῇ ὑμετέρᾳ δοκιμασίᾳ οἱ θεσμοθέται ἀναβάντες ὑμῶν ἐδέοντο καταψηφίσασθαι, ἡγούμενοι* et quae sqq. Tentat igitur actor praetores commovere, admonens quid ipsi sentirent, si thesmothetae in docimasia contra se pugnarent. Sed quadrat nec comparatio ipsa, quod praetores reo favent, thesmothetae autem accusatori adfuisse putandi essent, nec vox *καταψηφίζεσθαι*[2]), quod is, qui in examine illo repulsam tulerat, ullum detrimentum bonorum aut capitis non fecit. Atque num ea sollertia laude digna haberi potest, secundum quam eadem sententia, cuius vis iam exhausta sit, per duas §§ (3, 4) continuatur et bis etiam repetitur? An eo modo argumenti illius auctoritas augetur? Haec sane ista est copia sententiarum et verborum, qua Lysiam abstinuisse Dionysius docet.

9) transgressio verborum (*ὑπέρβατον*) cf. Sch: obs.

---

nem secutus sum. Cum K: *JJ.* CV p. 255 obsistat, adsentiuntur censor F[1] (*lit. Centrbl.*) et Roe: *Z. f. G.* 1877, 7.

1) Iure opinor F. in altero membro desiderat *οὐδενός*. Fortasse si tolerabile est asyndeton, pro *οὐδέ* illud *οὐδενός* scribi potest. Concinnitatem hoc modo augeri nemo non videt.

2) Vox propria est *ἀποδοκιμάζειν* XXVI, 6, 10, 13, 14, 15 (bis).

p. 29 sq., Foe: p. 33 sq., Leb: p. 77, 81, F: ad XII, 94. XIV, 35, St 1 p. 545. — In universum verborum collocatio simplex et iusta est.[1]) Nec tamen desunt hyperbata.[2]) Ut autem omittam, quae sescentiens leguntur velut XIV, 15: *ὧν χρὴ μεμνημένους*, 16: *εἰς ὑμᾶς ἐλάβετε ἐξαμαρτάνοντα*, 23: *ἧς ἄξιον ὑμᾶς ἀκοῦσαι*, 36: *κακῶς οἷός τ' ἦν ποιεῖν τὴν πόλιν*, XV, 8: *ὥστε οὐδένα χρὴ τῶν δεομένων* saepissime ea verba, quae coniungenda sunt, discinduntur pronomine personali atque id maxime ita, ut *οὕτως* a sua voce separetur XIV, 35: *οὕτως αὐτῷ μεγάλων ὑπαρχουσῶν* et *λέγει, ὡς οὕτως ἐκεῖνος μέγα ἐδύνατο.* Huc referenda est etiam XIV § 27: *ὁ πατὴρ αὐτὸν οὕτω ἐμίσει σφόδρα.* — Ex aliis orationibus multa congesserunt ei vv. dd., quos commemoravi. — Alterum genus transgressionis illustratur his exemplis XIV, 13: *τοὺς ἀκοσμοῦντας ἐν τῷ πολέμῳ*, 39: *τοὺς τεθνεῶτας ἐν τῇ ναυμαχίᾳ* et *ὑπὲρ τῶν δουλευσάντων τοῖς πολεμίοις.* Ea igitur, quae inter articulum et substantivum (ptcp., adiect.) ponenda erant, cum neglegentia quadam laxe adnectuntur; similes loci sunt: I, 18: *τὰ γιγνόμενα ἐν τῇ οἰκίᾳ*, XII, 77: *τοῖς εἰρημένοις τρόποις ὑπ' ἐμοῦ* (cf. FG: p. 280), 82: *τοὺς ἀπολέσαντας τὴν πόλιν*, XIII, 43: *τὰς γεγενημένας συμφορὰς τῇ πόλει.*

Peculiari loco collocationem vocis *πόλις* paucis tractabo. Iam Leb: p. 87 observavit a Lysia hoc vocabulum saepius ut efferatur, in fine vel enuntiati vel membri poni. Praeter eos, quos modo exhibui locos (XII, 82. XIII, 43) laudo hosce XII, 49: *ὧν οὐχ οἷον τ' ἦν μείζω κακὰ γενέσθαι τῇ πόλει*, XIII, 36: *οὗ ἦν κακῶν ἡ πόλις*, XXV, 6: *οἱ ὑπάρχοντες ἐχθροὶ τῇ πόλει*, fr. 99: *λητουργῆσαι μὲν οὐδὲν πώποτε ἐτόλμ. τῇ πόλει.* Eadem consuetudo in or. XIV. conspicua est; § 13: *ἡγήσονται πολὺ πλείονος ἀξίαν εἶναι τ. πόλιν*, § 16: *οὐκ ἂν ἐγένοντο συμφοραὶ τοσαῦται τῇ πόλει*, § 36: *κακῶς οἷός τ' ἦν ποιεῖν τὴν πόλιν*, § 40: *ἡγησαμένους πατρικὸν ἐχθρὸν τοῦτον εἶναι τ. πόλει* (!),

1) Non frustra tentavit Roerenus (*Bem. üb. grch. Wort- u. Satzgliederstellg.*) certis legibus circumscribere, quemadmodum Graecorum scriptores verba collocare consueverint.

2) De particulis *δέ, ἕνεκα, μέν, μᾶλλον* iam supra dictum est.

§ 43: *ὑπὸ τούτου τι ἀγαθὸν πείσεσθαι τὴν πόλιν.*[1]) Videmus igitur auctori hanc collocationem pergratam fuisse. Atque haec est causa, cur in § 47: *μεγάλη δ' εὐτυχία τὸ τοιούτων πολιτῶν ἀπαλλαγῆναι πόλει* (sic X) tuear vocem *πόλει* addito nimirum articulo *τῇ.*[2])

Restat, ut indicem, quam turpem transgressionem admiserit scriptor or. XV. in § 2: *εἰ ἐν τῇ ὑμετέρᾳ δοκιμασίᾳ* etc. (verba scripsi p. 72). Etenim unusquisque, qui primum legit haec verba, *ὑμῶν* de *ἐδέοντο* dependere arbitratur, cum sententiae contextu flagitetur, ut ad *καταψηφίζεσθαι* referatur. Omni mehercle caret elegantia et venustate.

Proprium genus verborum collocationis est

chiasmus XIV, 4: *ὅπως ἂν ὑμεῖς νυνὶ περὶ αὐτῶν γνῶτε, οὕτω καὶ τὸν ἄλλον χρόνον ἡ πόλις χρήσεται,* 10: *οὐδέποτε ὁπλιτεύσαντες, ἱππεύσαντες δὲ καὶ τὸν ἄλλον χρόνον* (v. p. 49, 68), 30: *ὃς ἔπεισε Δεκέλειαν Λακεδαιμονίους ἐπιτειχίσαι* (cum transpositione eorum verborum, quae consocianda sunt). 43: *ἀδικεῖν μὲν νομίσαντες, οἰόμενοι δ' εἰς τὸ λοιπὸν χρησίμους ἔσεσθαι* (cf. I, 25: *ἀδικεῖν μὲν ὡμολόγει, ἠντιβόλει δὲ .. μὴ ἀποκτεῖναι* cf. F: ad X, 11), XV, 2: *οἱ τιθέντες τὸν ἀγῶνα καὶ τὴν ψῆφον διδόντες.*

De chiasmo uberius egit G: de arg. p. 346 sqq.

B. figurae.

α) verborum.

1) de iteratione (*ἐπανάληψις*) disputavi p. 49, 52 cum voculas *ἄν, δέ, μέν* tractarem.

2) repetitio (*ἐπαναφορά*) XIV, 6: *οὐχ οἵτινες ἂν —; οὐχ οὓς ἂν* cf. fr. 53, 1 sq., § 16: *ὡς ἐκεῖνον πολλῶν ἀγαθῶν, ἀλλ'*

---

1) § 4, 8, 10 (bis), 33, 44 nolim premere; in § 4, 13, 15, 19, 20, 30, 37, 38, 41 cur haec transgressio exsistere non potuerit, manifestum est. Quare solum § 31 et 35 excipiuntur.

2) St 2 p. 116 corrigit *τὴν πόλιν,* quam lectionem recte postulari a Marklando XXVII, 3 concedo (minus eleganter Heldm. p. 21 sq.: *τὸ σωθῆναι καὶ μὴ ἐν τ. πόλει* cf. Roe: *Z. f. G.* 1877, 2). Ceteri quid sentiant, F: in adp. enumerat.

οὐχὶ πολλῶν κακῶν αἴτιον γεγενημένον[1]) cf. Bb[2]): p. XV sq., Carel p. 19. § 23: *διὰ μέν — διὰ δέ* in contr. cf. XII, 47. XVIII, 8, 12.[3]) § 42: *ἐπὶ μέν — ἐπὶ δέ*: XII, 24. XXII, 16.

3) congeries (*συναθροισμός*), *α*) asyndeton. Haec ut nascatur figura, non adhibitum est; ceterum v. s. *ἀναγιγνώσκω*. *β*) polysyndeton XIV, 2: *οὐ—οὐδέ—οὐδέ—καί*, 10: *οὔτε—οὔτε—οὔτε—οὔτε* cf. I, 44. VII, 14; 28: *ἢ εἰς—ἢ εἰς—ἢ περί—ἢ περί*, 29: *καί—καί—καί—οὔτε—οὔτε*, 30: *μέν—δέ—δέ—δέ—καί* cf. VII, 28; 39: *ἤ—ἤ—ἤ—ἤ—ἤ* cf. XXII, 14; 42: *μέν—δέ—δέ—δέ—καί—καί—καί* (— —*καί—καί—καί*), 44: *καί—καί—καί—καί*, XV, 11: —*καί—καί—καί—οὔτε—οὔτε—οὔτε*. Quorum locorum quamquam aliquot ea specie sunt, ut e genuinis orationibus confirmari possint, tamen iterum offendo in cumulatione. Nam si exempla a Bb°: p. XVI collecta perlustramus, videmus ipsis in or. XII. et XIII., quae ceteras ambitu longe superant, non plus ter adhibitam esse hanc figuram.

4) zeugma. v. p. 18, 20.

5) annominatio (*παρονομασία*) Bb: p. XVII, FG: ad XXV, 24, Schultz. p. 38. Nisi forte huc spectare existimas XIV, 10: *οὐδὲ πώποτ' ὁπλιτεύσαντες, ἱππεύσαντες δέ*, 23: *ἀποψηφ.—καταψηφ.*, 42: *ἐπὶ μὲν τοῖς καλοῖς αἰσχύνεσθαι, ἐπὶ δὲ τοῖς κακοῖς φιλοτιμεῖσθαι* eius figurae nihil reperitur.

6) paromoeon XIV, 34: *τοὺς μὲν πολεμίους ἐξήλασε, τῶν δὲ πολιτῶν..* Hoc ipsum a Lysia saepenumero adhibetur; cf. FG: ad XII, 38, Th: p. 34.

1) Quod adnotat RFu: ad XXV, 6 in priore membro, ut concinnitas exoreretur plena, omissam esse particulam *καί*, quod idem fecisset Lysias XXV, 6, non verum est. Nam etiamsi sollemnis formula est *πολλὰ καὶ ἀγαθά* (XIII, 93. XXV, 4, 11 etc.), tamen etiam deest alibi particula illa: V, 3. XII, 64.

2) Typographi culpa legitur in hoc capite XXX, 3 pro XXXIII, 3. Liceat cetera menda corrigere, quae notavi; p. XVI adn. 4 l. XXIII, 27 (pr. XVIII, 27); adn. 7 l. XXIX, 6 (pr. XVIIII, 6) et XXVI, 14 (pr. 4); praeterea p. XI in priore sect. l: 'In d. Rede XXIX findet sich' (pr. XVIIII) et in altera l: 'noch XXXIV (pr. XXXIII) aufs würdigste an.'

3) cf. etiam XII, 26: *ὅτι μέν — ὅτι δέ*. Quod contrarium si Madvigii (adv. crit. I p. 175) opinione probata *οἴει* deletur, eadem forma est ac XIV, 23. Sed v. Fu: ad XII, 26 p. 145 sq.

7) similiter desinentia (*ὁμοιοτέλευτα*) XIV, 2: *πεπραγμένα — ἀφιγμένα*, 9: *κατεφρόνησε — ἔδεισε — ἐπεθύμησε — ἐφρόντισε — ὥστε — ἐμέλησε*, 10: *ἀπολουμένης — σωθησομένης — ἐσομένης — τιμωρησομένης*, 11: *κεῖσθαι — συλλέγεσθαι — αἱρεῖσθαι*, 13: *εἴσονται — αἰσθήσονται — πεύσονται ἡγήσονται*, 14: *ἐθεραπεύοντο — ἐπεμέλοντο — ἐστρατεύοντο*, 33: *καταλαβεῖν — τεμεῖν — προσβαλεῖν — καταλιπεῖν*, 35: *χωρίων, δηλώσειε δ' ἂν — φρουρίων, διδάξειε δ' ἂν — πραγμάτων, μηνύσειε δ' ἄν*, 41 sq.: *δεδυστυχήκασιν — βεβιώκασιν — ἠταιρήκασιν — συγγεγόνασι — γεγόνασι — πεποιήκασι — περικεκόφασι — ἠσεβήκασι — ἡμαρτήκασι — πολιτευόμενοι — διακείμενοι — ἀπεχόμενοι γεγενημένοι — — πεπόνθασι — πεποιήκασι — — αἰσχύνεσθαι — φιλοτιμεῖσθαι*, 44: *ἀδύνατος — διάφορος — μισούμενος*, 45: *ἄλλοις — φίλοις — — ἐθέλουσι — ἐπιθυμοῦσι — δημηγοροῦσι*, 47: *εἰρημένα — παραλελειμμένα*. XV, 1: *αἰτοῦμαι — δέομαι*, 8: *γνώσεσθαι — ψηφιεῖσθαι — ποιεῖσθαι*, 9: *νομοθετήσοντες — ψηφιούμενοι — ἐλεήσοντες ὀργιούμενοι — βοηθήσοντες*. Quae exempla non numero, sed singulorum amplitudine et artificiosa compositione discrepare a Lysiae consuetudine iam B. monuit. Missum facio minima membra saepius specie saltem huius figurae coniungi (v. XIV, 42, 44, 45, 47); quid vero? novem verba in § 42 eandem in determinationem (-*ασι*) exire et eis adseri duo paria, quorum prius duo in -*ως*, alterum quattuor in -*μενοι* determinantia continet, num minoris artis testimonium est quam quod in § 35 homoeoteleuton ita comparatum est, ut ultimae in secundario enuntiato vocis terminationes additis primis verbis primarii sibi respondeant?

8) contraposita (*ἀντιθέσεις*). Nihil est, quod Lysias magis in deliciis habuerit quam antitheses. Nec non in or. XIV. et XV. frequentissime adhibentur. Efficiuntur autem particulis: *μέν — δέ* in XIV. or. triciens quinquiens, in XV. quinquiens; *οὐ — ἀλλά* in XIV. noviens, in XV. ter; *οὔτε — οὔτε* in XIV. deciens, in XV. semel; *μᾶλλον ἤ* in XIV. bis; (*οὐ μόνον — ἀλλὰ καί* v. p. 42).

Praeterea his locis contentiones leguntur XIV, 1: *καὶ εἰ — οὐδὲν ἧττον*, 2: *φιλοτιμεῖσθαι — αἰσχύνεσθαι*, 7: *καταλεγεὶς*

— οὐ συνεξῆλθε — — δέον — εἵλετο, 11: πρώτης — δευτέρας — — ὁπλίταις — ἱππεῦσιν, 25: πρεσβύτερος, λαμπρός — νέος, πονηρότατος, 30: πλεονάκις — ἤ, 31: ὡς οὐ — ὡς, 34: δουλεύειν — ἐλευθεροῦν, XV, 10: εὖ — κακῶς ποιεῖν, 12: βοηθεῖν, φίλος — τιμωρεῖσθαι, ἐχθρός. — Verba, non sententiae opponuntur: XIV, 21, 25, 30, 43. — XV, 3, 5. cf. Th: p. 24.

9) comparia (ἰσόκωλα) XIV, 13, 19, 35, 42. — XV, 8. Has autem duas figuras cum nec numerus nec ratio talis sit, ut suspicionis ansam praebeant (cf. B: p. 412 sq.), fusius tractari non opus est.

β) sententiarum.

1) interrogatio rhetorica cf. Fritzsch. p. 4. — XIV, 6: οὐχ οἵτινες ἄν — οὐχ οὓς ἄν. Deest particula interrogativa; cf. A: p. 55; adde fr. 1, 3 et 5. — XIV, 21, 43 (τίς ἐλπίς), 35 (τίς), 41 (πότερον), XV, 3 (τί … αἴσχιον ἔθος ἤ . .).

2) subiectio (ὑποφορά) Leb: p. 81, Gleiniger ll. p. 170, G: ed. I p. 287, B: p. 415, Th: p. 28. Unum quod exstat exemplum XIV, 41: πότερον ὡς δεδυστυχήκασιν καὶ βεβιώκασιν; οὐχ . . γεγενημένοι; ἀλλά — καὶ μὲν δή — ἀλλὰ μὲν δή ideo notandum est, quod non more Lysiae (cf. M: p. 13) continuatur sola particula ἀλλά, identidem posita, sed particulis καὶ μὲν δή et ἀλλὰ μὲν δή. Nam cum Lysias hanc figuram adamarit et permultis locis usurparit, mirum est, quod ne uno quidem loco eius orationum simile quid legitur.[1])

3) praesumptio (προκατάληψις).[2]) Scriptor or. XIV. usus est hac argumenta refellendi ratione in § 8: καίτοι φασὶν αὐτὸν ταύτην τὴν ἀπολογίαν ποιήσασθαι[3]), ὡς — ἐγὼ δ' ἡγοῦ-

---

1) Hoc stat, etiamsi cum F°: ed. min. II pro οὐχ . . γεγεν. emendatur ἀλλ' οὐχ . . γ., quae coniectura admodum blanda est; cf. Roe: *Z. f. G.* 1877, 7.

2) De hac figura optime meriti sunt F et G, qui in ed. I p. 380 sqq. ingentem exemplorum copiam congesserunt, ut quomodo anteoccupatio incoharetur, continuaretur, redargueretur, manifestum esset.

3) Ut infinitivum aor., qui in cod. traditur, secutus opinionem Roederi (p. 47 sq.) defendam contra G: p. 381, consequens est eis, quae disputavi

μαι, 16: *ἡγοῦμαι δὲ οὐχ ἕξειν αὐτούς, ὅ,τι λέξουσιν. ἀναβαίνοντες δ' ὑμᾶς ἐξαιτήσονται καὶ ἀντιβολήσουσιν.., οὐκ ἀξιοῦντες .. ὡς ἐκεῖνον πολλῶν ἀγαθῶν, ἀλλ' οὐχὶ πολλῶν κακῶν αἴτιον γεγενημένον* nec video, quid obstet, quominus huc referamus 31: *καίτοι σφόδρα εἴθισται λέγειν, ὡς.. ἐμοὶ δὲ δοκεῖ*, 32: *τολμᾷ λέγειν, ὡς..ὡς τῶν αὐτῶν ὄντας ἀξίους*, 35: *φιλοτιμεῖται καὶ λέγει, ὡς..καίτοι τίς οὕτως ἄπειρος*. Particula *καίτοι* incohari praesumptionem excepta § 8 (v. § 31) praecise negat Schepius p. 17 et G. dumtaxat Aeschinis locum (III, 189) affert. Attamen nisi vehementissime fallor, etiam apud Lysiam exempla leguntur XII, 89: *καίτοι λέγουσιν, ὡς Ἐρατοσθένει ἐλάχιστα .. εἴργασται*, XXVI, 16: *καίτοι γε*[1]) *αὐτὸν ἀκούω λέξειν, ὡς ἐστὶν..ὡς ἐκ τούτων προσληψόμενον αὐτόν..* Multo nempe usitatior est particula *δέ*, quae in § 16 adhibetur. — Illud exemplum, quod posteriore loco exscripsi, cum § 16 (§ 32) simul propter parem refutationis formam (*ὡς* c. acc. ptcp. absol.) comparari potest. Similes loci sunt X, 6. XII, 64. XXII, 11. Neque altera ratio (in §§ 8, 31) a Lysia abhorret. Nam X, 30. XXVI, 4, 16. XXVIII, 12. XXX, 17 perinde praemittitur pron. pers. *ἐγώ* et cum XII, 63 et XXVI, 4 *οἶμαι* sit verbum incohativum, *ἡγοῦμαι* usurpatur XXX, 17. Particula autem *καίτοι* introducitur sicut in § 35 argumentorum refutatio XII, 63. Denique verbum defendendi (§ 8) etiam inest in XII, 62. XIII, 77. XXVI, 3. XXVIII, 12 (*ἀπολογεῖσθαι*), eadem sententia, quae in XIV, 16 etiam in X, 6 et XXII, 11. Nihilo setius aliqua discrepantia inter XIV, 8 et Lysiae exempla statuenda est. Neque enim quotcunque formis praesumptionis Lysias usus est, unquam verbum primarium *φασί* adhibuit et quamquam alia verba dicendi exstant: *εἰπεῖν* XII, 50, *ἐρεῖν* X, 6. XXII, 11. XXVIII, 12, tamen nunquam ita conformata sunt, ut ad quemlibet pertineant, sed vel reus vel eius synegori intellegendi sint. Quod discrimen nullius momenti

p. 21 s. v. *μέλλω*. Perspicuum autem est hic eadem cautione opus esse, ne eum pro argumento in ullam partem sumamus.

1) Additum illud *γέ* nihil efficit discriminis; e. gr. in eadem argumentationis forma I, 42 *καίτοιγε*, XIII, 53 *καίτοι* (G: ed. p. 394).

esse propterea non existimo, quod anteoccupationis specie frequentissime a Lysia adversariorum argumenta impugnantur, ut maxima esset occasio locutiones variandi.

4) omissio (*παράλειψις*)[1] XIV, 28: *ὅσα μὲν οὖν .. ἡμάρτηκε, μακρὸν ἂν εἴη λέγειν.* Conveniunt cum Lysiae ratione duo: unum quod transitus fit particula *οὖν* (= XXXII, 26), alterum quod praemittitur interrogativum enuntiatum secundarium (cf. Sachsius *üb. d. 30. Rede d. Lys.* p. 37 sq.). Formula autem ipsa, in qua occultatio inest: *μακρὸν ἂν εἴη λέγειν* apud Lysiam non redit. Sed sunt etiam aliae huius modi locutiones, quae non plus semel leguntur: *οὐδὲν δέομαι λέγειν* (XII, 42), *τὸν μεταξὺ βίον .. παρήσω* (XII, 43—XXXI, 20), *πολὺς ἄν μοι εἴη λόγος διηγεῖσθαι* (XXIII, 11). Illam igitur transitionis formam Lysiae vindicari posse iudico.

5) fictio personarum (*προσωποποιΐα*)[2] XIV, 18 cur hanc figuram non statuerem, exposui p. 16 sq. — Ceterum invenitur solum id genus simplicissimum et apud Lysiam quoque frequentissimum (cf. Gleiniger p. 171), quo *νόμος* tanquam ipse imperet vel prohibeat aliquid: XIV, 5, 8 *ὁ νόμος κελεύει.* Similiter nonnunquam *πόλις* ut persona mente ac voluntate afficitur XIV, 10: *οὐχ ὡς ἀπολουμένης τῆς πόλεως, ἀλλ' ὡς σωθησομένης καὶ μεγάλης ἐσομένης καὶ τιμωρησομένης τοὺς ἀδικοῦντας* et *ὡς οὐκ ἐξεσόμενον τῇ πόλει δίκην λαμβ.* Cetera apud M: p. 15.

6) anacoluthia. Tria exempla unius generis XIV, 16, (quem locum exhibui p. 78); 21: *ἀξιῶ ἐὰν μέν .., ὀργίζεσθαι· ἐὰν δέ .. ὑμᾶς δὲ χρή ..,* 22: *ἀξιῶ ἂν μέν .., ἀποψηφίσασθαι, ἐὰν δέ .., χρή ..*

Prius igitur membrum aptum est a verbo principali, cum posterius mutata structura ex hoc complexu solvatur et per se constet. Locos gemellos e G[1]: de arg. p. 262 et M[1]: p. 29 sq. dissertationibus repetere supersedeo; cf. etiam Sch: vind. p. 44.[3])

1) In G[1] de praeterit. formis apud or. att. dissert. v. imprimis p. 19 et 38 (supplementum in ed. p. 417).

2) cf. Rosch: p. 40 sq., FG: prol. adn. 74, Bb: p. xvi, Fritzsch: p. 7.

3) Pluygersium (Mnemos. 1862 p. 84) hic usus frequentissimus fugisse videtur. Poscit enim, ut XXII, 19 infin. *ἔσεσθαι* scribatur.

Haec de ornatu. Restat, ut ea quae disputavi, complectar. Atque in or. XIV. ut inde ordiar, cum cetera a Lysiae usu dicendi haud aliena sint, duplex differentia statuenda videtur. Primum enim ad eas, quas p. 57 sqq. exposui sermonis discrepantias, accedunt duae, quae cur praecipue premendae sint, iam dixi (p. 77, 79): in § 13 subiectionis continuatio et in § 8 praesumptionis introductio. Insignior autem et ad nostram quaestionem absolvendam gravior est ea dissimilitudo, quae in cultu et ornatu orationis posita est; non quo scriptor or. XIV. tropis et figuris usus sit, quibus Lysias abstineret, sed quod et omnia fere ornamenta, quae ille diversis in orationibus adhibuit, in unam or. coegit et inter haec eis ornamentis intemperantius usus est, quae potissimum in usu Lysiae sunt et maxime speciem rhetoricam prae se ferunt, superlatione, congerie, homoeoteleutis. Ne repetam, quam artificiosa ac putida ratione similiter desinentia composita sint, si quidem id orationem figuris ornantis est, ut audientium aures magis oblectet et animos facilius captet, unusquisque intellegit nec hoc nec illud effici tanta exaggeratione verborum similiter desinentium, quanta inest in § 42. Haec profecto multum abest ab illa simplicitate et moderatione vere attica, quam Lysias nulla in oratione neglexit ac ne in Erotico quidem, in quo nonnullas comprehensiones maiore artificio quam ille solet compositas inesse constat (cf. Gevers. p. 19 sqq., 24, Carel. p. 21). Quid? quod scriptor reum quam plurimis criminibus atque eis quam immodestissime coacervat — consulto enim factum esse puto, ut polysyndeton solis eis locis usurparetur, quibus reo obtrectatur — et eo studio perducitur, ut verbis et sententiis ea, quae Alcibiades egerit et deliquerit, ultra modum et veritatem augeat et extollat? Ipsa haec intemperantia et figurarum et maledictorum nota quasi et signum est or. XIV. et tantopere sub oculos cadit, ut taedio quodam implearis. Quantum autem id distet a Lysiae ratione et consuetudine, eminebit, si or. XIII. contuleris. Quae et ipsa deuterologia et gravissimis in Agoratum conviciis conferta num unum locum praebet, quo tanta multitudo contumeliarum deinceps effunditur? Immo haec mihi ars

Lysiae videtur esse, ut multis locis reo maledicat, singulis autem breviter et vehementer. In natura igitur ipsa et indole inest discrimen inter Lysiacas orationes et or. XIV.

Secus iudicandum est de or. XV. Insignis enim est duabus potissimum rebus: inopia ornatus et argumentorum amplitudine. Habemus enim praeter tritissimum genus translationis (§§ 1, 5) et duas lenes superlationes (§ 10) duo homoeoteleuta, satis mira scilicet intra hanc ieiunitatem, praesertim cum alterum minus excultum, alterum nimis exornatum sit. Polysyndeton autem (§ 11) in enumeratione suo loco est. Quid multa? penuria illa nonne offensioni est propterea, quoniam id quod orator sibi proposuit, deprecantium refutationem ornamenta quaedam non modo non dedecuissent, sed potius adiuvissent et auxissent? Argumenta vero iusto longius deduci iam Fa (p. 195) observavit et ipse p. 72 commemoravi. Hoc loco addam etiam ea, quae in §§ 9 et 10 disputantur, pro orationis ambitu nimis longa mihi videri et plane carere vi et acumine. Desideratur igitur brevitas non tam verborum quam sententiarum.

Denique e re est ea comparare, quae de utraque oratione diximus. Iterum enim — cum discesseris a constructione verborum *καταλέγειν* et *τιμωρεῖσθαι* (cf. p. 58 sq.) — videmus has duas orationes luculenter inter se differre; nam qua re or. XIV. redundat, ea or. XV. eget: ornamentis.

Verborum delectu, compositione, ornatu accuratius examinatis non parvam partem earum rerum, quae sub

Caput quartum

De virtutibus vitiisque Lysiae et scriptorum or. XIV. et XV. Dionysio teste inter se comparatis

subiungenda erant, iam expeditam esse consentaneum est. Ac primum quidem, quod attinet

1) ad sinceritatem sermonis

praecipue primo capite apparebat etiam scriptores illos purum genus dicendi affectavisse ac nomina et verba genuino nati-

voque sensu adhibuisse (B: p. 493). Neque igitur mirum est, quod longe plurimae voces eodem sensu usurpari et eisdem cum verbis atque a Lysia consociari solent. — Aliud iudicandum erat

2) de simplicitate.

Nam quamquam ea nomina verbaque et composita et derivata, quae in orationibus duabus inveniuntur, paucis exceptis aut a Lysia ipso usurpata sunt aut ita defendi potuerunt, ut suspicionem non suscitarent et quamquam praeterea ratio enuntiata inter se conectendi et periodorum structura simplicissima sunt et cum Lysiae consuetudine congruunt, tamen propter ea quae, quamvis inter se diversa, de ornatu utriusque orationis dicta sunt, fieri non potest, ut orationi XIV. vel XV. laus Lysiacae simplicitatis tribuatur. — Transeo igitur

3) ad perspicuitatem.[1])

In or. XIV. etsi verba librariorum culpa multis locis non sana sunt, sententias planas et dilucidas esse nemo non videbit. Statim intellegitur cur, in quem, a quo lis intenta sit; iam ex prooemio cognoscitur hanc orationem habitam esse, ut actor primarius adiuvaretur; perspicue discernuntur tres illae partes: exordium, refutatio, peroratio. Ac ne argumenta quidem, quibus orator utitur, obscura sunt aut parum explicita. Primum enim breviter, quoniam Archestratides hunc locum iam absolvit, leges tractantur, deinde quid valeant preces eorum, qui reo aderant, explanatur, tum mores rei ipsius, denique vita patris describuntur. Eos autem locos, quibus sententiarum progressus impeditus videtur, pravitati codicis crimini dari oportet. Quare orationem XIV. perspicuitate verborum et sententiarum insignem esse censeo.

Contrarium vero de altera oratione statui necesse est; non quo offendendum sit, quod ea exordio caret (cf. Schaefer *Dem. u. s. Zeit.* 1858. Beil. IV p. 122, B: p. 495) aut manifestum non

1) Negari nequit Dionysium hanc virtutem nimis praedicavisse. Sed Fra[1] opprobria (p. 16 sqq.) recte me iudice diminuit Hentschelius: p. 43 sq.

sit, cur et in quem habita sit, sed velim ad haec animum attendas. 'Alloquitur orator initio', ut Fra[1] verba (p. 112) mea faciam, 'iudices, de praesidibus iudicii in tertia persona verba faciens (*γεγόνασι*, *βούλωνται*), tum *ἐνθυμουμένους* proferens subito se ad ipsos convertit strategos (*ἠγανακτεῖτε*). Porro in verbis *ὑμῖν ἐδέοντο καταψηφ.* genitivus pendet non ab *ἐδέοντο*, sed a *καταψηφ.*, *ἡγούμενοι* accommodatum est ad *ἠγανακτεῖτε*. Constructio est et contorta et dura.[1]) Nam *πᾶσαν προθυμίαν ἔχειν* mire iungitur c. inf. subiecto diverso et *ἡγούμενοι* postquam novum subiectum interpositum est, aegre ad *ἠγανακτεῖτε* refertur.' Et si quis illud hyperbatum tollere audeat *ὑμῶν* transponendo, restat tamen cumulatio participiorum addi versas personas spectantium, restat subita allocutionis conversio. Non ignoro etiam in Lysiae orationibus tales locos inveniri quales hi sunt: XII, 97 *ὅσοι .. διέφυγον .., ἤλθετε εἰς τὸν Πειραιᾶ* vel XIII, 75: *εἰ μὲν οὖν μὴ ἀποκτείνας προσποιεῖται, ἀδικεῖ· εἰ δ' ἀμφισβητεῖς καὶ φής ..*[2])

Sed quantum eius generis loci ab illo differant, primo obtutu perspicitur. An quemquam effugit illic planis verbis conversionem effici, hic eam tanquam irrepere participio *ἐνθυμουμένους* occultam? At verba, cum pronuntiarentur, tanto facilius ab audientibus intellegebantur, quod actor certis gestibus certoque corporis motu eos, quos appellabat, significabat (cf. Wolfius ed. Dem. Lept. 1789 p. 365). Audio; sed haec ipsa est Lysiae perspicuitas, ut etiam legentibus, quid verba sibi velint et quomodo conectenda sint, statim intellegatur. — Nec maiore perspicuitate sunt, quae in sequentibus paragraphis disputantur. Sententiarum contextus hic est: 'vos, praetores, rogo, ut pari benevolentia et reum et accusatorem audiatis (§ 1).

---

1) Durior mehercle K[1] coniectura probata. Is enim (*Heidelb. Jahrb.* 1866 p. 296 et denuo *JJ.* CV p. 255) post *ἔχειν* (et in § 6 post *ταχθῆναι*) inseri iussit *αἰτεῖσθαι*. At praetores non id operam dant, ut orent et rogent — hoc enim nulla opera adhibita fieri potest — sed ut iudices eo modo rem disceptent, quo vehementissime cupiant.

2) Egerunt de hac *ἐκβολῆς* figura, a [Long.] de sublimitate 27 commemorata Foe: obs. p. 34 et Sch: vind. p. 52, 81.

Nam considerate vos aegerrime laturos esse, si thesmothetae, cum vos in docimasia probarent, eis faverent, qui vos munere indignos esse contenderent (§ 2); praeterea autem turpissimum est iudiciorum praesides aut reum aut actorem adiuvare conari (§ 3). His duabus causis (*τοίνυν* § 4) permoti mecum facite, deliberantes — sed iam de codicis scriptura dubitatur. Praebet enim Palatinus haec: *ὅτι οὐδὲν δεήσει ἰδίᾳ περὶ τῆς ἀστρατείας βοηθεῖν ἢ τούτου ὧν τινας δεῖσθαι αὐτοὺς τὴν ψῆφον διδόντας.* Ac Sluiter (lect. And. p. 263) existimans corruptelam *τούτουων* inde natam esse, quod duae in codice lectiones exstarent, *τούτων τινὰς* et *τούτους*, sic ratiocinatur: 'utrumvis eligas, locus erit persanus: cogitantes non oportere vos privatim pro Alc. in hoc iudicio intercedere neque hos etiam strategos oportere, indices, quos in suffragia mittunt, exorare'. Videtur igitur, sicut ante eum Reiskius, illud *ὑμᾶς* referre ad iudices. Quod non credo, quia pro certissimo habeo *ὑμᾶς* ad eosdem spectare ad quos *ὑμῶν αὐτῶν.* Qui autem sunt? Ex verbis *καί* et *αὐτῶν,* quibus dicitur: 'non solum mea (accusatoris vel reipublicae), sed etiam vestra interest non ferre reo auxilium', apparet et particulae *τοίνυν* vim esse conclusivam et *ὑμῶν* ad duces pertinere. Ergo *ὑμεῖς* intellegendi sunt praetores. Idem cum sensisset Bk., correxit *διοίσει* pro *δεήσει* et *τούτων* pro *τούτουων,* quod suo iure omnes editores nunc amplexi sunt. Cum autem Fra[i] sententiam eadem causa qua Sluiteri concidere oporteret, F. novam significationem vocis *ἰδίᾳ* statuendam esse putavit; referri enim eam non ad subiectum, sed ad obiectum, ut opponatur voculae *κοινῇ* (= einseitig).[1]) Profecto quamquam haec notio singularis est et abhorret a sermonis simplicitate, cui huius orationis scriptorem in universum operam dedisse vidimus, tamen non intellego, quid aliud relinquatur. — Inde a § 5 orator singula tractat. Sed ne ea quidem ut dilucide exponeret, ei contigit. Vide enim haec. Eius probationis quae in § 5 incipit, exitus (§ 6 *καίτοι*

1) R: *JJ.* XCVII p. 602 vocem in sensum vulgarem accipit, cum praetores antea indices adierint et oraverint. Sed hoc fieri potuisse non credet is, qui rationis Atheniensium iudiciorum meminerit.

δεινόν) recte incohatur uno antithesis dimidio: attamen, ait orator, horribile est praetores, cum ipsi tum demum munera subire audeant, cum examinati sunt, Alcibiadem contra leges — en, non pergit in equitum numero collocari iubere, sed se collocare audere. Vis igitur opprobrii infringitur et in Alcibiadem convertitur, quamquam ab initio orationis usque ad § 9 non Alcibiadis audacia, sed praetorum mores impugnantur et id quod requiritur, paulo ante dictum est (ὑπ' αὐτῶν τετάχθαι). Quae offensio nec Fra[1] nec K[1] (v. p. 83) coniecturis minuitur. Nam sive ὑπ' αὐτῶν exterminatur e textu sive αἰτεῖσθαι inseritur, quo inserto impedita fit verborum structura, violatio legum non praetoribus, sed Alcibiadi crimini datur. Halbertsmae autem ratione — eici iussit p. 36 vocem τολμᾶν — non modo deletur oppositionis concinnitas, sed id ipsum verbum expellitur, quod cum vi et gravitate dictum est. Huc accedit, quod cum idem subiectum ad utrumque infinitivum referendum esset, activum τάξαι desideraretur. Denique quid sibi vellent verba ὑπὸ τ. δήμου χειροτονηθέντας? Immo si cui medela opus videtur esse, textum ea sola coniectura sanari posse arbitror, quam Lipsius, praeceptor meus illustrissimus, quondam in societate sua proposuit. Inserit enim ante τολμᾶν verbum ὁμολογῆσαι et commutat ὑπὸ αὐτῶν in ὑφ' αὑτῶν. Quaecunque autem sentis, id concedes hunc quoque locum non ea virtute ornatum esse, qua Lysias maxime animos audientium commovebat. Nam licet a legentibus haec verba intellegantur, audientibus ea obscura fuisse vixdum negaveris.

Etiam quae sequuntur argumenta magis indicantur quam explicantur. Inde enim, quod praetoribus non licebat ex eis equitibus, qui probati erant, quemlibet in hoplitarum numero collocare, colligit orator ne contrarium quidem eis licuisse. Huic autem sententiae verba ita non respondere videntur, ut ea corrupta esse existimem. Is enim, qui integro animo hanc paragraphum perlegerit, in fine desiderabit non vocabulum ἱππεύειν (= equitem esse), sed equitem efficere vel tale quid, quod ad alteram vocem ὅντινα pariter adponatur, atque ad priorem ὅντινα illud καταλέξαι. Quae concinnitas ut resti-

tuatur, periculum facio addendi ἐὰν, quod idem in § 8 (ἱππεύειν εἴασαν) invenitur et inter -ειν et -ειμεν facillime excidere potuit.

Sed cum hic mihi ipsi coniectura opus esse videatur, quod verba, non sententiarum cohaerentia impedimento erat, in proxima paragrapho non comprobo Foe[i] correcturam ὀργίζοισθε (pro χαρίζοισθε, comm. cr. p. 12 sq.), quamvis lenem. Sic enim puto oratorem disserere: ʽsed, inquit, fac ea, quae dixi, nihil valere et fuisse penes praetores, ut e magno numero eorum, qui equites fieri cupiebant, neminem nisi Alcibiadem admitterent: ne tum quidem vos, indices, obsequamini; nam eo modo lege quasi sanciretur, ut magistratus aequitatis ratione non habita id solum agerent et perficerent, quod sibi placeret.ʼ Multo igitur maiore cum odio et acerbitate hoc dicitur quam illud. Nam iudices admonentur, ne id tanquam si iustum sit, permittant, quod praetores perpetraverint curantes verba, non sententiam legum. Quare F[i] monitu codicis scriptura non corruit. Concedo haec magnam partem divinanda esse; sed est huius oratoris res indicare, non exponere.[1]) In sequentis parapraphi enuntiato primo: εἰ δ᾽ ἄκυροι ὄντες etc. argumentatio propter insolentem brachylogiam aliquantum implicata est. Nam illud ὁμολογήσουσι τάξαι dicitur pro εἰ ἔταξαν, ὃ ὁμολογήσουσι (= ὁμολογεῖν αὐτοὺς δεῖ). Ceteroquin non adversor Blassio, qui et huius et proximae paragraphi argumenta non ita dilucida vel subtilia esse asseverat.

Inde a § 9 tandem omnia bene fluunt.

Et quid consequitur? orationem XV. propter obscuritatem verborum et sententiarum ex aequo distare a genuinis orationibus atque ab or. XIV., cuius perspicuitas Lysiaca omni parte propria est.

Iam agendum est

4) de brevitate et

5) de periodorum structura.

Quoniam autem omnia, quae huc pertinent, in praecedenti

1) Memoratu dignum est F[um] adnotationes nullius orationis aeque ac decimae quintae complevisse expositione sententiarum contextus.

capite explanavi, restant quinque virtutes; sed cum eas excepta pithanotete uno capite comprehendere et cum summa iudicii consociare melius sit, antea loquar

6) De rerum inventione et dispositione.[1])

1) or. XIV. in tres partes: prooemium (§ 1—3), argumentationem (§ 4—45), perorationem (§ 46 sq.) dividi facile cognoscitur.

A) Atque exordium quidem est *προοίμιον ἐκ διαβολῆς* (*ἐκ τοῦ ὀργίζειν*), a quo plerasque orationes Lysiae incohari inter omnes constat [2]); v. e. gr. III, 1. XII, 2. XIII, 1 sqq. XXIV, 1 sqq. (cf. I, 43).

Perstringit igitur actor Alcibiadem et traducit eius pravitatem; postulat, ut poena facinorum magnitudini respondeat (§ 1—XXV, 13), excusat accusationem inimicitiis a patre hereditate acceptis (§ 2), sicut actor or. V. defensionem rei amicitia, quae ipsum cum patre coniunxerit, explicat, denique addit etiam iudicum interesse reum ulcisci (§ 2—I, 47. XXXII, 2). Excipitur prooemium brevi propositione, quae rei plane apta est (§ 3). — B) Deinde sequitur argumentatio. Quam cum per tantum paragraphorum numerum pertineat, ab oratore ipso in partes quasdam secari non miramur. — a) Primum igitur in § 4—15 de eis legibus agitur, quas Alcibiades laeserat. Violaverat autem duas: unam, quod quamquam inter pedites conscriptus erat, inter eos stipendia non fecit, alteram quod examine non superato equo meruit (v. § 22. XVI, 13. L: att. Proc. p. 465). Tractatur ideo priore parte (§ 4—7) illa, in altera (§ 8—11) haec lex. Est igitur status definitivus (v. § 8. — Cum

1) Praeclara est dissertatio Ottseni: de rer. inv. ac disp., quae est in Lys. atque Antiph. orat. progr. 1847. — Ceterum manifestum est multa, quae de tropis et figuris velut de superlatione et praesumptione exposui, huc quoque spectare. Nec vero est, cur haec repetam.

2) Dionysium Lysiae propter varietatem exordiorum nimiam laudem tribuisse imprimis Fra: p. 2 ostendit. Cf. praeterea Otts. p. 11, Sch: vind. p. 65, Th: p. 20. — De ratione ipsa, quae cohaeret cum iure talionis (XV, 10—XII, 60. XIII, 4, 92) disputat L. Schmidtius: *Ethik d. alten Grch.* II p. 359 sqq.

§ 9 comparandae sunt: XII, 84. XIII, 73. XXX, 5). Quacum expositione laxe consociatur locus communis, qui apud oratores saepissime redit. Admonentur enim iudices longiore epichiremate [1]), ut reus, qua sit nominis auctoritate et generis nobilitate, eo consilio puniatur, ne alii hoc exemplo usi similia facinora committant, sed poenae magnitudine deterreantur. Eadem sententia, in brevius redacta, in altera oratione (§ 9) exprimitur et a Lysia permultis locis. cf. A: p. 25. Simillimus eorum est XXVII, 7. — Postremis denique paragraphis laudatur, quemadmodum ceteri in bello se gesserint ([II], 25). — b) In altera argumentationis parte, quae incipit a § 16 et finitur § 22, continetur *συνηγόρων ἐκβολή*, quae dicitur. cf. XII, 85. XXVII, 12. XXX, 31 sqq. XXXI, 22. Studet autem orator preces eorum, qui reo adsunt, infirmare exponens, quid pater, quid filius peccaverit (§ 17—XII, 65. cf. § 30—XII, 36. [VI], 20), castigans eorum arrogantiam (§ 18—XVIII, 12. [XX], 34), praedicans Atheniensium de tota Graecia merita (§ 19—XXXIII, 6. XXXIV, 11. [II], 20, 42). Praetores vero ipsos nihil appetere quam ut ostentent, quantopere in republica valeant (§ 21—XII, 86. XVIII, 13. (VII, 21. XXVII, 6)), cum eorum sit demonstrare Alcibiadem aut in peditum numero militasse, aut examen equitum superavisse (§ 22—XXVII, 13—eadem oppositionis forma: XII, 34. XIII, 49, 51, 83—XVIII, 13 etiam simulat actor iudices ab adversariis ad perierandum impelli).

c) Tum actor (§ 23) [2]) transit ad rem omnium gravissimam et docet Alcibiadem propter suam nequitiam, qui condemnetur, dignissimum esse et perperam gloriari maiorum, praecipue erga civitatem beneficiis. Haec autem pars nihil est nisi maxima amplificatio, qua deprecatio praetorum ad irritum cadat. Atque § 23 sq. instar sunt compensationis peccatorum (XXVI, 4. XXX, 33), qua simul, cur de pravitate rei dicendum

---

1) Lysias ut est brevitatis studiosus et cotidiani sermonis imitator, enthymematis uti solet; nec tamen epichiremata prorsus vitabat. cf. B: p. 403 adn. 5.

2) Simillimum huius dispositionis exemplum XII, 38 sqq. esse adnotat B: p. 544.

sit, explicatur (α). Describitur deinde reus, qualem se puerum praebuerit (§ 25—28).[1]) Habemus igitur probabile ex vita, quod a Lysia saepius usurpatur (I, 37. XVI, 5. XIX, 55 sq. [XX], 23—29) et eodem modo in deuterologia inseritur XIII, 62—82 (β). Quam ad egressionem magna cum sollertia verbis *καὶ ταῦϑ' υἱὸς ὢν Ἀλκιβιάδου* (§ 30) adnectitur altera, in qua acerbissime vita patris roditur et conatus filii, quibus memoriam eius defendat, redarguuntur (§ 31—32 usque ad 34. cf. XII, 94, 97. XXVI, 2. [II], 61, 64). Concluditur haec egressio superlatione non rara. Crimini enim reo datur, quod totius calamitatis reipublicae auctor fuerit (I, 7. III, 20. XIII, 30, 34, 43, 48, 95. XXV, 31) (γ).

d) Postremo subiectionis forma adhibita in § 41—45 demonstratur Alcibiadem, qui liberetur, prorsus indignum esse eumque ex urbe eici civibus utilissimum fore (ad § 42 (fin.) cf. fr. 90).

C) Peroratio est brevis et vivax; confitetur actor se minimam quidem partem facinorum ab Alcibiade perpetratorum detexisse (§ 46—XXV, 2), sed iudices omnia computantes reum condemnent. Priusquam autem descendat, leges, iura iuranda, libellum iterum recitari iubet. (Non ita dissimilis X, 32.)

Sed quamvis dilucide has partes et particulas segregare possis, erraveris, si intra eas omnia iusto ordine tractari arbitreris. Immo actori duo vitio vertas: quod neque omnia argumenta sententiarum necessitate coniunxit neque cavit, ne res ad unum idemque spectantes repeterentur vel diversis locis disputarentur. Quis enim, ut exemplo utar, affirmet adhortationem illam (§ 12—15) ullo vinculo cum eis cohaerere, quae antecedunt et si minus maiore, at eodem certe iure adiungi potuisse ad § 45, in qua idem brevius exprimitur? Aut quis id artifice dignum esse putet, ut de sceleribus ab Alcibiade patre in patriam perpetratis duobus locis (§ 16, 17 et inde a § 30) agatur atque altero loco ita, ut cum filii facinoribus con-

1) § 25 Archedemus accusatur, quod pecunias publicas arripuerit. Idem frequentissime rempublicam administrantibus exprobratur. Cf. FG: ad XII, 93. XIV, 25. XXV, 19. cf. p. 27.

fundantur? Similem in modum id, quod initio § 11 in universum dictum est, in § 21 de praetoribus solis iteratur et amplius exponitur.[1]) Ac quo casu commotus orator argumenta agglutinet, satis apparet e § 13. Nam voce *πόλεμος* usus subito, quemadmodum ceteri in expeditione se gesserint meminit et eo perducitur, ut de ea re uberius disserat. Hiare autem sententiae conexus mihi videtur inter primum et alterum enuntiatum § 11 (*θαυμάζω δέ*). Hoc enim ita separatum est, ut tantum propterea defendi possit, quod hac tota parte orator in legibus interpretandis versatur. Perspicuum igitur est argumentorum dispositionem non modo simplicissimam esse, sed omni arte carere. Namque eadem neglegentia qua Lysias, i. e. non certo consilio, sed arbitrio libero scriptor ille singula adsuit nec curat, num quod argumentum alio loco melius ponatur vel idem diversis locis iteretur.

Tali autem dispositione vim argumentorum non augeri facile intellegitur. Atque de hac quaestione, unde consequatur, utrum oratio persuasibilis (Quint. II, 15, 13) sit necne, breviter nunc agam. Multa argumenta scriptorem communia habere cum Lysia iam vidimus; multa ex causa ipsa petita apud Lysiam non redire rationi conveniens est. Inter quae pleraque ita disputata sunt, ut re proposita digna appareant. Nam ea ratio, qua in primis paragraphis leges explicantur, in sequentibus praetorum deprecatio repellitur, in posterioribus ea, quae reus e rebus a Piraeensibus gestis ad patrem defendendum sibi sumpserat, reiciuntur, etiamsi non difficilis inventu erat, tamen recte et probabiliter adhibita est. Uno loco etiam admiratione et laude actor dignus est. Namque in § 19 Atheniensium erga totam Graeciam beneficia tam sollerter tamque callide subducuntur, ut quam non ad rem spectent, non modo non animadvertatur, sed etiam iudicum animi contra Alcibiadem origine illustri gloriantem occupentur. Quid? exordium et peroratio num languida vel aliena sunt? nonne res et forma tam aptae comparent, ut ne Lysia quidem indignae sint?

---

1) Leviores repetitiones velut in §§ 7, 17 et §§ 17, 23 omisi.

Nihilo setius orationem ad animis persuadendum non accommodatam esse B°: p. 494 concedo; non quo scriptori crimini vertam, quod sophistarum versutia usus res gestas detorquebat et depravabat alias silentio praetermittens, alias falso interpretans (§ 31, 38, 39. cf. F.) — hoc omnes oratores nec minimum Demosthenes in se admiserunt — nec quo argumenta proferat, quae proferenda non erant, sed quod quibuscunque rebus contra Alc. pugnat, omnem modum excedit et tanta intemperantia adversus reum saevit, ut ipso eo momento, quo verbum eloquitur, fide audientium destituatur. Quid e. gr. foedissimorum scelerum excogitari potest, quod in § 41 et 42 Alcibiadi eiusque asseclis non obiciatur? (cf. p. 80). Quam exsuperationem si orator facultate magnifice loquendi praeditus esset, multo tolerabiliorem futuram esse quis est, qui neget? At quam non eis locis, quibus simplicitatem reliquit et altiora petivit, id successerit, p. 76 novimus. Quo saepius hanc orationem perlego, eo magis actor id egisse mihi videtur, ut maximo odio in nobiles inflammatus, virus acerbitatis suae effunderet in eum, quem deprehendere poterat ex illis et qui quin principem locum inter eos obtinuerit, dubitari nequit.[1] Quid? crimen exiguum[2] et aegre ab oblivione vindicatum (§ 4. XV, 12) nonne auget et in maius extollit proinde quasi perduellio ipsa sit? ut iudices istos homines, *τοὺς ἐπιφανεστάτους τῶν ἐξαμαρτανόντων* puniant et exemplum severitatis in eos statuant, nonne identidem postulat (v. p. 89)? Maiores eorum unquam de populo Atheniensium meritos esse nonne praefracte negat (§ 18, 24, 39 sq.)? Atque si haec omnia pro nihilo habeas, cur oratorem cum filii tum patris facinora tam accurate tamque diligenter describere credas, ut

1) Similiter Teichmueller *literar. Fehden* II p. 266. Sed ego inde, si aliquid, contrarium potius efficiam. Etenim quamquam non ignoro Lysiam causam popularem adeo suscepisse, ut etiam Thrasybulum Stiriensem impugnaret (v. p. 2 adn. 2), tamen eum, qui or. XVIII, XIX, XXV composuit, tanta in optimates ira impletum fuisse non existimo.

2) cf. § 8 et XV, 9, quo loco quamvis tectis verbis conceditur poenam, quae lege praescribatur, graviorem esse.

quasi ad digitum computata videantur? (Otts. p. 21.) Cum autem non in argumentis ipsis, sed in eorum abusu offendam, ne id quidem contra me facit, quod or. XIV. deuterologia est, quippe in qua plerumque rebus non e causa, sed aliunde petitis pugnetur. Praeterea haec deuterologia tanto ambitu est, ut eam esse orationem principalem non iniuria suspiceris, praesertim cum etiam leges iterum pertractentur. Edepol desideratur consuetudo illa Lysiae inter eas res, quae pro argumentis usurpari possunt, idoneas eligendi et ea ratione componendi, ut quodammodo effigies morum exoriatur, qua audientes cetera, quae silentio praetermittuntur ab oratore, dimetiantur.

2) or. XV. Archestratides cum intellexisset deprecationem praetorum firmissimum praesidium Alcibiadis fore, prudenter fecit, quod ultimo loco praetores peculiari oratione impugnabat eorumque preces ad irritum redigere conabatur. Inquiramus igitur in hanc tritologiam. In prima parte (§ 1—4) actor qua par est modestia iudices et praetores ipsos orat, ut sine ira ac studio et accusatorem et reum audiant (cf. XIX, 2, 11. fr. 88) et comparatione amplificata (v. p. 72) periculosum esse monet praesides iudicii alteri eorum adesse. Deinde contra praetores se convertit (v. p. 84 sq.). Cum autem fortuito voce *νόμος* utitur, meminit eius legis, qua nititur, et commovetur, ut eorum opinionem refutet, qui poenam maiorem esse censeant (X, 31. XIX, 11. XXII, 7). Tum (§ 10) iudices adhortatur, ut reum qui leges urbis irrideat (fr. 53, 2) et si liberaretur ut in amicos benevolos, ita in urbem, non gratus foret (XXVIII, 16)[1]) salutis civitatis memores ulciscantur (ius talionis; v. adn. 2 in p. 87). Sequitur in § 11 iusto loco enumeratio earum rerum, quas singuli oratores demonstraturi erant (similiter XIII, 95) et brevis peroratio (§ 12), qua orator, cur Archestratidae adsit, explicat et iudices rogat, ut si suffragia

1) Est *τόπος ἐκ τοῦ μᾶλλον καὶ ἧττον*: I, 31. III, 38. XII, 34, 63. XIX, 33. XXII, 16. XXV, 30. [IX], 16. [XX], 20. XXXI, 10, 31. cf. G: de arg. p. 301 sq., 311.

dent, de priorum temporum calamitate recordentur (XII, 96. XXI, 19. XXIV, 21).

Explanavi haec, ut ostenderem neque sententias ullo vinculo inter se cohaerere et locos communes cum Lysiacis convenire. Ceteroquin inventionem ea laude dignam esse, qua Lysiam Dionysius afficit, agnosco. Verum enim vero hanc orationem non magis idoneam esse ad audientium animis persuadendum quam eam, quae praegreditur, eos mihi largituros esse arbitror, quibus eam perspicuitate argumentorum nimis carere demonstravisse videor. Atque id est, quod scriptori iure obiciamus. Considerandum enim est quoniam duabus orationibus res exhausta erat, difficillimum esse quicquam novi vel efficacius proferre. Huc accedit, quod deprecantium refutatio minus moderati (ἤθει) quam gravioris animi affectu (πάθει) efficitur; hanc autem artem propter summae simplicitatis studium, per quod certis tantum subsidiis uti licebat, et Lysiae ipsi et eius imitatori plane defuisse in aperto est.

Ut igitur quid sentiam, paucis dicam, argumenta orationum XIV. et XV. more Lysiae inventa et disposita sunt nec tamen sic comparata, ut oratiunculae persuasibiles evadant.

Sed ex disputatione mea huc deducta, maximam partem eminere, quae de reliquis virtutibus — nam restant:

evidentia (ἐνάργεια), ethopoeia,
decorum (πρέπον), venustas (χάρις) —

orationibus XIV. et XV. attribuendae sint, quae non, facile cognoscitur.

Atque in oratione XV., ut eam priorem ad tractandum mihi proponam, propter argumenti naturam evidentiam (B: p. 394) locum non habuisse omnes concedent neque si quis id etiam ad decorum et ethopoeiam cadere contendat, refragari audeam. Namque oratio est nimis brevis et id, quod scriptori tractandum erat, parum proprium, quam ut hae artes iuste explicari possent. Inter Lysiacas orationes e. gr. idem sentio de or. XVII., in qua praeter locum communem prooemii nihil

insigne inest.[1]) Eo maioris autem gravitatis et auctoritatis id est, quod de venustate statuendum puto. Quam virtutem tum demum in censum venire, cum omnes illae virtutes reperiantur neque una desit, si Dionysius iure autumat (cf. B: p. 398), orationi XV. propter eam ipsam causam esse abiudicandam manifestum est. Deteximus enim suis locis, quid scriptor, cum a simplicissima ratione dicendi recederet, deliquerit (homoeoteleuta § 8, 9, hyperbatum § 2, anacoluthia § 3), quantum careat facultate et studio sententias periodis describendi, quam non brevis, dilucida, ad animis persuadendum accommodata sit rerum tractatio. Atque iam adici oportet scriptori egestatem quandam verborum opprobrio tribuendam esse. Nimirum ut Lysias eorundem verborum repetitiones semper fugerit, longe abesse vv. dd. dudum cognoverunt (cf. Foe: com. p. 3, A: p. 57 sq., St 1 p. 527, Ri: p. 32, Th: p. 34); sed scriptor or. XV. tam exiguam et angustam copiam verborum complectitur, ut eadem etiam atque etiam adhibeat et nonnunquam in uno enuntiato vel in duobus deinceps insequentibus semel, bis, ter vel saepius repetat. En exempla: *βοηθεῖν* 4× § 1, 4, 9, 12; *βούλομαι* 5× § 1, 3, 7 (2×), 8; *δέομαι* 5× § 1, 2, 3, 8, 12; *ποιεῖν* 7× § 5, 6, 8, 9, 10 (2×), 11[2]); *ψηφίζομαι* 8× § 1 (2×), 8, 9, 10 (2×), 11, 12; *χρή* 7× § 4, 5, 8, 9, 10, 12 (*δεῖ* 1× § 6); *οὗτος* 11×; *ὑμεῖς* 12×; *δίκαιος* 6× § 1 (2×), 8 (2×), 11, 12; *ὑπό* in § 6 4×; *καί* 24× (in § 1 6×). Adiunge, quod iam p. 49, 65 commemoravi, sententias quinquiens part. *δέ*, semel locutione *καὶ μὲν δή* copulari et omnino numerum particularum mirum quantum exiguum esse (v. s. contraposita). Ac ne id quidem orator cavit, ne duo eiusdem conformationis enuntiata iteraret; namque in § 10 duo enuntiata concluduntur adpositis enuntiatis relativis, quae ad rei nequitiam spectant; in § 6, 7, 8 tres ex contrario argumentationes sese excipiunt, quarum duae dependent a voce *δεινόν*;

---

1) Secus nempe indicat B: p. 617 sq.

2) Id consulto, sicut paulo ante *ἀμελεῖν*, § 6 *κατά — παρά τοὺς νόμους* et *τολμᾶν*, § 7 *ἐπὶ τούτοις* (*ἐστίν — ἔσται*) et *ὅντινα βούλονται*, § 8 (*κύριοι — ἄκυροι*) *ὄντες*. cf. Foe: ll. p. 19 sq.

in § 9 ratio argumentandi eadem est atque in § 8: εἰ c. indic. et in enuntiato primario χρή c. verbo deliberandi coniunctum. Haec omnia computans si usquam magis disputatione quam sensu gratiam abesse diiudicari potest, eam non convenire or. XV. aliquantum me aperuisse credo.

Iam si omnia ea, quae de hac oratione diversis locis statuimus, sub unum conspectum subicimus, communes sunt Lysiae et or. XV. scriptori dictionis integritas et simplicitas, inventionis ratio, dispositionis neglegentia; deficiunt autem scriptorem sententiarum brevitas, argumentorum perspicuitas et πιθανότης, periodorum elegantia, orationis venustas et suavitas. Adde etiam verba quaedam et locutiones discrepare: iam intelleges orationem XV. non a Lysia scriptam, sed suppositiciam esse.

Transeo ad or. XIV., de qua iudicare non tam facile est. Atque primum quidem si id, quod p. 91 ex orationis indole collegi oratorem ingenti in optimates odio impletum esse, conceditur, hanc orationem aliquid decori habere apparet. Attamen locos, quibus laetius oratio sese effundat et lautius exornetur, et faces illas, unde orationibus a Lysia compositis obtingat blanda suavitas et gratia, frustra quaeri quis est, quin sentiat? Insignis est or. I. actoris recti conscientia, III. pudicitia, VII. morum simplicitate, X. indignatione, XII. irae sanctitate, XVI. superbia, XIX. modestia, XXIV. facetia, aliae aliis rebus — qua virtute excellit or. XIV? — intemperantia ornatus et maledictorum! Ubi igitur exstat ἦθος? Et praeterea estne ullus locus, quo paucis lineis imago tantae efficacitatis adumbretur quantae XII, 8 sqq., XIII, 39 sqq., XXXII, 12 sqq.? Minime gentium. Agitur multum de Alcibiadis filii et patris maioribus; at singula num comprehenduntur et ad eam componuntur effigiem, quae tanquam ex descriptionis planitie excedat et plenas corporis formas prae se ferat? (v. p. 92). Optimo igitur iure B: p. 494 decorum, ethopoeiam, evidentiam in or. XIV. desideravit. Verum hac sola inopia protinus ad authentiam impugnandam abuti audacius esse duco. Respiciendum enim est or. XIV. destitutam esse narratione, cuius potissimum virtutes

illae propriae sint, neque in omnibus orationibus Lysiae pari modo cum ceteras tum has tres artes conspicuas esse. —

Venustam autem or. XIV. esse planis verbis denego. Quod utrum perficiatur eo, quod singularum virtutum concentus hic quoque desit an potius aliis causis, discernere non audeo; totius autem oratiunculae indolem eam esse, ut dilucida rerum tractatione et eleganti periodorum structura multis locis is, qui legit, delectetur, multo tamen pluribus ornamentorum abusu et odii saevitie detrudatur, hoc, inquam, sentiendum, non demonstrandum est. Atque hac re sola permoveor, ut etiam or. XIV. spuriam esse maiore fiducia contendam. Neque enim pauca consentiunt cum genere dic. Lysiaco: pura et simplex est elocutio, perspicua et expedita tractatio, ex eisdem locis prompta et eadem neglegentia disposita argumenta; ac ne ardor quidem animi, quem scriptor prae se fert, suspiciosum me redderet, cum Lysiae oratio contra Mnesiptolemum scripta Photio teste non absimili indole fuerit (cf. B: p. 400). Sed cum ad alias dissimilitudines supra commemoratas accedat inopia venustatis, B. huic quoque or. nomen Lysiae suo iure eripuisse mihi quidem videtur.

Una tamen est res, qua cum eo dissentio. Etenim supra (v. p. 64, 81) discrimen non ita exiguum interesse inter or. XIV. et XV. iam monui; nunc id adiungere liceat, quod in copia verborum positum est. Scriptori enim or. XIV. tam ampla verborum multitudo suppeditat, ut quinta fere quaeque vox nova exsistat. Cum autem hac quoque differentia duarum orationum natura diversam se praebeat, eas ab eodem scriptore profectas non esse persuasum habeo. Concedo utrumque Lysiae genus dicendi imitatum esse; sed alter sive natura sive indole simplicitatem adeo affectat, ut propter egestatem et ieiunitatem molestus sit, alter licentia, qua Lysias ornamentis quibusdam indulsit, intemperantius usus est et quamvis dictio simplex sit, tamen colorem quendam rhetoricum verbis adscivit.

Excursus ad XIV, 7 (v. p. 5, 14).

Titulum *κατ' Ἀλκ. ἀστρατείας* a grammatico aliquo ut duae c. Alc. orationes internoscerentur, e XV, 1 sumptum esse elucet cf. Bergkius *grch. Litgsch.* IV p. 355. Nam crimina illa una eademque lege comprehensa esse e XIV, 7 intellegitur. Sane ea paragraphus valde conclamata est. Praebet enim cod. X haec: *ἀστρατίας μὲν γὰρ ... ἂν αὐτὸν ἁλῶναι, ὅτι ὃ καταλέγεις ὁ πατὴρ οὐκ ἐπεξῆλθε μεθ' ὑμῶν στρατοπέδῳ μόνος οὐ παρέσχε μετὰ τ. ἄλλων ἑαυτὸν τάξαι, δειλίας δέ, ὅτι δεῖ ἕκαστον μετὰ τ. πολιτῶν κινδυνεύειν ἱππεύειν εἵλετο.* Illud *ὁ πατὴρ* Emperius opusc. 1847 p. 87, 314 scribae oscitantia natum esse putavit ex *οὐ παρῆν,* eo potissimum commotus, quod in antecedentibus paragraphis praecipue id vituperatur, quod Alcibiades non adfuerit in exercitu pedestri. Sed idem significari verbis *οὐ παρέσχε — τάξαι* recte sensit K., hoc enuntiatum transponens et particula *οὐ* in *οὐδέ* commutata voci *παρῆν* adserens. Nec tamen ei assentiri possum, cum praeterea *οὔτ'* pro *οὐκ* scribendum sit et addubitandum mihi videatur, num *οὐ — οὐδέ — οὔτε* apud scriptorem simplicitatis studiosum sese excipere possint. Qua re perductus praefero Stephani correcturam satis lenem (cf. Fra: p. 102) *ὁπλίτης,* quamquam illud *ὅ,* quod ante *καταλεγεὶς* legitur, ne sic quidem explicatur. Summa autem inter vv. dd. controversia suborta est, num vetus coniectura cod. Laur. C probanda sit. Eius enim librarius textum ita constituit, ut scriberet *κατελέγη* et deinde inculcaret verba *λιποταξίου δ' ὅτι.*[1]) Qua in lite ut nova afferantur, fieri non potest. Ne igitur longus sim, ego quidem cum ex aliis locis, tum ex Aesch. III, 175 et And. I, 74 efficiendum esse credo tria crimina lege militari distincta esse *ἀστρατ., λιποταξ., δειλ.* et ideo in ea paragrapho, de qua agitur, quoniam Alcibiades contra totam legem peccavisse dicitur, illas voces inserendas esse. Circumspicienti autem, ubi exciderint, ante *οὐ παρέσχεν* ea aptissime iniungi posse mihi per-

1) *λιποταξίου* formam vere atticam esse demonstrat L: att. Proc. p. 464 adn. 779.

suasit L: quaest. p. 11 et denuo att. Proc. p. 463. Etenim non modo hoc enuntiatum nulla mutatione facta cum praecedentibus paragraphis scite conectitur, sed etiam crimen *λιποτ.* verbis *οὐ — τάξαι* optime confirmatur. — Sed restant, quibus medicina opus est. Ac primum illud *δεῖ ἕκαστον* absonum esse unusquisque videt. Deinde autem verbis *ἕκαστον* et *πολιτῶν* oppositionis vim infringi manifestum est. Optimo igitur iure Stephanus scribi iussit *ὁπλιτῶν*, quod nunc omnibus probatur.[1]) Minore autem probabilitate, id quod exponit K: *Heidelb. Jahrb.* 1866 p. 292, Fra: *δεῖ ἕκ.* depravatum esse putavit e *δείσας* participio. Verum enim vidit Schottius, qui *δεῖν αὐτόν* coniecit. Nam quoniam testimonia veterum grammaticorum, qui uno consensu *δεῖν* pro *δέον* perinde ac *πλεῖν* pro *πλέον* ab Atticis dictum esse docent[2]), Hertleinius *JJ.* XCV p. 474 et denuo Usener ibid. CV p. 741 sq. contra huius aetatis nimis anxios et grammaticos (PhButtmannum *Ausf. Gramm.* I 492) et editores (F.) in honores restituerunt et locos illos, quibus *δεῖν* traditur, magis tuendos quam mutandos esse mihi persuaserunt, non dubito ibi hanc formam quamvis raram restituere. Cetera denique felicissime sanavit Thalheimius *JJ.* CXV p. 269 sqq., cuius coniecturam L°: *Burs. Jber.* 1880 p. 345, Roe°: *Z. f. G.* 1878 p. 40 sqq., Hauvette Besnaultio: *les stratèges Athéniens* 1884 p. 141 valde placuisse non miror. Eius igitur ratiocinatione probata haec oratoris verba fuisse credo: *ἀστρατείας μὲν γὰρ δικ. ἂν αὐτὸν ἁλῶναι, ὅτι καταλεγεὶς ὁπλίτης οὐ συνεξῆλθε* (v. p. 25 sq.) *μεθ' ὑμῶν στρατευσόμενος, λιποταξίου δ' ὅτι ἐν τ. πεζῷ στρατοπέδῳ μόνος οὐ παρῆν μ. τ. ἄλλ. ἑαυτὸν τάξαι, δειλίας δ' ὅτι δεῖν αὐτὸν μ. τ. ὁπλιτῶν κινδ. ἱππεύειν εἵλετο.* Sed si quis quae ceteri vv. dd. de hac paragrapho disseruerint, accuratius cognoscere cupiat, is inspiciat velim Sch[i] et F[i] editiones, Roe[i] disputationem (*Z. f. G.* 1878, 6),

1) Has voces saepius confusas esse ostendit Schaefer ad Greg. Cor. de dial. lib. p. 141. Sed eam ipsam commutationem exstitisse XXIX, 3 Bakio (Mnemos. 1860 p. 190) non concedo.

2) Locos congesserunt Lobeckius path. elem. I p. 475 et AButtmannus ad Apoll. Dysc. vers. p. 298.

B[i] adn. 5 p. 486. Recentissima quod sciam coniectura est Bartelti in emend. Lys. 1882 p. 20 sq.

Adpendicula.

Hanc adpendiculam ut adsuerem, duplici causa commotus sum. Primum enim opus esse mihi videbatur paucis explanare, cur inter eas orationes, quarum authentia a vv. dd. in suspicionem vocata est, alias iure, alias iniuria a Lysia abiudicatas esse arbitrer. Deinde autem omnibus, qui Lysiae orationibus operam suam studiumque navant, me gratum facturum esse existimabam, si quantum possum recentissimas de singulis orationibus monographias congeram et ne alii haec subsidia neglegant, efficiam.

Atque initio ut, quo usque nostrae aetatis criticorum furor grassatus sit, ostendam, sub unum conspectum omnes eas orationes adducam, quas aut spurias aut epitomas esse vel hic vel ille quondam contendit. Subditiciae igitur hae habitae sunt: II. IV. VI. VIII. IX. X. XI. XII. XIV. XV. XVI. XIX. XX. XXII. XXIV. XXV. XXVIII. XXIX. XXX. XXXI. XXXIII.

Ex genuinis autem excerptas vel posterioribus temporibus retractatas esse vv. dd. censuerunt hasce IV. VIII. IX. XI. XII. XV. XVII. XVIII. XX. XXIII. XXVII. XXX. XXXI.

Illa igitur classis viginti et unam, haec tertiam fere partem omnium orationum complectitur et si ambarum summa computatur, ex XXXIV, quae nunc in editionibus Lysiae continentur, orationum numero ipsae novem relinquuntur, quae quin genuinae essent, nemo adhuc dubitavit. Quae ratio adeo caret probabilitate, ut facere non possim, quin id studium, quod his potissimum diebus floret, studium dico ubique epitomatoris manum indagandi, non minus quam Thalheimius *JJ.* CXVII p. 549, B: *Burs. Jber.* 1882 p. 185, Sittlius p. 151 sq. sat dubium et periculosum esse existimem. Immo ullam or. excepta XI. excerptam esse e genuina tantum abest, ut mihi persuaserim, ut omnes eiusmodi ratiocinationes reici posse credam argumentis tantae auctoritatis quantae attulit ad or. VIII.

Buermannus Herm. X p. 347 contra Gleinigerum p. 150 sqq.; cf. B: ll. 1874/5 p. 479 sq. et 1877 p. 262 et *att. Beredsk.* p. 640 sq. Neque vero St 1 p. 529 sqq. Buermanno multum eripere potuit, quamquam tulit assensum Roe[i]: *Z. f. G.* 1875, 1 et 1877, 8. — Sed accedamus ad singulas orationes. Quas eo ordine recensebo, ut primum genuinas, deinde spurias, postremo dubias pertractem.

1) Genuinae.

Incipio ab Erotico, qui dicitur (Pl. Phaedr. 230[e]—234[c]). 'Eum Lysiae tribuendum esse satis mihi probasse videntur Haenischius L. amat. 1827 et LSchmidtius *Verh. d. 18. Vers. deutsch. Phil.* 1853 p. 93 sqq.' Sic rectissime A: p. 42. Virorum dd. sententias enumeravit Landweerus de epit. qui L. vulgo trib. p. 53, 1. Sed fugit eum Constantinidis in Athenaei vol. IV p. 32 sqq. commentatio, in qua aliorum de hac re scripta non pauca inveniuntur. His addantur W: praef. ed. L. p. XI, 46; Leb: p. 21; Eckertus de epit. L. or. falso trib. p. 14 sqq.; Pluntkius p. 8 sq.; G: ed. p. 5 adn. 34; Pretzschius p. 17 sqq.; Sittlius p. 143.

De or. IV. quae B: p. 585 sqq. et Fra: p. 37 sq. explicuerunt, ut Taylori, Dobrei (p. 198), Fa[i] (p. 54 sq.), offensiones tollantur, sufficiunt. Sch. quae disputaverat *JJ.* XXXI p. 363, postea ipse abiecit: ibd. *Suppl.* 1855/6 p. 301. Temere AHofmeister *üb. Gebr. u. Bed. d. ι dem.* p. 23, quod nomina accusatoris et rei desiderat, hanc orationem subditivam esse asseverat. St 1 p. 521 eam ex parte contractam esse posthac demonstraturus est. Interim in arte critica factitanda acquievit cf. 2 p. 100 sqq. Sed eum operam perdidisse A: *Z. f. G.* 1882, 9 explanavit.

or. X. a Lysia non scriptam esse et Alfons Hecker (progr. gymn. Leyd. 1847/8 p. 15 sq.) et Sch: *JJ.* XXXI p. 365 affirmaverunt, Harpocrationis suspicionem comprobantes. Absurdum enim esse statuere trigintaviros quinto demum anno postquam eiecti essent, eius criminis, de quo in § 31 ageretur, ab actore accusatos esse. Quae res, in qua etiam Fra: p. 78 offendit, explicata est a F[o] et B[o]: p. 605. Denuo autem hanc

quaestionem tractavit CHermannus: *Z. Echtheitsfrage v. L. X. R. üb. d. Verh. zw. R. X. u. XI.* Cui et genus dicendi et compositio a Lysia abhorrere, verba autem et sententiae cum locis quibusdam Demosthenicis adeo congruere videbantur, ut orationem illam a sophista nescio quo suppositam esse existimaret. Attamen nec Roe°: *Z. f. G.* 1879, 5 nec B° (p. 607 adn. 5) persuasit. Optimo iure opinor. Etenim ut missum faciam eum et illas et alias similitudines ex aequitate argumenti ortas nimis pressisse, narrationem propter criminis naturam supervacaneam iniuria desideravisse, nonnullas res Lysiae proprias frustra denegasse velut consuetudinem, qua praepositio post particulas quasdam non repetitur et alia, ut igitur omnia haec missa faciam, or. X. ea virtute perspicue ornata est, qua Lysias summam gloriam sibi paravit: ἠθοποιίᾳ. An quemquam effugit, quanta pietate et superbia actor patris memoriam celebret (§§ 21, 22, 26, 27) et rebus ab eo optime gestis glorietur, quanta irrisione et contemptione in reum invehatur eumque iterum atque saepius ignaviae insimulet (§ 15, 20, 22), quanta indignatione et acerbitate Dionysii supplicium conqueratur et iudicum sententiam reprehendat (§ 24, 25, 30). Profecto 'omnino altius insurgit oratio habetque saepe eundem colorem atque XII.' (Fra: p. 73). Quare satis mirari non possum, quod Sittlius p. 155, 4 or. X. spuriam esse pro explorato habet. Authentiam defendunt etiam Hoelscher: p. 76, Fa: p. 114, St 2 p. 97 sq.

or. XII. Ut quam maxime plenus sim, temeritati Heckeri, qui ll. Lysiam hac or. privare studebat, eum severitate, id quod vix opus erat, restitit R: *Zschr. f. A W.* 1849 p. 348 sqq., cf. W: praef. ed. p. XVIII sq. — Gleinigero p. 168, 1 videntur et haec or. et XVIII. XX. XXX. plus minusve retractatae esse.

or. XVI. Errorem Benseleri p. 184 sq., qui XVI. XXII. XXIV. XXV. XXVIII. XIX. XXXIII. or. propter 'hiatum magis solito evitatum' dubitationi iustae obnoxias esse dixit, commemorasse satis habeo; cf. p. 3.

or. XVII. et XXIII. epitomas esse sicut XI. (Fra: p. 123, 238 et 164, 238) tantum abest, ut concedam, ut eas pro luculentissimis exemplis brevitatis Lysiae habeam. Quid? quae

ad causam pertinent, nonne omnia enarrantur? *πίστεις ἀτέχνους* ad iudicum animis persuadendum accommodatissimas confirmare et augere *ἐντέχνοις* num opus aut commodum erat? Idem B: p. 618, 620; St 1 p. 499.

or. XVIII. Sachsii (quaest. Lys. spec. 1873) artificiosam argumentationem redarguit Schoellius: *Jen. Litztg.* 1874 p. 678. cf. L: *Burs. Jber.* 1876 p. 1378 et B: ibd. p. 273.

or. XIX. suspectam esse praecipiti iudicio Sittlius p. 153 inde colligit, quod in § 34 orator non modo iudices solis verbis *ὦ δικασταί* alloquitur, sed etiam ad iurandi formulam *πρὸς θεῶν Ὀλυμπίων* adponit *φέρε*; utrumque enim a consuetudine Lysiae abhorrere. Maximae mihi est admirationi talia urgeri ab eodem, qui p. 152 difficillimum esse autumat generis dicendi pervestigatione eiusmodi quaestiones dirimere. Sed nugae sunt. De priore argumento disseram ad or. XXVIII., de hoc autem id dico: carere ratione certam consuetudinem statuere, quoniam tribus tantum locis iusiurandum illud apud Lysiam legitur uno loco (XIX, 34) voce *φέρε* addita, duobus omissa (XIII, 95. XIX, 54). Aliud enim est IV, 20. [VI, 7, 32, 38. VIII, 18. XX, 36.] cf. FG: ad XIII, 95 et Kuehnleinius: de vi et usu precandi et iurandi formul. ap. X or. att. p. 3 sq., quo F[i] et Siggii commentationes supplentur. (Apud alios oratores non raro *φέρε* adponi monent FG: ed. I p. 229.)

or. XXII. Olim tres erant, qui hanc or. genuinam esse negarent: Jacobsius add. animadv. in Athen. p. 262; Bremius in ed. p. 444, Benseler (v. ad or. XVI.). Sed nemo dum eorum partes suscepit. Iusto iure.

or. XXIV. Boeckhius quondam (Sth. [3]I p. 309 adn. d) e sylloge Lysiaca exterminabat. Cuius sententiam quis secutus sit, non video, nisi forte Benseleri iudicium (ad or. XVI.) vel Rosenbergi verba *phil. Anz.* V p. 456 '*wenn die Rede überhaupt mehr als eine blosse Uebungsrede ist*', sic intellegis. Planis verbis ei refragantur: Bremius p. 245, Fa: p. 277, Bergkius, censor Boeckhii *JJ.* LXV p. 392 sq., Gleiniger ll. p. 169, Fraenkelius ad Boeckhii locum (in vol. II. 1886 p. 68* n. 453), B: p. 637 sqq.

or. XXVII. contra Schoemanni (Altm. [3]1873 p. 584) et Fra[i] (p. 204) suspiciones non frustra patrocinatus est Hentschelius in diss. p. 26 sqq. Idem hanc orationem continuam neque e variis orationibus confusam esse docet contra Hamakerum p. 73 sqq. et eius asseclam Parowium: de or., quae inter Lys. loc. obtin. XX., forma et auct. p. 42 sqq. Aliud profitetur Thalheimius *JJ.* CXVII p. 553 sq.

or. XXVIII. Me non assentiri Sittlio, qui p. 153 or. XXVIII. Lysiae non esse contendit propterea, quod contra Thrasybuli Stiriensis (erravit F: *Philol.* XVII p. 450) amicum quendam composita sit, is non ignorabit, qui legerit p. 3 adn. 1. Quod autem hac in oratione iudices ubique appellantur *ὦ ἄνδρες Ἀϑηναῖοι* (§§ 1, 3, 6, 8, 10, 11, 12 (bis), 16, 17), id mihi nulli offensioni est, quod idem legitur XII, 69. XIII, 3, 8, 15, 18, 43, 93 (bis). XXVII, 1, 8. XXXIV, 1, 3, 9, 11 (Useneri probabili ex correctura: *JJ.* CVII p. 158), fr. 96. Praeterea considerandum est allocutionis formularum apud Lysiam usum certis legibus definiri non posse. Inveniuntur enim *ὦ ἄνδρες* in or. I. viciens quater (alio modo XXXIII, 1), *ὦ Ἀϑηναῖοι* fr. 75, 1. I, 6, 7 (cf. F.)[1]), *ὦ ἄ. Ἀϑ.* locis modo laudatis, *ὦ ἄ. δ.* ceteris. Librariorum oscitantia XIII, 3. fr. 1, 1 (v. paulo post et § 2) *ὦ*, XXXII, 24, 26, 28 (cf. F. et R.) et XIX, 34 *ἄνδρες* omissum est, *ὦ ἄ. βουλευταί* XXVI, 21, *ὦ βουλή* reliquis locis. Quomodo res se habeat in fr. 76 (*ὦ δικ.*), non audeo diiudicare. Breviter haec complexus sum, quod Rockelius in diss. nec plenus est nec errores vitavit nec fragmenta curavit (v. etiam p. 31 sq. et 105).

or. XXXIII. Quae olim Sch: *JJ.* XXXI p. 373 Lysia indigna esse putabat — in ed. ea non repetivit — expedita sunt a B[o]: p. 434 sq. Aliud offendit Benseler, v. ad or. XVI.

---

1) Weidner in ed. nulla explicatione addita *ὦ. ἄ.* recepit. Legitne in X? An est coniectura illa W[i]? Optimo enim iure censores conqueruntur eum saepius incuria quadam textum constituisse. cf. A: *Z. f. G.* 1888 p. 201, Kocksius *Ph. Rdsch.* 1888 p. 354 sqq., Slameczka *Ztschr. f. östr. G.* 1888 p. 877 sqq.

2) Spuriae.

or. II. suppositam esse ne nunc quidem omnes sibi persuasisse testes sunt Th. et EMaasius censor B[i], *deutsch. Litztg.* 1887 p. 1546 sq. Verum horum disputationibus multa ea, quae ab adversariis proferebantur, prorsus non refutata sunt, quamquam Th. nova attulit (v. A: ll.). Qui virorum dd. opiniones vult cognoscere, eum remitto ad Leb: p. 4 sqq., cuius indicem librorum supplet Eckertus de epit. L. or. falso trib. p. 2, 7. Adicio hosce: Sluit. p. 281; Fa: p. xiv, 18 sq., Hentsch: p. 5 sq., M: p. 3, CHermann: p. 5, Landweer: p. 27 sq., G: ed. p. 7 adn. 50, Erdm: (v. p. 4 adn. 2), Ri: in diss. (cf. Erdm: *Ph. Rdsch.* 1882 p. 1353 sqq., A: *Z. f. G.* 1882, 11, 12, B: *Burs. Jber.* 1882 p. 228), Reuss: Rh. Mus. XXXVIII p. 148 sqq., Keilium anal. Isocr. p. 98, Sittl: p. 145, B: p. 436 sqq., Weidn: ed. p. 6, Christium *grch. Litgsch.* p. 291. Qui omnes epitaphium a Lysia non compositum esse consenserunt. Alterum pro certo habent Perrotus: *rev. des deux mondes* 1871 p. 852, Girardus: *rev. archéol.* n. s. 1872 p. 373 et 1873 p. 4 sqq., Kluegmannus: *d. Amaz. in d. att. Lit. u. Kunst* p. 67—70 cf. Bureschius *Leipz. Stud.* IX p. 90.

or. VI. In hanc orationem quoniam inquisiverunt Ruhnkenus hist. crit. p. 50 (= opusc. I 1823 p. 324) et Hoelscher p. 57 sqq. non est, quod addatur, quamquam Franzius editor (p. 279) patronus authentiae exstitit. Vix opus est assentientium nomina afferre: Dobreus p. 196, Foe: in ed., Bremius p. xviii, Sch: *JJ.* p. 364 et in ed. p. lxxx, Fa: p. xiv, 68 sqq., Pertz: p. 13, Goetzius: *JJ. Suppl.* VIII p. 540 sq., FG: p. 7 adn. 50, M: p. 3, Sittlius p. 153, B: p. 562 sqq., Weidner p. 6, Christius ll. — Orationem centonem esse ut demonstraret, non contigit Parowio p. 40 sqq. Denique cf. L: in edit. Andoc. 1888 p. V. Is sui iudicii rationes alibi se expositurum esse pollicetur.

or. VIII. Lysiae esse qui credat, praeter Perrotum (ll.) et Bergkium (ll. p. 353) neminem esse arbitror. Quae vv. dd. adhuc ratiocinati sunt, Hallenslebenus in progr. nullius pretii (de or. quae inter L. fertur VIII. rat. et temp.) collegit et examinavit. Pauca quae iam Fritzschius in diss. p. 2 enumeraverat, omisit.

Ego praeterea hoc noto. Cum Roe: *Z. f. G.* 1877, 2, A: p. 29, Pretzschius p. 38 diserte, Weidner p. 6 dubitanter Gleinigero adstipulentur, Hermannus (v. or. X) p. 5 et Thalh: *JJ.* CXVII p. 549 or. epitomen esse negant. M: p. 3 et Sittlius p. 151 eam a Lysia abiudicant. Wilckii libellum: *d. 8. R. d. L.* 1870 acquirendi facultas non erat.

or. IX. spuriam esse existimo. Primum enim eorum, quae cum alii, tum St 1 p. 500 sqq. — aliud sane demonstraturus — congessit, permulta concedo. Deinde autem id nolim parvi facere, quod allocutio iudicum semel inseritur neque id, sicut est mos Lysiae, primo, sed quinto demum enuntiato. Ante omnia vero sub verbis *οἱ μετὰ Κτησικλέους τοῦ ἄρχοντος* (§ 6) et propter linguae graecae leges et propter sententiae cohaerentiam Ctesiclem non praetorem, sed archontem eponymum intellegendum esse, quamvis Gilbertus *Beitr. z. inn. Gesch. Ath.* p. 27 adn. 16 contrarium statuat, cum Fra°: p. 66 consentio. Sed idem errat, cum dicit in hac oratione inesse, quae cum iure attico pugnent. Immo omnia cum legibus Atheniensibus adeo congruunt, ut orationem a scriptore iuris attici satis perito compositam esse nullo modo infitiari queas. Quod amicissimum quendam mox demonstraturum esse spero. — Idem atque St. statuunt Halbertsma p. 17 sq., A: p. 29, Weidner p. 6 ('fortasse'); contra eos Herm. p. 6. Originem Lysiacam profitetur Fa: p. 108, negant M: p. 3, G: de arg. p. 376 et in ed. p. 7 adn. 50.

or. XI. est antecedentis X. epitome. Cuius de ratione et consilio egerunt Hermannus p. 17 sqq. et A: p. 1 sqq.

or. XX. Velim in unaquaque oratione, quae in suspectis sit, quaestio ad tam certum finem deduci possit quam in hac XX. Ad eos, quos B. nominat, vv. dd. adiungo hosce: Bakium schol. h. III p. 245, Fa: p. xiv, 243 sq., Sch: lect. L. p. 342, Pertzium p. 13, FG: p. 7 adn. 50, Halbertsmam p. 44, Hugium *Jen. Litztg.* 1876 p. 635 sq., Roe: *Z. f. G.* 1877, 13, Hentsch: p. 5, M: p. 3, R: *phil. Anz.* IX p. 452, Landw: p. 70, St: *ph. Rdsch.* 1882 p. 8 sqq., Bergkium ll. p. 357 sq., Sittlium p. 149, 152. Simile atque Gleiniger (v. ad or. XII.) credit Pretzschius p. 38.

3) Dubiae.

Huic generi duae mihi videntur adscribendae esse orationes XXX et XXXI.

or. XXX. quantas praebeat difficultates, inter eos, qui paulisper in Lysiae scriptis aut in iure attico versati sunt, nemo erit, qui nesciat. Nam etiamsi, quod nunc enucleaverunt viri legum Atheniensium scientia ornati, verisimillimum est Nicomachum εἰσαγγελίᾳ in iudicium vocatum esse (cf. F: III p. 28 adn. 51; Fu: II p. 61, B: p. 463 adn. 3), tamen multae quae insunt res tam perturbatae tamque implicatae sunt, ut quid verum sit, diiudicari nequeat. Quam ob causam non mirum est controversiam, quae ad nos pertineat, vv. dd. triplici ratione tollere tentavisse. Putaverunt enim alii genuinam, alii spuriam, alii excerptam vel retractatam esse orationem. Authentiam autem nonnulli accipi non posse arbitrantur, nisi simul sumatur orationem esse deuterologiam. Hanc sententiam, cuius auctor est S., receperunt F: ll. p. 29 et ed. min. II p. 249 et Fu: ll. Contra eos pugnat Gueldius quaest. de L. or. in Nic. p. 43, qui orationem protologiam esse e § 7 conclusit nec tamen Sittlio p. 152 adn. 1 vel B°: p. 466 persuasit. Hic porro nominandus est A: *Z. f. G.* 1883, 9, 10 et 1888 p. 215. Qui quidem eam a Lysia scriptam, sed temporum iniquitate valde mutilatam esse contendit. Adde Fra[i] sententiam: p. 222 (cf. 238): 'subductis rationibus nihil video equidem, quod Lysiae stilum dedeceat' et p. 221: 'fuisse videtur declamatio e ludo'. — Excerptam esse or. XXX. Gleinigero ll. et ut solet Stutzer 1 p. 521 censuerunt, Schultzius de L. or. XXX. diss. Berl. 1883 etiam confirmare studuit, quamquam Gueldius antea intercesserat. Schoemannus denique ll. p. 584 eam a Lysia abrogavit ratus sophistae exercitationem esse. Quod cum nemini adhuc probaretur, nuper Sachsius in progr. supra laudato idem protulit, perspicuitatis potissimum inopia commotus, discrepantiis nonnullis elocutionis, consensu quodam dictionis, qui inter XXX. et XIV. et XXVII. exstaret. Sed eius argumentorum unam partem reiecit A: *Z. f. G.* 1888 p. 213, alteram non minus red-

argui posse apprime confido, praesertim cum Schultzius inde a p. 37 diligentissima disquisitione usum dicendi huius auctoris convenire cum Lysiaco ostenderit. Quam ob rem authentiam teneo, quamquam eam extra omnem dubitationem non positam esse concedo.

or. XXXI. Lysiae non esse primus, nisi fallor, Sch: *JJ.* p. 372 autumavit propter annominationum, antithetorum, locorum communium cumulationem. Quam dissimilitudinem generis dicendi multis aliis exemplis confirmavit F: in ed. III p. 61. Singula denique attulit Wagner: de inf. ap. or. att. p. 4 (v. p. 31), qui idcirco facit cum Sch°. Atque revera hoc discrimen tam manifestum est, ut omnes, qui orationem Lysiae vindicant (F: ll., Fu: I p. 131, B: p. 485, Hussius de L. c. Phil. or. (cf. F: *phil. Anz.* II p. 290)) id uno testentur ore. Perquam autem haesito, num ei recte faciant, qui hanc discrepantiam ethopoeia, satis praeclara scilicet hac in oratione, excusare aut sicut Fra: p. 231 sqq., eo removere studeant, ut interpolatoris manu non ita pauca irrepsisse sumant. Nam notanda sunt praeter elocutionem duo, quae ad rem spectant: neque id foedus, quo pace a. 403 facta exsules revocabantur, neque Solonis legem, qua unusquisque tumultu exorto alicuius partes sequi iubebatur, uno verbo commemorari. Interpretes etiam id explanare conati sunt; illud Luebbertus de amn. a. 403 ab Ath. decr. p. 91, hoc Luedersius *JJ.* XCVII p. 54 adnuente Fu°: ll. Verum scrupulos mihi non potuerunt evellere.

Ut igitur quid sentiam, paucis dicam, istuc potius me inclinare confiteor, ut or. XXXI. suppositam esse credam. Velim autem inveniatur is, qui in eius elocutionem, inventionem, dispositionem quam accuratissime inquirat et utrum suspicio iusta sit necne, exponat. Multo enim magis id mihi in rem esse videtur quam ingenii acumine ita abuti, ut quam plurimas orationes nihil esse nisi epitomas demonstrare tentetur.

INDEX RERUM

(QUAE IN TABULA ARGUMENTI SATIS INDICATA SUNT, EA HOC LOCO REPETERE NOLUI.)

INDEX LOCORUM

QUI TRACTANTUR

Nomina virorum dd. per notas scripsi haece:

A = Albrechtius (nisi quid additur, intellegenda est eius diss., v. p. 4 adn. 1.)
B = Blassius
Bb = Berbigius
Bk = Bekker
F = Frohberger
Fa = Falkius
Foe = Foertschius
Fra = Franckenus
Fu = Fuhrius
G = Gebauer
K = Kayser
L = Lipsius
Leb = Lebauus
M = Fr A Mueller (diss., v. p. 4 adn. 1)
R = Rauchensteinius
Ri = R Richter (diss., v. p. 4 adn. 1)
Roe = Roehlius
S = Sauppius
Sch = Scheibius
St = Stutzer
St 1 = Hermes XIV p. 501 sqq.
St 2 = „ XVI p. 92 sqq.
Th = Thomaschikius (diss., v. p. 7)
W = Westermannus

TABULA ARGUMENTI

DE REBUS PRIENENSIUM

SCRIPSIT

THOMAS LENSCHAU.

Caput primum.

De urbe Prienensium.

Ubi saltus Mycalensis meridiem versus abruptis rupibus ad oram maritimam descendit, e regione Mileti collis ab ipsis montis radicibus in planitiem procurrit leniter undique declivis, in quo antiquitus sita erat Priene una ex duodecim Ionum coloniis.[1]) Sed ex tota urbe nihil reliquit iniquitas temporum hominumque barbaries nisi vastum fragmentorum acervum, prope quem hodie vicus quidam Turcarum exstat cui nomen est Sampsun Kalesi.[2]) Diu ille neglectus iacuit vix ab uno alterove eorum visitatus, qui antiquitatis studio commoti Asiam minorem peragrabant, quoad anno 1765 primus Riccardus Chandler omnem hanc regionem diligentius pervestigavit et descripsit. Opus a Chandlero intermissum plus saeculo post Pullan ad finem perduxit, eiusque non minus quam Rayeti et Thomae opera nunc factum est, ut accuratiorem fingere liceat veteris urbis imaginem.[3])

1) Prienè is situated on a low spur of Mount Mycalè some two hundred feet above the level of the plain. . . Here (scil. in templi fundamentis) and in the Agora beneath it, are the only level spots of ground within the city walls. The remainder of the city was built on the side of the hill and approached by flights of steps cut in the solid rock. Pullan Ion. Ant. IV, 28 b.

2) Ruinarum conspectum praebent Ion. Ant. I. tab. 1. IV, tabb. 14—17. Rayet tabb. 5—8. De situ urbis cf. Chandler, travels in Asia Minor vers. Germ. p. 205. Choiseul-Gouffier, voyage pittoresque en Grèce I, 183. W. M. Leake, journal of a tour in Asia Minor p. 239. „the undoubted landmarks afforded by the fine ruins of Prienè at Samsun." Rayeti tab. 2.

3) Anno 1765 a societate Dilettantorum (The Society of Dilettanti), quae Londinii habitat, missi sunt Chandler Revett Pars ad explorandas

Etenim Strabonis temporibus Priene ab ora maritima quadraginta stadiorum intervallo separabatur (Strab. p. 579). Hodie autem vicus ille Turcarum, qui paene in ipsis urbis ruinis exstructus est, octoginta stadia a mari distat. Tantum spatii per undeviginti saecula littori addiderunt continuae Gaesonis et Maeandri fluminum alluviones.[1]) Unde sequitur saeculo ante Christum undecimo vel decimo cum urbs conderetur, multo etiam propius quam Strabonis aetate oram maritimam ad montes accessisse portumque urbis tunc ipsis moenibus fuisse subiectum. Labentibus autem annis litus processit et paulatim portum alluvie explere coepit. Attamen initio etiam saeculi quinti in usu eum fuisse docet testimonium Herodoti (VI 8), qui in classi Ionica apud Laden coacta duodecim Prienensium naves enumerat. Neque adsentior Rayeto, qui sub finem eiusdem saeculi quinti portum iam repletum fuisse existimat. Cuius sententia eo potissimum argumento nititur, quod Thucydides in describendis rebus bellicis anni 412, quae in sinu Latmico gerebantur, inter varias classis Atheniensium stationes Laden Glaucen Samum enumerat, ne verbo quidem commemorat Prienen, quae satis opportuna fuit Atheniensibus.[2]) Sed longe aliter rem explicat Newton (Ion. Ant. IV p. 21 not. 4), qui propterea portu Prienensium non usos esse censet Athenienses, quod erat statio male fida carinis et repentinis illis tempestatibus subiecta, quae eius regionis propriae sunt. Quae sententia si cui probatur, ego non repugnaverim, etsi facilius mihi videtur rem inde explanare,

---

Asiae minoris regiones. Quae inventa sunt, Chandler descripsit in Antiquitatum Ionicarum volumine primo, quod 1769 prodiit. Eadem societas Pullanum delegavit, qui 1868 et 1869 ruinas Prienes pervestigabat unaque cum viris doctis Newton et Fergusson quartum condidit Antiquitatum Ionicarum volumen, quod anno 1881 publici iuris factum est. Tertium vero omnes illae regiones accurate descriptae sunt a Rayeto et Thoma, qui annis 1872 et 1873 vallem Maeandri peragrabant, in opere quod inscribitur 'Milet et le golfe Latmique' nondum absoluto.

1) De alluvionibus Maeandri et Gaesonis dixit Rayetus I. p. 24—32. cf. inprimis p. 31 sq. et tabulam 2.

2) Rayet. I, 26.

quod Lacedaemonii totam oram occupaverant eodemque artificio Athenienses terra prohibebant, quo postea usus Alexander cum Miletum oppugnaret, Persarum classi terrae aditum ademit (Arr. I 19, 8). Utut hoc est, medio saeculo quarto Priene duos habebat portus, quorum alter aggere clausus erat[1]) haud dubie, ut naves defenderet a repentinis illis procellis quarum vim Pullanus ipse cum Prienes degeret, expertus est (Ion. Ant. IV p. 28[b] fin.). Utrum vero Naulochum illud, quod in decreto quodam Alexandri IMB 400 et apud Plinium n. h. 5, 27 commemoratur, alter urbis portus fuerit,[2]) incertum manet neque magis constat quid posterioribus saeculis de portubus factum sit, cum magis magisque crescerent fluviorum alluviones.

Haec de portubus: alteri urbis parti, quae septentrionem spectat, mons imminet mille circiter pedes in altitudinem elatus tribusque ex partibus admodum abruptus.[3]) In hac rupe posita erat arx Prienensium undique muris cincta. Inde urbis moenia exorsa et montis declivia secuta totum fere collem rupi subiectum includebant, in quo urbs collocata erat. Quando haec moenia aedificata sint, accurate dici nequit. Nam quae Chandleri etiam temporibus stabant murorum reliquiae,[4]) eae nunc paene evanuerunt, neque quicquam de eorum structura vel de lapidum forma et magnitudine adnotavit Chandler, unde aliquid de tempore concludi possit. In universum tamen hoc dicere licet. Antiquissimis temporibus arces tantum urbium Ionicarum munitae erant, urbes ipsae moenibus carebant solique

1) (Scylax) peripl. § 81. Fabr. *Ἐπὶ τῆς Μυκάλης ἐστὶ πόλις Πριήνη λιμένας ἔχουσα δύο ὧν τὸν ἕνα κλειστόν.* De tempore peripli Ungero adsentior Philol. 33, 29—45, qui eam quam nunc habemus libri recensionem anno 347 tribuit.

2) Naulochum prope ostium Maeandri situm fuisse dicit Waddington Leb. Asie mineure 186. Unde hoc habeat, nescio.

3) . . . . the north, where a grand precipice rises to a height of a thousand feet Pullan Ion. Ant. IV, 28[b]. cf. Chandler Travels p. 228. Arduam montis naturam bene demonstrant Ion. Ant. I, tab. 1. IV, tab. 1. Rayet. tab. 5.

4) cf. Chandler Ion. Ant. I p. 14. Tractum moenium urbisque ipsius fundamenta delineavit E. A. Falkener Ion. Ant. IV, tab. 2. 3.

Phocaeenses Arganthonii regis munificentia adiuti urbem quoque muro circumdederant.[1]) Ceteros autem Iones periculum, quod post Sardium expugnationem a Persis minabatur, coegit urbes suas muris defendere;[2]) sed quae tunc exstructae sunt munitiones, eae rursus deletae esse videntur a Persis post Ionum seditionem repressam. Quo factum est, ut anno 427 Ionia esset *ἀτείχιστος* (Thuc. III 33, 2) ultimisque etiam belli Peloponnesiaci annis Chius Erythrae Clazomenae Phocaea muris carerent.[3]) Et omnino maius fuisse videtur opus illud, quam quod sustinere possent minores illarum regionum urbes velut Priene. Itaque verisimile est moenia urbis non ante Alexandri aetatem aedificata esse et hoc unum constat medio fere altero ante Christum saeculo ea iam stetisse, quia tunc urbs ipsa acerrima petita est oppugnatione (cf. infra caput sextum). Ceterum moenium tractus diligenter iam a Chandlero detectus artem demonstrat architecti qui id semper egit, ut quam plurimos efficeret angulos murumque turribus defenderet. Portis murum tribus tantum locis interrumpi voluit, quarum prima ad occidentem fert, altera in ea parte urbis sita est, quae est infima et in orientem maxime et meridiem vergit. De tertiae portae situ dubitatur.[4])

In medio fere moenium circuitu, ubi ex superioribus oppidi regionibus latissimus in omnes partes patet prospectus, templum surgebat Minervae Poliadis non tam magnitudine insigne quam pulchritudine structurae et singularum partium concinnitate praeclarum.[5]) Fundamenta eius in saxo per se declivi, sed

---

1) Recte hoc conclusit Steinius ex Herod. I 141. coll. 14 et 163.

2) Her. I 141.

3) De Clazomenis cf. Thuc. VIII 31, 3. *προσβολὴν ποιησάμενος τῇ πόλει οὔσῃ ἀτειχίστῳ.* De Phocaea Xen. hist. graec. I 5, 11. *Ἀλκιβιάδης . . . τειχίζειν Φώκαιαν ἐκέλευσεν.* de Chio Erythris Clazomenis Thuc. VIII 14, 3. *καὶ οἱ μὲν ἀφεστῶτες ἐν τειχισμῷ τε πάντες ἦσαν.* Chii utpote homines ditissimi murum exstruxerant, sed hieme 425/4 iussu Atheniensium rursus deleverant. Thuc. IV 51, 1.

4) cf. Falkeneri tabulam Ion. Ant. IV, tab. 2. Chandler, trav. p. 229.

5) A peu près exactement au milieu de l'enceinte de Priène existe un ressaut de rocher dont le sommet affecte, malgré nombreuses irrégula-

variis artificiis aequato posita meridiem versus muro sustentabantur, cuius vestigia etiam hodie supersunt.[1]) Ipsa aedes hexastylus erat Ionico genere exstructus a Pythio, secundum Vitruvium eodem qui cum Satyro Mausoleum Halicarnassi aedificavit.[2]) Et omnino eosdem in utroque monumento elabo-

---

rités la forme générale d'une ellipse très allongée de l'est à l'ouest..... Cette éminence, visible de tous les points de la ville, reconnaissable de loin, et de laquelle la vue s'étend sur un horizon immense, a été choisi par les Priéniens pour devenir le sanctuaire de la divinité protectrice de la cité, Athéna Poliade Rayet. II, 1. cf. praescripta Vitruvii I 7, quae bene adfert Chandler Ion. Ant. I, 16. — De pulchritudine templi Vitr. I 1, 12. qui Prienae aedem Minervae nobiliter est architectatus. cf. Pullan. Ion. Ant. IV, 30 a. Fergusson ib. p. 16. Malum artis antiquae arbitrum se praestat Pausanias, cum sic dicit VII 5, 3. *Ἡσθείης δ' ἂν καὶ τῷ ἐν Ἐρυθραῖς Ἡρακλείῳ καὶ Ἀθηνᾶς τῷ ἐν Πριήνῃ ναῷ· τούτῳ μὲν τοῦ ἀγάλματος ἕνεκεν* ... quod minoris pretii est secundum Rayet. II, 8. — De magnitudine templi stylobaten eius 37, 20 m longum esse 19, 55 m latum Thomas adnotat Rayet. II, 9 unde corrigendi sunt Hultschii calculi Arch. Zeit. 38, 93. cf. etiam Wittich, Arch. Zeit. 20, 277 sq.

1) En fermant par des murs de soutènement les brèches que le rocher présente du coté sud, en abattant quelques saillies et remblayant quelques depressions ils formèrent une plateform assez vaste Rayet. II, 1. ... a platform of rock bounded by terrace walls. Pullan. Ant. Ion. IV, 28 b. cf. Thomas Ray. II, 9.

2) De templo egerunt praeter Chandlerum Ion. Ant. I, 16 sqq. Pullan, Newton, Fergusson Ion. Ant. IV, passim, Thomam apud Rayet. II, 9—24. Ot. Müller, Archaeol. d. Kunst. § 109, 16. Overbeck, griech. Plastik II, 101 ff. Jos. Durm, Baukunst der Griechen p. 191. — De architecto Vitruv. I 1, 12. VII praef. 12. Nomen eius incertum est, codices enim Vitruvii, qui in censum veniunt, Gudianus et Harleianus diversas nominis formas praebent. Sic I 1, 12 G habet Pithios H Pythios, I 1, 15 Pythius GH, IV 3, 1 Pytheus GH et mox phiteus GH, VII praef. 12 Phileos G Phyleos H. Accedit Plin. 36, 31 ubi in R pytis F pitis legitur. Omnibus autem his locis et apud Vitruvium et apud Plinium intellegendum esse artificem nemo negavit post Raoul-Rochettium, Lettre à M. Schorn p. 381 n. 287. cf. Brunn, Griechische Künstler II, 377. Quaenam vera nominis forma sit, dictu difficile est. Certe cur Rosius Phyleos ubique restituerit, nemo intelleget. Rectius Rayetus haud dubie formam Pythius elegit, Rayet. II, 7, cui ego assentior maxime ea de re, quod sic etiam Plinianorum codicum scriptura Pythis bene explicatur. Nomina enim propria in *-ιος* et in *-ις* terminantia saepissime iuxtim inveniri docet Lobeck pathol. serm. graec. elem. p. 500 sqq.

rasse artifices melius quam Vitruvii testimonium docet similitudo quae inter artis quaedam opera Prienes et Halicarnassi inventa intercedit.[1]) Hinc etiam verisimile fit aedem Minervae vel eodem tempore aedificatam esse quo Mausoleum vel etiam paulo priore, si fidem Rayeto tribuere licet, qui hoc argumentis e structurae genere petitis probari posse dicit.[2]) Quod si verum est recteque templi constructio annis 355 circiter et sequentibus tribuitur, sat multum temporis in ea consumptum est. Nam ab Alexandro demum aestate ut videtur anni 334 aedem consecratam esse testatur inscriptio in summo antae lapide insculpta *Βασιλεὺς Ἀλέξανδρος ἀνέθηκε τὸν ναὸν Ἀθηναίηι Πολιάδι.*[3]) Cetera aedificiorum quae prope templum inventa sunt fragmenta posterioris originis indicia prae se ferunt.[4])

E regione templi orientem versus gymnasii fundamenta detecta sunt, supra quae exstant ruinae theatri radicibus montis qui urbi imminet inclinatae. Infra gymnasium meridiem versus urbis forum extendebatur compluribus monumentis ornatum, ex quibus quae restant non semper accuratam explicationem admittunt. Denique in ea oppidi parte quae maxime ad meridiem vergit, stadium intra ipsa urbis moenia situm erat, ex quo undecim gradus adhuc servantur.[5])

Haec sunt aedificia, quorum etiamnunc manent vestigia.

Praeterea apud Laertium Diogenem Teutameum commemoratur, in quo Bias, Teutamis filius, clarissimus urbis civis heroicis colebatur honoribus, idemque ut videtur in inscriptione

---

1) De similitudine, quae inter Mausoleum et templum Minervae intercedit cf. Overbeck II, 101. Newton. Ion. Ant. IV, 34. Maxime apparet in duobus feminarum capitibus Ion. Ant. IV, tab. 20 et Newton, a history of Discoveries etc. II 1, 104 pl. 2.

2) cf. quae de tempore exposuit Rayet. II, 5—8.

3) titulum ediderunt Chandler Ion. Ant. I, 15. Choiseul-Gouffier, voy. pitt. I, 183. Boeckh CIG. 2904. Lebas-Waddingt. pt. V, 187. Wittich, Arch. Zeit. 20, 277. Hicks, Greek. hist. inscr. 124. Dittenb. syll. 117. cf. Ion. Ant. IV, 23.

4) cf. Pullan Ion. Ant. IV, 30 b, Thomam apud Rayet. II, 9.

5) de his omnibus conferendae sunt tabulae Falkeneri Ion. Ant. IV, 2 et 3; de stadio cf. tab. 4.

quadam serioris aetatis Bianteum vel Biantis sacrum appellatur.[1]) Difficilior quaestio est de templo Apollinis, quod Prienes fuisse Boeckhius ex inscriptione leporis aenei conclusit, qui Sami emptus est; in quo haec leguntur *τῶι Ἀπόλλωνι τῶι Πριηλῆϊ μ' ἀνέθηκεν Ἡφαιστίων*.[2]) Quartum enim vocabulum *Πριηνῆϊ* legebat Boeckhius, cum suspicaretur in ipso monumento Λ et Η litteras fuisse coniunctas. Sed quod Boeckhio tunc putare licebat, qui malo ectypo usus est, id nobis non licet Roehlii testimonio edoctis, qui perspicue *Πριηλῆι* exaratum esse confirmat. Aut igitur *Πριηλεὺς* Dei cognomen a nomine substantivo velut *ἀγρεὺς ἀγυιεὺς* vel ab urbis nomine ut *Γρυνεὺς* derivandum est, — sed neque substantivum neque urbis nomen *πριήλη* cognoscitur. Aut cum Roehlio error lapicidae statuendus est, qui unam hastam omisit et Λ pro Ν exaravit; et re vera Apollinem Prienės celebratum esse nummi docent, in quibus tripus invenitur.[3])

Haec de ipsa urbe sufficiunt. Ab orientali parte Prienen praeterfluit Gaeson vel Gessus amnis[4]) qui ex Mycale monte ortus non multum ab urbe distans in sinum Latmicum effunditur. Ephori iam temporibus fluvius, haud dubie quia ostium

---

1) Heraclitus apud Diog. Laert. I 88. *Ἐν Πριήνῃ Βίης ἐγένετο ὁ Τευτάμεω οὗ πλέων λόγος ἢ τῶν ἄλλων. καὶ οἱ Πριηνεῖς δὲ αὐτῷ τέμενος καθιέρωσαν τὸ Τευταμήϊον λεγόμενον.* Contra Cobetum et Dunckerum VI[5], 307 ultima verba ab Heraclito abiudicaverunt Schuster Herakl. v. Ephesos. Acta soc. phil. Lips. III, p. 45 not. et Bywater recentissimus Heracliti editor fr. 112, sed causam non addiderunt. Ultima verba *ἀπεφθέγξατο οἱ πλεῖστοι κακοί* Diogenis non sunt, qui idem dictum iam supra rettulit (vs. 22 Cob.), itaque fortasse a lectore addita, sed recte. Aliter censet Schuster l. l. — Ceterum *Βιάντ(ειον)* vel *Βίαντος ἱερὸν* haud dubie recte supplevit Cumanudes in titulo Prienensi, quem edidit Ephem. Arch. III. 1886. p. 222 vs. 7.

2) CIG. 2247 = IGA. 385. De tempore inscriptionis, quod a Boeckhio et Broendstedtio non recte definitum est, cf. Kirchhoff, Alphabet[4] p. 30 sq.

3) cf. Mionn. Ionie 895. Supplém. (VI) 1380. Sestini lettere (di continuazione) 3, 28, 10 et 11.

4) De nomine fluminis cf. Her. IX 97 et Athenaei codices VII 311[a], qui formam *Γαίσων* exhibent. *Γαῖσος* invenitur apud Hesych. s. v., Gaesus apud Melam 1, 87, Gessus in libris Plinianis n. h. 5, 113.

et suis et Maeandri alluvionibus clausum erat, paludem in litore effecerat, quae angusto introitu cum mari coniuncta fuit.[1]) Haec palus piscium quodam genere satis celebris erat, de quibus multa apud Archestratum.[2]) Ceterum haec ipsa regio notissima erat clarissima illa victoria, quam anno 479 Graeci duce Leotychide de Persis reportaverunt. Hic secundum Herodoti descriptionem situm erat templum Cereris Eleusiniae Persarumque munimentum *Σκολοπόεις* vocatum, quod nomen etiamnunc conservatur in vici cuiusdam Turcarum Kelebesch denominatione. Contra dominarum sacrum, quod et ipsum ab Herodoto nominatur, ubi fuerit non constat.[3]) Ceterum finium urbis ambitus accurate definiri nequit nec semper idem fuisse videtur. Prienes territorium num a Maeandri ostio inceperit, incertum manet[4]) solumque id Strabonis ex verbis discimus Panionium antiquitus fuisse Prienensium, penes quos Neptuni Heliconii sacerdotium erat. Atqui Panionium in septentrionali Mycales latere erat, tria stadia a litore remotum,[5]) unde

1) cf. Ephorum apud Ath. VII 311[e] *ἐν τῇ πέμπτῃ ποταμὸν εἶναί φησι τὸν Γαίσωνα περὶ Πριήνην ὃν εἰσρεῖν εἰς λίμνην.* Neanthes Cyz. ibid. *ὁ δὲ Γαίσων . . . ἡ Γαισωνὶς λίμνη ἐστὶ μεταξὺ Πριήνης καὶ Μιλήτου ἡνωμένη τῇ θαλάσσῃ.*

2) Archestrat. apud. Ath. VII 311[a] = fr. 53 Ribb.

3) A l'est de Priène le ruisseau Gaeson avait formé une petite plaine, où s'élévait un temple de Déméter Eleusinienne et un village dont le nom *Σκολοπόεις* est encore aujourdhui reconnaissable dans celui de Kélébeche. Rayet. I, 26. — Herod. IX 97 *ἀπικόμενοι δὲ* (sc. Persae Samo venientes) *παρὰ τὸ τῶν Ποτνιέων ἱερὸν τῆς Μυκάλης ἐς Γαίσωνά τε καὶ Σκολοπόεντα τῃ Δήμητρος Ἐλευσινίης ἱρὸν* . . . . . Ex verbis *παρὰ τ. τ. Π. ἱ.* ‚praeter Dominarum sacrum' facile quis concludere possit, hoc templum a Gaesone occidentem versus collocatum fuisse. Ceterum Graecos ab oriente impetum in Persas fecisse, ut eos intra Mycalen et mare coactos intercluderent, puto cum Steinio (ad cap. 102). *Τὰς διόδους* igitur *τὰς ἐς τὰς κορυφὰς τῆς Μυκάλης φερούσας* quae Milesiis custodiendae traduntur Her. IX 99 a Gaesone et planitie, in qua dimicatum est, occidentem versus fuisse necesse est. cf. caput IV.

4) Strab. p. 636. *μετὰ δὲ τὰς ἐκβολὰς τοῦ Μαιάνδρου ὁ κατὰ Πριήνην ἐστὶν αἰγιαλός.*

5) Her. I 148. Strab. p. 639. *πρῶτον δ' ἐστὶν ἐν τῇ παραλίᾳ τὸ Πανιώνιον ὅπου τὰ Πανιώνια κοινὴ πανήγυρις τῶν Ἰώνων συντελεῖται τῷ*

apparet antiquissimis temporibus Prienensium fines non solum meridionalem Mycales partem, sed totum montem complexos fuisse. Medio autem saeculo quarto tota ora inde ab Anaea usque ad Trogilium promuntorium Samiorum erat.[1]) Rursus tamen in possessionem Prienensium revenisse agrum a Samiis ademptum Strabo testatur sua aetate Panionia in terra Prienensium celebrari dicens.[2]) Certiora adferri vix poterunt. Nam etiamsi in gravissimo illo decreto, quo Rhodii arbitri acciti vetustissimam Samiorum et Prienensium de agris quibusdam litem componunt, fines accurate constituuntur, tamen omnium quae ibi et in aliis ad eandem rem pertinentibus titulis commemorantur locorum velut Heraclei, Sanideae, Maemalopis fluvii, Carii, Dryussae situs plane ignoratur.[3]) Conicere fortasse hoc licet. Ex ipso titulo elucet Carium et Dryussam, de quibus lis est, et Pygela Samiorum partes quondam fuisse urbis antiquae, cui nomen Melia erat. Hanc satis remoto tempore Samii et Prienenses deleverant agrosque ita secundum rerum scriptores, qui in titulo nominantur, inter se partiti erant, ut Samiis Pygela, cetera Prienensibus obvenirent.[4]) Unde apparet

---

Ἑλικωνίῳ Ποσειδῶνι, ἱερῶνται δὲ Πριηνεῖς. cf. p. 384. *τῆς Πανιωνικῆς θυσίας, ἣν ἐν τῇ Πριηνέων χώρᾳ συντελοῦσιν Ἴωνες.* — Locum veteris Panionii prope vicum esse qui hodie dicitur Tchangli primus vidit Chandler Travels 1, 223 (vers. Germ.). cf. Texier, descript. de l'Asie mineure II, 291 sq.

1) Ps. Scylax. § 81. *Ἄναια Πανιώνιον Ἐρασιστράτιος Χαραδροῦς Φώκαια Ἀκαδαμὶς Μυκάλη· ἐν τῇ Σαμίων χώρᾳ ταῦτά ἐστιν.*

2) cf. not. 5, p. 120.

3) Rhodiorum decretum, cuius singula frustula Boeckhius iam CIG. 2905 et Waddingtonius edidere Wadd.-Lebas. 190—194. 205, nunc melius restitutum et in ordinem redactum est ab Hicksio IMB. 403. — *οἱ κατὰ Σανίδειαν τόποι* ibid. vs. 159. Heracleum 407, 2. *Μαιμαλώπης* fluvius, quem Prienenses *ἐπὶ Λαισμαγορείας* vocant 407, 7. Andrecas collis 406, 2.

4) cf. maxime IMB. 403 vs. 118 sqq. *ἁμὲς δὲ θεωροῦντες τοὺς γράψαντας ⟨τὸμ πόλεμον⟩ τὸμ Μελιακὶν καὶ τὰν διαίρεσιν τῆς χώρας τοὺς μὲν ἄλλους πάντας φαμένους ἐκ τᾶς διαιρέσιος λ⟨αχ⟩ό⟨ντας Σαμίους⟩ Φύγελα καίπερ ὄντας τέσσερας μὲν Σαμίους Οὐλιάδην καὶ Ὀλύμπιχον καὶ Δοῦριν καὶ Εὐάγωνα δύο δὲ Ἐφεσίους Κρεώφυλον καὶ Εὐάλκη, Χῖον δὲ Θεόπομπον, οὓς πάντας ἐν ταῖς ἱστορίαις εὑρίσκομεν κατακεχωρικότας διότι ἔλαχον ⟨Σάμιοι⟩ Φύγελα, μόνον δὲ ἐν ταῖς ἐπιγεγραμμέναις Μαιανδρίου τοῦ Μιλησίου*

tria illa loca inter se fuisse vicina, quippe quae unius urbis fines conformaverint. Atqui Pygelorum situs satis certe definiri potest; prope Ephesum enim sita erant.[1]) Itaque verisimile est Carium quoque et Dryussam a Mycale septentrionem versus collocata fuisse, ut comprobetur quod supra vidimus, septentrionale quoque montis latus paruisse Prienensibus. Quae si non falso disputata sunt, unum intellegitur parum apte coniungi a Waddingtono[2]) *τοὺς κατὰ Σανίδειαν τόπους* in titulo commemoratos a quibus exordiuntur Rhodiorum termini, et *τὸν Σάνδιον λόφον*, de quo Thucydides dixit III 19. Is enim in planitie Maeandri situs ab urbe Myunte non multum aberat secundum Rayeti sententiam, qui longe omnium diligentissime eam regionem perscrutatus est.[3]) Et sponte concidit Hicksii coniectura ceteroquin ingeniosa, qui inde quod collis ille *Σανίδεια* apud Samios, apud Prienenses *Θίνιχος πάγος* clueret, Thucydides autem Samiorum denominatione uteretur, scriptorem de ea re conclusit a Samiorum exulibus edoctum esse, qui tunc in oppido Anaeis consederant.[4])

ἱστορίαις κατακεχωρισμένον διότι ἔλαχον Σάμιοι Κάριον καὶ Δρυοῦσσαν. De his, Cario et Dryussa, lis est vs. 6 sqq. Ceterum utrum ager ille Batinetus, de quo Samii et Prienenses ambigunt CIG. 2254, in eadem regione fuerit necne, incertum est. Hoc solum constat eum a Cario et Dryussa diversum esse, quod rectissime statuit Dittenberger sylloge 241 not. 3, non falso, ut Sonnio videbatur (de arbitris publicis Gott. 1888. p. 13 not. 9). Contra falso Sonnius putat Carium et Dryussam partes fuisse Batineti. cf. IMB. 403 vs. 101 sqq. *οἱ δὲ Σάμιοι τά τε ⟨τῶν ἱστοριογράφων μαρτύρια ὑφαγήσαντο⟩* (in hac causa, quae est de Cario et Dryussa) *καθὰ καὶ ἐπὶ τᾶς κρίσιος τᾶς ὑπὲρ τοῦ Βατινήτου.* Supplementa fere certa sunt ex Waddingtonis apographo lapidis postea deleti. cf. etiam Ion. Ant. IV, 23.

1) Chandler, Travels 1, 200 vers. Germ.

2) Waddington ad Lebas part. V no. 194, vs. 2.

3) Rayet. I, 27. Aucun autre texte ne mentionne cette colline de Sandios et nous sommes réduits aux conjectures pour en déterminer l'emplacement. Mais la nature des lieux parle ici plus clairement que ne sauraient le faire tous les témoignages: il n'y a qu'une seule colline dans la vallée, celle qui s'élève à environ 3 kilomètres et demi au nord de l'emplacement de Myonte et sur laquelle est bâti le hameau turc de Euz Bachi.

4) cf. Hicks ad IMB. 403. p. 19. col. b.

Caput alterum.

De Prienensium rebus gestis usque ad Sardium expugnationem 546.

Priene secundum Pausaniae testimonium ab Aepyto Nelei filio et Philota Thebanorum duce condita est vel, si maior est Strabonis auctoritas qui accuratius rem tradit, ab Aepyto solo, cui postea demum cum nova colonorum manu Philotas accessit.[1]) Utrum vero urbs iam antea quam Graecorum coloni ibi considerent, ab alia quadam gente habitata sit an a Graecis demum aedificata, nunc in medio relinquendum erit.[2]) Incrementum autem quod urbi addidit Thebanorum adventus, satis magnum fuisse videtur: inde enim incolae cognomen traxerunt Cadmeorum, quod ex Hellanico servavit Hesychius. Et urbem ipsam a nonnullis Cadmen vocatam esse non solum Strabo tradit cum Eustathio, sed idem nomen occurrit in nummis quoque Prienensium alteri ut videtur ante Christum saeculo attribuendis.[3]) Ceterum ut aliarum Asiae urbium ita etiam Prienes originem ab Amazonibus repetunt veteres quaedam fabulae: quas iure omittere licet, postquam a Dunckero unde omnes illae de Amazonibus narrationes ortae essent, demonstratum est.[4])

---

1) Paus. VII 2, 10. Strabo p. 633. cf. 636. *Φιλωτᾶς ὁ ἐπικτίσας αὐτήν.*

2) Prienen iam antea habitatam esse putaverim non tam Pausaniae verbis VII 3, 8 nixus quam similitudine nominum commotus, quae inter *Πριήνην* et nomen urbis Creticae *Πρίανσος* intercedit. Ubique fere in hac Asiae ora Cretensium vestigia deprehenduntur, de quibus alio fortasse loco postea disputandum erit.

3) Hesych. s. v. *Καδμεῖοι* = Hellan. fr. 95. (FHG. I). Strabo p. 636. *λέγεται δ' ὑπό τινων ἡ Πριήνη Κάδμη.* cf. Eustath. ad Dionys. perieg. 823. — Mionnet, Ionie 888. Suppl. 1363. Tempus determinavit Barclay V. Head, historia numorum p. 508 ‚Second century or later‘.

4) Duncker V^3, 202 sq. cf. etiam I^6 473. Rem nondum explicatam esse censet Eduardus Meyer, Gesch. d. Alterthums I § 253 not. — Ephesum Smyrnam Cymen Myrinam ab Amazonibus conditas esse censet Ephorus fr. 87 (FHG. I), Pitanen et Prienen addit Diodorus 3, 55, alias quae ab Amazonibus nomen traxisse perhibentur, urbes enumerat Arrianus fr. 58 (FHG. III).

Sed Graecorum coloniae ut vi plerumque in barbarorum fines deductae erant, ita etiam vi et armis defendendae erant contra veteres terrae dominos. Quinam hi fuerint, ne antiquis quidem scriptoribus satis exploratum erat. Omnia autem eorum testimonia,[1]) quae saepissime inter se pugnant, adferri inutile duxi praesertim in ea quaestione, quae non veterum scriptorum auctoritate, sed argumentis ex ipsorum populorum religione lingua arte petitis diiudicatur. Neque a me quemquam spero postulaturum esse, ut certam in hac re profitear sententiam, in qua ne doctissimis quidem viris contigit, ut certi aliquid et quod ab omni parte tutum esset invenirent.[2]) Itaque quoad meliora reperta erunt, hoc consensui antiquitatis tribuendum est inde a Mycale monte meridiem versus Cares incoluisse.[3])

Cum his igitur Prienensibus gerendum erat longum ut videtur bellum et fortuna varium: bellicosissima enim erat Carum natio et haud dubie acerrime sedes suas defendit. Cuius certaminis vestigia deprehenduntur apud Valerium Maximum, qui Prienenses cum bello a Caribus pressi a Samiis auxilium peterent, ludibrio habitos esse narrat, et apud Pausaniam, secundum quem Prienenses in summo rerum discrimine Ephesiis arcessitis Cares magno proelio vicerunt, in quo cecidit Androclus Ephesiorum rex.[4])

Tempus retardavit barbarorum impetus, sed novus Ionibus multoque terribilior hostis extitit, postquam sub finem saeculi

---

1) Pleraque collecta sunt a Deimlingio, die Leleger p. 9 sqq.

2) Quaestionis epicrisin instituit Thraemer Pergamos p. 339—363.

3) Ut gravissimos testes afferam, Il. II 867—870. Herod. I 142. Pherecyd. apud Strab. 642. Pausan. VII 2, 3 et 7. Solus Ephorus Lelegas circa Miletum incoluisse dixit apud Strab. p. 634.

4) Val. Max. I 5 ext. 1. ed. Kempf, qui recte ut videtur lectionem „sibullam‘ revocavit. Ceterum haec narratio fabulae illi de Tyrtaeo notissimae (de qua cf. Duncker VI[3], 105 sq.) tam similis est, ut suspicio moveri possit. Pausan. VII 2. 9. *Πριηνεῦσιν ἤμυνε* (scil. *ὁ Ἄνδροκλος*) *ἐπὶ τοὺς Κᾶρας καὶ νικῶντος τοῦ Ἑλληνικοῦ ἔπεσεν ἐν τῇ μάχῃ*. Duo bella distinguere studet Raoul-Rochette hist. des colonies grecques III, 82 sq. falsa interpretatione perductus loci Isocratei Panath. c. 76, quo non de bello coloniis Asiaticis, sed Atticae ipsi illato agitur.

octavi Mermnadae regno Lydiae potiti sunt. Quorum statim primus Gyges Graecas urbes adortus Smyrnam et Miletum frustra oppugnavit, Colophoniorum urbem cepit. Eius filius, qui a Xantho Alyattes, ab Herodoto Ardys vocatur, redintegrato bello Milesiorum fines devastavit et Prienenses in potestatem suam redegit.[1]) Urbem tamen non diu in dicione Lydorum mansisse Herodotus testatur, cum neminem ante Croesum Lydiae regem Graecis urbibus imperasse dicit. Et Laertii Diogenis constat testimonio iam temporibus Alyattis, Sadyattis filii, iterum urbem a Lydis esse obsessam.[2]) Quando autem primum capta sit Priene, accurate definiri nequit. Tabula regum Lydiae, quam Herodotus secutus est, Ardyi annos tribuit inde ab 678 usque ad 630; altera, qua usi sunt Iulius Africanus et chronographi, Ardyn regnasse tradit ab anno 663 usque ad annum 625. Sed utramque falsam esse demonstrat ipsa annorum, qui singulis regibus assignantur, artificiosa dispositio et Assurbanipalis regis Assyriorum inscriptio, ex qua Gygen post annum 660 etiam vixisse et fortasse circa annum 648 demum a Cimmeriis regno vitaque privatum esse elucet.[3]) Recte autem Meyer non prius Ardyn se contra Graecos convertisse censet, quam repulsis Cimmeriis. Itaque hoc solum dicere licet Prienes expugnationem evenisse altero saeculi septimi dimidio.

Eidem fere tempori vel etiam antiquiori duo bella attribuenda sunt a Prienensibus gesta, Samium et Meliacum, de quibus veterum scriptores aut nihil aut admodum pauca tradunt,

1) Herod. I, 14 *ἐσέβαλε μὲν νῦν στρατιὴν καὶ οὗτος* (cf. Steinii adn.) *ἐπεί τε ἦρξε, ἔς τε Μίλητον καὶ ἐς Σμύρνην καὶ Κολοφῶνος τὸ ἄστυ εἷλε* (cf. Pertz, Colophoniaca p. 33. Schubert, Könige v. Lydien p. 36). c. 15 *οὗτος δὲ* (sc. Ardys) *Πριηνέας τε εἷλε ἐς Μίλητόν τε ἐσέβαλε.*

2) Haec secundum Schubertum, Könige v. Lydien p. 40. Herod. I 6. Diog. Laert. I 83.

3) De regum Lydorum chronologia. Duncker, G. d. A. II, 571 n. Gelzer, d. Zeitalter d. Gyges Rh. M. 30, 241—243. Schubert, Könige v. Lydien p. 8—18. Edu. Meyer, G. d. A. I. § 413. Busolt, Gr. Gesch. I, 332 not. 3. Artificiosam dispositionem annorum detexit de Gutschmid apud Schubertum l. l. Titulum Assurbanipalis vide apud Smith, history of Assurbanipal. p. 64 sqq.

plura in inscriptionibus inveniuntur quibusdam tertii ante Christum saeculi.[1]) Atque causa utriusque tituli eadem fuit. Nam antiquissimis iam temporibus inter Samios et Prienenses lis coorta erat de agris quibusdam in confinio urbium sitis, quae per saecula producta compluribus deinceps regibus vel civitatibus diiudicanda evenit. In his etiam fuere Lysimachus rex et Rhodiorum res publica, quorum arbitria titulis illis continentur. Res autem in eiusmodi iudiciis fieri ita solet, ut primum litigantium afferantur argumenta, dein lis ab arbitro discernatur. Sed iam satis de inscriptionum causa et indole: res ipsa, de qua agitur, haec est.

In priore titulo, qui Lysimachi epistulam ad Samios datam continet, Prienensium legati hoc dicunt. Agrum Batinetum, de quo lis esset, antiquitus Prienensium fuisse. Tempore autem quodam Samios et Prienenses eiectos esse possessionibus a Lygdami, qui postea agrum Prienensibus reddidisset. Annis vero nonnullis interiectis Samios, qui tunc sua publice non repetivissent, cum Prienenses calamitate adflictos vidissent, in terram illam invasisse, donec urbes a Biante reconciliarentur.[2])

---

1) Epistula Lysimachi in CIG. 2254. Quaedam emendavit Roehlius, Schedae epigraphicae p. 7. Multo accuratius titulum edidit Hicks, Greek. hist. inscr. 152, ipso lapide inspecto, quem secutus sum. — Decretum Rhodiorum nunc recte restituit idem Hicks IMB. 403 (cf. p. 121 not. 3).

2) *οἱ μὲν οὖν Πριηνεῖς τὴν μὲν ἐξ ἀρχῆς γεγενημένην α⟨ὐ⟩τ⟨οῖς | κτῆσι⟩ν τῆς Βατινητίδος χώρας ἐπεδείκνυον ἔκ τε τῶν ἱστοριῶν κ⟨αὶ ἐκ | τῶν ἄλ⟩λων μαρτυριῶν καὶ δικαιωμάτων ⟨με⟩τὰ τῶν ἐξετῶν ⟨σπονδῶν? | πρότερ⟩ον δὲ συνωμολόγουν Λυγδάμεως ἐπελθόντος ἐπὶ ⟨τὴν χώ‖ραν μετὰ δυ⟩νάμεως τούς τε λοιποὺς ἐγλιπεῖν τὴν χώραν αὐτ⟨ούς? τε Σαμί|ους εἰς τὴν ν⟩ῆσον ἀποχωρῆσαι· τὸν δὲ Λύγδαμ⟨ιν κ⟩ατασχόντα ⟨τὴν χώ|ραν τήνδε π⟩άλιν ἀποδιδόναι τὰς αὐτὰς κ⟨τ⟩ήσεις, τοὺς δὲ ⟨Πριηνέας ἀπὸ | τούτου νέμεσθ⟩αι· Σαμίων δὲ οὐθένα παραγενέσθαι παρ⟨ὰ τούτο|ις πλὴν εἴ τις ἐ⟩τύγχανεν παρ' αὐτοῖς κατοικῶν τούτο⟨υ δὲ ἕ‖νεκα ἀεὶ τὸν βουλόμ⟩ενον προσενέγκασθαι Πριηνεῦσιν. ὑποστ⟨άν|των? δὲ τὰς μετέπειτα πάθ⟩ας Σαμίους παρελέσθαι τὴν χώραν α⟨ὐ⟩τῶν | ⟨πεμφθῆναι οὖν παρὰ⟩ Πριηνέων Βίαντα περὶ διαλύσεων τοῖς Σα⟨μίοις | ὑπὲρ τῆς χώρας· τὸν δ⟩ὲ διαλῦσαί τε τὰς πόλεις καὶ τοὺς οἰ⟨κοῦντας ἐκεῖ*.... Supplementa sunt Hicksii, quorum gravissima sunt versuum 15 et 16, in quibus sane quae Hicksius invenit, certiora sunt, quam Boeckhii coniecturae.

Haec optime illustrantur iis, quae Plutarchus adfert ex Aristotelis 'Samiorum republica'. „Samii Prienensibus bellum intulere, sed mille civibus amissis repulsi sunt. Septimo autem anno post Prienenses a Milesiis prope Quercum ita devicti sunt, ut ab hoc tempore *ὁ παρὰ Δρυΐ σκότος* apud eos in proverbium abiret. Bias autem Samum missus magnam in legatione sibi paravit gloriam.“[1]) Inde quod post cladem a Milesiis acceptam Bias Samum mittitur, apparet Samios quoque tunc cum Prienensibus pugnasse et cum Milesiis fuisse coniunctos. Quod confirmatur alterius inscriptionis testimonio; ibi enim Samiorum legati gloriantur ipsos Samios cladem illam Prienensibus parasse agrumque sibi vindicasse.[2])

Haec omnia si inter se coniunguntur, talem fere rerum seriem constituere licet. Remoto quodam tempore Samii et Prienenses agrum quendam communiter possedere. Controversiae non ortae esse videntur, donec Lygdamis utrosque terra privavit. Nam cum paulo post Lygdamis pristinis possessoribus agrum reddidisset, Prienenses soli eum occupasse videntur.[3]) Qua re exacerbati Samii Prienenses bello petiverunt, sed mille civibus amissis repulsi sex annorum impetraverunt indutias. Septimo anno post redintegrato bello una cum Milesiis Prienensibus terribilem cladem inflixere prope Quercum. Pugna fracti Prienenses Biantem ad Samios miserunt, qui urbes reconciliavit.

---

1) Plut. quaest. Graec. 20. *Τίς ὁ λεγόμενος ἐν Πριήνῃ παρὰ δρυΐ σκότος; Σάμιοι καὶ Πριηνεῖς πολεμοῦντες ἀλλήλοις τὰ μὲν ἄλλα μετρίως ἐβλάπτοντο καὶ ἔβλαπτον· μάχης δὲ μεγάλης γενομένης χιλίους Σαμίων οἱ Πριηνεῖς ἀπέκτειναν: ἑβδόμῳ δ' ὕστερον ἔτει* (cf. Hicks. Greek. inscr. 152 vs. 13. *τῶν ἑξετῶν ⟨σπονδῶν!⟩) Μιλησίοις ξυμβαλόντες παρὰ τὴν καλουμένην δρῦν, τοὺς ἀρίστους ὁμοῦ καὶ πρώτους | τῶν πολιτῶν | ἀπέβαλον ‖. ὅτε καὶ Βίας ὁ σοφὸς εἰς Σάμον ἐκ Πριήνης πρεσβεύσας εὐδοκίμησεν.* Haec ex Aristotele excerpta esse docet Zenob. VI 12 (paroemiogr. edd. Schneid. et Leutsch). cf. Rose, Ar. pseudepigr. 527.

2) IMB. 403, 105. *μετὰ δὲ τὰν παράταξιν τὰν γενομέναν αὐτοῖς* (sc. *τοῖς Σαμίοις*) *ποτὶ Πριανεῖς ἐπὶ Δρυΐ καὶ νίκας κρίσιν ἔχειν ⟨καὶ⟩ ταύταν τὰν χώραν ἐν ταῖς συνθήκαις αὐτῶν γενέσθαι.*

3) ita quidem ut Samii metoecorum loco haberentur cf. Hicks. 152 vs. 18 (= p. 126 not. 2).

Si autem quaeritur quando haec omnia facta sint, proficiscendum est a nominibus virorum illorum qui satis noti sunt Biantis et Lygdamis. Et ultimum, quod de Biante commemoratur, consilium est, quod Ionibus dedit iam ab Harpago subactis anno 545 vel 544. Cetera omnia, quae de eo narrantur, indicant eum Alyattis fere fuisse aequalem.[1]) Sic igitur non multum lucramur hac in quaestione, accuratiora autem concludi posse videntur e nomine Lygdamis. Hunc Boeckhius eumque secutus Hicksius Naxiorum tyrannum intellegunt, qui a Pisistrato iterum in patriam reverso institutus mox ipse Polycratem, cum tyrannide potiretur, supportavit.[2]) Omnia igitur quae in titulis commemorantur, intra annos fere 538 et 500 facta esse existimant.

Sed difficultas huius sententiae apparet, si quis intra illud annorum spatium tempus diligentius definire conatur. Polycratis enim temporibus bellum illud tribuere non licet propter notissimum Herodoti testimonium de felicitate, qua semper usus est tyrannus. Neque Samiorum cum Milesiis foedus quadrat ad aetatem tyranni, qui cum Milesiis acerrimas agebat inimicitias.[3]) Mortem vero Polycratis graves illae turbae inter successores eius secuntur, quoad insula Persarum dicionis facta Sylosonti traditur incolis paene nudata, ut proverbium nasci potuerit *ἕκητι Συλοσῶντος εὐρυχωρίη*. Haec facta sunt circa annum 516. Quattuor annis post Iones omnes Darei contra Scythas expeditioni adsunt.[4]) Itaque si omnino intra temporis spatium a Boeckhio constitutum bellum gestum est, intra annos 510—500

---

1) Consilium Biantis Her. I 170. Cetera omnia quae ad Biantis aetatem definiendam pertinent, collegit E. Bohren, de septem sapientibus 1867. p. 43 sqq.

2) de Lygdamis institutione cf. Busolt, Gr. Gesch. I, 553. 563.

3) Her. III 39. *ὅκου γὰρ ἰθύσειε στρατεύεσθαι* (sc. Polycrates) *πάντα οἱ ἐχώρεε εὐτυχέως.* cf. c. 40. Eius bellum cum Milesiis Her. III 39. — De tempore Polycratis dubitatur cf. Duncker. VI^3, 512. Busolt, Gr. Gesch. I, 602 not. 3. Quod nostram non attinet quaestionem.

4) Samiorum bella civilia Her. III 142 sqq. cf. Duncker VI^3, 550 not. 2. Busolt I, 606, qui finem tumultuum factum esse anno 516 constituunt. De Scythica Darei expeditione Busolt, Gr. Gesch. II, p. 12 not. 4.

cadere debet. Sed hoc non bene convenit cum aetate Biantis, qui Alyattis aequalis fuit. Accedit autem argumentum gravissimum, quod meo quidem iudicio unum ad illam sententiam evertendam valet. Anno enim 545 vel 544 Priene a Mazare Persarum duce[1]) funditus deleta est et omnes cives sub corona venierunt iamque ab omni probabilitate abhorret triginta annis urbem tantum recuperasse virium, ut duabus potentissimis civitatibus Samo et Mileto bellum inferre posset. — Haec omnia evincunt bellum Samium gestum esse antequam Prienensium urbs a Persis diruta esset, hoc est ante annum 545 vel 544.[2]) Sed quid tunc fiet de Lygdami, quem postea demum Naxo praefectum esse constat? Nihil restat nisi ut alius intellegatur Lygdamis, neque alius relinquitur nisi is qui per annos quosdam totam Asiam terrore nominis sui implevit, donec procul in Cilicia devictus occidit,[3]) Lygdamis, rex Cimmeriorum.

Cimmeriorum impetum Herodotus factum esse censet dum Lydiae Ardys imperaret,[4]) hoc est secundum ipsius calculos post annum 678, secundum Assurbanipalis inscriptionem aliquanto post 660. At iam dudum recentiores viri docti intellexere illam quam Herodotus dicit irruptionem non unam fuisse, sed saepius Asiam a Cimmeriis devastatam esse. Expeditio autem, cui Lygdamis praefuit, nunc a plerisque paulo post annum 646 accidisse putatur.[5]) Tunc igitur Lygdamis Sardibus captis Dianaeque Ephesiae templo concremato[6]) etiam in regiones illas Prienensium et Samiorum communes pervenit et utrosque terra eiecit. Verum non mos erat barbarorum illorum,

1) Herod. I 161.

2) Idem iam Dunckerus statuit VI³, 296 not. 2. aliis commotus causis.

3) Strabo. I 61.

4) Herod. I 15.

5) De tempore impetus Cimmeriorum quaestio est difficillima; egerunt de hac re Duncker II⁵, 465 sqq., qui primus Herodoti narrationem falsam esse docuit; Gelzer Rh. Mus. 30, 259, qui luculenter duas Sardium expugnationes Callisthenis inventum esse demonstravit, Rohde Rh. Mus. 36, 560 not. 1, denique Meyer, G. d. A. I, § 452—455. Busolt, Gr. Gesch. I, p. 329. 335 sq. et not. 8, qui Assyrias adhibebant inscriptiones.

6) cf. etiam Callim. hymn. Dian. 251—258.

ut diutius uno loco considerent,[1]) quo factum est, ut Lygdamis agrum mox veteribus possessoribus restitueret. Aliquanto post bellum illud Samiorum cum Prienensibus evenit. Quot anni intercesserint, suspicari vix licet: nam quae sane in promptu est coniectura bellum Samium et expugnationem urbis ab Ardye factam coniungenda esse urbemque clade debilitatam terribili facilem Lydis evenisse praedam, eam vetant rationes e Biantis aetate ductae, quae ultra annum 600 recedere vix permittunt. Quae cum ita sint, fortasse non multum a vero aberrabit qui bellum Samium primis saeculi sexti tribuet lustris.

Sed iam narratio quaedam inserenda est, quae si omnino ad Prienensium historiam pertinet, optime sane quadrat ad aetatem illam, qua inter Prienenses Milesios Samios agebantur inimicitiae: fabulam dico de Cilliconte proditore. Res autem haec est. Apud Aristophanem in Pace Mercurius in Trygaeum, qui lapides a specu removere vult, his verbis invehitur

ὦ μιαρὲ καὶ τολμηρὲ τί ποιεῖν διανοεῖ;

et respondet Trygaeus

οὐδὲν πονηρόν· ἀλλ' ὅπερ καὶ Κιλλικῶν.[2])

Haec ut expediant, scholiastae magnam explicationum e diversis scriptoribus petitarum copiam adferunt nec minorem testimoniorum acervum ex Suida et paroemiographis colligere licet. Quibus fere omnibus hoc commune est, quod Cillicontem quendam cum patriam proditurus esset, interrogantibus quid faceret, respondisse ferunt *ἀγαθὰ Κιλλικῶν*. In singulis autem rebus maxime inter se discrepant, ut sex fere in illa farragine diversae eiusdem rei narrationes discernantur. Et primus quidem Theopompus — sic enim cum Prellero pro *Θεόφραστος* legendum est — Cillicontem Syrium fuisse patriamque Samiis

1) *τὸ γὰρ Κιμμερίων στράτευμα .... οὐ καταστροφὴ ἐγένετο τῶν πολίων ἀλλ' ἐξ ἐπιδρομῆς ἁρπαγή.* Her. I 6.

2) Ar. pax 362. Pro lectione codicum optimorum *Κιλλικῶν* Blaydesius ex Suidae et aliorum quorundam libris *Καλλικῶν* restituere vult. Dicit enim formam *Κιλλικῶν* librariis deberi, qui de appellativo *Κίλιξ* cogitaverint; quomodo autem etymologia librariis in mentem venire potuerit, si *Καλλικῶν* scriptum invenere, hoc non dicit Blaydesius.

tradidisse narrat, postea autem Theageni Syrio, qui Sami degeret, poenas dedisse.[1]) Huic repugnant ceteri omnes. Leander Milesius[2]) in altero Milesiacorum libro Miletum a Cilliconte hostibus proditam esse testatur. Apollonius, idem fortasse qui de Caria scripsit, verum nomen Cillicontis Achaeum fuisse enotavit Miletumque culpa eius a Prienensibus captam esse.[3])

---

1) Ceterum iam is, qui Theopompum excerpsit, aliorum sententias novit, qui Miletum vel Samum a Cilliconte proditam esse censuere. Verba haec sunt sec. Duebn. ed. 182 a 28. *ὁ γάρ τοι Κιλλικῶν ἐπὶ πονηρίᾳ διαβόητός ἐστι. φασὶ γὰρ αὐτὸν οἱ μὲν Σάμον ἢ Μίλητον προδοῦναι Πριηνεῦσι. Θεόφραστος δὲ ἐν τῷ ιγ' τῶν ἱστοριῶν τῶν ἑαυτοῦ Σύρον φησὶν αὐτὸν τὴν νῆσον προδεδωκέναι Σαμίοις. πυνθανομένων δὲ πολλάκις αὐτοῦ τινῶν τί μέλλοι ποιεῖν ἔλεγε πάντα ἀγαθά. πάντα οὖν ἀγαθό φησι ποιῶν ὡς ἔφη καὶ Κιλλικῶν. τῆς δὲ προδοσίας τοιαύτην ὑποσχεῖν τιμωρίαν. Θεαγένην τινὰ ἄνδρα Σύριον, τῆς νήσου τῆς ὑπὸ τοῦ Κιλλικῶντος προδοθείσης πολίτην, πρὸ πολλοῦ μετοικήσαντα εἰς τὴν Σάμον κρεωπωλεῖν καὶ οὕτως ἀπάγειν τὸν ἑαυτοῦ βίον. ἀγανακτήσαντα δὲ ἐπὶ τῇ προδοσίᾳ τῆς πατρίδος ἐπιστάντος τοῦ Κιλλικῶντος ὠνήσασθαι κρέας, παρ' αὐτοῦ δοῦναι κρατεῖν αὐτῷ, ἵνα ἀποκόψῃ τὸ περιττόν. τοῦ δὲ πεισθέντος καὶ κρατοῦντος τοῦ Κιλλικῶντος προφάσει τοῦ πλεονάζον ἀποκόψαι τὸ κρέας, ἐπανατεινάμενον τὴν κοπίδα κόψαι τὴν χεῖρα τοῦ Κιλλικῶντος. καὶ εἰπεῖν ὡς ‚ταύτῃ τῇ χειρὶ ἑτέραν οὐ προδώσεις πόλιν'. μέμνηται δὲ Καλλίμαχος* (fr. 227) *„μὴ σύ γε, Θειόγενες, κόψῃς χέρα Κιλλικόωντος“*. Ineptum ex hoc scholio excerptum est adnotatio scholiastae dett. codd. p. 182 a 16 sqq. Ceterum is quoque, qui sextam versionem conscripsit Theopompi verba adhibuit, sed mirum in modum decurtata et obscurata. — Theopompo fragmentum restituit Preller ad Polem. 59.

2) de Leandro cf. Mueller FHG. II, 334. Mihi quoque persuasum est Leandrum sive Leandrium, cuius nomen apud scriptores invenitur, eundem esse atque Maeandrium illum tituli Rhodiorum cf. infra p. 134 not. 1. — Verba haec sunt.

Schol. Ar. p. 182 a 47 (Duebn.)	Suid. s. v. *πονηροῖς* 358 b 13. (Bernh.)
*ἱστορεῖ δὲ καὶ Λέανδρος ἐν δευτέρῳ Μιλησιακῶν προδοῦναι Μίλητον, καὶ ὅτε ἀνέῳξε τὰς πύλας τοῖς πολεμίοις,**) *πυνθανομένου τινὸς ὅτι τοῦτο ἐποίησεν, ἀποκρίνασθαι ἀγαθὰ Κιλλικῶν.*	*προδοὺς δὲ Μίλητον τοῖς πολεμίοις πυνθανομένου τινὸς ὅτι τοῦτο ἐποίησεν, ἀποκρίνασθαι ἀγαθὰ Καλλικῶν.*

*) codd. *τῶν πολεμίων.*

Narrationis huius proprium est, quod hostes nomine non significantur.

3) de Apollonio Aphrodisiensi eiusque libro *Καρικά* cf. Mueller FHG. IV, 310 sqq. Eius verba Schol. Ar. p. 182 a 50. *Ἄλλως. παρὰ τὴν πο-*

His alius quidam rerum scriptor, cuius nomen ignoratur, ineptam cognominis etymologiam de suo addidit.[1]) Ultimus denique scholiasta, qui ad Ammonium quendam provocat, nec utrum Cillicon nomen sit an cognomen, nec utrum Samum an Miletum tradiderit, diiudicat.[2]) Sexta autem et ab his diversissima

---

νηρίαν. ἐπὶ γὰρ πονηρίᾳ διαβάλλεται. Ἀπολλώνιος δὲ ὄνομα μὲν αὐτῷ φησὶν εἶναι Ἀχαιὸν, παρωνύμως Κιλλικῶντα τὸ γένος Μιλήσιον. οὗτός ἐστιν ὁ προδοὺς Μίλητον Πριηνεῦσιν.

1) Huius narrationis testimonia sunt

Ar. schol. 182 a 54—b 3.	Suid. s. v. *Κιλίκων.*	Phot. lex. *Κιλίκων.*	Hesych. *Κιλλικᾶν.*
Ἄλλως. οὗτος Ἀχαιὸς ἐκαλεῖτο Μέροπος υἱὸς, Μιλήσιος γένος, προδοὺς τὴν πατρίδα Πριηνεῦσι. Κιλλικῶν δ' ἐκλήθη ἀπὸ Κιλίσσης τροφοῦ.	*ἐπώνυμον Ἀχαιοῦ, τοῦ Μέροπος, ἀπὸ τροφοῦ Κιλίσσης· ὃς τὴν πατρίδα Μίλητον προδέδωκεν τοῖς Πριηνεῦσι. ⟨καὶ τὸν βασιλέως στρατηγόν. παρόσον Κίλικες διεβέβληντο ἐπὶ πονηρίᾳ καὶ ὠμότητι, διὰ τοῦτο ἐκλήθη Κιλλίκων. Φερεκράτης* eqs.	*ἐπώνυμον Ἀχαιοῦ τοῦ Μέροπος ἀπὸ τροφοῦ Κιλίσσης· ὃς τὴν πατρίδα Μίλητον προὔδωκε τοῖς Πριηνεῦσι. ⟨καὶ τὸν βασιλέα στρατηγῶν. ἢ παρόσον Κίλικες διεβέβληντο ἐπὶ πονηρίᾳ καὶ ὠμότητι· διὰ τοῦτο ἐκλήθη Κιλίκων. Φερεκράτης* secuntur verba Ph. ut apud Suid.	*προδότης οὗτος ἐπωνομάζετο, Ἀχαιὸς μὲν τοὔνομα, Κιλλικῶν δ' ἐπικαλούμενος, ὃς Μίλητον προέδωκε ⟨τοῖς βασιλέως στρατηγοῖς*

apud Photium Suidam Hesychium alia quaedam explicatio annexa est, quae *τὸν βασιλέως στρατηγὸν* appellat.

2) Hanc versionem habent

Schol. Ar. 182 b 3. cf. adn. Duebn.	Suid. s. v. *Κιλλικῶν.*	Suid. s. v. *πονηροῖς* 348 a 17.
RV. *ὅτι πονηρός. ἄδηλον δὲ πότερον κύριον ὄνομα ἢ ἐπώνυμον. Ἀμμώνιος δὲ ὄνομα ἀναγράφει καὶ φησὶν ὅτι Λάκων καὶ Κιλλικᾶν ἐκαλεῖτο ὃς προδέδωκε Σάμον οἱ δὲ Μίλητον. εἰπὼν δὲ οὐδὲν πονηρὸν,*	*οὗτος παρέδωκε τὴν Σάμον· ὡσεὶ εἶπεν· οὐδὲν κακὸν ποιῶ, ἀλλ'*	*ὁ Καλλικᾶν οὗτος προὔδωκε Σάμον· οἱ δὲ Μίλητον. ὡσεὶ εἶπεν· οὐδὲν κακὸν ποιῶ, ἀλλ'*

narratio apud paroemiographos invenitur, qui ad unum omnes non *ποιεῖ* sed *ἔχει* ad verba *ἀγαθὰ Κιλλικῶν* supplent et multa de Cillicontis divitiis confabulantur proditione paratis.[1])

παρὰ προσδοκίαν ἐπήγαγε τὸ ἀλλ' ὅπερ καὶ Κιλλικῶν, ὡς εἰ εἶπεν· οὐδὲν κακὸν ποιῶ ἀλλ' ἱεροσυλῶ. — R. *ὕστερον μὲν οὖν παρὰ Θεαγένους εἰσῆλθεν ὠνησόμενος κρέα κἀκεῖνος ὑποδεῖξαι ἐκέλευσεν πόθεν κόψαι θέλει. προτείνας δὲ τῇ χειρὶ ἀπέκοψε τὴν αὐτοῦ* (Duebn. *ἑαυτοῦ* lib.) *χεῖρα καὶ εἶπεν· ταύτῃ σου τῇ χειρὶ οὐ μὴ προδώσῃς πόλιν ἑτέραν. μέμνηται δὲ καὶ Καλλίμαχος· μὴ σύγε Θειόγενες κόψῃς χέρα Κιλλικόωντος.*

ἱεροσυλῶ. ἐπὶ πονηρίᾳ γὰρ ἐτεθρύλλητο ὁ Κιλλικῶν ὃς προὔδωκε Μίλητον Πριηνεῦσι. πυνθανομένων δὲ πολλάκις αὐτοῦ τινων τί μέλλει ποιεῖν, ἔλεγε· πάντα ἀγαθά. καὶ ἔστι παροιμία πάντα ἀγαθὰ ὡς ἔφη Κιλλικῶν. ὕστερον μέντοι παρὰ Θεαγένους τινὸς εἰσῆλθεν ὠνησόμενος κρέα· κἀκεῖνος ὑποδεῖξαι ἐκέλευσε, πόθεν κόψαι θέλει· προτείναντος δὲ τὴν χεῖρα ἀπέκοψε καὶ εἶπε· ταύτῃ τῇ χειρὶ οὐ προδώσεις πόλιν ἑτέραν.

ἱεροσυλῶ. ἐπὶ πονηρίᾳ γὰρ τεθρύλληται ὁ Καλλικῶν οὗτος ὃς προὔδωκεν Μίλητον Πριηνεῦσι. πυνθανομένων δὲ πολλάκις αὐτοῦ τινῶν τί μέλλει ποιεῖν, ἔλεγε πάντα ἀγαθά. πάντα οὖν ἀγαθά φησι ποιῶ ὡς ἔλεγε Καλλικῶν. ὕστερον μέντοι παρὰ Θεαγένους τινὸς εἰσῆλθεν ὠνησόμενος κρέα. κἀκεῖνος ὑποδεῖξαι ἐκέλευσε πόθεν κόψαι θέλει. προτείναντος δὲ τὴν χεῖρα ἀπέκοψε καὶ εἶπε· ταύτῃ τῇ χειρὶ οὐ προδώσεις πόλιν ἑτέραν. μέμνηται δὲ καὶ Καλλίμαχος· μὴ σύγε Θειόγενες κόψῃς χέρα Κιλλικόωντος.

Fortasse etiam haec rursus dividenda sunt, ut prior explicatio (usque ad *ἱεροσυλῶ*) pro se stet in codd. R et V et apud Suidam servata, posterior, in R et apud Suidam exhibita, maxime ea re conspicua sit, quod Theopompi verba scite in suum usum converterit omissis, quae Syrum insulam attingant.

1) Haec forma deprehenditur apud Suidam bis et apud paroemiographos, quorum unum instar omnium exscripsi, nam ad verbum consentiunt.

Zenob. I 3 = Diog. I 9 = Greg. Cypr. I 5 = (Suid. s. v. *ἀγαθὰ*).

ἀγαθὰ Κιλλικῶν, λείπει τὸ ἔχει. προδότης γὰρ γέγονεν οὗτος ὁ Κιλλικῶν, Μιλήσιος τὸ γένος, ὃς προδοὺς Μίλητον εὐπόρησεν.

Suid. *Κιλλικων* 255 a 7.

ὥστε καὶ παροιμίαν ἐπ' αὐτῷ εἰρῆσθαι· ἀγαθὰ Κ. λείπει τὸ ἔχει.

Suid. s. v. *ἀγαθὰ*.

καὶ Ἀγαθὰ Κ. λείπει τὸ ἔχει. Κ. δὲ ὄνομα κύριον, εὔπορος δ' ἦν.

Ex his omnibus solum in censum venire apparet ea quae Theopompi Leandri Apollonii nituntur auctoritate. Haec autem aperte inter se discrepant nec iuvat interpretandi artificiis consensum quendam extorquere. Sed in eiusmodi quaestione, in qua testimonium oppositum est testimonio nec aliunde suppetunt argumenta quibus lis dissolvatur, res in medio relinquenda est.

Haec adferenda erant, ne quid deesse videretur disputationi quod Prienensium attingeret historiam: redeat nunc unde aberravit narratio ad bellum Meliacum. Multi de eo egerunt rerum scriptores, quorum nomina in decreto Rhodiorum commemorantur, Uliades Olympichus Duris Euagon Samii, Creophylus Eualces Ephesii, Theopompus Chius, Maeandrius Milesius,[1]) sed nullum eorum de hac re testimonium servatur: immo Uliadis nomen ex hac demum inscriptione innotuit. E titulo autem haec fere elucent. Bellum, quod satis remoto tempore exarsit, nomen traxit ab urbe Melia, quae in eo videtur deleta esse; ager enim urbis inter Samios et Prienenses divisus est.[2]) In hac partitione, quid utrique acceperint, non constat inter rerum scriptores: nam cum ceteri omnes Samiis Phygela, Prienensibus Carium et Dryussam obvenisse adnotarent, solum in historiis, quae Maeandrii Milesii esse dicebantur, traditum erat Carium quoque et Dryussam cum ager divideretur, Samiis adiudicata esse.[3]) Inde postea controversiae natae sunt, quae bellum Samium procreaverunt. Ceterum de situ Meliae etsi nihil traditur, tamen intra Ephesum et Mycalen urbem collocatam fuisse verisimile est,[4]) de tempore autem hoc solum

1) IMB. 403, 109. 120 sqq. De scriptoribus vide quae enotavit Mueller FHG. II, 16. 466. IV, 371. 406. 466.

2) IMB. 403, 103 sqq. Samii dicunt *⟨καθ' ὃν καιρ⟩ὸν διαιροῦντο τὰν τᾶν Μελιέων | χώραν λαχεῖν αὐτοὶ Κάριον καὶ Δρυοῦσσαν.* vs. 118 sq. Rhodii dicunt *ἁμὲς δὲ θεωροῦντες τοὺς γράψαντας ⟨τὸμ πόλεμον⟩ τὸμ Μελια|κὸν καὶ τὰν διαίρεσιν τῆς χώρας...*

3) Sic Rhodiorum arbitri verba scriptorum intellexere IMB. 403, 118 sqq. Samii prava fortasse interpretatione nixi Durin quoque et Olympichum et Euagona suae causae favere dixisse videntur vs. 109 sqq. Etiam Maeandrii historiarum fides vulgo addubitabatur cf. vs. 123.

4) cf. caput I, p. 121 sq.

dicere licet bellum ante Lygdamis irruptionem gestum esse. Accuratiora coniectura tantum inveniri possunt, quae tamen incertior est, quam ut in textu proferatur.[1])

Quae omnia si coniunguntur, hanc rerum seriem statuere licet. Primis urbis temporibus bella Carica tribuenda sunt. Secutum est bellum Meliacum, in quo ex agro Meliae deletae Prienensibus Carium et Dryussa, Samiis Phygela addicta sunt. Utrosque terra expulit Lygdamis Cimmeriorum dux circa annum 640. Non multo post Prienensium, qui post Lygdamis discessum agrum rursus occupaverant, urbs ab Ardye capta est (anno ca. 620?). Lydorum dominatione mox liberati Prienenses cum Samiis de agro illo bello congressi sunt primumque victores septimo anno post a Samiis et Milesiis prope Quercum

1) Quoniam res poscere videtur, ut certam profitear sententiam, haec addam. Cum tota antiquitas duodecim tantum urbes Ionicas noverit, solus Vitruvius ubi de Ionica migratione loquitur (IV 1) tredecim olim eas fuisse narrat, tertiam autem decimam mox a ceteris communi consilio esse deletam. Tale quid ementiri sane nemo potest. Nomen autem tertiae decimae urbis Melite apud Vitruvium legitur. Quodsi reputatur nomen urbis in titulo commemoratae Ionica dialecto *Μελίη* scriptum esse, nasci sane potest coniectura, Melíten Vitruvii eandem esse urbem atque Meliam, cuius ager secundum titulum inter Samios et Prienenses divisus est. Nec solum inter hos: nam si vera est coniectura, id quoque explicatur, quod ceteroquin obscurum manet, Marathesium Milesiorum olim, Anaea Colophoniorum fuisse. Hoc etsi a tota antiquitatis memoria recedit, quae Marathesium Samiis dein Ephesiis, Anaea Samiis adscribit (cf. Strabo p. 639. de Anaeis Panofka, res Sam. 21 sq.), tamen recte ab Hicksio viro sagacissimo conclusum est ex vss. 57—60 tituli quamvis laceratis (cf. IMB. p. 3. col. b sup.). Nempe bello contra Melienses gesto aderant Milesii quoque et Colophonii, communi enim consilio, ut ait Vitruvius, Melia deleta est. — Hicksius Hecataei testimonium ex Steph. Byz. *Μελία· πόλις Καρίας* adfert et hanc Carum urbem cum Prienensium civitate initio unitam fuisse suspicatur collatis praesertim frustulis vss. 45 sqq. Quod mihi minus verisimile videtur, quia Graeci advenae crudelissime se contra veteres terrae gesserunt incolas. Soli Ephesii templi Dianae accolas recepisse videntur. Ceterum illud Hecataei *Καρίας* nostrae de situ urbis sententiae opponi non debet, quia Hecataei temporibus fines Cariae et Lydiae nondum certi erant cf. infra caput III. — Quae conieci ego pro veritate vendere nolim, nata est coniectura ex studio duas res, de quarum explicatione desperandum foret, si singulae respicerentur, coniunctas interpretandi.

devicti pace, quam Bias conciliavit, Carium et Dryussam amiserunt,[1]) id quod accidit initio saeculi sexti. Eodem fere tempore urbs ab Alyatte, rege Lydorum, oppugnata, sed Biantis ut fama fert, consilio servata est.[2]) Praeterea nihil de urbe traditur nisi pariter atque ceteras urbes Graecas in Croesi dicionem eam venisse.[3])

Ceterum ea aetate, qua Bias florebat et adversarius eius Salaris,[4]) etiam urbs Priene ad summum felicitatis fastigium evecta est. Finibus enim gaudebat ante infelix illud bellum Samium, quo magna pars territorii Prienensibus adempta est, satis amplis[5]) eamque civium valuisse et numero et virtute ipsum illud docet, quod cum duabus potentissimis civitatibus Samiis et Milesiis urbs bellum inire non verebatur. Et divitiarum, quas cives sibi parabant, exemplum praebet Pamphaes ille Theocharidis filius, qui Croesum magna pecuniae vi adiuvit.[6]) Iustitia autem, quae ceteris accedere debet rei publicae virtutibus, ita colebatur a Prienensibus Biantis maxime ut videtur opera, ut *Πριηνίη δίκη* apud aequales paene in proverbium abiret.[7])

---

1) cf. IMB. 403, 107 *ταύταν τὰν χώραν ἐν ταῖς συνθήκαις αὐτῶν* (Samii locuntur) *γενέσθαι.*

2) Diog. Laert. I 83. — de fide consilii Biantis historica Duncker, G. d. A. VI³, 305 not. 6.

3) Herod. I 6.

4) Rose, Ar. pseudepigr. 59 = Laert. Diog. II 46.

5) Mycalen totam *ὄρος εὔθηρον καὶ εὔδενδρον* Strab. p. 636 iis paruisse supra demonstrare studui p. 121 sq.

6) Xanthi fr. 19 = Nic. Damasc. p. 50 (FHG. I, p. 40ᵇ sq.). Quocum cf. Ael. var. hist. IV 17. *Παμφάης ὁ Πριηνεὺς* eqs.

7) Hipponax fr. 79 (Bgk.⁴) = Strab. p. 636 = Diog. I 84 et Demodocus fr. 6 (ibid) = Diog. I 84.

Caput tertium.

De Asiae minoris administratione qualis fuerit regni Persici temporibus 546—334.

Antecedenti capite historiae Prienensium descriptio usque ad annum 546 deducta est, quo Cyrus Lydorum regnum delevit. Priusquam autem ad ea illustranda pergit disputatio, quae urbs gesserit cum in Persarum esset dicione, nonnulla in universum de ratione praemittenda sunt, qua Persarum sub dominatione Asia cis Halyn sit administrata. Ac velut ceterae regiones a Persis subiectae, ita etiam Asia cis Halyn sita in complures divisa erat provincias sive satrapias, quibus singuli praeerant administratores regii sive satrapae. Sed de munere et auctoritate satraparum, de provinciarum cis Halyn numero et ambitu, de finibus denique, qui inter Cariam et Lydiam maxime intercedunt, quoniam adhuc a viris doctis dubitatur, breviter hoc loco exponendum est.

De munere et auctoritate satraparum[1]) si quis disserere vult, ei proficiscendum erit a Xenophontis verbis, quae in Cyrupaedia inveniuntur.[2]) Quodsi recte scriptor suae ipsius

1) De munere satraparum egerunt Heeren, Ideen zur Geschichte etc. I^3, 525 sqq., quem in multis secutus sum, Grote, hist. of Greece II^2, 493 (vers. Germ), Duncker, G. d. A. IV^5, 542, Krumbholz, de satrapis Persicis Diss. inaug. 1883, cui assensi sunt Th. Noeldeke in censura libri Krumbholziani Goett. Gel. Anz. 1884 p. 290 et Busolt, Gr. Gesch. II, p. 5, denique Th. Noeldeke, Aufsätze zur pers. Gesch. p. 33 sq.

2) Xen. Cyrup. VIII 6, 3. *Εἰσὶν ἡμῖν* (Cyrus loquitur ad amicos) *ἐν ταῖς κατεστραμμέναις πόλεσι φρουροὶ καὶ φρούραρχοι οὓς τότε κατελίπομεν καὶ τούτοις ἐγὼ προστάξας ἀπῆλθον ἄλλο μὲν μηδὲν πολυπραγμονεῖν, τὰ δὲ τείχη διασώζειν. τούτους μὲν οὖν οὐ παύσω τῆς ἀρχῆς ... ἄλλους δὲ σατράπας πέμψαι μοι δοκεῖ, οἵτινες ἄρξουσιν τῶν ἐνοικούντων καὶ τὸν δασμὸν λαμβάνοντες τοῖς τε φρουροῖς δώσουσι μισθὸν καὶ ἄλλο τελοῦσι ὅ,τι ἂν δέῃ.* Alter qui in censum venire potest locus Xenophonteus exstat in Oecon. c. 4, § 5—11. Sed hunc non Xenophonteum esse in tractanda quaestione cognovi iamque plura, quae verba illa insiticia esse probarent, adlaturus eram, cum a Lipsio praeceptore monitus haec omnia vidi multo melius et uberius quam ego potui exposita esse a Carolo Lincke, Xenophons Dialog *περὶ οἰκονομίας.* Ienae 1879, p. 50 sqq.

aetatis mores et instituta ad remotiora illa saecula transtulisse putatur in hoc libro, status fere rerum describitur, qui fuit circa annum 400. Hoc igitur tempore singularum regni Persici provinciarum administratio ita distributa erat inter praefectos regios et satrapas, ut illi praeessent praesidiis, hi incolas tributa cetera curarent simulque militibus victum praeberent et stipendia, utrique autem per singulos annos aut a rege ipso aut a missis dominicis[1]) inspicerentur. Haec fere Xenophon; quaerendum autem est, utrum haec duplex munerum divisio quam statuit vir rerum Persicarum peritissimus, cum ipsa rerum gestarum memoria conveniat necne.

Croeso rege devicto Cyrus cum in superiores regni partes contenderet, Sardibus reliquit Tabalum Persam, qui arcem custodiret et Pactyam Lydum gazae regiae administratorem. Statim post regis discessum Pactyas deficit Tabalumque Sardibus obsidet. Seditio autem non satrapis vicinarum regionum sed Mazari opprimenda obvenit, regii exercitus duci, cuius in praefecturam postea succedit Harpagus.[2]) — Triginta fere annis post Dareus rex cum Sylosonti fratri Polycratis patriae dominationem promiserit, curam belli quo reducatur Syloson non satrapae orae maritimae, sed Otani Persae committit, cui pars regii exercitus conceditur.[3]) — Denique Ionica seditione coorta Iones Sardes et Artaphrenem petunt. Artaphrenes autem satrapa, etsi non parva manu instructus, arcem Sardium custodire

1) Hoc nomine quod Caroli Magni demum temporibus divulgatum est, liceat mihi uti, quia rem accurate significat.

2) Her. I 153. *μετὰ ταῦτα ἐπιτρέψας* (sc. Cyrus) *μὲν Σάρδις Ταβάλῳ ἀνδρὶ Πέρσῃ, τὸν δὲ χρυσὸν τόν τε Κροίσου καὶ τὸν τῶν ἄλλων Λυδῶν Πακτύῃ ἀνδρὶ Λυδῷ κομίζειν* (cf. 155. *Πακτύης ... τῷ σὺ ἐπέτρεψας Σάρδις*) cap. 154. *ὡς δὲ ἀπήλασε ὁ Κῦρος ἐκ τῶν Σαρδίων τοὺς Λυδοὺς ἀπέστησεν ὁ Πακτύης ... ἐλάσας δ' ἐπὶ Σάρδις ἐπολιόρκεε Τάβαλον.* c. 156. *καλέσας* (sc. Cyrus) *Μαζάρεα ἄνδρα Μῆδον ταῦτά τέ οἱ ἐνετείλατο ...* c. 157. *Μαζάρης δὲ ὁ Μῆδος ἐλάσας ἐπὶ Σάρδις τοῦ Κύρου στρατοῦ μοῖραν ὁσηνδήκοτε ἔχων ...* c. 162. *ἀποθανόντος δὲ αὐτοῦ Ἅρπαγος κατέβη διάδοχος τῆς στρατηγίης.*

3) cf. Her. III 139—140. Dein c. 141 ... *Δαρεῖος ἀπέστελλε στρατιήν τε καὶ στρατηγὸν Ὀτάνεα τῶν ἑπτὰ γενόμενον.*

satis habet, dum Persarum duces Daurises Hymeas Otanes appropinquant Sardesque oppugnatione liberant. Omnino vero satrapae in illa seditione comprimenda primo nullae sunt partes, postea demum mortuis Daurise et Hymea exercitui cum Otane praeficitur per novum aliquod regis decretum Ionibusque bellum infert.[1])

Haec tria tanquam in fronte disputationis posita volui, ut statim inter se separata esse eluceret munera ducis et satrapae. Sed nonnulla accuratiore egent demonstratione; sunt enim qui Otanem non modo ducem, verum etiam Dascylei satrapam fuisse putent.[2]) Quod fieri nequit. Nam si ex Herodoti verbis iure concluditur Daurisem Hymeam Otanem munere pares fuisse,[3]) omnes satrapae esse non potuerunt — tres enim erant cis Halyn satrapiae, quarum Sardianae praefuit Artaphrenes — sane non est, cur in unum Otanem duplex et ducis et satrapae munus deferatur. Neque hoc cum scriptoris verbis convenit, qui Otanem diserte ducem incolarum orae maritimae et Megabazi successorem nominat.[4]) Megabazus autem exercitus

1) Her. V 100—102. *τότε δὲ οἱ Πέρσαι οἱ ἐντὸς Ἅλυος ποταμοῦ νομοὺς ἔχοντες . . . ἐβοήθεον τοῖσι Λυδοῖσι. καί κως ἐν μὲν Σάρδισι οὐκέτι ἐόντας τοὺς Ἴωνας εὑρίσκουσι, ἑπόμενοι δὲ κατὰ στίβον αἱρέουσι αὐτοὺς ἐν Ἐφέσῳ.* cum his confer cap. 116. *Δαυρίσης δὲ . . . καὶ Ὑμαίης καὶ Ὀτάνης ἄλλοι Περσῶν στρατηγοὶ ἐπιδιώξαντες τοὺς ἐς Σάρδις στρατευσαμένους Ἰώνων τῇ μάχῃ ὡς ἐπεκράτησαν. . .* Denique de Artaphrene duce facto c. 123. *Ἀρταφρένης δὲ ὁ Σαρδίων ὕπαρχος καὶ Ὀτάνης ὁ τρίτος στρατηγὸς ἐτάχθησαν ἐπὶ τὴν Ἰωνίην.*

2) Stein ad Her. V 102. Krumbholz p. 23 sq. Aliter censet Busolt, Gr. Gesch. II, 32 not. 4.

3) Her. V 123 (vide supra not. 1). Ceteri duo nimirum sunt Hymeas et Daurises, quorum mors c. 121 et 122 narratur. Apparet autem, id quod Busoltius quoque l. l. putat, tres illos pares inter se fuisse et certo numero finitos. Itaque qui cum Daurise interficiuntur, Amorges et Sisamaces *ὑποστρατηγοί* erant. Et cap. 116, ubi in verbis *Δαυρίσης καὶ Ὑμαίης τε καὶ Ὀτάνης καὶ ἄλλοι στρατηγοὶ* Steinius ultimum *καὶ* sola alterius familiae codicum auctoritate defensum recte seclusit, scribendum potius videtur *Ὑ. τε καὶ Ὀ. οἱ ἄλλοι Πέρσαι στρατηγοί.*

4) de Megabazo Her. IV 143, ubi *ἐν Εὐρώπῃ* ad *λείπει* trahendum videtur. Eodem modo in fine cap. 144 sic distinguo *ὁ Μεγάβαζος στρατηγὸς λειφθεὶς ἐν τῇ χώρῃ* et *Ἑλλησποντίων τοὺς μὴ μηδίζοντας κατεστρέφετο. ἐν*

solo imperio instructus erat, successorem igitur eius utroque munere functum esse non prius putare licebit, quam certis probatum erit argumentis. Haec sibi invenisse visus est Krumbholz: sed cum Otanem Dascylii satrapam fuisse inde concludit, quod in hac provincia sola Asiae bellum gessisse videtur, primum respondere licebit, quod iam a Posseldtio monitum est,[1]) has solas urbes tunc nondum pacatas fuisse, dein interrogare Krumbholzium, cur non statim post Ionum cladem in suam provinciam reverterit Otanes, sed Hymeae eam subigendam reliquerit.[2]) Neque ceterae viri docti rationes multum valent, praesertim cum unum locum, quo cum specie quadam iuris niti potuit eius sententia, ipse subtili disputatione sibi subtraxerit.[3])

Altera ex parte non desunt qui Artaphreni Sardium satrapae[4]) et belli praefecturam vindicent et maiorem inter ce-

---

τῇ χώρῃ absolute dictum est velut nos 'im Lande zurücklassen'. De Otane Her. V 25. Ὀτάνεα δὲ ἀποδέξας στρατηγὸν εἶναι τῶν παραθαλασσίων ἀνδρῶν ... c. 26. οὗτος ὦν ὁ Ὀτάνης ... τότε διάδοχος γενόμενος Μεγαβάζῳ τῆς στρατηγίης. Ut Otanem sic etiam Megabazum in Europa et Asia imperasse puto.

1) cf. Posseldt, quae Asiae orae occidentalis sub Dareo Hystaspis filio fuerit condicio. Regim. 1879. p. 72 not. 324.

2) et Daurisi cf. Her. V 117. 122.

3) Verba Herodoti dico V 102, τότε δὲ οἱ Πέρσαι οἱ ἐντὸς Ἅλυος νομοὺς ἔχοντες .... ἐβοήθεον τοῖσι Λυδοῖσι. Venerunt Daurises Hymeas Otanes c. 116. satrapia est νόμος cf. Her. III 89 sqq. Sed Krumbholzius cum Schweighaeusero νομοὺς generali sensu pro 'sedes' dictum esse putat coll. Her. V 92ᵃ. Hoc crederem, si hic idem quod illic νομὸν scriptum esset; pluralis vero aliam explicationem non habet nisi 'satrapias'. Neque tamen cum Steinio satrapas illos duces fuisse colligendum est. Nam eodem iure de duce, qui regionem aliquam defendit, ἔχειν dici potest atque de eo qui regionem administrat. Exemplo sunt I c. 153 et 158, ubi de utroque Pactya et Tabalo verba adhibentur τῷ σὺ ἐπιτρέψας Σάρδις. At alter est arcis praefectus, alter thesauro regio praeest. Quamquam haec quoque difficultatem moverunt; miror Wesselingium virum doctissimum in tales argutias incidisse, quales legi apud Baehrium ad I 155. Quid Schweighaeuser voluerit, non assequor (cf. ibid.). Optime alter locus alterum explicare mihi videtur.

4) Krumbholz 20. 21. 25. Posseldt p. 70—74, 92 sqq.

teros satrapas auctoritatem. Et quamquam ab Herodoto ne verbo quidem maiorem Artaphrenis potestatem significatam esse concedere debent, primum rem eo demonstrari putant, quod Artaphreni Sardibus obsesso omnes undique auxilio veniunt. At in aperto est neque eget demonstratione, si cui administratio belli tradita est velut Daurisi Hymeae Otani, ei illuc maxime succurrendum esse ubi bellum infertur.[1]) Dein quod Iones belli initio Sardis et Artaphrenem unum petunt, inde facile explicatur, quod Sardes caput regionis quasi domicilium erat dominationis Persicae atque hoc loco facillimus Ionibus per viam regiam patebat aditus Epheso ex foco seditionis proficiscentibus. Denique cur Aristagoras Atheniensium legati Hippias[2]) unum Artaphrenem adierint, in Aristagora ex ipsius verbis elucet, in ceteris rei natura ferebat, si quid a rege adipisci vellent, ut fratrem regis paene sibi vicinum non neglegerent.

Restat igitur unus locus, quo maior quaedam Artaphreni potestas adscribi videtur, in oratione Aristagorae ad exules Naxios habita.[3]) Sed quoniam verba illa non ab omni parte vera esse ex aliis Herodoti locis apparet[4]), omnino cavendum est, ne nimium credatur iactationibus miseri hominis, qui omnia polliceri, nihil praestare solebat.[5]) Sane de militari quodam imperio Artaphrenis ex verbis scriptoris nihil colligi potest. Immo vero si quod bellum exardescit, Artaphrenes ei non interest, sed ut Naxiae expeditioni Megabatem praeficit, ita Ionum seditionem non prius opprimendam suscipit quam proprio regis decreto dux nominatus est.[6]) Ducis igitur munus

1) cf. narrationem Herodoti V 99—101.

2) de Aristagora Her. V 31. de legatis Ath. V 73. 96. de Hippia V 96.

3) Her. V 30.

4) Otanem στρατηγὸν τῶν παραθαλασσίων fuisse vidimus. Nullo autem loco eum Artaphreni subditum fuisse discimus.

5) Vide quae de Aristagora leguntur, cum Spartae Cleomenem convenisset Her. V 49, eius mendacia si res poscebat c. 50, promissa immodica c. 97. cf. adn. seq.

6) Her. V 32. Idem si in Aryande recurrit, qui ducem expeditionis Barcensis nominat Maraphium IV 167, casui vix tribuere licet. Ceterum

ab Artaphrene abiudicandum videtur; dubitari potest de auctoritate illa qua ceteris praecellit satrapis, unde profluxerit. Perpensis tamen argumentis, quae utrimque afferuntur — loco nimirum Herodoteo propter Aristagorae iactationem suspecto et quod nusquam scriptor commemorat illam si vere erat maiorem potestatem[1]) — his igitur perpensis ad eam deferor sententiam quam Posseldt profitetur, auctoritatem Artaphrenis non maiore munere niti diserte ei tradito, sed rei natura si quidem regis frater erat.

Apparet igitur primis regni Persici temporibus bene distinguendum esse inter duces et satrapas. Duces erant Mazares Harpagus Otanes (Pharnaspis f.) Megabazus Otanes (Sisamnis f.) Daurises Hymeas, satrapa Artaphrenes; et singulari causa[2]) factum est, ut hic per tempus aliquod postea etiam belli praefectura fungeretur. Idem discrimen post seditionem Ionicam invenitur. Vere enim anni 492 dimissis ceteris ducibus — de satrapis nihil dicitur — Mardonius cum magna parte regii exercitus ad mare descendit, ut solus totum bellum administret.[3]) Primum hoc loco carani munus occurrit, de quo

---

cum Dunckero VII, 34 not. summum in expeditione Naxia imperatorem Megabaten fuisse censeo. Narratio tamen illa Herodoti si non vera, at bene inventa est novumque iactationis Aristagoreae exemplum adfert. — De Artaphrene duce nominato cf. Her. V 123.

1) Recte Posseldtius p. 73 dixit Herodotum non tacere potuisse de maiore illo si erat munere cum verba V 25 scriberet.

2) morte scilicet Daurisis et Hymeae.

3) Herod. VI 43. *ἅμα δὲ τῷ ἔαρι τῶν ἄλλων καταλελυμένων στρατηγῶν ἐκ βασιλέος, Μαρδόνιος ὁ Γωβρύεω κατέβαινε ἐπὶ θάλασσαν στρατὸν πολλὸν μὲν κάρτα πεζὸν ἅμα ἀγόμενος, πολλὸν δὲ καὶ ναυτικὸν* et paulo infra *τοὺς γὰρ τυράννους τῶν Ἰώνων καταπαύσας πάντας ὁ Μαρδόνιος δημοκρατίας κατίστα ἐς τὰς πόλιας.* Recte Posseldt sola praefectura se abdicasse Artaphrenem ex verbis illis concludit. Satrapia quoque eum privatum esse mera est coniectura Krumbholzii p. 25, quae eo nititur, quod summum quoque militare imperium penes Artaphrenem fuisse sibi persuasit v. d. Unde Curtii de controversia quadam inter regem et Artaphrenem orta narratio desumpta sit, nescio. Curtius, Griech. Gesch. I[6], 618. — Ceterum carani nomen ab Herodoto Mardonio non datur, potestas vero eadem est.

infra dicendum erit. Cuius muneris ex auctoritate Mardonius Iones a tyrannis liberat: provinciae eum praefuisse nusquam dicit Herodotus.[1] Duobus annis post, cum Mardonius rem male gesserit, iterum dividitur imperium militare inter Datin et Artaphrenem, qui Graeciae bellum inferunt. Satrapas eos fuisse ne verbo quidem indicatur.[2] Neque aliter res se habet in Hydarne, qui intra annos 490 et 480 dux est maris accolarum, in Tigrane Mardonte aliis Persarum ducibus, qui post Xerxis cladem bellum in Asia gerunt, semper *στρατηγοὶ* ab Herodoto, nusquam *σατράπαι* vel *ὕπαρχοι* vocantur.[3]

Quae secuntur regni Persici tempora minus nota sunt, quam ut certi aliquid statuere liceat: certiora autem rursus omnia fiunt inde ab anno 413 a Thucydide octavo libro enarrata. Hoc igitur anno belli imperium in tota Asia minore habuit Tissaphernes, quem eundem satrapam fuisse docent verba Thucydidis et Ctesiae.[4] Sic in uno homine coniunguntur munera antea diu separata primumque id factum est,

1) Hoc fatetur etiam Krumbholz p. 26.

2) Her. VI 94. *Μαρδόνιον μὲν δὴ φλαύρως πρήξαντα τῷ στόλῳ παραλύει τῆς στρατηγίης· ἄλλους δὲ στρατηγοὺς ἀποδέξας ἀπέστειλε ἐπί τε Ἐρετρίαν καὶ Ἀθήνας, Δᾶτίν τε ἐόντα Μῆδον γένος καὶ Ἀρταφρένεα τὸν Ἀρταφρένεος παῖδα .... ὡς δὲ οἱ στρατηγοὶ οὗτοι οἱ ἀποδειχθέντες ἀπίκοντο ... ἐς τὸ Ἀλήιον πεδίον, ἅμα ἀγόμενοι πεζὸν στρατὸν πολλόν τε καὶ εὖ ἐσκευασμένον...* Artaphrenem pariter atque patrem satrapiae Lydiae praefuisse Krumbh. dicit p. 30. Et quid Datis? Coniectura inde nascitur, quod anno 492 Artaphrenem patrem satrapia spoliatum esse opinatur et quod Artaphrenes 480 Lydorum copiis in exercitu Xerxis praeest Her. VII 74. De hoc argumento quod nullum est cf. infra.

3) de Hydarne Her. VII 135. *ὁ δὲ Ὑδάρνης ἦν μὲν γένος Πέρσης, στρατηγὸς δὲ τῶν παραθαλασσίων ἀνδρῶν τῶν ἐν τῇ Ἀσίῃ.* Inde quod Hydarnis munus eodem nomine significatur, quo Otanis V 25, Krumbh. p. 24 hunc quoque Dascylii satrapam fuisse credit. Error igitur etiam hoc loco errorem progenuit. — de Tigrane aliisque cf. Her. IX 96. 102.

4) Hoc inde elucet, quod rex ab eo tributa postulat Thuc. VIII 5, 4. Erat *στρατηγὸς τῶν κάτω.* cf. ibid. Accuratius rem tradit Ctesias apud Photium = fr. 52 (Muell.). Secundum eum Tissaphernes cum duobus aliis dux electus erat contra Pissuthnem, qui defecerat. Pissuthne capto Tissaphernes Lydiam accepit. Postea igitur solus *στρατηγὸς τῶν κάτω* videtur factus esse.

quod postea fere in consuetudinem regis abiit, ut curam belli non duci proprie nominato, sed satrapae cuidam committeret. De Cyro res notior est, quam ut demonstrari opus sit, etiam ex iis qui Cyro deinceps in praefectura belli succedunt, Tissaphernes Tithraustes Tiribazus et Pharnabazus Struthas Tiribazus iterum et Orontas, nonnullos velut Tissaphernem Pharnabazum et fortasse Tithraustem et Orontam[1]) satrapas fuisse probare licet. Tamen hanc consuetudinem semper observatam esse ne quis credat, Pharnabazi verba impediunt, quibus apud Xenophontem Agesilao respondet.[2]) Et satis memorabile est numquam haec duo munera in eodem homine a scriptoribus confundi, sed semper accurate distingui. Diserte hoc facit Xenophon cum Cyri minoris potestatem delineat,[3]) sed ne posterioribus quidem temporibus facile quis invenitur satrapa extra suam provinciam belligerans, cui non proprio regis decreto imperium militare traditum sit.[4]) Pluribus etiam locis

---

1) Tithraustem Tissaphernis satrapia donatum esse recte Krumbh. p. 62 ex Xen. hell. III 4, 26 collegit. — Strutham satrapam fuisse (Krumbh. p. 64 et 66) nulla alia re indicatur nisi verbis Harpocrationis s. v. *Στρούϑας* et Suidae s. v. *Στρούϑας*, vetat autem gravissimum Theopompi testimonium fr. 111 (FHG. I), ex quo tunc Autophradates Lydiae praefuit. Theopompi auctoritatem frustra debilitare studet Krumbh. p. 66. — De Oronta res admodum dubia est. Exstant nummi Clazomenii et Lampsaceni, quibus nomen ΟΡΟΝΤΑ impressum est, sed incertum manet, utrum Orontas ille, qui cum aliis a rege defecit, postea vero proditis seditionis sociis in gratiam regis rediit, nummos incuderit, postquam satrapia orae maritimae donatus est — ut vult Droysen fil. in Salleti Ztschr. f. Numismatik II, 312 — an ille de quo sermo est Orontas intellegendus sit, qui Tiribazo per dolum remoto imperium belli Cyprii accepit Diod. XV 8, 3 sq. cf. Noeldeke, Aufs. z. pers. Gesch. p. 73.

2) Xen. hist. Graec. IV 1, 37 *ἐὰν βασιλεὺς ἄλλον μὲν στρατηγὸν πέμπῃ, ἐμὲ δὲ ὑπήκοον ἐκείνου τάττῃ, βουλήσομαι ὑμῖν καὶ φίλος καὶ σύμμαχος εἶναι, ἐὰν μέντοι μοι τὴν ἀρχὴν προστάττῃ ...*

3) Xen. anab. I 1, 2. I 9, 7.

4) E re videtur hoc loco eos enumerare qui post Tissaphernis mortem imperium militare gerebant in Asia cis Halyn sita. Ex his satrapae fuerunt et regis decreto duces nominati Tithraustes cf. not. 1, Pharnabazus Xen. hist. graec. IV 1, 37 coll. IV 3, 11, Autophradates Lydiae praefectus, qui primum bello Cyprio praefuit Theop. fr. 111 una cum Heca-

duces et satrapae aperte separantur.[1]) Elucet igitur per se imperium non coniunctum fuisse cum munere satrapae, sed proprio semper regis decreto opus fuisse, si uni eidemque utrumque munus deferendum esset.

Haec omnia enarrare necesse erat, ut haberet quo niteretur disputatio: nunc revertendum erit ad quaestionem primariam quaenam fuerit satraparum potestas. Id autem ex iis intellegitur quae antecedunt, plane separandum esse ducis munus a munere satrapae. Duces igitur ii erant, quos rex bello cuidam praefecerat et parte regii exercitus instruxerat ad belli negotia conficienda.[2]) Numerus eorum non constabat, modo tres modo duo commemorantur, modo unus; qui si tota quadam regni parte velut in Asia bellum administrabat, carani nomine ap-

---

tomno — quem (scil. Autophr.) omittit Diod. XIV 98, 3 — dein contra seditiosos dux nominatus est (iussu regis bellum gessit Nep. Dat. 2, 1), tertium contra Datamem missus est ibid. c. 7, 1; Hecatomnus Cariae dynastes a rege curam belli Cyprii accepit Diod. XIV 98, 3; Idrieus, qui ex regis voluntate alterum bellum Cyprium administravit Diod. XVI 42, 6; Mentor (satrapa secundum Diod. XVI 52, 2) contra seditiosos a rege mittitur Diod. XVI 50, 7. 52, 2, satrapae denique, qui iussu regis Perintho auxiliantur Diod. XVI 75, 2. — Duces solum fuisse videntur Tiribazus Xen. hist. Graec. IV 8, 11 et Diod. XV 2, Struthas Xen. hist. Gr. IV 8, 17, Orontas Diod. XV 2 (sed cf. p. 144 not. 1), Artabazus XV 91, 2, Memnon Arr. anab. I 23, 1. Diod. XVII 23, 6. Hunc Thraciae satrapam fuisse Sintenis aliique ex Arr. an. I 17, 8 cl. I 25, 3 concludunt. Iniuria ut videtur: primum enim num Thracia tunc Persis subdita fuerit, dubium est Arr. an. VII 9, 3 coll. II 14, 5. Dein ex verbis Arr. I 25, 3 apparet Thracicam expeditionem factam esse antequam Calas Phrygiam acciperet I 17, 1. Illam autem *ἐπὶ τὴν χώραν τοῦ Μέμνονος* impetum Calas fecit cum iam satrapa esset I 17, 8. *Χώρα* igitur Memnonis privata erat.

1) Diod. XVI 41, 2. XVII 18, 2. Arr. I 12, 8. 16, 3.

2) Partem regii exercitus, qui numquam dimittebatur (cf. Duncker G. d. A. IV, 565) acceperant Mazares Her. I 157 et ab hoc Harpagus; Otanes Her. III 141 Pharnaspis f.; Megabazus IV 143 (octoginta milia) cui successerat Otanes, Sisamnis filius Her. V 25. Novum exercitum rex tradit Mardonio VI 43, Dati et Artaphreni VI 94 et 95, Megabyzo Thuc. I 109, 3, Tissapherni Xen. hist. graec. III 4, 6. 11 = Ages. I 11—13. Ab hoc fortasse Tithraustes exercitum sumpsit, cum descenderet Xen. hell. III 4, 25. Postea Tiribazo et Orontae traditur Diod. XV 2.

pellabatur.[1]) Quae ad sustinendum exercitum opus erant cibaria stipendia alia, satrapae vicinarum regionum ducibus praestare iubebantur.[2]) Ius paciscendi ducibus non fuisse videtur.

Contra satrapis ab initio nihil mandatum erat nisi civilis quam dicunt administratio. Cuius maxima pars tributorum erat exactio, in qua quanta calliditate versati sint satrapae, testis est alterum caput libri Aristotelici, qui Oeconomicus inscribitur. Redituum autem, quos collegerant, alteram partem regi tradebant, altera ipsis obveniebat, ex qua praesidiis urbium et provinciae victus et stipendia praebenda simulque aula satrapae, aedificia publica, viae, cetera quae opus fuerunt sustentanda erant. Militare imperium cum satrapia non coniunctum erat, nam quae saepius ab iis gerebatur praefectura belli non ex ipsa satrapiae natura profluxit, sed cumulatione quam dicunt officiorum satrapae tradita est; praesidiorum autem et custodiarum imperium ab initio penes alios fuit, ut docet Xenophontis testimonium. Attamen in hac re aliquid mutatum esse videtur. Paulatim enim factum est, ut satrapae illis praesi-

1) Tres nominantur in Asia Her. V 116, contra Pissuthnem Ctes. c. 52 (Mueller), contra Aegyptum bis Isocr. paneg. 140 Diod. XVI 47. Duobus imperium traditur contra Iones Her. V 123, Athenienses VI 94. 95, postea plerumque sic, ut alter rei navali, alter terrestribus copiis praesit cf. Pharnabazum et Tiribazum Xen. hell. IV 3, 11 et IV 8, 11, Hecatomnum et Autophradatem Theop. fr. 111, Tiribazum et Orontam Diod. XV 2, 1, Autophradatem et Maussollum (Xen.) Ages. II 26. — Singuli passim commemorantur duces, ex quibus carani fuisse videntur Mardonius, Tissaphernes bis, Cyrus, Tithraustes, Tiribazus, Struthas, Orontas (post Tirib. remotum) Mentor, Memnon (sed is postea demum cf. Arr. I 20, 3 cum I 12, 8).

2) Compluribus locis epistula regis commemoratur duci data, qua satrapae duci oboedire iubentur (quod nunc fere 'Accreditive' dicitur), cf. de Tithrauste Diod. XIV 80, 7 cum Polyaen. VII 16, 1, de Memnone Diod. XVII 23, 6. Item regia epistula invenitur Diod. XVI 42, 6. XVI 75, 2. — Sic Pharnabazus subditus est Cyro Xen. hist. Gr. I 4, 5 et Tissapherni III 2, 13 cf. ipsius verba IV 1, 37 et III 1, 13 ubi ceteroquin non intelleges, cur Phrygiae minoris satrapa Pisidis bellum intulerit. Eodem muneris iure Hecatomnus ex ceteris provinciis copias colligit Diod. XIV 98, 2. et satrapae ducibus frumentum suppeditant. XVI 41, 5.

diorum praefectis auctoritate praecellerent, unde explicandum est quod compluribus locis satrapa velut dux commemoratur, ubi sermo est de bello intra fines provinciae gesto.[1]) Monendum autem est hanc Xenophontis aetate nondum regulam fuisse, quia sic non intellegitur cur Xenophon discrimen illud statuerit, neque Alexandri temporibus hanc diversitatem primariam plane evanuisse, quia ab Alexandro in quibusdam provinciis retenta est.[2])

Quae si recte disputata sunt, certo fundamento caret Krumbholzii sententia, qui id maxime egit, ut ducibus, qui apud scriptores Graecos commemorantur, satrapias quasdam tribueret. Quod si prioribus regni temporibus nunquam factum esse vidimus, ne credamus viro docto citius quam verius asserenti omnes, qui in exercitu Xerxis duces fuerint, satrapas quoque habendos esse.[3]) Nec si demonstratum est posterioribus temporibus illam munerum cumulationem proprio semper regis decreto ortam esse, suam cuique imperatori satrapiam tribuere licebit, nisi tale quod regis decretum exstat. Omnino autem verisimile non est, provincias tam saepe dominos mutasse

1) Primum quantum scio Pharnabazi exemplum est, qui 411 et 410 Lacedaemonios adiuvit Xen. hist. Gr. I 1, 14 cf. III 2, 13. Aliis occasionibus copiis suis non ipse praeest Xen. anab. VI 5, 7. Adde quod Mania in Aeolide bellum gerit Xen. hist. Gr. III 1, 10. Sic Belesys Syriae et Mazaeus Ciliciae satrapa Phoenicum urbes in provinciis suis sitas subigere student Diod. XVI 42, 1. Ultimis regni temporibus saepius satrapae copiis praesunt, commemorantur in pugna apud Granicum facta, ubi eandem quam duces auctoritatem habent in consilio militari Arr. I 12, 8 cf. II 11, 8. VII 10, 7, in proelio Issico Arr. II 11, 8. Diod. XVII 33, 5. 36, 4.

2) Sic in Lydia custodia urbis tributorum exactio exercitus praefectura Pausaniae Niciae Asandro datur Arr. an. I 17, 7; in Susiana Mazari Abulitae Archelao III 16, 9. in Babylonia Mazaeo Asclepiodoro Apollodoro III 16, 4. In aliis provinciis dux solum exercitus et satrapa distinguuntur, ut in Caria I 23, 6, Parthyaea III 25, 2 et aliis.

3) Quaerere licet, quisnam rex, cum gravissimum bellum initurus est, omnibus provinciis novos administratores praeficere velit. Ceterum ex tam multis copiarum ducibus unus est, quem satrapam fuisse ex Her. VII 7 constat, Achaemenes VII 97. Quamquam secundum Krumbh. p. 30 idem de compluribus aliis suspicari licet, sed cur liceat, sane non dicit.

quam tabula Krumbholziana vult. Nam si re vera satrapae erant tamquam reguli — et fuisse videntur secundum Xenophontis in Cyrupaedia verba[1]) —, frequens dominorum mutatio admodum debilitare debebat provincias. Immo contrarium factum est; complures enim satrapias constat per nonnullas hominum aetates ab eiusdem familiae viris administratas fuisse.[2])

Ex tabula igitur satraparum, quam Krumbholzius adiecit, nomina nonnulla removeantur necesse est. Neque hoc admirationem movere debet. Quae enim scripta veterum regni Persici institutiones descripserunt, ea praeter Cyrupaediam omnia aetatem non tulere. Qui vero nunc exstant scriptores Herodotus Thucydides Xenophon Ephorus (apud Diodorum) res Persicas ut cum Graecorum quam describunt historia coniunctae sunt, ita tantum commemorant. Sic fit, ut de iis quae

1) Cyrup. VIII 6, 10—14.

2) Hoc de Syria valet, nisi forte iidem erant Belesys ille, de quo dicit Xenophon anab. I 4, 11 et is qui quinquaginta annis post eiusdem satrapiae praefectus erat Diod. XVI 42, 1. — Nota est res de Phrygia minore, quae a viris ex Pharnacis familia ortis administrabatur. Stemma eorum sic fere constituitur.

Pharnaces I. Thuc. I 129, 1

Pharnabazus I. Thuc. II 67, 1 — Artabazus (qui Dascylium accipit Thuc. I 129, 1)

Pharnaces II, Dascylii satrapa cf. Krumbh. p. 34

Pharnabazus II. notissimus ille satrapa — x (cf. Thuc. VIII 58, 1)

Utrum etiam ii, qui Phrygiae postea praesunt, Ariobarzanes Artabazus, eiusdem familiae fuerint, incertum est. Sed cf. Noeldeke, Goett. gel. Anzeigen 1884 p. 294 sq. — Etiam Lydia his adiungenda erit, si fides Kruegero, qui Dionys. Historiogr. p. 352 not. 11. Pissuthnem Artaphrenis nepotem fuisse affirmat. — Cariam omitto, quod Hecatomni stirpis dominatio regiae potestati similis est. — Ceterum ex hac re facile explicatur quomodo factum sit, ut satrapae praefectos praesidiorum paulatim auctoritate superarent. Fortasse non casui tribuendum est, quod prima eius rei indicia in provincia Pharnacidarum apparent cf. p. 147 not. 1.

ad bellum pertinent, multo plura tradantur quam de civili regni administratione.

His fere perpensis paulo infra novam satraparum tabulam addere conatus sum. Recte enim tunc demum de hac re iudicabitur, si antea satrapiarum quae cis Halyn sitae erant, numerus constitutus erit et ambitus.[1])

Sardibus captis cum anno 546 omne Lydorum regnum Persarum dicioni esset subiectum, duas Cyrus cis Halyn constituit satrapias, alteram Dascylitidem, quae Phrygiam maiorem minoremque et Paphlagoniam videtur complexa esse, alteram Sardianam, cui cetera pars Asiae occidentalis addicta erat. Nam quod Herodotus de Oroeta Sardium satrapa, qui totum Croesi imperium iterum coniunxit, III c. 127 dicit *εἶχε δὲ νομὸν τόν τε Φρύγιον καὶ Λυδικὸν καὶ Ἰωνικὸν*, id aperte scriptor ex suae ipsius aetatis consuetudine locutus est, qua tres iam exstabant illae cis Halyn satrapiae. Ceterum ipse Herodotus ante Darei divisionem duas tantum provincias distinguit Ionicasque urbes et oram maritimam Sardianae adnumerat.[2]) Quod si statuitur, neque cum Steinio Posseldtioque putare necesse est Oroetam vi Ionia potitum esse, de qua re nihil traditur, neque cum Baehrio Dunckero Krumbholzio utramque ei provinciam a Cyro esse commissam.[3])

1) cf. Heeren, Ideeen I³ 181 sqq., qui in hac re minus feliciter versatus est, et post eum maxime Posseldt p. 50 sqq., p. 65 sqq. et Krumbholz p. 54 sqq., qui de posteriore provinciarum statu diligenter, uti solet, plurima collegit.

2) Herod. III 120. Mitrobates Oroetae haec exprobrat *Σὺ γὰρ ἐν ἀνδρῶν λόγῳ ὃς βασιλέϊ νῆσον Σάμον πρὸς τῷ νόμῳ προσκειμένην οὐ προσεκτήσαο;* Samus igitur e regione terrae erat, quae ad Oroetae provinciam pertinebat. At Lydia satrapia omnino Herodoti aetate mare non attigit.

3) Stein ad Her. III 122. *νόμος Ἰωνικός*, in dessen Besitz sich Oroetes damals schon gesetzt haben muss. Posseldt p. 68 not. 312, qui alio loco p. 69 proxime abest a vera sententia. — Baehr ad Her. III 127. Duncker IV³ 469. Krumbholz p. 18 infra. Postea cum gaudio vidi eandem sententiam atque mihi probari Eduardo Meyer viro doctissimo G. d. Alt. I, § 503 fin., qui breviter quid sentiat, significat, nescio an iisdem rationibus perductus.

Post mortem vero Oroetae[1]) nova provinciarum distributione facta tres cis Halyn Dareus instituit satrapias, quarum fines accurate ab Herodoto describuntur, Dascylitidem Sardianam Ionicam. Ex quibus Sardianam et Ionicam statim ab uno satrapa Artaphrene administratas esse qui putant,[2]) regi prudentissimo id sane imputant, ut quod modo sapientissime instituisset, id statim ipse inane reddiderit. Nititur autem, ut supra p. 141 ostendere studui, illa sententia uno tantum loco Herodoti, qui propter iactationis Aristagoreae suspicionem satis dubius videtur esse.[3]) Sed utrum revera Artaphrenes regis vicarius idemque Ioniae et Lydiae satrapa fuerit, nunc in medio relinquo: gravius est, id quod probari posse spero, ne tum quidem provincias coniunctim administratas esse credi oportere. Quid omnino sibi volebat illa satrapiarum divisio nisi hoc, ut singulae provinciae et facilius et melius administrarentur et sua cuique esset tributorum pars? Per se igitur verisimile est viros illos, qui a rege complures provincias acceperunt, ita tantum illarum satrapis fuisse praepositos, ut in ipsa territorii administratione nihil fere mutaretur, satrapa autem non tam regi ipsi quam regis vicario oboediret.

Et quamquam tale quid magis suspicari licet quam demonstrare, restant pauca tamen, quae rem ita fuisse indicent. Cyrus enim a Xenophonte satrapa vocatur Lydiae Phrygiae Cappadociae.[4]) At extrema anabasis paragrapho satrapae harum regionum commemorantur Artimas Artacamas Mithridates, quibus ex Diodoro Tamon addere licet Ioniae, quae tunc Cyri

1) Fortasse non solum post, sed etiam propter Oroetae defectionem Sardiana provincia divisa est. Haec enim maxime causa fuisse videtur, cur postea in locum magnarum Darei satrapiarum minores succederent. Posseldt p. 70 et not. 319, qui confert Nicolai, Politik d. Tissaphernes Progr. Bernburgense 1863 p. 5 sq. Hoc impugnatur, non refutatur a Krumbholzio p. 22, nam quod contra adfert, Ioniam et Lydiam numquam separatas fuisse, id demonstrare debebat.

2) Krumbholz p. 22. 27.

3) Her. V 30.

4) Xen. anab. I 9, 7.

erat, praefectum.[1]) Idem Diodori locus probat non de legatis Cyri, sed de satrapis proprie dicendis sermonem esse.[2]) Neque aliter res se habet in Tissapherne; nam dum ipse omnem quam Cyrus habuerat, suamque ipsius provinciam administrat, inveniuntur tamen Phrygiae maioris et Cariae satrapae Ariaeus et Idrieus.[3]) Inde igitur verisimile fit Artaphrenis quoque

---

1) Paragraphum hanc a Xenophonte non scriptam esse primus demonstravit Krueger, de authentia et integritate Xenoph. Anabaseos p. 7 sq. = Krit. Analect. p. 121 sq., compluribus usus argumentis, quibus hoc adiciam, quod anab. I 2, 19 Lycaonia a Cyro militibus diripienda traditur, hoc autem loco pars est dominationis Mithridatis illius Cyri amicissimi anab. II 5, 35. III 3, 1 sqq. IV 2 sq. — Tamen ex optimo et satis antiquo fonte verba illa profecta esse ego quoque cum Krumbh. p. 38 censeo. Et quamquam de aetate fontis certi aliquid afferri nequit, tamen in illud tempus incidere videtur, quo Thracia ab Asia nondum disiuncta fuit, quod post mortem Seleuci Nicatoris factum est et Bithynorum fines a regibus eorum ita amplificati erant, ut maximam Dascylitidis satrapiae partem complecterentur cf. Memn. c. 20 (FHG. III). Utrumque finem quarti aut initium tertii saeculi indicare videtur.

2) Diod. XIV 35, 2 sq. Tamos Tissaphernis iam temporibus Ioniam habebat Thuc. VIII 31, 2. Ceterum apud Diodorum satrapas proprio sensu, non legatos alius satrapae intellegendos esse inde colligo, quod in iis bibliothecae partibus, in quibus Diodorus Ephorum sequitur (cf. Volquardsen, die Quellen Diodors) σατράπης non adhibetur, nisi propria vocabuli significatione. Unum locum contra adfert Krumbholzius p. 74 not. 1, nimirum Diod. XVI 52, 2. Sed etiam hoc loco satrapam proprio sensu dictum esse docet eiusdem muneris commemoratio Diod. XV 91, 1 Orontae promissi. Omnino vero in hac voce adhibenda scriptores differunt. Herodoto idem esse ὕπαρχον et satrapam recte Krumbholz cognovit p. 4 not.; Thucydides accurate hyparchos a satrapis separat cf. Krumbholz ibid.; Xenophon et ipse munera distinguit excepto uno loco Hist. Graec. III 1, 10 sqq., quo Zenidi et Maniae uxori eius, qui deinceps Pharnabazo Aeolidem administrabant, nomen satrapae inditur. Attamen § 12 Mania diserte inter legatos ὑπάρχους refertur. Arrianus ut in aliis rebus Herodoti sectator, ita etiam σατράπης et ὕπαρχος promiscue usurpat cf. I 12, 8. (Aliter censet Sintenis ib. At Phrygia utique satrapia erat.)

3) Ariaeum Phrygiae scil. maioris satrapam vocant Diod. XIV 80, 8. Polyaen. VII 16, 1. — De Idrieo res difficilior est. CIG. 2919 Idrieus commemoratur septimo Artaxerxis anno. Hunc cum Boeckhius Ochum intellexerit, nunc plerique priorem Rochettii sententiam secuti de Mnemone sermonem esse putant et tituli archetypum anno 399/8 tribuunt. Schaefer,

temporibus Ionicae provinciae proprium praefuisse satrapam. Is autem cur nusquam ab Herodoto commemoretur, variae excogitari possunt causae; mihi prae ceteris placet quod supra breviter significavi p. 148 sq.

Initio igitur provincia Ionica totam oram maritumam complectebatur inde ab Abydo usque ad Pamphyliam et in terra mediterranea Troadem Magnetes Cariam Lyciam Milyadem.[1]) Sed exitus bellorum Persicorum et pugna apud Mycalen facta magnam in his rebus effecere mutationem. Paulo enim post proelium Mycalense omnes fere orae maritimae civitates Graecae a rege defecerunt seque Atheniensium foederi adiunxerunt. Quo factum est, ut maior pars eaque ditior Ionicae provinciae adimeretur. Quae restabat pars, tributa, quae antea toti satrapiae imposita erant, sane praestare non potuit. Et hac de causa tunc, ut videtur, provincia Ionica per se exstare desiit et divisa est inter Dascylitidem et Sardianam ita, ut quae inde ab Adramytio septentrionem versus spectarent, Dascylii satrapae, cetera Lydiae praefecto obvenirent.[2]) Hic

---

Dem. u. seine Zeit III² p. 342, cui recte assensus est Krumbholz p. 79 sq, Noeldeke, Goett. Gel. Anz. p. 297. Ceterum circa annum 400 Cariam suum habuisse satrapam docet Xen. Cyrup. VIII 6, 7. cf. infra p. 153.

1) Her. III 90, ubi id solum dubium est, qui sint *Αἰολέες*. Nam I 149—151. tres partes Aeolidis scriptor distinguit, hendecapolin in terra continenti sitam, Troadis urbes 'quae separatae sunt', insulas Lesbum Tenedum Hecatonnesum. Hoc autem loco III 90 quoniam id agit Dareus, ut integros provincia populos complectatur, omnes Aeoles, qui regis in potestatem pervenerunt, intellegendi sunt. Erant autem ei, qui Abydo meridiem versus habitabant. Quae enim in litore Hellesponti erant Aeolensium civitates, eas Hellespontias vocat Herodotus IV 138. — Itaque Her. V 122 *ἡ προσεχὴς Αἰολὶς* non est 'Aeolis Ioniae vicina', quod cur diserte adderetur non erat, sed Aeolidis ea pars, quae Ioniam attingit. Cetera Aeolis iam ab Hymea subacta erat c. 122.

2) Hoc mihi recte demonstrasse videtur Krumbh. p. 32 sq. et maxime 55 sqq. Unus obstat locus Diodori, qui XIV 19, 6 Aeolidem Cyri provinciae adscribit. Scimus autem Ephoro, ex quo Diodorus sua hausit, Aeolidem audivisse omnia quae pertineant inde ab Abydo usque ad Cymen Strabo p. 583. 600. Aut igitur Diodorum neglegenter exscripsisse putabimus aut ipsi Ephoro non satis constitisse de Cyri satrapiae ambitu.

rerum status mansisse videtur, dum Cyrus a patre carani munus in Asia minore accepit anno 408/7 secundum Diodorum. Tunc enim Tissapherni, cui et carani munus et maior provinciarum pars a rege adempta erant, nihil reliqui fuisset praeter Cariam Lyciam[1]) Pamphyliam, nisi forte fortuna eodem tempore factum esset, ut civitates Graecae, quae ex iure trium illorum foederum anni 412 regi iam concessae erant, tunc etiam re vera sub dicionem eius redirent. Itaque cum causa cur olim aboleretur provincia, esset remota, restituta est vetus illa satrapia Ionica a Dareo definita et Tissapherni tradita, ita tamen ut pars septentrionalis, quae Dascylei satrapae addicta erat, non reposceretur.

Sed hanc rerum condicionem paucis annis post iterum turbavit Ionicarum urbium defectio,[2]) quae relicto Tissapherne Cyri partes amplexae sunt. Tempus defectionis accurate describi nequit; id certum est post Darei mortem eam factam esse fortasse in ipsa Tissaphernis absentia.[3]) Defecerunt autem omnes praeter Miletum, quam ob id ipsum Cyrus terra marique adortus est.[4]) Eodem tempore per Parysatim matrem precibus regem adiit, ut sibi Ioniae possessio concederetur, nec repulsam videtur tulisse. Sic regis ipsius auctoritate tum antiqua illa satrapia sublata est.[5]) Nam cum pars

Idem Cappadociam in enumerandis Cyri provinciis omittit Diod. XIV 19. 6. — Tributa Ionica tunc rex a Tissapherne postulabat Thuc. VIII 5, 5 et Krueger, histor. philol. Stud. I, 96. Utrum vero etiamtum separatim administrata sit vetus illa provincia quamvis diminuta, propterea diiudicari nequit, quia non satis constat, num Thuc. VIII 31, 2. Ioniam latiore an angustiore vocabuli sensu adhibuerit, vide Steup, Rh. Mus. 35, 327 not. 1.

1) Lycia postea pars Caricae fuit satrapiae cf. p. 154 not. 2.

2) Xen. anab. I 1, 6 cl. 9, 9.

3) Cyrus enim cum ad patrem aegrotantem contenderet, comitem sibi elegit Tissaphernem ὡς φίλον anab. I 1, 2. Tunc igitur apertae inter eos nondum intercesserant inimicitiae. Mortuus est Dareus Ol. 93, 4 405/4 secundum Diod. XIII 108, 1.

4) Xen. anab. I 1, 7 et al.

5) Xen. anab. I 1, 8. Sane ex verbis scriptoris non apparet regem fratri obtemperasse (Krumbh. p. 42 infra). Attamen si Cyrus repulsam tulisset, non bene intellegitur, quomodo bellum continuare potuerit. Contra

septentrionalis iam pridem Dascylei satrapae addita esset, tunc etiam Ionia cum Lydia coniuncta est, ut restarent Caria Lycia Milyas Pamphylia, quae in unam satrapiam Cariam redactae et domesticae dynastarum stirpi traditae sunt.[1]) Ab hoc igitur tempore[2]) Asiae ora occidentalis inter tres divisa erat provincias Phrygiam Lydiam Cariam. Primum illa Ioniae et Lydiae coniunctio in Rhoesace invenitur, qui utriusque regionis satrapa bellum Aegyptiacum suscepit.[3]) Eidem tempori attribuendus est personatus Scylax, qui tres tantum illas novit provincias, Ioniae omnino non facit mentionem.[4]) Ultimis denique regni Persici temporibus utriusque provinciae praefectus occurrit Spithridates.[5])

---

si rex Cyro obsecutus esset, non erat Tissapherni, cur ex civitatibus Ionicis tributa penderet. Difficultatem aliter solvere nequeo nisi sic, ut aperte regem fratri et matri morem gessisse putem, secreto Tissapherni imperasse, ne Mileto cederet. Hoc ut statuam eo maxime commoveor, quod iam 399/8 Cariae satrapa commemoratur cf. p. 151 not. 3. Et anno 400 circiter Cariam iam per se satrapiam fuisse inde concluditur, quod a Xenophonte Cyrup. VIII 6, 7 inter ceteras provincias recensetur. Ea autem quae scriptor ibi tradit, statum provinciarum qualis fuerit cum Xenophon in Asia degeret describunt.

1) Cariam deinceps administrabant Idrieus, Hecatomnus, Maussollus, Artemisia, Idrieus II, Ada, Pixodarus, Othontopates. Lyciam cum Caria coniunctam fuisse docent Ar. oec. 1348 a 18—34, ubi Condalus Maussolli procurator Lyciae commemoratur, et decretum Phaselitarum Collitz, Griech. Dialektinschr. 1269. — Milyas omittenda erit, quia Arr. I 24, 5. Phrygiae partem eam fuisse tradit, quae postea demum Lyciae addita est.

2) Coniunctam iam invenis provinciam utramque Xen. Cyrup. VIII 6, 7. cf. not. 1.

3) Diod. XVI 47.

4) Scyl. § 79 ed Fabr. *παράπλους Φρυγίας ἀπὸ Μυσίας μέχρις Ἀντάνδρου.* § 81. *ἀπὸ δὲ Ἀντάνδρου καὶ τῆς Αἰολικῆς τὰ κάτω πρότερον μὲν δι' αὐτὴν ἡ χώρα Μυσία μέχρι Τευθρανίας, νῦν δὲ Λυδία* .... § 81 fin. *παράπλους δὲ Μυσίας καὶ Λυδίας ἀπὸ Ἀστύρων μέχρι Μαιάνδρου ποταμοῦ* .... § 82. *μετὰ δὲ Λυδίαν Καρία ἐστὶν ἔθνος.* De tempore Peripli vide p. 115 not. 1.

5) Arrian. anab. I 12, 8 coll. 17, 7. A Diodoro Spithrobates Ioniae tantum satrapa vocatur XVII 19, 4. XX 2; nam Lydiae Mithrenem praefuisse narrat XVII 21, 7. Hunc tamen arci solum fuisse praefectum verbis Arriani I 17, 3 probatur.

A Sardium expugnatione usque ad Darei distributionem 546— ca. 516	Sardiana provincia			Dascylitis provincia		
	Pactyes 546 Oroetas — 529—521			Mitrobates		
Darei divisio ca. 516	Ionica satrapia		Sardiana satrapia	Dascylitis satrapia		
	? ?		Artaphrenes pater ca. 511—493—	Oebares		
Pugna Mycalensis 479			Pissuthnes — 440—424—	(Epixyes ca. 463)	Megabates -- 476 ca. Artabazus ca. 476— Pharnaces — 430—414—	
		(Tamos ὕπαρχ.)	Tissaphernes — 413—408			
Cyri adventus 408			Cyrus 408—401			
Ionicarum urbium defectio post 405/4	Tissaphernes 408—401	(Tamos σατρ.)	(Artimas)	(Artacamas)	Pharnabazus	
Cyri expeditio 401	(Idrieus I)		Tissaphernes 401—395	(Ariaeus — 395—)		Corylas —400—
Tissaphernis mors 395	Hecatomnus		Tithraustes 395—			Otys — 394—
			Autophradates 391—362—		Ariobarzanes — 387—	Thuys — ca. 380—
	Maussollus		Orontas post 362/1			
	Artemisia		Rhoesaces ante 351/0		Artabazus	
	(Idrieus II)		Mentor 349—		Mentor 349—	
	Ada Pixodarus Othontopates		Spithridates	Atizyes	Arsites	
Status anni 334	Caria	Ionia	Lydia	Phrygia maior	Phrygia ad Hellesp.	Paphlagonia

Tertia provincia Dascylitis quando in Phrygiam magnam Phrygiamque ad Hellespontum sitam divisa sit, nescitur. Primum illa distributio anno 408/7 deprehenditur, quo Cyrus ad mare descendit.[1]) Non multo post etiam Paphlagonia suo satrapae vel dynastae subdita esse coepit.[2]) Sic factum est, ut divisio illa a Dareo instituta paulatim aboleretur et ex tribus satrapiis a Dareo factis quinque illae evaderent, quas noverunt suprema regni Persici tempora, Phrygia ad Hellespontum, Phrygia maior, Paphlagonia, Lydia, Caria. Hoc breviter in illa quae appicta est tabula describere studui.

Restat quaestio quae erat de finibus Cariae et Lydiae. Quos si quis ex veterum testimoniis constituere voluerit, ei incipiendum erit ab Hecataeo Milesio.[3]) Nec tamen ex eius verbis multum utilitatis percipiet. Urbes enim, quas Hecataeus aut Lydiae Ioniaeve aut Cariae attribuit, certum terminum describere non permittunt, quia aut ubi sitae fuerint, plane ignoratur, aut si non ignoratur, dubitatio exoriri omnino nequit utri provinciae adnumerandae sint. Hoc solum memorabile est Miletum urbem Ionicam ab Hecataeo Cariae addictam esse. Contra — id quod multo gravius esset, si apertis verbis diceretur — utrum Myuntem in ipsa sinistra Maeandri ripa sitam Ioniae an Cariae urbem fuisse scriptor dixerit, non apparet.

1) Cyrus vocatur Xen. an. I 9, 7 *Λυδίας καὶ Φρυγίας καὶ Καππαδοκίας σατράπης*, sed quoniam durare videmus Pharnabazum Phrygiae satrapam, illam Phrygiam magnam intellegi necesse est. Huic postea accessit Milyas, quam Dareus Ioniae adiunxerat Her. III 90, sed non multo ante 334 iterum Phrygiae adempta et Cariae attributa est Arr. I 24, 5. — Ceterum recte a Krumbh. p. 60 not. 2 puto verba Plut. Them. XXX explicata esse, qui iam anno 463 Epixyam Phrygiae superioris satrapam commemorat.

2) Paphlagoniam Xenophontis aetate a regibus domesticis gubernatam esse docet Cyrup. VIII 6, 8 et quae passim in anabasi et hellenicis traduntur. Omnia collegit Eduard Meyer, d. Königreich Pontos. Lips. 1879 p. 29.

3) cf. Hecataei Asiae fragmenta (FHG. I) 214—239. Geneal. fr. 336. 363. Situs ignoratur Sideles oppidi Ioniae, Cynes Mimnedi oppidorum Lydiae, Hipponesi Cyllandi Laiae Tnyssi Xyli Mygisi Meliae (sed vide supra p. 121 sq.) Cariae urbium.

Nam etiamsi et Boeckhius ex laterculorum forma *Μυήσσιοι* et Forbiger recte censent *Μύητα* Hecataei idem esse oppidum atque *Μυοῦντα* aliorum, tamen ex ipsis scriptoris verbis *Μύης .... πόλις Ἰωνική* non intellegitur utri provinciae urbem tribuerit. Diserte autem Myuntem Miletum Prienen oppida in Caria sita fuisse tradit Herodotus.[1]) At cum idem Mycalen montem Ioniae appellet, fines Ioniae et Cariae scriptori non constitisse elucet.[2])

Certiora sunt quae de distributione earum urbium scimus, quae in foedus Deliacum receptae erant. Et secundum laterculos tributarios, qui inde ab Ol. 83, 3 445 usque ad Ol. 85, 4 437/6 incisi sunt, a septentrione meridiem versus proficiscenti ultimae Ioniae urbes sunt Myus et Miletus, prima Cariae Latmus. Tunc igitur termini erant inter Myuntem et Latmum, ut quae inde a Latmo in meridiem vergerent orae maritimae partes Cariae adscriberentur praeter Miletum et Milesiorum agros.[3]) Contra Thucydides Myuntem Cariae adnumerat.[4]) Ex his igitur omnibus id solum concludere licet, fluctuasse per saeculum quintum fines Cariae et Ioniae, quod nemo mirabitur, qui tunc utramque regionem uni satrapae subditam fuisse secum reputaverit.

---

1) de Myete sive Myunte cf. Boeckh, Sth. II[3] 463, Forbiger, Alte Geogr. II 213. — Urbes Cariae adnumerat Her. I 142.

2) Steph. Byz. *Μυκάλη· πόλις Καρίας Ἡρόδοτος πρώτῃ.* Herodoti verba sunt I 148 *ἡ δὲ Μυκάλη ἐστὶ τῆς ἠπείρου ἄκρη πρὸς ζέφυρον ἄνεμον κατήκουσα Σάμου ἐναντίον κτέ.* At. IX 90. *Μυκάλη τῆς Ἰωνίας.* Unde concluserim verba illa, quia ex Herodoto desumpta esse non possunt, aut suo Marte a Stephano vel quisquis erat qui librum compilavit, qualis nobis traditus est, aut ex alio fonte addita. Et verba *Ἡρόδοτος πρώτῃ* nihil significant nisi montem etiam ab Herodoto commemoratum esse. Alios eiusmodi errores collegerunt Hollander, de Hec. Milesii terrae descriptione quaestio critica p. 9 et 11 et B. Niese, de Stephani Byzantii auctoribus p. 47 sqq.

3) Koehler, Urkunden und Untersuchungen zur Geschichte d. del.-att. Seebundes p. 124. 125, qui de tempore disputat quo provinciarum distributio adhibita sit. cf. indicem civitatum foederatarum tabulamque geographicam CIA. I.

4) Thuc. III 19, 3. De situ collis Sandii cf. p. 122.

Initio demum saeculi quarti postquam Caria per se ipsa provincia esse coepit, accuratius fines eius circumscribere licet ex compluribus locis Xenophonteis.[1]) Scriptor enim cum res enarrat a Dercylida et Agesilao in Asia gestas, saepius de ducibus qui e Lydia in Cariam proficiscuntur vel e Caria in Lydiam, vocabula adhibet *διαβαίνειν, διαβιβάζειν* scilicet fluvium quendam, quod necessario suppletur. Apertius alio loco Xenophon loquitur, ubi Tissaphernem et Pharnabazum rursus in Ioniam transgressos esse tradit. Pergit enim *ὡς δ' ἤκουσεν ὁ Δερκυλίδας ὅτι πάλιν πεπερακότες εἰσὶν τὸν Μαίανδρον,* ut plane eluceat Maeandro Ioniam a Caria separatam fuisse. Accedit tertium.[2]) Tissaphernes enim cum ipse equitatu valeret, Agesilaus pedite, exercitum in planitiem Maeandri deduxit, 'quod Caria equitibus non esset apta'. Quod scriptor dicere non potuit, si tunc Maeandri planities Cariae pars fuisset. Sed ne tota vallis Maeandri Cariae abiudicetur, impediunt et Xenophontis testimonium, ex quo Tralles urbs Cariae erat, et inscriptio illa Idriei satrapae Trallibus inventa.[3]) Altera ex parte non omnis terra, quae a Maeandro meridiem versus extenditur Caria fuit. Inde enim quod postea Maussollus Latmum et Miletum bello petivit,[4]) intellegitur utramque urbem tunc non Cariae, sed Lydiae fuisse, cui sub annum 400 omnis Ionia adiuncta est. Omnia igitur si coniunguntur, fines sic constituere licet, ut vallis Maeandri superior ad Cariam pertinuerit, inferior in utraque ripa planities pars Lydiae fuerit satrapiae.

Prolati sunt Cariae fines a Maussollo, qui Latmum vi cepit Miletumque aggressus est. Hanc quoque urbem in potestatem eius pervenisse iam Brandisius ex nummis quibusdam Milesiis conclusit.[5]) Sed tamen in ora maritima eius dominationem

1) Xen. hist. Gr. III 2, 12—14. IV 12, 21. Ages. I 15.

2) Xen. hist. Gr. III 4, 12 = Ages. I 15.

3) CIG. 2919 cf. Boeckh, Kl. Schriften VI, 327. — Xen. hist. Gr. III 2, 19.

4) Polyaen. VI 8, 1. VII 23, 2.

5) De Latmo Polyaen. VII 23, 2. de Mileto VI 8, 1 et Brandis, d. Münz-, Maass- und Gewichtssystem in Vorderasien p. 328. Recte igitur gloriari potuit Maussollus, quae gloriatur Luc. Dial. mort. 24, 1.

ultra Maeandrum non processisse testatur auctor Peripli, cui Caria ab ostio Maeandri incipit.[1]) Postea antiquus rerum status videtur revocatus esse. Alexandrum enim Mileto capta *ἐπὶ Καρίας* profectum esse tradit Arrianus,[2]) unde sequitur Miletum tunc Cariae non fuisse.

Primis quae secuntur temporibus mutatio vix facta est.[3]) Nam quod Arrianus Maeandri planitiem Cariae tribuit, id non de Alexandri verum de sua ipsius aetate intellegi vult.[4]) Anno demum 188 illa pars Cariae quae a Maeandro in septentrionem spectat, a decem legatis Romanorum, qui Apameam convenerant, Eumeni regi adiudicata est, nominatim Trallis urbs; cetera omnia, quae trans Maeandrum meridiem versus sita erant, Rhodiis obvenere.[5]) Quibus iterum adempta suique iuris Caria facta est, ita tamen ut regiones a Maeandro in meridiem vergentes solas complecteretur. Hoc Artemidori probatur testimonio, secundum quem cippi terminales Cariae et Ioniae in ipsa Maeandri ripa collocati erant eo loco, quo via Alabandis Tralles ferens flumen transgrediebatur.[6])

Strabo autem quid in determinandis Lydiae Cariae Phrygiae finibus voluerit, libere elocutus est.[7]) Conquestus enim

1) (Scyl.) peripl. § 81 sq.

2) Arr. I 20, 2. *ταῦτα δὲ διαπραξάμενος ἐπὶ Καρίας ἐστέλλετο κτέ.*

3) Eratosthenis aetate Hydrela urbs in dextra Maeandri ripa Cariae fuit Steph. Byz. *Ὕδρηλα.* — Polybii temporibus rei statum eundem fuisse docet Liv. XXXVIII 13, 7.

4) Arr. V 6, 4.

5) Pol. XXI 48, 9. 10 (Hu) = Liv. XXXIX 38, 14—16. *καὶ τότε μὲν τῆς Εὐρώπης αὐτῷ* (sc. Eumeni) *προσέθηκαν . . . τῆς δ' Ἀσίας Φρυγίαν τὴν ἐφ' Ἑλλησπόντου . . .* alia . . . *Μιλυάδα Λυδίαν Τράλλεις Ἔφεσον Τελμισσόν.* ib § 8. *Μετὰ δὲ ταῦτα Ῥοδίοις ἐχρημάτισαν διδόντες Λυκίαν καὶ Καρίας τὰ μέχρι Μαιάνδρου ποταμοῦ πλὴν Τελμισσοῦ* = Liv. XXXIX 18, 13. Paulo accuratius pars Eumeni data significatur decreto Liv. XXXVII 56, 3. "et Gariam, quae Hydrela appellatur, agrumque Hydrelatanum et castella vicosque ad Maeandrum amnem et oppida." Haec postea non mutata sunt Liv. XXXIX 38, 13.

6) Polyb. XXX 5, 12 = Liv. XLV 25, 6. *ἡ σύγκλητος ἐξέβαλε δόγμα, διότι δεῖ Κᾶρας καὶ Λυκίους ἐλευθέρους εἶναι πάντας* a. 167 a. Chr. — De finibus Cariae Artemid. apud Strab. p. 663.

7) Strab. p. 628.

maximam singulas regiones discernendi difficultatem, quae etiam augeretur Romanorum consuetudine, qua iurisdictionum terminos populorumque fines congruere noluissent, ipse ea conscribere constituit quae iam ab antiquioribus geographis essent tradita. In universum autem eam sequitur sententiam ex qua Caria omnem terram complectitur, quae a Maeandro meridiem versus patet usque ad Rhodiorum Peraeam exceptis Myunte et Mileto oppidis.[1]) Nullam enim Cariae urbem Strabo diserte adnumerat, quae in septentrionali Maeandri ripa sita est. Ex parte cum eo consentit Plinius,[2]) qui fines Cariae et Lydiae sic constituisse videtur, ut primum designarentur Maeandro, dein flumen transgressi inclusis Nysa et Trallibus intra hanc urbem et Magnesiam rursus ad flumen reverterentur. Ora maritima Cariae Plinio finitur in Posideo Milesiorum promuntorio, excludit igitur Miletum et Myuntem.[3])

Nihil omnino promovetur haec quaestio iis, quae praebet Stephanus Byzantius. Nam quae certis quibusdam auctoribus assignare licet velut Alexandro Polyhistori et Apollonio Aphrodisiensi,[4])

---

1) Strab. p. 651. *ἀρχὴ μὲν οὖν τῆς Καρίας ἐστὶν ἡ τῶν Ῥοδίων περαία πρὸς θαλάσσης, τέλος δὲ τὸ Ποσείδιον τῶν Μιλησίων, ἐν δὲ τῇ μεσογαίᾳ τὰ ἄκρα τοῦ Ταύρου μέχρι Μαιάνδρου.* — p. 647. *ἐν δὲ τῇ μεσογαίᾳ τῆς Ἰωνικῆς παραλίας λοιπά ἐστι τὰ περὶ τὴν ὁδὸν τὴν ἐξ Ἐφέσου μέχρι Ἀντιοχείας* (in sinistra fluminis ripa). Hanc igitur regionem a Lydis Caribus Graecis habitatam (p. 648 fin.) Ioniae ascribit. Urbes in ea nominantur Magnesia p. 647, Tralles p. 649, Nysa p. 649 sq., Briula Mastaura Acharaca p. 650. Dein pergit p. 651. *τὰ δὲ πέραν ἤδη τοῦ Μαιάνδρου τὰ λειπόμενα τῆς περιοδείας πάντ᾽ ἐστὶ Καρικά.* Non pugnant cum his, quae suo ut videtur Marte Strabo p. 577 scribit Maeandrum postremo per Cariam incedere cf. tamen Plin. n. h. V 113 postremo Cariam pervagatur.

2) Plin. n. h. V 108. Caria interiorum fama praenitet... Est Eumenia . . . Berecynthius tractus Nysa Tralles. § 112 Ionia ab Iasio sinu incipiens... § 114. Supra haec Magnesia Maeandri cognomine insignis... et § 110. Lydia autem perfusa flexuosis Maeandri amnis recursibus. § 111. Tripolitani, iidem et Antoniopolitani, Maeandro adluuntur. Recte igitur Lydia § 110 "meridiana parte Cariam amplectens" dicitur.

3) Plin. n. h. V 112. Ionia... in ea primus sinus Basilicus, Posideum promuntorium etc.

4) Alexandri frgm. apud Muell. FHG. III p. 234 fr. 53—64, Apollonii Aphrodisiensis IV, 310 fr. 1—14.

ea nihil de terminis Ioniae Lydiae Cariae docent: cetera autem saepius inter se pugnant neque id mirum in tam rudi tamque indigesta mole ex diversis diversorum temporum scriptoribus temere collecta, ex qua certum erui nequit.[1]) Certum est ultimum testimonium Claudii Ptolemaei. Cuius in enumeratione urbium apparet oram maritimam Cariae tunc pertinuisse usque ad Maeandri ostium; terram autem interiorem terminatam fuisse monte Messogide.[2]) Quocum convenit locus ille qui supra ex Arriano allatus est.[3])

Caria igitur, si complecti licet quae disputata sunt, inde ab initio saeculi quarti omnis illa vocabatur regio trans Maeandrum sita quae iugis et collibus Tauri completur, quacum coniuncta erat Maeandri vallis pars superior. Ab anno 188 a. Chr. usque ad Strabonis et Plinii tempora ripae Maeandri septentrionalis pars ea, quae antea Cariae assignata fuerat, nondum Cariae erat. Postea factum est, ut omnis Maeandri ripa septentrionalis cum Caria coniungeretur.

Caput quartum.

De rebus Prienensium quas gesserint inde a Sardibus captis usque ad occasum regni Persici 546—334.

Sardium expugnatione exterriti omnes Iones praeter Milesios in Panionium convenerunt, ut communiter quid contra

1) De iis, quae in censum veniunt urbes, haec apud St. Byz. commemorantur. *Ἄθυμβρα* Cariae adnumeratur, *Ἡράκλεια θ'* (Latmus cf. *ιθ'*) *Μαραθήσιον Μίλητος Μυκάλη* (cf. *Φώκαια*) *Νύση Τράλλεις* (s. v. *Χάραξ*) cf. etiam *Σάμος ἐπιφανὴς πρὸς τῇ Καρίῃ νῆσος*. Termini appellantur Dascyleum Ephesum versus, *Ἀφροδισιὰς πέμπτη* inter Cariam et Lydiam, Stratonicea contra Mysiam cf. etiam *Ὑλλουάλα*. Contra Lydiae tribuuntur oppida in dextra Maeandri ripa sita *Μάσταυρα Τράλλεις* (s. v. *Τράλλεις*).

2) Claud. Ptol. Geogr. 5 cap. 2 Ioniae tribuit in ora maritima omnia usque ad Maeandri ostium, inde secuntur Cariae urbes Pyrrha Heraclea sub Latmo Miletus Iasus eqs., interioris terrae Tripolis Nyssa Trallis Magnesia a/M. Priene § 18. Prienes commemoratio non pugnat cum § 9, tunc enim Priene non iam in litore sita erat cf. p. 114.

3) Arr. V 6, 4.

Persas faciendum esset consulerent.[1]) Periculum autem, quod modo imminebat, aversum esse videbatur, cum Cyrus relictis Tabalo et Pactya in Babyloniam contenderet, tantumque elati sunt Ionum animi, ut Pactyae seditioni se adiungerent Tabalumque Sardibus oppugnarent.[2]) Sed exspectatione celerius venit ultio, cum Mazares Medus a Cyro missus est, qui Pactyam ducem seditionis persequeretur et a Graecis, qui eum adiuvissent, poenas repeteret. Atque prima Prienensium civitas exercitui Persarum succubuit.[3]) Urbs diruta est, cives sub corona veniere, qua in re si recte Pausaniae verba huc referuntur, Tabalus, Sardium ille praefectus, crudelissime se gessit.[4])

Paulatim urbs vires, quas illa tempestas fregerat, recepit et cum anno 499 seditionem movissent Ionum civitates, Prienenses communi re non relicta ab initio expeditioni intererant et ad classem, quae apud Laden decertavit, duodecim naves miserunt. Sed cum ceteris Ionibus victi victoris saevitiam experti sunt denuoque Priene deleta est anno 494 vel 493.[5])

Iterum igitur Ionia dominationis Persicae iugum subiit sub eoque permansit, donec quinto decimo anno post proelium, quo liberatae sunt Graecae civitates Asiae, commissum est in ipso Prienensium territorio. Exercitus enim Persarum, cui praeerant Tigranes aliique duces castris prope Gaesonem flumen munitis, ut urbem a tergo haberent, hostem opperiebantur.[6]) Graecos autem ab oriente invasisse cum Steinio ex Herodoti verbis concludendum est, qui Athenienses per litus maritimum processisse narrat, Lacedaemonios per vallem et montem, quos

---

1) Her. I 141.

2) Her. I 153. 154. Mazares missus 157. 158.

3) Her. I 160. Hoc factum est anno 545.

4) Paus. VII 3, 10. Eidem tempori rem attribuit Newton Ion. Ant. p. 22. Hicks IMB. III 1 addenda.

5) Duodecim apud Laden naves Her. VI 8. — cf. VI 32. *ταῦτα γὰρ δὴ ἐποίευν* Persae in urbibus Ionicis *καὶ τὰς πόλιας ἐνεπίμπρασαν αὐτοῖσι τοῖσι ἱροῖσι.* — De tempore cf. 31. *ὁ δὲ ναυτικὸς στρατὸς ὁ Περσέων χειμερίσας περὶ Μίλητον τῷ δευτέρῳ ἔτεϊ ὡς ἀνέπλωσεν κτέ.* Tamen Priene nescio an capta sit, dum ipsa Miletus oppugnatur.

6) Her. IX 97.

consentaneum est in dextro cornu pugnasse.[1]) Idem alio loco comprobatur, ex quo apparet solam viam, qua se reciperent, Persis patuisse per montem Mycalen; quod non evenisset, si in pugnando planitiem Maeandri a tergo habuissent.[2]) Ceterum num hoc tempore Priene denuo aedificari iam coepta sit, valde dubium est, quia Herodotus, qui regionem pugnae satis accurate describit, ne verbo quidem urbem commemorat.[3])

Secuntur tempora dominationis Atheniensium, quorum foederi Priene quoque adscripta erat. Primum civitatis nomen apparet in laterculis tributariis anni 450/49 Ol. 82, 3, ultimum anno 443/2 Ol. 84, 1.[4]) Tributum quod pendebant Prienenses talentum erat, sed Ol. 88, 4. 425/4 haud dubie amplificatum est.[5]) Inde autem elucet satis parvam tunc fuisse Prienensium civitatem, si omnino suae ipsius erat dicionis. Contrarium potius produnt verba Thucydidis, qui in initiis describendis belli Samii Miletum et Samum *περὶ Πριήνης* bellum gessisse dicit.[6]) Quod Hicksius sic interpretatur, ut dicat, renovatam esse antiquam illam de agris inter Prienenses et Samios controversiam Prienensesque a Milesiis tunc adiutos esse et sic Prienen causam fuisse, cur Samus et Miletus bello congrederentur.[7]) At Thucydides si in tali enuntiato velut *πόλεμος ἐγένετο* praepositionem *περὶ* adhibet, semper id indicat, quod inter pugnantes quasi in medio positum est et inter utrumque disceptatur; si causam certaminis significare vult, *διὰ* praepositione utitur.[8]) Unde verisimile fit Prienen tunc Milesiis

1) Her. IX 102.

2) Her. IX 99. cf. cap. 104.

3) cf. inprimis cap. 97.

4) cf. CIA. I, 230, 16ᵇ (Ol. 82, 3), 231, 17 (Ol. 82, 4), 232, 12 (Ol. 83, 1), 234, 22 (Ol. 83, 3), ubi semper forma *Πριανῆς* legitur, 237, 29 (Ol. 84, 2) *Πριηνῆ⟨ς⟩*.

5) Koehler, Urkunden und Untersuchungen p. 149. Es kann keinem Zweifel unterliegen, dass die Tribute der übrigen Provinzen (ausser dem Inseltribut) gleichzeitig in analoger Weise erhöht worden seien.

6) Thuc. I 115, 2.

7) Hicks IMB. III, 1 p. 1ᵇ.

8) Loci Thucydidei, e quibus hoc meo quidem iudicio apparet hi sunt I 140, 4 *ὑμῶν δὲ μηδεὶς νομίσῃ περὶ βραχέος ἂν πολεμεῖν, εἰ τὸ Μεγαρέων*

subditam fuisse et sic melius explicantur alii quoque quidam veterum scriptorum loci, quibus quae Prienenses potius attingunt, ad Milesios referuntur.[1])

Denuo sub Persarum imperium urbes Ionicas revocavit Tissaphernes, qui usque ad annum 408 Ioniam et Lydiam, deinde Ioniam solam administravit. Sed cum Cyrus advenisset, ad eum omnes praeter Miletum urbes defecerunt.[2]) Itaque post mortem Cyri Tissaphernis metu commotae civitates a Lacedaemoniis auxilium petivere, eorumque praetores adiuvabant.[3]) Missi sunt deinceps Thibro Dercylidas Agesilaus iterum Thibro, qui cum Priene exorsus terram regiam popularetur, a Strutha duce regio insidiis circumventus et cum exercitu occisus est,[4]) Graecasque urbes quae per quattuordecim annos libertate fruebantur Persis reddidit pax regia initio anni 386 facta.[5])

ψήφισμα μὴ καθέλοιμεν ὅπερ μάλιστα προύχονται, εἰ καθαιρεθείη μὴ ἂν γίγνεσθαι τὸν πόλεμον· μηδ' ἐν ὑμῖν αὐτοῖς αἰτίαν ὑπολίπησθε ὡς διὰ μικρὸν ἐπολεμήσατε. et V 53, 1. Ἐπιδαυρίοις καὶ Ἀργείοις πόλεμος ἐγένετο, προφάσει μὲν περὶ τοῦ θύματος τοῦ Ἀπόλλωνος τοῦ Πυθαῶς, ὃ δέον ἀπαγαγεῖν οὐκ ἀπέπεμπον ὑπὲρ βοταμίων Ἐπιδαύριοι... παρεσκευάζοντο οὖν οἱ Ἀργεῖοι ὡς αὐτοὶ ἐς τὴν Ἐπίδαυρον διὰ τοῦ θύματος τὴν ἔσπραξιν ἐσβαλοῦντες. Priore loco βραχὺ est parva res, μικρὸν causa parva, altero non θῦμα est causa, sed sacri exactio. Sic etiam aliis locis et περὶ et διὰ praepositio propria significatione usurpatur, illud I 103, 4. V 65, 4, hoc I 127, 2. V 115, 2 (ubi δι' αὐτὸ ad ἐπολέμουν trahendum esse, non ad ἀφέντες, docet οὐδ' ὧς huic adiunctum). Non plane quadrare videtur VI 6, 2 ὅμοροι γὰρ ὄντες τοῖς Σελινουντίοις ἐς πόλεμον καθέστασαν περί τε γαμικῶν τινων καὶ περὶ γῆς ἀμφισβητήτου. An in hac quoque re Antiochus apparet, quo in hac parte historiae conscribenda usus est Thucydides?

1) Velut quod Milesiis iter trans Mycalen ferens custodiendum traditur quia regionis peritissimi sunt Her. IX 99. Et paullo plus lucis adfertur versui Aristophanis Eq. 361

ἀλλ' οὐ λάβρακας καταφαγὼν Μιλησίους κλονήσεις.

Lupi enim in Gaesone maxime et in palude, quam Gaeson effecerat, exstabant cf. supra p. 120.

2) Xen. anab. I 1, 6. Tuncne Priene libertatem recuperavit?

3) Xen. hist. Graec. III 2, 17.

4) Xen. hist. Graec. IV 8, 17.

5) cf. pacis documentum Xen. hist. Graec. V 1, 31. De tempore Swoboda, Mittheil. VII, 174 sqq.

Qui secuntur duo et quinquaginta anni usque ad occasum regni Persici, urbi occasionem dederunt partem pristinarum divitiarum recuperandi. Quamquam hoc quoque tempore infirmam fuisse Prienensium civitatem docent verba Aeschinis, qui ut demonstret in concilio Amphictyonico eandem esse auctoritatem minimae urbis atque maximae, inter Dorienses Lacedaemoniis opponit Dorii et Cytinii incolas, inter Iones Atheniensibus Eretrienses et Prienenses.[1]) Tamen sub finem regni Persici opes urbis non mediocriter crevisse inde apparet, quod hoc ipso tempore templum Minervae Poliadis magnificentissimum aedificari coeptum est.[2]) Pecunia, quae ad exstructionem opus erat, decumis fortasse a civibus parata est, si quidem huc pertinent ea quae Demo de Syracusanorum et Prienensium decuma memoriae prodidit.[3]) Sed aedes nondum confecta erat, cum proelium ad Granicum commissum est, quod Persarum in Asia dominationem delevit et Graecarum urbium condicionem admodum commutavit.

Caput quintum.

De Graecarum Asiae urbium condicione, qua usae sint sub Alexandro eiusque successoribus.[4])

Duos et quinquaginta annos imperium Persarum, quod in urbes Graecas exercebant, duraverat, cum vindex amissae libertatis exstitit Alexander Magnus. Devictis enim ad Granicum satraparum copiis anno iam 334 totam sibi Asiam subiecit. Novis autem provinciis Macedonum imperio additis novam adhibuit administrationis rationem, quae in multis pristinae simillima, in aliis admodum ab ea recedebat, ut in tractatione urbium Graecarum.

---

1) Aesch. de falsa leg. 116.

2) cf. supra p. 118.

3) Paroemiogr. Append. IV 88 (edd. Gotting.) = Dem. fr. 14 (FHG. I) cf. Strabo p. 269.

4) cf. maxime Droysen, Geschichte des Hellenismus² I, 1, 230 sqq.

Quid rex voluerit, cum iura et privilegia civitatium Graecarum constitueret, facile ex Arriani verbis deprehenditur.[1]) Narrat enim scriptor Alcimacho, cui Ioniae et Aeolidis urbes liberandae evenissent, regem imperasse, ut ubique paucorum dominationem aboleret, populi arbitrium restitueret, proprias civibus leges redderet, tributa remitteret, quae regi Persarum pendere soliti essent. Quam rem Diodorus quoque testatur[2]) et bene cum his consentiunt quae de singularum urbium velut Mileti Amisi Ilii Erythrarum sorte traduntur.[3]) Urbes autem quae acerbiorem tulerunt fortunam, victoris animum aut pertinacia exacerbaverant, qua condiciones eius repudiabant velut Halicarnassus, aut perfidia usae erant contra Macedonum exercitum velut Aspendus.[4]) In universum igitur dubitare non licet, quin consilium Alexandri ut Graecae urbes liberae essent suisque fruerentur legibus, plerumque effectum sit.

Paulo accuratius Graecarum urbium condicionem describere permittunt verba tituli Prienes reperti, quo ipsius Alexandri decretum continetur.[5]) In posteriore enim huius inscriptionis parte — prior valde mutila est — haec leguntur *τοὺς δὲ κα-|τοικοῦντας ἐν ταῖς κώμαις ταύ|ταις φέρειν τοὺς φόρους· τῆς | δὲ συντάξεως ἀφίημι τὴμ Πριη|νέωμ πόλιν καὶ τὴμ φρου⟨ρὰ⟩ν...* Duae res ex his verbis concludi possunt: primum ceteris urbibus certam quandam solvendam fuisse pecuniam, quae Prienensibus remissa est, dein hanc pecuniam *σύνταξιν* appellatam esse. Vocis autem *σύνταξις* singularis est significatio.

1) Arr. I 18, 2 sq. Initio codd. *Ἀλκίμαχον* et *Ἀντίμαχον* praebent, Sintenis *Λυσίμαχον* coniecit collato VI 28, 4. *Ἀλκίμαχον* veram nominis formam esse ex titulo apparet, quem infra tractabimus in epimetro huius capitis

2) Diod. XVII 24, 1.

3) De Mileto cf. Arr. I 19, 6 Diod. XVII 22, 4. 5, de Amiso Appian. Mithrid. 8, de Ilio Strab. p. 593, de Erythris tituli verba apud Dittenbergerum 166, 23 (= E. Curtius, Monatsber. d. Berl. Akad. 1876 p. 554 sqq.).

4) De Halicarnasso Arr. I 23, 6. de Aspendo I 27, 4.

5) Primum ab Hicksio editus Greek hist. inscr. 123, accuratius ab eodem IMB. 400. Partem posteriorem iam publici iuris fecerant Wadd.-Leb. Asie min. 188.

Inventa est a Callistrato Atheniensi alterius foederis maritimi conditore, ut vitaretur odiosum illud nomen tributorum *φόρος* et optime significat immutatam novi foederis condicionem, in quo civitates foederatae non uni urbi subiectae, sed pari inter se erant auctoritate.[1]) Etiam in hoc titulo opponitur tributo, quod solvunt regiae terrae incolae, urbium *σύνταξις*. Diverso nomini diversa res respondet: iure igitur ex his inscriptionis verbis colligitur Graecas Asiae urbes Alexandro non fuisse subiectas, sed aequabili foedere cum eo coniunctas. Et unum saltem huius rei vestigium servatur apud Diodorum, qui Cyzicum *πόλιν σύμμαχον* vocat et ipsum id, quod Arrhabaeus urbem aggressus esset causam praebuisse narrat Antigono, cur in eum animadverteret tanquam in hostem, qui regni fundamenta labefactaret.[2]) Unde iam Droysenus sagaciter conclusit, quod nunc tituli verbis confirmatur, Graecas urbes foederatas fuisse idemque apte aliam inscriptionem attulit, in qua Antiochus rex de Ilio Scepsi aliis urbibus dicit *αἱ πόλεις αἱ ἐν τῆι ἡμετέραι συμμαχίαι.*[3])

Apparet igitur verba illa Diodori Arriani tituli Erythraei *ἀφορολογήτους* et *ἀνεῖναι* accuratissime ita interpretanda esse, ut solum tributum regium urbibus remissum sit et in eius locum successerit *σύνταξις* i. e. pecunia, quae ex foederis iure pendenda erat. Hoc quoque munere exempti fuerunt Prienenses: omnes autem tributo vacasse civitates Graecas foederatas nec per tituli verba putare licet, in quo immunitas velut privilegium Prienensibus datur, neque per se veri est simile. Alexander enim cum ad bellum proficisceretur, 1300 talenta aeris alieni contraxerat, ex quibus 500[t] a patre ei relicta

1) cf. Schaefer, Dem. I[1] S. 27 secundum Harpocrat. s. v. *σύνταξις*. Plut. Sol. 15. Beloch, Att. Pol. 141 not. 2.

2) Diod. XVIII 52, 3.

3) Dittenb. 158, 46. 73 = Schliemann, Trojan. Alterthümer p. 201 = Droysen, Hellenismus[2] II 2, 377 n. 4. Quod recentior titulus a Droyseno ad Alexandri aetatem refertur, ea de re offensionem non habet, quia si quid sub diadochorum potestate commodi restat urbibus Graecis, id sane non horum clementiae debetur, cum constet praeter Antigonum et Demetrium neminem favisse Graecis civitatibus.

erant.[1]) Multa postea insuper bello consumpta sunt et gaza regia, qua Sardibus Alexander potitus est,[2]) tam parvum ei subsidium attulit, ut paulo post propter pecuniarum inopiam classis dimittenda esset.[3]) Quae cum ita essent, regem tanto subsidio, quantum redundare potuit ex civitatum foederatarum stipendiis, se ipsum privasse vix credibile est.

Sed si eadem condicione utebantur Graeci Asiatici atque Graeci patriam terram incolentes, quaerere licet, utrum communi quoque Graecorum concilio, quod Corinthum conveniebat, ascripti fuerint necne. Recte puto rem negavit Droysenus, neque enim unum illud Tenediorum exemplum quidquam contra valet,[4]) quia nihil obstat, quominus Tenedum antequam ceterae urbes reciperentur, fortasse ante Alexandri adventum iam a Parmenione foederi adiunctam esse putemus.[5]) Immo vero inter se coniunctae erant Graecae Asiae civitates. Quorum foederum nunc de duobus maxime Iliensi et Ionico constat ex inscriptionibus quibusdam Alexandri aetate recentioribus.[6]) Ipsa tamen foedera iam Alexandri temporibus condita esse inde quis colligat, quod rex Iliensibus *ἱερὸν ἀγῶνα* promisit et quod Iones regis in memoriam et honorem Alexandrea celebrabant.[7]) Sed de Ionico foedere infra dicendum erit.

Primis post Alexandri mortem annis civitatum Graecarum condicio immutata esse non videtur. Quamquam certum huius

---

1) Arr. VII 9, 6.

2) Arr. I 17, 3. Diod. XVII 21, 7.

3) Arr. I 20, 1.

4) Arr. II 2, 2.

5) Parmenio et Attalus iam a Philippo in Asiam praemissi erant Diod. XVI 91, 1. XVII 2, 4. cf. inprimis XVII c. 7.

6) De foedere Iliensi vide inscriptionem circa annum 307/6 incisam apud Hirschfeldium, Archaeol. Zeitung 32, 153 (1875) = Droysen, Hellenismus² II 2, p. 382 n. 5 = Ditt. 125. — Foederis Ionici duo exstant decreta alterum Lysimachi temporibus factum E. Curtius, Arch. Zeit. 29, 188 (1872) = O. Lueders, Bullett. dell' inst. arch. 1872 p. 248 = Ditt. 137, alterum sub Antiocho Sotere Bull. de corr. hell. 9, 387.

7) Strab. p. 593. Alexandrea de quibus confer Strab. p. 644 instituta erant fortasse ad diem regis natalem celebrandum. Bull. 9, 387.

rei testimonium vix adferri potest praeter locum illum Diodori, qui Cyzicum anno 319/8 urbem foederatam fuisse tradit. Inscriptiones enim, quae huic tempori attribuendae sunt, sat multae interiorem potius urbium statum attingunt restitutionemque exulum, quae secundum Alexandri decretum (*διάγραμμα* vel *διαγραφή*)[1]) effecta est. Hoc solum ex decreto Nasiotarum in honorem Thersippi facto certum est, anno 319, quo contra Perdiccanos bellum gerendum erat, Graecis urbibus ab Antipatro, qui tunc regnum administravit, belli stipendia esse imposita.[2]) Utrum vero hoc regi vel regis vicario ex iure foederis licuerit praeter solitam pecuniam extraordinarias quoque pensiones exigere, an Antipater tributa imperaverit acerba temporum necessitate coactus, id propter testimoniorum penuriam diiudicari nequit.

Sed mors Antipatri, quae anni 318 initio accidit, ut recte Diodorus ait[3]) *ἀρχὴ ἐγένετο πραγμάτων καινῶν καὶ κίνησις τῶν ἐν ἐξουσίαις ὄντων ἰδιοπραγεῖν βουλομένων.* Maxime autem in hoc rerum tumultu Graecae laborabant Asiae civitates. Satrapae enim non iam Antipatri vel regis auctoritate coerciti urbes, quae in territorio eorum sitae erant, arbitrio suo subicere coeperunt et primus eorum Arrhabaeus Phrygiae satrapa urbes suas praesidiis firmavit, Cyzicum, quae milites eius moenibus recipere noluerat, obsidione cinxit.[4]) Eius exemplum secutus Clitus quoque, qui tunc Lydiam obtinebat, Ionicas urbes in potestatem suam redegit eodemque fere tempore Asander Cariae oppressisse civitates videtur.[5]) Urbes autem regni praesidio destitutae et pleraeque non satis validae, quae pro-

---

1) *διάγραμμα* cf. Hicks, Greek. hist. inscr. 130, 45 *διαγραφή* Hicks 125, 144.

2) CIG. 2166[c] = Earinos, *Μουσεῖον καὶ βιβλιοθήκη τῆς εὐαγγελικῆς σχολῆς* Smyrna 1876 = Droysen, Hellenismus[2] II, 2 p. 374 = Hicks. 138 cf. vs. 9 sqq. De tempore huius expeditionis vide epimetrum huius capitis.

3) Diod. XVIII 50, 1.

4) Diod. XVIII 51.

5) Diod. XVIII 52, 6. de Caria et Asandro cf. Diod. XIX 62, 2 et 75, 1. 4. 6.

priis viribus[1]) potenti hosti resistere possent, singulae deinceps provinciarum administratoribus succubuerunt, donec ultor eis exstitit Phrygiae maioris satrapa Antigonus Monophthalmus. Breviter hoc loco describendum est, quomodo paulatim omnes, quae in Alexandri foedere fuerant, Graecorum civitates Antigono sese adiunxerint.

Antigonus igitur Perdiccanis devictis statim Cyzicum obsidione liberavit, Arrhabaeum et Clitum ex provinciis expulit, urbes quae invitae satrapis paruerant, sibi associavit.[2]) Haec facta sunt anno 318. Tribus annis post inter Antigonum et Seleucum Cassandrum Ptolemaeum bellum exarsit, in quo Asiae cis Halyn civitates et insulae quaedam[3]) fideliter Antigoni partes sustinebant satrapamque qui antea numquam classem paraverat, navibus adiuverunt.[4]) Et quamquam ut Erythrae ita haut dubie aliae quoque urbes ab hostibus oppugnabantur, nulla tamen ab Antigoni foedere defecit: immo novi accesserunt socii Amisus Astacus Chalcedon[5]) urbes denique Cariae,

1) Unum adest indicium urbes inter se auxilium tulisse Cyzicenorum et Byzantiorum Diod. XVIII 51, 6.

2) Diod. XVIII 52.

3) cf. Diod. XIX 62, 9 Antigonus Dioscoridem iubet *περιπλεῖν τοῖς τε συμμάχοις παρεχόμενον τὴν ἀσφάλειαν καὶ τῶν νήσων τὰς μήπω μετεχούσας προσαγόμενον.* Eodem consilio paulo ante Polemaeus, Demetrii filius Antigoni fratris (de nominis forma vide Dittenb. 133 not. 2), cum terrestribus copiis missus est. Is Erythras obsidione liberavit cf. Diod. XIX 60, 3. — Ex insulanis Rhodii maxime, qui Antigono Rhodi naves aedificare permiserunt XIX 58, 5 et Lemnii XIX 68, 3. 4 satrapae partibus favebant.

4) Ante 315 Antigonus classem non habebat Diod. XIX 58, 1. Itaque a Rhodiis et Hellespontiis navibus adiutus est. cf. Diod. XIX 61, 5. *παρὰ Ῥοδίων μεταπεμψάμενος ναῦς.* Has enim naves Rhodiorum, non Antigoni in navalibus aedificatas esse docent ipsa Diodori verba, qui si hoc dicere volebat, *ἀπὸ Ῥόδου* debebat scribere. Omnino autem naves, quae in navalibus exstruebantur, nondum confectae erant; postea demum inde truncae naves adveniunt cf. 62, 7 et 8. Hellespontiorum classem adduxit Themiso XIX 62, 7. Naves truncae in Hellespontiacis navalibus exstructae una cum Rhodiis a Dioscoride postea advectae sunt ibid. De navalibus regiis Hellespontiacis, quae etiam Seleucidarum temporibus erant cf. Ditt. 158, 54.

5) Diod. XIX 60, 3.

quae eiecto Asandro libertatem receperant.[1]) Contra Thraciae urbes a Lysimacho prohibitae sunt Antigoni partes sequi nec Byzantium quamvis satrapae Phrygiae faveret, foederi eius adscriptum est, quia civitas mercaturae studiosissima si posset omnium conservare debebat amicitias.[2]) Sic sub finem belli primi contra Antigonum gesti omnes Asiae civitates cum Antigono coniunctae erant et ex insulis Rhodus Lemnus Imbrus fortasse Andrus.[3]) Foedus integrum mansisse videtur usque ad annum 302. Nam quae a Ptolemaeo anno 309 expugnata sunt oppida Cariae, ea paulo post a Demetrio recuperata esse inde elucet, quod, dum bellum Rhodium geritur, tota continentis ora in potestate Demetrii fuisse videtur.[4]) Sola Rhodus bello Rhodio finito etsi diserte non discessit a foedere, tamen ab hoc tempore Antigoni socia esse desiit.

Quaeritur autem quanam condicione usae sint civitates foedere cum Antigono coniunctae. Liberas eas suique arbitrii fuisse censet Droysen, cui alii oblocuti sunt velut Lamprecht et Scheffler, qui solam libertatis speciem urbibus relictam esse putant.[5]) At contra eos primum facit, quod Diodorus civitates semper socias appellat.[6]) Nomini autem veram urbium condicionem respondisse documenta pactorum, quae tunc fere inter satrapas vel reges convenere, docent, in quibus haec velut sollemnis semper recurrit formula "ut Graecae civitates liberae sint et sine custodia suisque fruantur legi-

---

1) Diod. XIX 75.

2) De urbibus Thraciae Diod. XIX 73. de Byzantio XIX 77, 2 cl. Polyaen. IV 6, 8.

3) Imbrus XX 46, 4, Andrus XX 37, 1.

4) Diod. XX 19 et 27. Imbrus Atheniensibus reddita XX 46, 4. Rhodiorum condicio XX 99.

5) cf. Droysen, Hellenismus[2] II, 2, 227. III, 1, 254. Lamprecht, de rebus Erythraeorum publicis p. 40. Scheffler, de rebus Teiorum p. 27.

6) Diod. XIX 58, 5. 60, 3. 62, 9. 77, 3. XX 82, 1 cf. XIX 61, 4. *τοὺς μὲν γὰρ Ἕλληνας* (Asiaticos dici docent quae secuntur *τοὺς δ' ἐν ταῖς ἄνω σατραπείαις στρατηγοὺς*) *ὑπελάμβανε διὰ τὴν ἐλπίδα τῆς ἐλευθερίας προθύμους ἕξειν συναγωνιστάς.* Quod uno loco XIX 75, 6. *ὑπετάγησαν* scribitur, nihil contra valet.

bus."[1]) Et satis inter cetera memorabile est foedus illud ab Antigono et Asandro anno 313/2 factum, ex quo Caria Asandri provincia pars fieret dominationis Antigoneae. Cuius pacti inter leges cum haec quoque appareat, ut Graecae urbes suae sint dicionis, facile elucet etiam sub Antigoni imperio libertatem eis fuisse concessam.[2]) Hanc sententiam ea confirmant, quae de singulis quibusdam civitatibus traduntur. Sic Erythraei in titulo quodam gloriantur se sub Alexandro et Antigono liberos et immunes fuisse[3]) et cum inter Rhodios et Demetrium gravissimum exarsisset bellum, Cnidii legationem miserunt ad conciliandos adversarios, id quod nunquam licuisset civitati quae ad regis arbitrium administraretur.[4])

Accedunt alia. Si re vera, ut Lamprecht et Scheffler existimant, urbes Antigono subiectae fuerunt, cur non occasionem excutiendae servitutis datam libenter arripuerunt? At plane contrarium evenit. Primo bello nulla omnino urbs ab Antigono defecit, verum acerrime omnes partes eius tuebantur[5]) ac ne altero quidem bello etsi Graecos ad libertatem evocaverat, aliter Ptolemaeo contigit, ut urbes quasdam Antigono eriperet nisi vi et expugnatione. Sola Caunus ei prodita est,[6]) sed non ab ipsis civibus, verum — id quod haud parvi aestimandum —

1) cf. decretum quod Antigonus a regio exercitu contra Cassandrum impetravit Diod. XIX 61, 3 *Εἶναι δὲ καὶ τοὺς Ἕλληνας ἅπαντας ἐλευθέρους ἀφρουρήτους αὐτονόμους.* Regium exercitum penes Antigonum tunc fuisse inde concludo, quod eius decretum *δόγμα τῶν Μακεδόνων* vocatur. Aliter iudicat Droysen, Hellen.² II, 1, 155 not. 1. — In pace anni 311 apud Diodorum XIX 105, 1 ultimum est *τοὺς δ' Ἕλληνας αὐτονόμους εἶναι.* — Pactum quod ineunt Cassander et Demetrius, Diod. XX 111, 2: *ἐγέγραπτο γὰρ ἐν ταῖς συνθήκαις· πρὸς τοῖς ἄλλοις* (velut ultima condicio cf. pacem anni 311) *καὶ τὸ τὰς Ἑλληνίδας πόλεις ἐλευθέρους ὑπάρχειν οὐ τὰς κατὰ τὴν Ἑλλάδα μόνον ἀλλὰ καὶ τὰς κατὰ τὴν Ἀσίαν.*

2) Diod. XIX 75, 1 Paulo post Asandro cum foedus laesisset eiecto Antigonus Milesiis aliisque civitatibus libertatem restituit ib. § 3. 4.

3) Dittenb. syll. 166, 23.

4) Diod. XX 95, 4.

5) cf. supra p. 170.

6) Diod. XX 27, 1. 2. *παραδόντων τῶν στρατιωτῶν.* altera Cauni arx vi capta est.

ab Antigoni mercennariis, qui arcem custodiebant. Ac ne id quidem praetereundum videtur copias Antigoni, quae ter Graeciae liberandae causa emissae sunt, semper ab omnibus libentissime esse receptas.[1]) Quod num factum esset, si Antigonus eodem tempore Asiae civitates servitute pressisset, dubitari potest. Et sic denique intellegitur in quem conversa fuerit illa pacis, quae anno 311 convenit, condicio ultima *τοὺς δ' Ἕλληνας αὐτονόμους εἶναι.*[2]) Quae verba in Antigonum maxime dicta esse putavit Lamprecht iisque commotus suam de urbium foederatarum condicione sententiam sibi conformavit. At si vera sunt quae modo disputavimus, haec de Cassandro potius intellegi oportet, qui Graeciae quasdam civitates tunc custodiis tenebat.

Contra adversarii haec fere adferre solent. Rex Ptolemaeus qui anno 309 bellum in Antigonum movit, causam belli professus est, quod Antigonus neglectis illius pacis condicionibus in urbibus quibusdam Graecis custodias aleret. Tale quid ementiri rex non potuit, et demonstrat Diodori de bello relatio Xanthi Cauni Andri Imbri collocata fuisse Antigoni praesidia.[3]) Regium autem praesidium et urbis libertatem nullo modo conciliari posse et per se intellegitur et multis insuper Diodori locis confirmatur.[4]) At primum cavendum est, ne quod de quibusdam urbibus traditur, ad omnes transferatur; ipse Ptolemaeus de nonnullis tantum loquitur. Dein si in civitate quadam custodia commemoratur, non semper exploratum est, utrum hoc Antigoni fuerit praesidium necne; complures enim tunc civitates mercennarios conduxerunt sui defendendi causa.[5])

1) Primum 312/1 Polemaeus missus est Diod. XIX 77, alterum Demetrius 307/6 Diod. XX 45, tertium Demetrius iterum 304/3 Diod. XX 100. 102.

2) Diod. XIX 105, 1.

3) Diod. XX 19, 3. — De praesidiis Xanthi et Cauni locatis Diod. XX 27, 1. 2. Andri c. 37. Imbri. c. 46.

4) cf. Diod. XV 20, 2. 38, 2. XIX 73, 1. 75, 4. 61, 3. XX 19, 3. 45, 5. 99, 3.

5) cf. infra quae in capite sexto de Prienensium praesidio disputabuntur. Prienensium autem urbs satis parva erat, quae si mercennariorum custodiam habuit, idem sane de oppidis multo potentioribus Mileto Erythris aliis putare licet.

Denique Imbrus et Andrus non minus Cassandri, quam Xanthus et Caunus Ptolemaei conaminibus expositae erant, ut ipsis fortasse civibus, si Antigoni partibus faverent, optabile videretur firmum eius intra moenia habere praesidium.[1])

Alterum quod contra Droysenum Scheffler maxime monet, hoc est, quod Antigonus urbibus tributa ab Alexandro remissa denuo imperaverit. Sed hoc argumentum nititur solo Waddingtonis quodam supplemento inscriptionis illius, quae est de Tei et Lebedi synoecismo. Lacuna autem reiecto Waddingtonis invento nunc melius suppleta est a Dittenbergero; quo fit, ut hoc quoque cadat argumentum adversariorum.[2])

Graecae igitur Asiae civitates ut sub Alexandri, ita etiam sub Antigoni imperio liberae erant et aequabili foedere cum rege coniunctae.[3]) De muneribus, quae ex foedere iis prae-

1) Ut Corinthii a Demetrio custodes petiverunt Diod. XX 103, 5.

2) Wadd.-Leb. Asie mineure 86 vs. 81 sqq. *ἡμεῖς δὲ* (Antigonus loquitur) *πρότερον μὲν οὐ⟨κ ἐβουλόμεθα οὐδεμιᾶι πό⟩|λει δίδοσθαι τὰ σιτηγήσια μηδὲ σίτου γίνεσθαι παράθε⟨σιν πρὶν αὐτὰς τὰς | π⟩όλεις εἰς ταῦτα ἀναλίσκειν χρήματα συχνὰ οὐκ ἀναγκαῖα ⟨εἰς τὸν φόρον καὶ θέλομεν|ο⟩ ὐδὲ νῦν ποιεῖν τοῦτο πλησίον οὔσης τῆς φορολόγου⟨μένης νεὼς*..... Contra quae disputat Dittenb. 126 not. 29—31. Ipse autem tituli verba sic restituit *ἡμεῖς δὲ πρότερον κτέ... μηδὲ σίτου γίνεσθαι παράθε⟨σιν νομίζοντες τὰς | π⟩όλεις εἰς ταῦτα ἀναλίσκειν χρήματα συχνὰ οὐκ ἀναγκαῖα ⟨ὄντα· ἐβουλόμεθα δὲ ο⟩ὐδὲ νῦν ποιεῖν τοῦτο πλησίον οὔσης τῆς φορολογου⟨μένης χώρας*...

3) Ceterum Scheffero p. 27 "ex unoquoque tituli versu apparere" videtur, "regem omnia ea quae ad urbes pertinebant, ad suum arbitrium rexisse." At causa qua commotum regem instituisse synoecismum putat, non vera est. Censet enim, ut Alexandrum ceterosque diadochos, ita Antigonum quoque magnam et illustrem urbem condere eique nomen Antigoniam imponere voluisse. Sed ex vs. 4 apparet urbis nomen Teum mansisse. Dein non gloriae studio, sed urbium ipsarum inopia Antigonum commotum esse, ut consociari urbes iuberet, ipse recte Scheffler monuit p. 26. Ne hoc quidem Antigono exprobrare licet, eum omnia ad libitum instituisse. cf. vs. 30, ubi rex ad ea, quae inter Teios et Lebedios de urbe quadam arbitro eligenda convenerant, respicit; vs. 56—62 ubi aliam urbem invocandam esse censet, quamquam ipsi a Teiis arbitrium permissum est, vs. 85—88 multis verbis exponit se non ex suo, sed ex urbium ipsarum commodo rem quandam instituisse. In his omnibus mihi rex magis arbitri ab utrisque electi quam domini partes agere videtur.

standa erant, hoc solum constat regem ab iis et navalibus et terrestribus copiis adiutum esse.[1]) Utrum vero pecuniae quoque iis solvendae fuerint necne, propter penuriam testimoniorum nescitur.

Antigono apud Ipsum interfecto Asiae pars occidentalis Lysimachi dominationi addita est, regis Thraciae, qui Graecorum libertati fuit inimicissimus. Statim enim initio regni sui Graecas Thraciae civitates ut Callatim Istrum Odessum coegerat, ut praesidia sua moenibus reciperent,[2]) Cardiam vero, cum dicto audiens non fuisset, deleverat locoque urbis dirutae condiderat Lysimachiam.[3]) Similem in modum etiam contra Asiae urbes Graecas se gessit, quas anno demum 294 Demetrio eripuerat.[4]) Epheso invitis incolis in alium locum translatae nomen imposuit uxoris suae Arsinoes[5]) et, ut urbi splendorem adderet, Colophonios et Lebedios Ephesum transmigrare iussit. Sed cum illi Smyrnaeorum auxilio freti cum rege bellum conserere ausi essent, Lysimachus proelio victor urbem evertit[6]) parique crudelitate in Lebedios quoque animadvertit, qui sedulo imperata erant exsecuti. Eandem sortem

1) cf. supra p. 170 not. 4 de navibus, quas Rhodii et Hellespontii miserunt, et Diod. XIX 58, 5, ubi in Antigoni exercitu *οἱ ἐκ τῶν συμμαχίδων πόλεων* commemorantur.

2) Quarum seditionem motam et statim oppressam enarrat Diod. XIX 73 cf. XX 25, 1.

3) Paus. I 9, 8.

4) Plut. Demetr. 35. Droysen, Hell.² II, 2, 258 et not. 1.

5) Strab. p. 640. Paus. I 9, 7.

6) Paus. I 9, 7. VII 3, 4. Tumulus vel potius tumuli civium, qui in proelio ceciderunt, nuper reperti sunt a Schuchhardtio (Kolophon, Notion und Klaros Mitth. 11 p. 398). Proelium anno 302/1 cum Prepelaus urbem aggrederetur Diod. XX 107, 5 commissum esse censet Schuchhardt p. 415. At primum Pausanias dicit Colophonios cum rege ipso conflixisse, qui anno 302 in Phrygia bellum gessit. Diod. l. l. § 2. 3. Deinde quod utroque loco Ephesi amplificationem causam fuisse Pausanias tradit, cur Colophon et Lebedus delerentur, proelium illud postquam Ephesus locum mutavit accidisse necesse est. Iam quando hoc factum sit, non constat, cum specie tamen verisimilitatis urbs anno 287 denuo condita esse putatur. Ergo illi anno vel insequenti clades Colophoniorum tribuenda erit. cf. Droysen, Hell.² II, 2, 258. Dittenb. 137 not. 3.



Astacus quoque tulit urbs Bithyniae.[1]) Contra negari non potest alias urbes velut Ephesum Ilium Samothracen a rege beneficiis esse donatas.[2]) Sed ut in his omnibus non tam ad ipsarum urbium salutem, quam ad immortalium deorum gloriam respexit, ita in aliis urbibus velut Smyrna, Alexandria Troade, Antigonia Bithyniae aedificandis et adiuvandis aut Alexandri consilia exsequi gestiebat aut sibi ipsi laudem parare studuit.[3]) Immo vero quod aliae urbes summis auctae sunt beneficiis, aliae extremis punitae suppliciis, luculenter demonstrat civitatum Graecarum tunc non foederis iure constitutam esse condicionem, sed regis clementia moderatam.[4]) In universum igitur Droyseno assentimur, qui urbes Lysimachi libero arbitrio subiectas fuisse existimat,[5]) satisque memorabile est et iure a Dittenbergero notatum, quod in titulo illo Erythraeo ab Alexandro et Antigono urbis libertas et immunitas conservatae esse dicuntur, de Lysimacho altum fit silentium.[6]) Leges tamen urbium ipsas et institutiones rex non mutavisse videtur, — titulus enim Ephesius et verba Strabonis, e quibus coniunctis illud concluserunt nonnulli viri docti, aliter explicanda sunt — sed legatis suis civitates oboedire iussit.[7]) Omnino

---

1) de Lebedo cf. Paus. I 9, 7 et VII 3, 5. de Astaco Strab. p. 563.

2) Regis in templum Dianae munificentia Ditt. 134 in sacra Samothracia ib. 138 erga Ilienses Strab. p. 593.

3) de Smyrna Strab. p. 646, de Antigonia Troade et Antigonia Bithyniae, quarum illa Alexandriam, haec Nicaeam nomen accepit Strab. p. 593. 604 et p. 565. Lysimachum in his Alexandri consilia exsecutum esse post Labahn, de reb. Clazomen. p. 15 not. 52 adnotavit Schuchhardt, Mitth. 13 p. 10. Unde explicatur, cur Plin. h. n. V 29 et Paus. VII 5, 1. Alexandro Smyrnae restitutionem tribuant.

4) Quae quam varia fuerit, Heracleae exemplum demonstrat. Memn. c. 6. 7 (FHG. III).

5) Droysen, Hell.² II, 2, 227. Quod iure confirmari dixit vir doctissimus nummis urbium huic tempori tribuendis, qui semper fere Lysimachi imaginem praebent. (L. Muelleri librum qui inscribitur: 'Münzen des Lysimachos' inspicere non potui.)

6) Ditt. 166 vs. 24.

7) Ditt. 134 et Strabo p. 641 (§ 21 fin. Meineke). De his vide epimetrum. — De Lysimachi legatis cf. infra, ubi de foedere Ionico agitur.

autem gravis fuit Lysimachi dominatio et bene intellegitur, cur Demetrio, qui e Macedonia profugus anno 287 Asiae oram attigit, tot statim accesserint urbes et Seleucum, cum contra Lysimachum proficisceretur, undique seleucissantes in urbibus adiuverint.[1]) Et si Lemnii Seleucum et Antiochum teste Phylarcho templis honoraverunt, quod insulam Lysimachi servitio eripuissent, eidem fortasse tempori tribuenda est Seleuciorum, quae Erythris celebrabantur, institutio.[2])

Sed proelium Corupediense, quo regnum simul cum vita amisit Lysimachus, Seleucidarum tempora secuta sunt ob testimoniorum defectum admodum ignota. Quaenam sub iis urbium Graecarum condicio fuerit, non satis constat. Nonnullas tunc civitates Gallorum maxime mercennariorum ope libertatem obtinuisse Memnon testatur.[3]) Sed tamen quod de quibusdam adnotatur, id ad omnes referri vetant ipsa scriptoris verba, qui plerosque eius temporis dynastas Graecorum libertati invidisse addit. Seleucum in his fuisse satis verisimile est[4]) ac ne Antiochum quidem filium eius favisse civitatibus inde intellegitur quod post Gallorum in Asiam transitum praeter cetera munera Gallicum quoque tributum ab urbibus exegit.[5]) Attamen commune quod a Gallis instabat periculum, regem commovisse videtur, ut lenius in urbes animadverteret animosque civium sibi conciliaret. Sic in epistula quadam ad Erythraeos data libertatem, quam cives sibi paraverant, se conservaturum esse pollicetur et civitati ultro tributum, quod ad bellum Gallicum solvendum erat, remittit.[6])

1) Demetrii adventum vide ap. Plut. Dem. 46. σελευκίζοντες Polyaen. VIII 57 (Melber) cf. Droysen, Hell.² II, 2, 226.

2) De Lemniis Phyl. hist. XIII ap. Ath. 6, 255ᵃ. Seleucia Erythris in honorem Callinici celebrata esse putant Foucart, rev. archéol. 1865 p. 300, Lamprecht, de reb. Erythr. publicis p. 47 not. 2.

3) Memnon c. 19, 4. cf. Droysen, Hell.² III, 1, 254 sq.

4) cf. Memn. c. 11 qui enarrat, quam imperiose Seleucus Heracleotis responderit. Recte Droysen. l. l. not. 1 inde quod in titulo Erythraeo Ditt. 166, 23 Seleuci nomen non apparet, Seleucum urbi libertatem non concessisse concludit.

5) cf. Ditt. 166, 28.

6) Hic est titulus ille Erythraeus iam saepius adlatus apud Ditt. 166 = E. Curtius, Monatsber. d. kgl. Akad. in Berlin 1875 p. 554 sqq. Ceterum

Paulo post urbes Ionicae — et de his potissimum agitur — Ptolemaeo Philadelpho sese adiunxisse videntur: tale enim quid concludere licet ex clarissimae illius Philadelphi pompae descriptione a Callixeno Rhodio instituta, in qua praeter alia multa spectacula Corinthi quoque et Ionicarum urbium imagines ducebantur.[1]) Quamquam Droysenus pompam illam superstite adhuc Ptolemaeo Lagi filio a Philadelpho factam esse censet, hoc est intra annos 285 et 283.[2]) At sic non bene convenit aetas Callixeni, quem spectatorem pompae iam satis adultum fuisse iure, ut mihi quidem videtur, statuit Carolus Muellerus.[3]) Libros autem de Alexandria composuit Callixenus sub Ptolemaeo Philopatore, id est intra annos 222 et 205, vel dimidio ut paciscar, circa annum 214. Itaque si recte Droysenus pompam annis 285—283 tribuit, admodum senem et nonagenarium fere sua conscripsisse Callixenum necesse est: quod num probabile sit, nescio. Sed si quis annum pompae aretius definire vult, ei proficiscendum erit a notissimis illis Theocriti versibus in encomio Ptolemaei.[4]) Enumerat poeta provincias, quas Philadelphus regno patris addit, Pamphyliam Lyciam Cariam Cycladas alias multas, sed omittit Ioniam, unde luculenter apparet tunc Ioniam Ptolemaei nondum fuisse. Atqui carmen Theocriteum scriptum est post nuptias Philadelphi et Arsinoes, quae intra annos 276 et 273 factae esse videntur.[5]) Altera ex parte ante Philadelphi de-

secundum Lamprechtium, de rebus Erythr. p. 44, cui assentitur Ditt. 160 not. 1, Antiochus praesidium belli gerendi causa Erythris eduxit. De aetate tituli Ditt. 166 cf. epimetrum huius capitis.

1) Apud Ath. V, 196[a] usque ad 203[b], cf. inprimis 201[d] sq.

2) Droysen, Hell.[2] III, 1, 43. 53.

3) Mueller, FHG. III, 55 col. 1. Sub Philopatore scripsisse Callixenum ibidem recte statuit Mueller.

4) Theocr. carm. XVII 86 sqq.

5) Quaestio de nuptiarum tempore intricatissima est. Droysen (Zs. f. Alterthumswiss. 1843 p. 54 sqq. Hellen.[2] III, 1, 268 not. 3) eas paulo ante annum 266 factas esse demonstrare conatus est. Quam sententiam refutavit Wiedemann, Rh. M. 38, 384 sqq., cum Arsinoen iam ante 270 uxorem Philadelphi fuisse inscriptione columnae Bulaquensis probaret. Ipse tamen, si fides Krallio, Studien zur Geschichte des alten Egypten II, 3

cessum rursus amissam esse Ioniam marmor Adulitanum demonstrat, quod in recensendis provinciis, quas a patre accepit Ptolemaeus Euergetes, Cariam Lyciam Cycladas adfert, de Ionia tacet.[1]) Porro cur Corinthus et Ionicae urbes potissimum in pompa ducerentur, causa ea fuisse videtur, quod tunc ipsum cum Ptolemaeo iunxerant amicitiam. Atqui Corinthus postquam intra annos 307—303 Cassandro a Ptolemaeo tradita est, inde ab anno 303 semper in Demetrii et Antigoni Gonatae filii potestate erat, quoad initio belli Chremonidei Alexander Crateri filius, qui Gonatae praesidio praeerat, a patruo defecit.[2]) Necessario autem Alexander Ptolemaeo se adiungere debebat, qui tunc cum Graecis civitatibus et Alexandro Molosso contra Antigonum bellum conflaverat simulque cum Antiocho rege Syriae et fortasse cum Maga Cyrenaeorum domino pugnabat.[3]) Facile autem fieri potuit ut eodem tempore Aegytiorum rex, cuius naves innumerabiles oram Asiaticam omnibus fere locis aggressae erant, Ionicas quoque civitates sibi conciliaret. Anno igitur fere 266 pompa illa tribuenda videtur. Sed felicem Ptolemaei rerum statum mutavit clarissima Antigoni prope Con victoria, quam paulo post pax insecuta est inter Antigonum Antiochum Ptolemaeum facta.[4]) Periculo autem, quod a Ptolemaeo imminebat, remoto Antiochus contra Graecas Asiae civitates sese convertisse easque suppressisse videtur. Nam sub finem eius urbes Ionicas denuo ei subiectas fuisse decretum docet Antiochi Dei, quo libertatem eis restituit.

Wien 1884, erravit quod eodem tempore Arsinoen nupsisse Philadelpho et Euergetam adoptasse putavit (secundum Suid. s. v. *Καλλίμαχος* Ol. 127, 2 anno 271/0). Qua de re tutius videtur eam profiteri sententiam, quae adumbrata primum a Buechelero Rh. Mus. 30, 55 sqq. et Koeppio ib. 39, 209 sqq. 211 not. nuper melioribus argumentis fulcita est ab Alfredo Gercken, Rh. Mus. 42, 270 sqq., 606, qui nuptias inter annos fere 276—273 incidere arbitratur.

1) CIG. 5127 A 5 = Hicks 173, 5.

2) Corinthus Ptolemaeo traditur Droysen II, 2, 85, Cassandro II, 2, 183 a Demetrio expugnatur p. 186. Defectio Alexandri III, 1, 239.

3) cf. de hoc bello maxime Koeppium, die syr. Kriege der ersten Ptolemaier, Rh. Mus. 39 p. 209 sqq.

4) Droysen III, 1, 276. Koepp p. 218.

Nonnullae tamen tunc quoque harum regionum urbes Ptolemaei remanebant in potestate ut Ephesus maxime, Miletus, Magnesia ad Maeandrum sita, fortasse etiam Priene.[1]) Milesiorum autem animos Timarcho tyranno eiecto sibi devinxit Antiochus, Antiochi filius, ob id ipsum a Milesiis Deus nominatus, omnibusque Ionum civitatibus libertatem donavit.[2]) Sola Ephesus ab Aegyptiis retenta est. Sed paulo post urbes rursus Ptolemaei Euergetis partes secutae sunt, ut confirmatur Iustini testimonio et marmoris Adulitani, quod in numero provinciarum, quas Euergetes paterno regno addidit, Ioniam quoque refert.[3]) Omnibus autem his Asiae regionibus Antiochum quendam Ptolemaeus praefecit. Paucis deinde annis interiectis urbes Ionicae cum omnes tum maxime Smyrnaeorum civitas Seleuco Callinico auxilium tulerunt.[4]) Omnino vero per totum hoc tempus, quo saevissimis bellis inter Seleucum Callinicum, Antiochum Hieracem, Gallos, Attalum gestis devastabatur Asia, Seleucidarum autem nulla fere erat cis Taurum potentia, urbes libertate ab Antiocho restituta fructae esse videntur.

Seleucidarum cis Taurum dominationem Attalo devicto restituit Achaeus. Qui cum paucis annis post ab Antiocho et Attalo superatus esset, Asiae pars maior Attalo Pergami regi obvenit auxilii praemium, quod Antiocho tulerat. Urbium magna pars tunc stipendiaria erat.[5]) Sed sub finem illius saeculi omnes Asiae regiones occidentales Attalo Rhodiisque ereptae

1) Droysen III, 1, 320.

2) Ioseph. Antiq. Iud. XII, 3, 2. Hunc locum primus recte interpretatus est Droysen III, 1, 330 not. 3. De Epheso retenta cf. Droysen III, 1, 376 not.

3) vs. 14 *κυριεύσας δὲ . . . . . Κιλικίας καὶ Παμφυλίας καὶ Ἰωνίας καὶ* . ., Iustin. XXVII 1, 5.

4) cf. lapidem Oxoniensem, quo continetur Smyrnaeorum decretum, CIG. 3137 = Ditt. 171. Vide etiam Ditt. 172. Iustinus XXVII 3, 2. Etsi causa qua commotos Seleuco se adiunxisse Iones dicit Iustinus inepta est, tamen de re non dubitandum. Koepp p. 221.

5) cf. Liv. XXXVII 55, 6 civitates Graecae quae Attali stipendiariae fuissent. cf. XXXVIII 39, 7. Quod Polybius XXI 48, 3 *ὅσαι δ' Ἀττάλῳ σύνταξιν ἐτέλουν, ταύτας ἐπέταξαν τὸν αὐτὸν Εὐμένει διδόναι φόρον* dicit, inde vix concludendum est, urbes cum Attalo foedere coniunctas fuisse.

sunt a Philippo rege Macedonum.[1]) Cuius fortunam evertit proelium Cynoscephalense, quo commisso omnem quam Philippus occupaverat terram, rursus dominationi adiunxit suae Antiochus Magnus. Is tunc praeter Smyrnam et Lampsacum omnes civitates Graecas in antiquam imperii formulam redegit,[2]) quae a servitute non multum diversa erat.[3]) Nam ubique in urbibus Ioniae et Aeolidis rex praesidia habebat,[4]) tributa imperabat,[5]) omnia ex suo agebat arbitrio.[6]) Sed apud Magnesiam fracta est Syrorum potentia et omnibus ex provinciis cis Taurum sitis cedere Antiochus coactus est. Terra regi adempta inter socios populi Romani, Eumenem et Rhodios, divisa est, ita quidem, ut maior pars illi, his Caria et Lycia daretur. Graecarum urbium ea pars, quae iam Attalo stipendiaria fuerat et ea, quae ab Antiochi partibus steterat, Eumeni tradita est frustra contra nitentibus Rhodiis, qui his temporibus vindices soli exstitere Graecorum Asiaticorum libertatis.[7]) Ceterae omnes libertate donatae et populi Romani sociae factae sunt et in hac condicione mansisse videntur, dum anno 133 cum Attalidarum regno maxima Asiae pars a Romanis in provinciae statum redacta est. Plerisque tunc civitatibus ademptam esse libertatem per se apparet, quam quae retinebant, postea aliae aliis amiserunt de causis.

---

1) cf. pacem post proelium Cynoscephalense Philippo datam Liv. XXXIII 30, 2 sq.

2) Smyrna et Lampsacus regi resistunt Liv. XXXIII 38, 3. XXXV 42, 1. Diod. XXIX 7, 1. — Liv. XXXIII 38, 1. Eodem anno Antiochus rex..... omnes Asiae civitates in antiquam imperii formulam redigere est conatus.

3) Liv. XXXVIII 37, 3.

4) Polyb. XXI 14, 2 et maxime § 8 = Liv. XXXVII 35, 9.

5) Polyb. XXI 48, 2 = Liv. XXXVII 55, 6.

6) Polyb. XXI 43, 2.

7) cf. pacis instrumentum quae Apameae convenit Polyb. XXI 48 = Liv. XXXVIII 39. Libertatem acceperunt nominatim praeter eos, qui ab Antiocho defecerant, Colophonii Cymaei Mylaseni Clazomenii Milesii Ilienses Dardanii Chii Smyrnaei Erythraei Phocaeenses. — Eumenis et Rhodiorum coram senatu de libertate Graecorum contentio Liv. XXXVII 53 et 54.

Ultimo huius capitis, quo de condicione urbium Graecarum qualis fuerit sub Alexandro eiusque successoribus agitur, loco breviter enarranda sunt, quae de foedere Ionico ab Alexandro renovato traduntur.[1]) Foedus ab Antigono conservatum esse per se veri est simile et insuper confirmatur initio decreti regii, quod est de synoecismo Tei et Lebedi, si quidem ibi iubet Lebediorum legatum, qui missus foret in Panionium, adiungi Teiorum legatis, cum sacra fierent.[2]) Ceterum synoecismum non perfectum numerumque urbium non imminutum esse suo iure Scheffler censet.[3]) — Ne Lysimachus quidem foedus delevit, sed praefectum militarem ei praeficere satis habuit, quibus ex praefectis unus honoratus est communi Ionum decreto, quod adhuc servatur.[4]) Idem decretum docet tunc cum perscriptum est, h. e. intra annum 295/4—287/6, societatem tredecim urbes fuisse complexam: unde manifestum fit Smyrnam ab Antigono et Lysimacho denuo conditam foedere receptam esse. Hic tamen civitatium numerus imminutus est anno fere 287 Colophonis et Lebedi excidio.[5]) Quod cum in titulo quodam ad Antiochum Sotera dato rursus appareat tredecim urbium concilium, inde concludere fortasse licet decretum hoc Ionum commune non primis regis Antiochi annis, sed postea demum factum esse: nam quae usque ad annum 281 et finem Lysimachi haud dubie dirutae iacuerant urbes, vix iam initio regni Antiochi restitutae erant.[6]) Ceterum decreto sat magni honores, templum et celebratio nataliciorum in reges Antiochum Sotera et Antiochum filium et reginam Stratonicen conferuntur, ita tamen ut non tam pro acceptis beneficiis, sed

1) cf. Gilbert, Griech. Staatsaltert. II, 155.

2) Lebas, Asie mineure 86 = Hicks 149 = Ditt. 126 vs. 1.

3) Scheffler p. 25 sqq.

4) Curtius, Arch. Zeit. (1872) 29, 188 = O. Lueders, Bulletino dell' Inst. 1872 p. 248 = Ditt. 137 de Hippostrato Milesio. Alter Ionum dux videtur fuisse ille Σω...., qui in inscriptione Prienensi commemoratur IMB. 402, 11.

5) de tempore decreti cf. potissimum Dittenbergeri not. 1—3, de urbium excidio supra p 176.

6) Bull. 9, 387 cf. infra in epimetro.

ad beneficia accipienda eos latos esse appareat.[1]) Praeterea aliud quoque Ionum decretum exstat, cuius aetas accurate definiri nequit, sed tertio ante Chr. saeculo assignanda videtur,[2]) et nummi quidam, qui concilium tredecim urbium usque in Antonini Pii et Aurelii tempora mansisse testantur.[3])

De institutis foederis pauca tantum nota sunt. Nomen concilii, quo ipsum se significat, est *Ἰώνων τὸ κοινὸν τῶν τρειςκαίδεκα πόλεων* vel *τὸ κοινὸν τῶν Ἰώνων* vel *αἱ πόλεις αἱ Ἰάδες* vel *οἱ Ἴωνες*. Constitit secundum illam aetatis Lysimacheae inscriptionem ex senatoribus (*βουλευταῖς*), qui a singulis mittebantur urbibus, et bene convenit cum hoc incerti ille temporis titulus, quo aliquid decernitur a senatu Ionum, cui praeest prytanis.[4]) Contra in decreto Foucartiano agitur de synedris, quos civitates delegabant, eademque legatorum significatio recurrit in decreto foederis Iliensis, quod paulo priore tempore factum est.[5]) Utroque autem nomine ut apud Aetolos iidem significari videntur.[6])

Difficilior quaestio est de legatorum numero. Nam ex epistulae illius Antigoni, quae est de synoecismo Tei et Lebedi, initio apparet a Lebediis unum, plures a Teiis missos esse.[7]) Illud autem quodammodo probare videtur decreti Foucartiani finis, quo, cum antea constitutum sit, nomina legatorum inscribenda esse patris nomine adiecto, singula tantum a singulis urbibus legatorum enotantur nomina.[8]) Contra maiorem numerum tuetur eiusdem tituli versus octavus, quo si vera sunt, quae supplevit Foucartus, vir rei epigraphicae peritissimus, binos ex singularum urbium synedris eligendos esse de-

1) cf. maxime vss. 14—19.

2) CIG. 2909 de tempore cf. Koehler, Mitth. 10, 36 not. 1.

3) Mionn. Ionie no. 1—5, Suppl. 1—7. Head, hist. num. 490.

4) Ditt. 137, 20. CIG. 2909 vs. 1 sqq.

5) Bull. 9, 390 vs. 26. *τοῦ συνεδρίου* vs. 30. *τοὺς συνέδρους τοὺς ἀπὸ τῶμ πόλεων* vs. 40. 44 etc. de foedere Iliensi cf. Ditt. 125 vs. 1. 14 etc.

6) de Aetolorum delegatis cf. Gilbert, Staatsaltert. II p. 28 not. 4.

7) cf. p. 182 not. 2.

8) cf. Bull. 9, 390 vs. 45 sq.

cernitur, qui ad regem mittantur.[1]) Ita vero, ut putemus sicut in foedere Aetolico legatorum numerum diversum fuisse ex magnitudine urbium foederatarum, res diiudicari nequit, quia ex fine decreti Foucartiani luculenter apparet unum fuisse Ephesiorum, unum Lebediorum legatum, hoc est potentissimae et infirmissimae urbis. Donec igitur novi reperiuntur tituli, ut verisimillimum hoc proponere licet: plures ex unaquaque civitate convenisse homines, sed unum inter eos fuisse iustum synedrum horumque synedrorum nomina exstare in lapide Foucartiano. Quae si vera sunt, versu 8 non *συνέδρ⟩ων* cum Foucartio sed *ἡκόντ⟩ων* vel tale quid supplendum est.

Utrum de rebus gerendis deliberaverit concilium necne, nescitur: quae exstant eius decreta, fere honoraria sunt. Honores autem, qui ibi conferuntur, sat magni sunt, ut statua equestris in Panionio ponenda, immunitas tributorum in omnibus urbibus Ionicis, templum, dies festi, alii denique, in quos etiam referenda est cena in Panionio praebenda. Nam quod in titulo quodam Prienensi Laricho cuidam praeter cetera privilegia cena quoque datur in Panionio,[2]) eam non ex suo arbitrio addidisse videtur Prienensium civitas — quod satis mirum esset —, sed ex communi Ionum decreto, quod haud dubie antea impetraverat. Ceterum graviora, quibus honores in aliquem conferebantur, Ionum decreta non solum in ipso Panionio insculpta,[3]) sed etiam cum singulis civitatibus per synedros communicata et ab iis in tabulas publicas relata sunt.[4]) Sic decreti, quod in honorem Hippostrati factum est, adhuc servatur Smyrnaeorum antigraphum; et inscriptio illa, qua rex Antiochus domusque eius celebratur, in lapide exstat Clazomenio. Contra si qua urbs decretum latius innotescere voluit, id venia synedrii impetrata in Panionio collocandum curavit.[5])

1) *ἑλέσθαι δὲ τῶν συνέδρ⟩ων δύο ἀφ' ἑκάστης πόλεως κτέ.* vs. 8.

2) IMB. 415 vs. 4 *καὶ σίτησιν ἐμ πρυτανείωι καὶ ἐμ Πανιωνίωι.*

3) Decretum quo Hippostratus honoratur, in ipsa basi statuae incisum esse videtur, quae in Panionio ei ponenda erat, vs. 25 cl. vs. 14.

4) vs. 20 Lapis Smyrna Athenas portatus est. — Bull. 9, 390 vs. 42. Decretum Clazomenis inventum est.

5) CIG. 2909.

Sacra Panionia, quae Neptuno Heliconio celebrabantur, secundum Strabonis verba a Prienensibus administrata sunt,[1]) quo factum est, ut notissimo apud Graecos more sacerdotium Neptuni Prienes publice locaretur. Huius rei documenta quaedam etiamnunc remanent,[2]) ex quibus apparet iura et privilegia sacerdotis ab Ionibus definita et columnae cuidam incisa fuisse.[3]) Accedebant peculiares quidam honores a Prienensibus sacerdoti concessi velut cena in prytaneo, prima in ludis spectandis cavea, alii denique minores. Ipso munere per vitam fungebatur et sacra Neptuni instituit secundum leges ab Ionibus sancitas.[4])

Epimetrum de inscriptionibus quibusdam quarto et tertio saeculo tribuendis.

1. Decreti Attici, quod edidit Cumanudes *Ἐφημερὶς ἀρχαιολογ.* 1886 p. 217 quodque circa medium fere saeculum quartum incisum esse ex litterarum forma arbitratur, paulo pleniorem conatus sum proponere formam.

⟨ἐπειδὴ κτἑ. . . . .
ἀπο⟩δεικνύμενοι τ⟨ὴν ἑαυτῶν οἰκειότητα ἣν ἔχοντες⟩
διετ⟩έλουν καὶ ταῦτα πάντ⟨α . . . . . . διώκησαν; . . . . . .
διαφυλάξ-⟩
αν⟩τες τὴν ἐξ ἀρχῆς αὐτοῖ⟨ς ὑπάρχουσαν ἀρετὴν καὶ εὔνοιαν
πρὸ-⟩

---

1) Strabo p. 639 cf. p. 384.

2) IMB. 426. 427. de more Graecorum sacerdotia locandi dixit Hicks. IMB. III, 1, 47 col. b.

3) *ἀτελὴς δ' ἔσται π⟨άντω⟩ν καθάπε⟨ρ καὶ ἐν τ⟩ῆι στήληι ἀναγέγ⟨ραπτα⟩ι* IMB. 426, 8 sq cl. 427, 3 *ἀτελὴς δ' ἔσται καθ⟩άπερ Ἴωνες δεδώκασι.*

4) 426 a b = 427 b 1. *ἱεράσεται δὲ τὸμ βίον τὸν αὐτοῦ καὶ τὴν θυσίαν τῷ Ποσειδῶνι συντελεῖ κατὰ τοὺς νόμους τῶν Ἰώνων.* Quod ex Strabonis verbis p. 384 *καθιστᾶσιν ἄνδρα νέον Πριηνέα τὸν τῶν ἱερῶν ἐπιμελησόμενον* elucere videtur non per vitam munere fungi Neptuni sacerdotem, Hicksius iam monuit IMB. III, 1, 47 a diversis temporibus diversam fuisse sacerdotii administrationem.

ς⟩ τὸν δῆμον, δοῦναι αὐτοῖς ⟨πάντα τὰ αὐτὰ ἅπερ τοῖς ἄλλοις εὐ-⟩
εργέταις, ἐπειδὴ καὶ οἱ πα⟨ρ' ἡμῶν ἀφικόμενοι πρέσβεις εἰλήφ-⟩
ασιν πολιτέαν ἐμ Πριήνει. ⟨ὅπως δὲ φανερὸν ἦι πᾶσιν τοῖς προς-⟩
πολιτευομένοις πρὸς τὸν δ⟨ῆμον τῶν Ἀθηναίων ὅτι χάριτας ἐπί-⟩
σταται ἀποδιδόναι ὁ δῆμος τ⟨ῶν εὐεργεσιῶν ἀξίας· ἀγαθῆι τύχ-⟩
η⟩ι δεδόχθαι τεῖ βουλεῖ τοὺς πρ⟨οέδρους οἳ ἂν λάχωσι προεδρε-⟩
ύ⟩ειν εἰς τὴν πρώτην ἐκκλησ⟨ίαν τὴν εἰς . . . .
. . . .
ον γιγνομένην προςαγαγε⟨ῖν αὐτοὺς πρὸς τὸν δῆμον . . *καὶ*
χρηματίσαι ὑπὲρ τῆς δωρεᾶ⟨ς αὐτῶν, γνώμην δὲ ξυμβάλλεσθαι τῆς
βουλῆς εἰς τὸν δῆμον ὅτι ⟨δοκεῖ τῆι βουλῆι εὐεργέτας εἶναι Μα-
καρέα Λυκωπάδου Θ . . . .
εlη⟨ν Η⟩γησι . . . .

Supplementa versus 11, quae propter sollemnem, quae dicitur probuleumatica, formulam satis certa videntur, quinquaginta fere litteras singulos versus esse complexos docent. Decretum in honorem factum videtur Macarei Lycopadis filii et alterius cuiusdam hominis, qui fortasse legati erant Prienensium. In Lycopadis nomine non offendo, derivatum est a *Λυκώπας* ut *Βορεάδης* a *Βορέας* cf. Lobeck, pathol. elem. p. 254. *Λυκώπας* autem eadem ratione natum est, qua *Γοργώπας* nomen satis usitatum. Ceterum singula, quae supplevi, inprimis in vs. 7, incerta esse vix est quod moneam neque haec adferrem nisi decretum spectaret ad Prienensium historiam.

2. Epistula Alexandri Magni ut videtur ad Chios data, cuius duo frustula primus edidit Blastos *Χιακὰ* p. 224 sq., quorum prius repetivit Boeckhius CIG. 2214[b]. Denuo lapidem

examinavit Haussouillier multoque correctius praebuit apographum Bull. 3, 320. Quocum coniungendum est tertium eiusdem, ut videtur, lapidis fragmentum nuper a Studniczka eodem loco repertum cf. Mitth. 13, 165, 2. Nexus sententiarum sic fere restitui posse videtur

A. (Hauss.)

λος
δ π⟩αρέσται
. . . . αὐτοῦ. ὅσοι δ' ἂν τὸ ⟨τάγ-
μα ὅ ἂν τά⟩ξηι ὁ δῆμος μὴ κατα⟨βάλ-
λωσιν, ἐγ⟩γύους φυλασσέτω ἡ ἀ⟨ρχ-
ὴ καὶ δεδ⟩εμένους. ἂν δ' ἀποδρά⟨σῃ-
ι τις, τὰ ἐπ⟩ίτιμα ἀποτίνειν τ⟨ὴμ?
βουλὴν?· τῶ⟩ν δ' ἄλλων Χίων μηδέ⟨να
ἔτι φεόγει⟩ν ἐπὶ βαρβαρισμῶ⟨ι .
. . . . ων μηδ' Ἀλκίμαχο⟨ν ἐπ-
ιζητεῖν ἐπε⟩ιδὴ διεμαρτυρ . .
. . . . ος ἐξελθεῖν προ . .
. . . . ὁ δεῖνα⟩ δὲ, ἐμός τε φίλος ⟨ἐώ-
ν καὶ εὔνους τ⟩ῶι πλήθει τῶι ὑ⟨με-
τέρωι ἀεὶ· — τοὶ⟩ς μὲγ γὰρ φεόγου⟨σ-
ιν ὑμῶν ὑπηρετ⟩εῖν, τὴν δὲ πόλ⟨ιν
ἀπολυθῆναι τῆ⟩ς ὀλιγαρχίας ⟨ἔσ-
πευδε καὶ πρότε⟩ρον παρ . . .

C. (Studn.)

ιμου καὶ σι
ωι περὶ ὑμᾶς
B. (Hauss.) ἢ κατὰ τοῦ πα-
τρὸς⟩ αοτοι οσα . . . ῃ πόλις ἀποδ-
οῦναι πρώτωι τ . . . των καὶ αὐτὸ-
ν καὶ τοὺς φιλ . . . . ν καὶ πιστεύ-
ειν ὡς ὄντι φι . . . . ταῦτα γὰρ πο-
ιοῦντες χαρ . . . . . μ⟩οι καὶ εἴ ⟨τι
ἐμοῦ δέοισθ⟨ε καὶ ἕ?⟩τερον ἂν ὑμ⟨ῖ
ν ὑπηρετοί⟨ην.

A.

ΛΟΣ
ΔΕ ΠΑΡΕΣΤΑΙ
ΑΥΤΟΥΟΣΟΙΔΑΝΤΦΤΑΓ
ΜΑΘΑΝΤΑΕΗΙΟΔΗΜΟΣΜΗΚΑΤΑΒΑΛ
ΛΩΣΙΝΕΓΓΥΟΥΣΦΥΛΑΣΣΕΤΩΗΑΡΧ
ΗΚΑΙΔΕΔΕΜΕΝΟΥΣΑΝΔΑΠΟΔΡΑΣΗ
ΙΤΙΣΤΑΕΠΙΤΙΜΑΑΠΟΤΙΝΕΙΝΤ
ΤΩΝΔΑΛΛΩΝΧΙΩΝΜΗΔΕΝΑ
ΕΤΙΦΕΟΓΕΙΝΕΠΙΒΑΡΒΑΡΙΣΜΩΙ
ΩΝΜΗΔΑΛΚΙΜΑΧΟΝΕΠ
ΙΖΗΤΕΙΝΕΠΕΙΔΗΔΙΕΜΑΡΤΥΡΗ
ΟΣΕΞΕΛΘΕΙΝΠΡΟ
ΔΕΕΜΟΣΤΕΦΙΛΟΣΕΩ
ΝΚΑΙΕΥΝΟΥΣΤΩΙΠΛΗΘΕΙΤΩΙΥΜΕ
ΤΕΡΩΙΑΕΙΤΟΙΣΜΕΓΓΑΡΦΕΟΓΟΥΣ
ΙΝΥΜΩΝΥΠΗΡΕΤΕΙΝΤΗΝΔΕΠΟΛΙΝ
ΑΠΟΛΥΘΗΝΑΙΤΗΣΟΛΙΓΑΡΧΙΑΣΕΣ
ΠΕΥΔΕΚΑΙΠΡΟΤΕΡΟΝΠΑΡΑΝ

B.

ΤΡΟΣΑΟΙΟΙΟΣΑ
ΟΥΝΑΙΠΡΩΤΩΙΤ
ΝΚΑΙΤΟΥΣΦΙΛ
ΕΙΝΩΣΟΝΤΙΦΙ
ΙΟΥΝΤΕΣΧΑΡ
ΕΜΟΥΔΕΟΙΣΦΕΚΑΙΕ
ΝΥΠΗΡΕΤΟΙΗΝ

C.

ΙΜΟΥΚΑΙ<Ι
ΩΙΠΕΡΙΥΜΑ<
ΗΚΑΤΑΤΟΥΠΑ
ΗΠΟΛΙΣΑΠΟΛ
ΤΩΝΚΑΙΑΥΤΟ
ΝΚΑΙΠΙΣΤΕΥ
ΤΑΟΤΑΓΑΡΠΟ
ΛΟΙΚΑΙΕΙΤ
ΤΕΡΟΝΑΝΥΜ

Res de qua agitur fere haec est. Dum Alexander Gordii commoratur, Memnon Rhodius cum classe Persica Chium cepit ab Apollonide Phisino Megareo proditam, sed paulo post cum Mytilenen oppugnaret, morbo absumptus est.[1]) Eius in locum successit Pharnabazus, qui Chium urbem optimatium factioni tradidit. Sed insequenti iam anno cum Persarum spes exitu proelii Issici attenuata erat et nova Macedonum classis duce Hegelocho advenit, populus dominationem paucorum propter varias, quibus factionem popularium affecerant, ignominias sibi invisam evertit.[2]) Qui imperium urbis gesserant, Apollonides Phisinus Megareus ad Alexandrum in Aegyptum, ut poenas darent, missi sunt. Qua re non contentus populus in alios quoque, quos sibi inimicos esse putabat, animadvertisse videtur falso tanquam cum Persis consilia communicavissent crimine illato.[3]) Quod cum comperisset Alexander, ut prava civium studia coerceret, ipsam hanc epistulam conscripsisse videtur.[4]) Initio, quod servatum non est, rex fortasse imperaverat, ut omnes in quos crimen coniectum esset, statim custodia tenerentur, populus vero certam quandam definiret pecuniam eosque solos in vincula coniceret, qui pecuniam illam non solverent. Addit deinde multam magistratui irrogandam esse, si qui custodia effugerit et vetat quemquam in posterum quod Persarum rebus studuerit, accusari Alcimachumque de ea re quaestionem instituere. Ad postremum hominem quendam sibi amicum populo commendat et in fine epistulae Chiis pollicetur se quoque gratias eis relaturum esse, si in hac re imperata fecerint.

---

1) Omnes has res enarrat Arrianus II, c. 1 et 2 et III 2, 3—7.

2) Imaginem Philiti tyrannicidae ignominiose tractaverant cf. titulum apud Kirchhoff, Monatsber. der Berl. Akad. 1863 p. 265 = Hicks. 126 et Sauppii commentationem de duabus inscription. Lesbiacis p. 30. Idem Ephesi fecerunt oligarchi Arr. I 17, 11.

3) Idem Ephesi 334 factum est Arr. I 17, 12 *καὶ Σύρφακα μὲν ..... κατέλευσαν· τοὺς δὲ ἄλλους διεκώλυσεν Ἀλέξανδρος προσωτέρω ἐπιζητεῖν* (cf. quae in decreto supplevi) *καὶ τιμωρεῖσθαι γνοὺς ὅτι ὁμοῦ τοῖς αἰτίοις καὶ οὐ ξὺν δίκῃ τινὰς, τοὺς μὲν κατ' ἔχθραν, τοὺς δὲ κατὰ ἁρπαγὴν χρημάτων ἀποκτενεῖ, ξυγχωρηθὲν αὐτῷ, ὁ δῆμος.*

4) cf. adn. praecedentem.

De singulis vix est quod addam. Alcimachus, qui vs. 10 A tituli commemoratur, idem esse videtur, quem Arrianus I 18, 1 ab Alexandro missum esse narrat, ut Aeolicas et Ionicas urbes liberaret. Codices Arriani diversas nominis formas praebent, Florentinus habet *Ἀντίμαχον*, Parisinus *Ἀλκίμαχον*, alii *Ἀλκίμαλον*, Sintenis coniecit *Λυσίμαχον*. Fortasse Alcimachus et Lysimachus fratres erant, cf. Droysen, Hell.[2] I, 1. 201 not. 3. Alcimachus ut videtur Chium traiecerat, ut ibi eundem rerum ordinem ab Alexandro constitutum efficeret atque in ceteris urbibus. — Ceterum vestigia Ionismi, quae hic illic in titulo apparent, lapicidae tribuimus. — De forma *ἀποδράσηι* cf. Theophr. char. 18. Veitch, Greek verbs. 187. — *τὰ ἐπίτιμα* cf. Hesych. *ἐπίτιμον· πλούσιον τιμωρὸν τιμητόν.*

3. In decreto, quod in honorem Thersippi fecerunt Nasiotae CIG. 2166[e] = Earinos, *Μουσεῖον καὶ βιβλιοθήκη τῆς εὐαγγελικῆς σχολῆς ἐν Σμύρνῃ* 1876 = Droysen, Hellen.[2] II, 2 p. 374 = Hicks 138 inde a versu 9 haec leguntur

Ἀ-
ντιπάτρω γ⟩ὰρ ἐπιτάξαντος χρήματα εἰς
τὸμ πόλεμ⟩ον εἰσφέρην πάντων τῶν ἄλλω-
ν εἰσφερ⟩όντων Θέρσιππος παραγενόμενο-
ς πρὸς τοὶ⟩ς βασίληας καὶ Ἀντίπατρον ἐκ-
ούφισε τὰ⟩μ πόλιν· ἔπραξε δὲ καὶ πρὸς Κλε-
ῖτον περὶ⟩ τᾶς εἰς Κύπρον στρατείας καὶ
οὐκ ὀλίγα⟩ς δαπάνας εἰς μικρὸν συνάγαγ-
ε χρόνον⟩ κτἑ.

Quaeritur autem, quando bellum Antipatri et Cliti expeditio Cypria facta sint. Droysenus bellum intellegit, quod initio anni 321 Antipater et Craterus susceperunt contra Eumenem socium Perdiccae. Tunc Antipatrum etsi nondum regni administrator esset, subsidia ex foedere regi vel regis vicario praestanda ab urbibus postulasse et accepisse putat.[1]) Sed ex verbis tituli vs. 13 elucet iam coniunctos fuisse, cum Thersippus mitteretur, reges Philippum Arrhidaeum et Alexandrum Roxanes

1) Droysen, Hellen.[2] II, 1, 116 not. 3. 135 not. 2.

filium cum Antipatro. Anni autem 321 initio reges Perdiccam regni administratorem secuti erant, qui contra Ptolemaeum Aegypti satrapam profectus est.[1]) Bellum igitur illud utique post partitionem autumno anni 321 Triparadisi factam incidere necesse est, in qua regni administratio et tutela regum Antipatro tradita est. Altera autem ex parte nec bellum Antipatris nec Cliti expeditio post annum 318/7 facta est, quo Clitus cum satrapia Lydia ab Antigono privatus esset, a militibus Lysimachi occisus est.[2]) Bellum igitur ad quod gerendum Antipater tributa exegit, aliud esse nequit nisi quod iussu Antipatri Antigonus anno 320 contra Perdiccanos Attalum Alcetam Eumenem suscepit. Et eidem anno expeditio Cliti tribuenda videtur, de qua aliunde nihil constat propter lacunam, qua hoc ipso loco Diodori continua interrumpitur narratio.[3]) Quod si statuitur, solvuntur etiam difficultates quaedam, quas detexit Droyseni sagacitas.[4]) Nam si Clitus cum classe Cyprum missus est, ut Perdiccanos, qui in Cilicia et Pamphylia erant, a tergo aggrederetur, bene intellegitur et cur Eumenes relicta Phrygia statim in Cappadociam se receperit et cur Attalus Alcetasque Eumenem in regione Orcynia pugnantem non adiuverint: ipsi enim a Clito bello premebantur.

4. Primus Wood, Discoveries at Ephesus append. II p. 28 n. 19 = Ditt. 134 documentum edidit civitatis Euphronio ab Ephesiis datae, in quo praeter senatum et populum etiam gerusia et advocati commemorantur. Inde vero, quod Prepelaus templo Dianae immunitatem concessisse in titulo traditur, Droysenus decretum anno 302/1 factum esse conclusit. Idem alio loco collatis Strabonis verbis quae gerusiam et advocatos a Lysimacho institutos esse prodere videntur, veterem rei Ephesiorum publicae condicionem admodum a Lysimacho immutatam esse existimat.[5]) Cui bene opposuit Dittenberger, si iure anno

1) Droysen, Hellen.[2] II, 1, 113.
2) Diod. XVIII 72, 9.
3) Droysen, Hellen.[2] II, 1, 157.
4) Droysen, Hellen.[2] II, 1, 157. 159 not. 1.
5) Droysen, Hellen.[2] II, 2, 202. III, 1, 33 not. 1. Guhl, Ephesiaca

302/1 tribueretur titulus, magistratus illos iam ante Lysimachum Ephesi extitisse putandum esse. Contra Gilbertus,[1]) ut magistratuum commemorationem explicet, titulum post 287 incisum esse putat, sed recte idem miratur populum Ephesium *ὁ δῆμος ὁ Ἐφεσίων* non *ὁ δῆμος ὁ Ἀρσινοϊτῶν* dici. At gerusia illa et advocati omnino publici magistratus non fuisse videntur. Titulo enim continetur senatus consultum (v. 2 *δεδόχθαι τῆι βουλῆι*) a populo ratum factum, ut demonstrat formula sollemnis decreto praeposita *ἔδοξεν τῆι βουλῆι καὶ τῶι δήμωι*. Iam si magistratus illi publici fuissent, de civitate Euphronii antequam ad populum ferretur, non solum senatus esset consultus, sed etiam gerusia et advocati, antequam res in senatu ageretur. Verum triplex haec ratio, qua iustum et legitimum populiscitum factum sit, paulo longior videtur, quam ut veri sit similis. Itaque quoniam Euphronius de templo maxime bene meruisse narratur et magistratus illi, qui decretum ad senatum deferunt, *νεωποῖαι* et *κουρῆτες* aperte sunt sacri, etiam *γερουσίαν* et *ἐπικλήτους* templi magistratus fuisse putaverim. Rem autem sic factam esse existimo. Euphronium, qui de templo bene meruit, templi magistratus publicis magistratibus commendare volunt. Qua de re neopoeos et curetes ad senatum mittunt cum decreto, quo laudatur Euphronius et civitate dignus perhibetur. Decreto gerusiae et advocatorum perlecto senatus de civitate Euphronii populum rogat et populus denique decernit eum in civium numerum esse recipiendum.

Verba autem illa Strabonis huic sententiae non obstant; neque enim publicos fuisse magistratus gerusiam et advocatos dicit scriptor neque a Lysimacho institutos, ut bene monuit Dittenberger not. 2. Totum igitur enuntiatum cum sequentibus potius coniungendum videtur, in quibus Strabo de templo Dianae agit.

5. Inscriptionem Erythraeam, qua Antiochus rex civitati libertatem concedit et autonomiam (Demetriadis *Ἰωνία* n. 116 =

---

p. 60. Strabonis verba haec sunt p. 640 (§ 21 fin. Mein.) *ἦν δὲ γερουσία καταγραφομένη, τούτοις δὲ συνῄεσαν οἱ ἐπίκλητοι καλούμενοι καὶ διῴκουν πάντα.*

1) Gilbert, Griech. Staatsalt. II, 143 not. 2.

Papadopoulos Ἀμάλθεια n. 2170 = E. Curtius, Monatsber. d. Berl. Akad. 1875 p. 554 = Dittenb. 166 cf. Droysen, Hell.[2] III, 1, 254 not. 1) plerique editores et Droysenus temporibus Antiochi Soteris tribuerunt. Quibus Dittenberger opposuit verba vs. 23 *οἱ ἡμέτεροι πρόγονοι ἔσπευδον ἀεί ποτε περὶ αὐτῆς* ab Antiocho Sotere dici non potuisse et ob id ipsum titulum ad Antiochum Deum referendum esse docuit Herm. XVI p. 197. At argumentum, quo tunc optimo iure niti potuit vir doctissimus, nullum esse nunc ex alio decreto in honorem Antiochi Soteris facto cognoscitur, quod nuper edidit Foucart, Bull. 9, 387 sqq.[1]) Ibi enim vs. 16 Iones regem adhortantur, ut eadem qua maiores erga civitates Ionicas utatur benevolentia. Unde apparet Seleucidas maiorum etiam loco habuisse Antigonum Monophthalmum et Demetrium Poliorcetam, quibuscum necessitudinis vinculo erant coniuncti. Nam Stratonice, Demetrii filia, anno fere 297 Seleuco Nicatori et paulo post Antiocho Soteri, filio eius, nupserat. Maiores igitur regis intellego Seleucum Demetrium Antigonum, nam cum Foucartio[2]) omnes intellegere, qui ab Alexandri temporibus Ioniam habuerint, vetat, quod Lysimachus Ionicarum urbium libertati erat inimicissimus. — Hoc igitur Dittenbergeri argumentum stare nequit neque ad priorum editorum sententiam reverti dubito, quia Antiochus Deus omnibus Ionicis civitatibus libertatem dedit servitute oppressis, hoc autem decreto Erythraei ipsi libertatem sibi paravisse intelleguntur. cf. supra p. 179 et verba tituli *τήν τε αὐτονομίαν ὑμῖν συνδιατηρήσομεν* vs. 27.

6. Ultimo loco adiungam decretum Ionum, quod in honorem Antiochi Soteris fecerunt, a Foucartio Bull. 9, 387 sqq. editum. Supplementa maxime sunt Fourcartiana hic illic a me paululum mutata, ut legitimus efficeretur litterarum numerus quem inter undequinquagenas et quadragenas binas in singulis versibus litteras fluctuasse docet Foucarti apographum et ultima decreti pars optime servata.

---

1) cf. infra no. 6.
2) Bull. 9, p. 391.

τε⟩τράδι ἱσταμένου ἵνα τὴ̣ν⟨ν ἡμέραν ἐν ἧι ὁ βασιλεὺς Ἀντίοχο⟩ς ἐγεννήθη μετ' εὐφημίας πάσης καὶ εὐχαριστίας διατελ⟩ῶμεν, δίδοσθαι δὲ τῶμ πανηγυριαζόντων ἑκάστωι τοσοῦτον⟩ ὅσον καὶ ἐς τὴν Ἀλεξάνδρου τοῦ θεοῦ ἡμέραν γενεθλ⟩ίαν δίδοται· ὅπως δὲ καὶ τὴμ προαίρεσιν τοῦ κοινοῦ τῶν⟩ Ἰώνων περὶ τῶν τιμῶν εἰδῶσιν ὁ βασιλεὺς Ἀντίοχος καὶ ἡ⟩ βασίλισσα Στρατονίκη, αὐτίκα μὲν ἑλέσθαι ἐκ τῶν ἡκόντ⟩ων δύο ἀφ' ἑκάστης πόλεως πρέσβεις πρότερον ἤδη πρεσ⟩βεύσαντας πρὸς τὸν βασιλεῖα Ἀντίοχον, τούτους δὲ τ⟩ό τε ψήφισμα τόδε ἀποδοῦναι βασιλεῖ παρὰ τοῦ κοινοῦ⟩ τῶμ πόλεων τῶν Ἰάδων ἐμ βραχυτάτωι καὶ πράξασθαι ὅτι ἂ⟩ν ἀγαθὸν δύνωνται τῶι κοινῶι τῶμ πόλεων. Παρακαλείτω⟩σαν δὲ οἱ πρέσβεις τὸμ βασιλεῖα Ἀντίοχον πᾶσαν ἐπιμέ⟩λειαν ποιεῖσθαι τῶμ πόλεων τῶν Ἰάδων ὅπως ἂν τὸ λοιπὸ⟩ν ἐλεύθεραι οὖσαι καὶ δημοκρατούμεναι βεβαίως ἤδη πολι⟩τεύωνται κατὰ τοὺς πατρίους νόμους. ἀποφαινέτωσα⟩ν δὲ αὐτῶι οἱ πρέσβεις, διότι τοῦτο ποιῶν πολλῶν τε ἀγαθ⟩ῶν αἴτιος ἔσται ταῖς πόλεσιν καὶ ἅμα ἀκολουθήσει τῆι τ⟩ῶν προγόνων αἱρέσει. Παρακαλείτωσαν δ' οἱ πρέσβεις τὸμ βασι⟩λεῖ(α) Ἀντίοχον, ἀποφήνασθαι τόπον ὃς ἂν αὐτῶι κάλλιστος φ⟩αίνηται εἶναι, ἐν ὧι τὸ τέμενός τε αὐτοῦ ἱδρυσθήσεται⟩ καὶ ἡ πανήγυρις συντελεσθήσεται. ἐπειδὰν δ' ἐπανέλθ⟩ωσιν αἱ πρεσβεῖαι, τὴμ πόλιν ἐν ἧι ἂν συντελέσωμεν τὴν θυ⟩σίαν τῶν Ἀλεξανδρείων παρακαλεῖν πάντας τοὺς δήμο⟩υς τοὺς μετέχοντας τῆς θυσίας, ὅπως κατὰ τὸ δόγμα τ⟩οῦ συνεδρίου βουλεύσωνται περὶ τῆς τοῦ ἱεροῦ οἰκοδομ⟩ῆς καὶ τῆς κατασκευῆς καὶ περὶ τοῦ ἀγῶνος καὶ τῶν θυσ⟩ιῶν καὶ περὶ τῶν λοιπῶν καθότι γενήσεται καὶ ἐν οἷς δε⟩ήσει χρόνοις συντελεῖσθαι τὸν ἀγῶνα ἐκ τοῦ ψ⟩ηφίσ⟨μα⟩τος· τοὺς συνέδρους τοὶ⟨ς παρόντας ἀπὸ τῶμ πόλεων ⟨συ⟩ντελέσαι θυσίαν τοῖς θε-

οἷς πᾶσι καὶ πάσαις καὶ τοῖς β⟨α⟩σιλεῦσιν Ἀντιόχωι καὶ τῆι βασιλίσσηι Στρατονίκηι καὶ ⟨θῦ⟩σαι ἱερεῖα τέλεια καὶ στεφανηφορῆσαι, τούς τε συνέδρο⟨υς⟩ καὶ τοὺς ἄλλους τοὺς ἐν τῆι πόλει πάντας· ἀνοῖξαι δ⟨ὲ⟩ τοὺς ἱερεῖς καὶ τὰς ἱερείας τὰ ἱερὰ καὶ ἐπιθύειν ἐπευχομ⟨έ⟩νους συνενεγκεῖν τὰ δεδογμένα τοῖς τε βασιλεῦσι Ἀ⟨ν⟩τιόχωι καὶ Ἀντιόχωι καὶ τῆι βασιλίσσηι Στρατονίκηι καὶ ⟨πᾶσι τ⟩οῖς μετέχουσι τῶν τιμῶν· ἀναγράψαι δὲ καὶ εἰς (σ)τ⟨ήλ⟩ην τὸ ψήφισμα τόδε καὶ τὰ ὀνόματα πατρόθεν τῶν ἡκ⟨όν⟩των συνέδρων ἐκ τῶν πόλεων καὶ στῆσαι ἐν τῶι τεμένε⟨ι⟩ παρὰ τὸν βωμὸν τῶν βασιλέω⟩ν. ἀναγράψαι δὲ καὶ τοὺς δ⟨ήμ⟩ους ἐν ταῖς ἰδίαις πόλεσιν. τ⟩ό τε ψήφισ⟨μα⟩τόδε καὶ τ⟨ῶν σ⟩υνέδρων τὰ ὀνόματα πατρόθεν καὶ στῆσαι ἐν χωρίωι ὅπερ ἂν⟩ φαίνηται ἐπιφανέστατον.

Ἐ⟩φεσίων Ἀρτεμίδωρος Γοργ⟨ . . .

Λε⟩βεδίων Κ⟨ . . . .

Quod ad tempus inscriptionis attinet, supra iam p. 182 ex Lebediorum commemoratione non primis Antiochi annis titulum incisum esse conieci. Ante magnam de Gallis Antiochi victoriam decretum factum esse demonstrat fortasse regis cognomen Σωτήρ omissum.[1]) Certiora vix poterunt dici; nam quod Antiochi filius iam rex nominatur, qui, cum pater Seleuco succederet, quintum decimum ad summum agebat annum,[2]) inde non multum efficitur, quoniam satis matura iam aetate filios a regibus in regni societatem adscitos esse exemplum docet Ptolemaei Euergetis, qui annos fere duodecim natus 271 a patre regni socius nominatur. Mihi intra annos fere 275 et 265 titulus incisus videtur.

De singulis pauca addenda sunt. vs. 8. cur ἡκόντων scripserim, vide supra p. 184. — vs. 24. Alexandrea secundum

1) cf. Waddington ad Leb. Asie mineure 87 vs. 22 = Ditt. 165.

2) cf. Koepp, Rh. Mus. 39, 210 not. 1. — Antiochus Deus secundum Armeniam Euseb. versionem (Schoene I, 251) quadragesimum annum expleverat, cum 246 Ephesi mortuus est. Tunc igitur anno 281 quinque annos natus erat. Sed cf. Droysen, Hell.[2] III, 311 not. 3.

Strabonem 644 in luco celebrabantur, qui in confinio Teiorum et Clazomeniorum situs erat. Aut igitur sumendum est initio saeculi tertii Alexandreis nondum certum locum definitum esse aut dies festos modo Tei modo Clazomenis esse actos. — vs. 27. de vocabulo *οἰκοδομή*, quod ab Atticistis damnatur, vide Lobeck, Phrynichus 487 sqq.

Caput sextum.

De rebus Prienensium, quas gesserint inde ab Alexandri temporibus usque ad annum 133.

Proelio apud Granicum flumen commisso Alexander Ephesum contendit ibique paululum temporis commoratus Alcimachum misit, qui Ionicas et Aeolicas urbes Persarum iugo liberaret; Lydiae administrationem tradidit Asandro.[1]) Ipse meridiem versus Miletum profectus est et urbem oppugnare constituit. Qua in re cum classe Persica, quae sub monte Mycale stationem habebat, retardarentur Macedonum impetus, rex Philotam delegavit cum parte exercitus,[2]) qui oram monti subiectam occuparet Persasque privaret terrae aditu. Hac occasione Prienenses libertatem recuperavisse videntur eorumque urbs velut ceterae civitates Graecae Alexandri foederi ascripta est.

Huic tempori tribuendae sunt duae inscriptiones Prienes repertae, quarum altera in summo antae templi lapide insculpta aedem Minervae Poliadis ab Alexandro rege dedicatam esse praedicavit.[3]) Recte autem interpretes locum attulerunt Strabonis, ubi scriptor Artemidorum secutus narrat regem promisisse Ephesiis se omnem pecuniam in fano Dianae exstruendo iam consumptam etiamque consumendam soluturum esse, si suum nomen templo inscriberetur, sed urbanam tulisse repulsam.[4]) Idem Prienensibus rex proposuisse videtur et ab iis,

---

1) Arr. I 18, 1. cl. I 17, 7.
2) Arr. I 18, 5.
3) Ditt. 117. IMB. 399. Ion. Ant. IV, 23.
4) Strab. p. 640 fin.

ut condicionem acciperent, impetrasse. Alter titulus Alexandri est decretum, cuius in parte posteriore vicos quosdam rex sibi vindicat et urbem Prienensium custodiamque immunitate donat pecuniae, quae ceteris sociis pendenda erat.[1] Superior pars decreti tam mutila est, ut vix quidquam certi inde possit elici. Hoc autem mihi persuasit Curtius Wachsmuth Hicksii supplementis plus aequo tribuenti: quoniam aperta esset oppositio inter duas sententias per *μὲν* et *δὲ* significata, non suppleri posse altero loco *ὅσοι μὲν Πριηνεῖς*, si altero iam *οἱ δὲ Πριηνεῖς* legeretur. Aut igitur priore loco aut posteriore in lapide *Πριηνεῖς* exstabat. Illud mihi veri videtur similius et oppositionem factam esse credo inter *ὅσοι μέν εἰσι Πριηνεῖς* et *οἱ δὲ Πριηνέων* .. cetera perierunt. Quid in lapide olim secutum sit, difficile est dictu; fortasse scriptum erat *μέτοικοι* vel potius *πάροικοι*, ut ipsis qui Naulochi habitabant Prienensibus libertas et autonomia et possessio omnium in urbe aedificiorum atque terrae daretur, peregrini autem non in ipsa urbe, sed in vicis degere cogerentur regio tributo subiecti.[2] Sed res incerta est et incerta manebit, donec ut novum fru-

1) IMB. 400 vs. 9

τὸ δὲ . . ⟨κ⟩αὶ Μυρσ . . . .
κ⟩αὶ Π . . . . χώραν
γινώσκω ἐμὴν εἶναι τοὺς δὲ κα-
τοικοῦντας ἐν ταῖς κώμαις ταύ-
ταις φέρειν τοὺς φόρους, τῆς
δὲ συντάξεως ἀφίημι τὴμ Πριη-
νέωμ πόλιν καὶ τὴμ φρου⟨ρὰ⟩ν ἐ-
φ᾽ ἥ⟨ι . . . . . εἰ⟩σάγει⟨ν.

quae secuntur restitui nequeunt.

2) Fortasse igitur sic supplendum est vs. 1 sqq.

Βασιλέως Ἀ⟨λεξάνδ⟩ρου
Τῶν ἐν Ναυλόχωι ⟨κατοικούν-
των ὅσοι μέν εἰσι ⟨Πριηνεῖ⟩ς α⟨ὐτ⟩ο-
νό⟩μους ε⟨ἶναι καὶ ἐλευθ⟩έρους
ἔχ⟨οντ⟩ας ⟨ἀτελεῖς κ⟩αὶ τὰς οἰκί- — Hicks *⟨τὰ γήπεδα? κ⟩*
ας τὰς ἐν ⟨π⟩όλει πά⟨σα⟩ς καὶ τὴγ
χώραν, ο⟨ἱ δὲ⟩ Πριηνέ⟨ων πάροικοι? — Hicks *Πριηνε⟨ῖς οἰκούν-*
⟨ἐν κώμαις⟩ αἷς ἂν δέω⟨νται οἰκούντων⟩ — *των . . . ⟨νται ἀτελεῖς⟩*

stulum inveniat, contigerit Hicksio harum inscriptionum interpreti sagacissimo. —

Unum vero in titulo satis memorabile est, quod vs. 15 rex custodiam quoque urbis nominatim tributo eximit. Inde enim sequitur custodes illos neque Macedones fuisse, a quibus vectigal Alexander exigere omnino non potuit, neque cives, quippe qui inclusi fuissent immunitate urbi data.[1]) Erant igitur mercennarii publice conducti, quod alio quoque titulo confirmatur aetatis paulo inferioris, qui suo loco tractandus est. Neque solum urbis ipsius arx a mercennariis custodiebatur, verum etiam minora Prienensium castella velut Carium conducta tuebatur manus militum, cui praeerat civis Prienensis.[2]) Ultimo autem inter titulos, quos ad Alexandri aetatem referri oportet, loco duo decreta Attica nominanda sunt, quae cum valde sint mutila, hoc unum probant laudari a populo Atheniensium legatos Clazomeniorum et Prienensium. Quaenam causa huius legationis fuerit, ignoratur: apta sane est Koehleri coniectura, qui haec decreta cum alio coniungit in honorem Colophoniorum facto et omnia paulo post liberationem urbium Graecarum orta esse censet.[3])

Anni 323 aestate Alexander Magnus Babylone mortuus est. Compositis autem qui mortem eius sequebantur tumultibus satrapiarum facta est partitio, in qua Asandro Caria, Lydia Menandro evenit cum urbibus Ionicis.[4]) Sed post mortem Perdiccae nova Triparadisi instituta est provinciarum divisio, qua Lydia Clito tradita est.[5]) Hic cum Graecorum libertati insidiaretur, ab Antigono terra privatus est: quo facto ut omnes urbes Ionicae, ita etiam Priene foederi Antigoni sese adiunxit

1) Dixerit quis *καὶ τὴμ φρου⟨ρὰ⟩ν* non cum *ἀφίημι* construendum esse, sed cum insequenti quodam verbo, quod perierit. Sed non *καὶ τὴμ φρου⟨ρὰ⟩ν* tunc scripsisset rex, verum *τὴν δὲ φρου⟨ρὰ⟩ν* . . . . .

2) IMB. 403, 66 sq. *συμφυγεῖν εἰς τὸ Κ⟨άρι⟩ον φρουραρχοῦν|⟨τος ἑν⟩ὸς τῶν πολιτῶν καὶ τόν τε φρούραρ⟨χο⟩ν καὶ τοὺς φύλα|⟨κας⟩ διὰ τὸ αἱρεῖσθαι τὰ τοῦ τυράννου πάντας διαφθε(ῖ)ραι· κτέ.* . .

3) CIA. II, 165. 166.

4) Droysen, Hell.² II, 1, 29 sq.

5) Droysen, Hell.² II, 1, 145.

et in eo permansit, quoad apud Ipsum Antigonus occisus est. Post mortem regis urbs in dicione Demetrii Poliorcetae fuisse videtur usque ad annum fere 294, quo Lysimachus dominationem suam in Asia restituit.

Unum tantum per hoc totum temporis spatium de Priene notum est, urbem a tyranno fuisse oppressam. Ex decreto enim Rhodiorum, quo lis composita est inter Samios et Prienenses, haec fere concludere licet.[1]) Anno quo Macareus stephanephori munere functus est, Hiero tyrannus in urbe rerum potitus est, qui, si fidem habere oportet Pausaniae, summa crudelitate in cives consuluit.[2]) Populus ex urbe profugus in castellum, cui nomen erat Carium, se contulit ibique interemptis castelli custodibus et praefecto, qui quamquam civis Prienensis erat, tamen tyranni partibus favebat, consedit et in terram tyranni crebras fecit incursiones. Quarto anno post cum Lycus stephanephorus erat, tyranno interfecto cives in urbem reverterunt. Tempus autem tyrannidis ab Hicksio sic definitur. Cum cives in exilio essent, ii qui in urbe remanserant, decreta fecere ad Demetrium et Lysimachum reges missa. Atqui Lysi-

---

1) . . . *ἐπὶ στεφανηφόρου Μακαρέως⟩ | ⟨τοῦ μ⟩ετὰ Ἀθηναγόραν συμφυγεῖν εἰς τὸ Κ⟨άρι⟩ον φρουραρχοῦν|⟨τος ἑν⟩ὸς τῶν πολιτῶν καὶ τόν τε φρούραρ⟨χο⟩ν καὶ τοὺς φύλα|⟨κας⟩ διὰ τὸ αἱρεῖσθαι τὰ τοῦ τυράννου πάντας διαφθε(ῖ)ραι· καὶ | ⟨ὑπὲ⟩ρ τούτων ἐπεδείκνυον ψάφισμ⟨α τ⟩ὸ ἀπο⟨στ⟩αλὲν ποτὶ ‖ ⟨αὐτ⟩οὺς ὑπὸ τῶν περὶ τὸν τύραννο⟨ν κ⟩αὶ τὰ ψαφίσματα τὰ | ⟨ἀποστ⟩αλέντα ποτ' αὐτοὺς καθ' ὃν καιρὸν ἦσαν ἐκπεπ⟨τω|⟨κότες ὑ⟩πὸ τῶν περὶ τὸν τύραννον καὶ συμπεφ⟨ευ⟩γότες | εἰς τὸ Κάριον, ἃ ἦν ὑπὸ πλειόνων πολέων ἀπε⟨σταλ⟩μένα· ἐπ|⟨ε⟩δείκνυον δὲ καὶ τὸ ψάφισμα ὃ ἔγραψαν ποτὶ τὸν δᾶμον τὸν ‖ Ῥ⟩οδίων ἐόντες ἐν τῶι Καρίωι ὑπὲρ τοῦ καταγαγε⟨ῖ⟩ν αὐτοὺς εἰς | τὰν πόλιν, καὶ Πριανέων ποτὶ τοὺς βασιλ⟨έας Δη⟩μήτριόν τε καὶ | Λυσίμαχον ὑπὲρ αὐτῶν ⟨δύο ψηφίσματα?⟩ κα⟨ὶ⟩ ἄλλο ψάφισμα | παρὰ Ῥοδίων ὑπὲρ τοῦ καταφυγε⟨ῖν το⟩ὺς περὶ ⟨τὸν τ⟩ύραννον, καὶ ἄλ|λο ὑπὲρ ὅπλων δόσιος καὶ ποτὶ Ῥοδίους ὑπὲρ δανεισμοῦ ‖ χρημάτων· ἔφασαν δὲ καταλυθείσας τᾶς τυραν|νίδος ἃ ἐπέ⟨σχεν ἔτ⟩η τρία κατελθόντες ἐκ τοῦ Καρίου ἐς τὰμ | πόλιν ἐπὶ στ⟨εφα⟩ναφόρου Λύκου καὶ τὸ φρούριον ἔχειν καθὰ καὶ πρότερο⟨ν κ⟩αὶ τ⟨ὰν⟩ χώραν νέμεσθαι.* Nomen Hieronis tyranni in vs. 111 apparet *κακοποιεῖν τόν τε Ἱέ⟨ρωνα καὶ τὰ ὑπάρχον⟩τα τῶι Ἱέρωνι· κτέ.* cf. etiam vs. 124 sqq.

2) De Hieronis crudelitate cf. Paus. VII 2, 10.

machus anno demum 306 regium nomen adsumpsit,[1]) legati igitur tyranni non ante hunc annum missi sunt. Altera ex parte versus 125 sqq. docent vicesimo anno postquam Hiero rerum potitus esset, legatos Prienensium Lysimachum adiisse, quod utique factum est ante annum proelii Corupediensis 281. Iam quoniam eo anno, quo Lycus magistratus fuit eponymus, tyrannis eversa est, is autem annus quintus decimus est ab anno Nicandri, quem post annum 282 magistratu non functum esse patet, ipsa Hieronis dominatio post annum 296 incidere nequit.[2]) Intra annos igitur 306—296 tres Hieronis tyrannidi vindicandi sunt. Et Hicksius annos elegit 304—301 ea maxime causa perductus, quod sic bene explicatur decretum ad Demetrium missum, qui tunc Rhodum oppugnavit.[3]) Lysimachus autem per totum hoc tempus aut in Thracia aut prope Hellespontum commoratus Sardes pervenit hieme 301, postquam Antigonum apud Ipsum cum Seleuco devicit. Argumentum sane Hicksianum nemo premet, nec verisimile est sub Antigono et Demetrio, qui propugnatores semper habiti sunt libertatis factionisque popularium, tyranno urbis arbitrium concessum fuisse. Melius quadrare videtur tempus eorum tumultuum, qui pugnam apud Ipsum commissam secuti sunt; eaque de causa Hieronis tyrannidi annos 300 fere usque ad 297 assignaverim. Nec mirum est tunc ad utrumque regem missos esse legatos. Nam Lysimachus in partitione, quae post proelium Ipsense inter victores convenit, Asiae partem occidentalem acceperat, Demetrius autem re vera orae maritimae urbes retinuit usque ad annum fere 294.

Hoc enim anno Lysimachus dominationem suam in Asia, quam propter Thracum et Getarum bella gravissima diu neglexerat, restituit eamque tenebat usque ad proelium Coru-

1) Droysen, Hell.[2] II, 2, 39 sqq.

2) IMB. 403, 124 sqq. *κατελθεῖν ἐπὶ στεφαναφό*||*ρου Λύκου ὅς ἐστι ἀπὸ Μακαρέως τέταρτος, ποτὶ δὲ τὸν Λυσίμαχον ἀ⟨ποστ⟩εῖλαι ὑπὲ⟨ρ τ⟩οῦ Βατινήτο⟨υ ἐπὶ στε⟩φαναφόρου τοῦ θεοῦ τοῦ μετὰ Νίκανδρον ὅς ἐστι ἀπὸ Λύκου πεντε⟨και⟩δέκατος καὶ ἀπὸ κήνου τοῦ χρόνου | ἐχόντων αὐτῶν κτέ.*

3) Hicksius IMB. III, 1 p. 3^b sq.

pediense. Qui cum Graecis civitatibus minime faveret, tamen Prienenses satis benevole tractasse videtur. Exstat enim adhuc decretum, quo corona aurea et divini honores in regem conferuntur, quia urbem misso exercitu conservavit et contra Magnetum ceterorumque qui Maeandri planitiem incolebant, impetus defendit. Neque minus servata est regis epistula, qua Prienensibus ob honores sibi decretos gratias agit eosque propter egregiam fidem saepius erga se demonstratam collaudat.[1]) De aetate titulorum dubitari potest. Et Hicksius utrumque ad ultimos Lysimachi annos referri iubet, quod milites illos, a quibus Magnetes adiutos esse rex ipse testatur, Seleuci fuisse censet anno 282 ad decertandum appropinquantis et ducem exercitus Lysimachei, e cuius nomine litterae *Σω* solae supersunt, Sosthenem intellegit,[2]) qui anno 279 Macedoniam a Gallis defendit.[3]) Certa haec esse ne Hicksius quidem putabit, sane apparet potuisse haec etiam fieri, cum Demetrius e Macedonia profugus in Asiam pervenit et ab Agathocle, Lysimachi filio, Seleuco se dedere coactus est.[4]) Milites vero illi mercennarii fortasse erant post proelium Ipsense a nemine conducti, qui occasionem praedae faciendae non praetermiserunt. Sed satis coniecturarum, quibus res ad liquidum perduci nequit; unum restat quod in Lysimachi tempora incidit, arbitrium regi commissum in antiqua illa lite Samiorum et Prienensium.

Initia huius controversiae supra capite altero p. 126 sq. describere conatus sum: Alexandro quoque et Antigono rem diiudicandam traditam esse etsi demonstrari nequit, tamen veri est simile.[5]) Condicio autem tunc ea fuisse videtur, ut Bati-

1) IMB. 401 et 402.

2) cf. verba tituli 402 vs. 11 *καὶ | ἐπιστειλά⟨ντ⟩ω⟨ν ἡ⟩μῶν πειθαρχεῖν Σω⟨. . . . τοῦ⟩ | στρατηγοῦ ⟨ὑπ⟩ήκουσεν* (sc. Prienensium civitas) *προθύμως καὶ ο⟨ὐδαμᾶς⟩ | ἀφίσταται τῶν ἡμῖν χρησίμων καὶπ⟨ερ πορθου?⟩| μένης τῆς ⟨χ⟩ώρας ὑπό τε Μαγνήτω⟨ν αὐτῶν ‖ κ⟩αὶ τῶν στ⟨ρατιω⟩τῶν τῶν συνεπιπορ⟨ευομένων|. . .*

3) Droysen, Hell.² II, 2, 344.

4) Droysen, Hell.² II, 2, 303 sqq.

5) sic Hicksius IMB. III, 1 p. 4ᵃ concludit ex IMB. 403, 141 sqq.

netum agrum tenerent Samii, Prienenses Carium et Dryussam.[1]) Sub finem vero imperii Lysimachei, anno si recte supra Hieronis tyranni aetatem definivimus, fere 283/2, Prienenses benevolentia regis fortasse saepius experta freti Batinetum quoque sibi adsciscere constituerunt deque ea re adiere Lysimachum.[2]) Tunc inter Prienensium et Samiorum legatos res coram rege disceptata est et arbitrii, quod tunc Lysimachus tulit, documentum magna ex parte servatum est, epistula regia ad Samios data.[3]) Sed quoniam periit finis decreti, quo suam arbiter aperuit sententiam, admodum ambigitur inter viros doctos, quanam ratione Lysimachus controversiam composuerit. Et Boeckhio, qui Samiis regem favisse censet, Hicksius maxime obloquitur, qui terram Prienensibus adiudicatam esse existimat. At ex ipsis Rhodiorum decreti verbis apparet Prienensium inde ab hoc tempore Carium et terram castello circumiacentem fuisse sola:[4]) neque enim si tunc etiam Batinetum accepissent, hoc in causa urbis suae dicenda omisissent Prienensium legati. Et idem, nisi fallor, docet epistulae Lysimacheae initium, quo rex quo-

1) Illud demonstratur initio epistulae Lysimacheae apud Hicks. 152. *Βασιλεὺς Λυσίμαχος Σαμίων τῆι βουλῆι καὶ τῶι δήμωι χ⟨αί⟩ρει⟨ν·| κατ-⟩ έστησαν ἐφ' ἡμᾶς οἵ τε πρέσβεις οἱ παρ' ὑμῶν καὶ οἱ παρὰ τῶν Πρ⟨ιη-⟩| νέων ἀποσταλέντες ὑπὲρ τῆς χώρας ἧς ἐτύγχανον ἠμφ⟨ισ⟩|βητηκότες π⟨ρό⟩τερον ἐφ' ἡμῶν. εἰ μὲν οὖν προείδειμεν ἡμεῖς? τήν‖δε τὴγ χώραν ὑμᾶς ἐ⟨πὶ τ⟩οσούτων ἐτῶν ἔχειν καὶ νέμε⟨σ⟩θ⟨αι καθ'⟩ | ὅλον οὐκ ἂν ἐπεσπασάμεθα τὴγ κρίσιν· νῦν δὲ ὑπελαμβάνομεν ⟨ἐξ⟩ | ὑπογύου τινὸς χρόνου παντελῶς γεγονέναι τὴν ἐπί⟨κτησιν· ο⟩ὕτω γὰρ ἡμῖν ἐποιοῦντο τὴν μνείαν ἐν τοῖς πρότερον ⟨λόγοις οἱ⟩ | τῶν Πριηνέων πρέσβεις· οὐ μὴν ἀλλ' ἐπειδὴ παρῆσαν οἵ τε παρ' ὑμῶ⟨ν πρέσβεις ‖ κ⟩αὶ οἱ παρὰ τῶν Πριηνέων ἀναγκαῖον ἦν διακοῦσαι ἅ⟨λέγεται⟩ π⟨αρ' ἑ⟩|κατέρων.* Hoc ipsi Prienenses demonstrant IMB. 403, 65 sqq., quorum argumenta probantur a Rhodiis vs. 125 sqq.

2) Prienenses revocasse controversiam diu sedatam inde apparet, quod legati eorum prius ad regem venerunt quam Samiorum, qui postea demum ut res disceptaretur arcessiti sunt. cf. Hicks. 152 vs. 4 et 8.

3) CIG. 2256 = Hicks. 152. Minoris momenti sunt variae lectiones, quas Roehl attulit in Schedis epigraph. 1876 p. 7.

4) IMB. 403, 126 *καὶ ἀπὸ κήνου τοῦ χρόνου ἐχόντων αὐτῶν καὶ τὸ φρούριον καὶ τᾶς χώρας τᾶς περὶ τὸ φρούριον ⟨πε⟩πρακότων κλάρους τεσσαράκοντα καὶ δύο.*

dammodo se excusare studet, quod omnino arbitrium susceperit, cum luce esset clarius alterum litigantium in iure esse. Sic enim arbiter non eum alloquitur, quem re de qua agitur privare vult arbitrio suo, sed eum, quem in iure esse ipse persuasum habet. Denique si regis sententia Samiis infesta fuisset, vix eam publice incidendam curavissent. Tunc igitur Lysimachus Samiis Batinetum, Carium et Dryussam Prienensibus assignavit et utrique in sententia quam rex tulerat acquievere.

Proelio Corupediensi Seleucidarum in Asia constituta est dominatio, sed ne tum quidem urbibus statim libertatem redditam esse supra p. 177 sq. vidimus. De Prienensibus autem unum constat, urbem ab Antiocho in servitutem redactam, sed paulo post civis cuiusdam merito liberatam esse. Rex enim Antiochus — sic narrat auctor nescio quis apud Sextum Empiricum [1]) — capta Priene cum in convivio esset Sostratum saltatorem Prienensem 'libertatem' saltare iussit. Sed respondit vir patriae amantissimus non decere se libertatem saltare, dum ipsa patria servitute premeretur. Qua re commotus rex Prienensibus libertatem concessit. Haec fere Sextus Empiricus: regem vero Antiochum Sotera intellegendum esse collato loco quodam Athenaei evicit Droysen [2]) idemque recte expugnationem urbis ultimis Antiochi annis factam esse censuit, quibus Gallorum et Ptolemaei metu liberatus, (quorum illos ipse clarissimo fugaverat proelio, hunc Antigoni apud Con victoria summoverat), civitates Graecas suo arbitrio tractare coepit.

Sed felicem urbis statum, quem cives regis clementia adsecuti sunt, graves everterunt calamitates, *καιροὶ δυσχερεῖς*, ut ait Rhodiorum decretum, sub regno Antiochi Dei (261—246). Causa earum ignoratur, sed recta videtur Hicksii coniectura urbem a Ptolemaei ducibus esse expugnatam, qui altero bello Syriaco Ephesum Miletum Magnesiam Samum occupavere. [3])

1) Sext. Emp. adv. gramm. 13 = p. 667, 15 Bekk.

2) Hell.² III, 1, 261 not. 2 coll. Hegesandro apud Athen. 1, 19 ᶜ. De Hegesandro FHG. IV, 416.

3) *καιροὶ δυσχερεῖς* commemorantur IMB. 403, 133 cf. Hicks IMB. III, 1 p. 4ᵇ et Droysen, Hell.² III, 1, 319 sqq.

Statim tunc Samii qui usque ad id tempus privatas tantum causas cum Prienensibus egerant, publice per legatos controversiam moverunt de finibus, sed num res tunc ad arbitrum delata sit vel quis arbiter ille fuerit, nescitur.[1]) Paulo post sicut ceterae Ioniae urbes, ita etiam Priene bello Laodiceo implicata est, quo Ptolemaeus Euergetes a Laodice et Seleuco Callinico Berenices interfectoribus poenas repetivit.[2]) Urbes tunc omnes Ioniae in Aegyptiorum fuisse dicione supra p. 180 vidimus; neque igitur mirum est, quod tunc lis illa antiqua inter Samios et Prienenses praefecto cuidam Ptolemaei diiudicanda tradita est. Cuius ex nomine, quod in titulo Rhodiorum adfertur, solae litterae *τίοχος* supersunt.[3]) Nomen autem *Ἀντίοχος* supplendum esse veri est simillimum solumque id dubitari potest, quis ille fuerit Antiochus. Ac Droysenus et Hicksius de primo stationis navalis praefecto cogitant, quam inde a temporibus alterius belli Syriaci Sami habebant reges Aegyptiorum.[4]) Sed quoniam de hoc praefecto aliunde nihil constat, mihi simplicius videtur Antiochum illum intellegere, cui Ptolemaeus Euergetes cum ex Asia discederet, regiones cis Taurum sitas vel Ciliciam tradidit. Utrum vero is An-

---

1) *καὶ ἀπὸ κήνου τοῦ χρόνου* (cf. quae exscripsi p. 202 not. 4) . . . *δύο, οὐκ ἀγανακτῆσαι τοὺς Σαμίους οὐδ' ἀποστεῖλαι ποτ' αὐτοὺς π⟨ρ⟩εσβείαν ἐγκαλοῦντας ἐπὶ τοῖς διωι|κημένοις, ἀλλ' ἀμφισβασίας μὲν ποθ' αὐτοὺς ἰδιωτικὰς γεγόνειν ⟨π⟩αρορίας τοὺς ἐκ τοῦ Καρίου, — οὐκ ἀμφεσ‖βατήκειν τοὺς Σαμίους, ἀλλὰ τοὐναντίον ἐν τῶι ποτὶ Λυσίμαχον ἀ⟨ποστ⟩αλέντι ψαφίσματι γεγράφθαι διότι | Πριανεῖς ἔχοντι τὰν αὐτῶν χώραν· μετὰ δὲ τὰν ἀναφερομέναν ⟨ἐπ⟩ὶ Λυσιμάχου κρίσιν γεγόνειν δια|γενομένων ἐτῶν πλειόνων, βασιλεύοντος Ἀντιόχου τοῦ Ἀντιόχου, ⟨γε⟩νομένων περὶ αὐτοὺς καιρῶν δυσχε|ρῶν, πέμψαι ποτ' αὐτοὺς Σαμίους ⟨πρέσβεις λέγοντας ὅτι⟩ ἐν παρορίαι ἐνεκάλουν, ὑπὲρ δὲ Καρίου οὐθὲν | ⟨εἰρηκότας⟩.*

2) . . . . *θα περὶ ⟨αὐτ⟩οὺς τὸν Λαοδίκειον πόλεμον ἐν ὧι* ibid. vs. 134. Bellum ingens illud Euergetae intellegendum esse docet Hicks IMB. III, 1 p. 2[b].

3) vs. 153 *καὶ πάλιν ὅτε ἀνεφέρετο ἡ κρίσις ἐπ' Ἀν⟩τίοχον τὸν ὑπὸ βασιλέως Πτολεμαίου τεταγμένον | ⟨ὑπὲρ τοῦ παρορίζεσθαι τὴγ χώραν, ὑπὲρ τοῦ φρουρί⟩ου οὐθὲν εἰρηκότας* sc. Samios demonstrant Prienenses. Sic fere supplendum est.

4) Droysen, Hell.[2] III, 1, 331 not. 1. Hicks IMB. III, 1. 4[b] et not. †.

tiochus Hierax fuerit Seleuci Callinici frater, an alius eiusdem nominis, in medio relinquam.[1])

Haec ultima sunt, quae in illo Rhodiorum decreto saepissime laudato enarrantur, unde recte conclusit Hicksius non multo post, hoc est circa annum 240, ipsum Rhodiorum factum esse arbitrium. Etiam tunc Samios querelam movisse e compluribus tituli locis intellegitur.[2]) Batineti enim possessione, quam Lysimachus iis concesserat, non contenti Carium quoque et Dryussam sibi vindicare studebant. Contra nitebantur Prienenses, donec inter civitates convenit Rhodiorum rem committere arbitrio. Hi ex civium numero quinque elegerunt arbitros, qui primum in templo Dionysi, quod Rhodi erat, dein in ipso agro, de quo ambigebatur, tertium in templo Dianae Ephesiae, ut in communi Ionum sacro, legatorum audivere orationes.[3]) In universum ab utrisque ea prolata sunt, quae in cursu narrationis hic illic attigimus; gravissima vero Samiorum argumenta duo maxime erant, primum quod in partitione post bellum Meliacum facta Carium et Dryussa ipsis essent adiudicata, dein quod post proelium apud Quercum commissum agrum iure pacis rursus occupassent. At illud falsum esse scriptorum auctoritate Prienenses evincunt, huic suo iure opponunt inde ab Hieronis tyranni temporibus et iam multo ante eum et Carium et Dryussam in sua fuisse dicione, idque ab ipsis Samiis probatum esse, qui nunquam usque ad illud tempus de possessione regionum illarum movissent controversias.[4]) Hoc haud dubie gravissimum visum est Rhodiorum arbitris eaque de re

1) Hieronym. ad Daniel c. 11 p. 1123 et Syriam quidem ipse (Ptolemaeus Euergetes) obtinuit, Ciliciam autem amico suo Antiocho gubernandam tradidit et Xantippo alteri duci provincias trans Euphraten sitas. Antiochum amicum fuisse Antiochum Hieracem Niebuhr dicit, Vorträge über alte Gesch. III, 355, cui adsentitur Koepp, Rh. Mus. 39, 222 not.

2) Velut inde quod Prienenses saepissime monent, nunc primum ambigere Samios de Cario, vel inde quod nomen eorum prius adfertur vs. 8, denique quod Samii statum, qui tunc erat, evertere student.

3) cf. praescripta decreti IMB. 403.

4) cf. vss. 118—123 et 124—155.

Prienensibus terram adiudicaverunt. Quo facto duo confecerunt arbitrii documenta, quibus singula argumenta a litigantibus adlata et sententia ipsa cum terminorum constitutione perscripta erant, alterumque Samiorum dederunt prytanibus alterum magistratibus Prienensium.[1]) Prienenses autem cum sententiam Rhodiorum sibi faventem accepissent, eam velut cetera documenta gravissima in parietibus templi Minervae incidendam curabant, suprascriptis quae tituli argumentum significarent verbis *Πριηνέων καὶ Σαμίων*.[2])

Sed priusquam ad Romanorum in Asia dominationis tempora descendit narratio, breviter dicendum est de titulis quibusdam, qui etsi accuratam temporis descriptionem non admittunt, tamen ex litterarum forma vel ex natura argumenti recte saeculo ante Christum tertio ab Hicksio tribuuntur. Et ut similia coniungantur similibus, discordiae Prienensium et Samiorum enarrationem sequantur documenta controversiae et reconciliationis inter Miletum et Prienen factae, quae duobus titulis servata sunt valde mutilis, sed ita ab Hicksio restitutis, ut de argumento vix dubitari possit. Quorum altero foedus continetur inter Milesios et Prienenses ictum. Variae in eo constitutae esse videntur res, de quibus tamen propter lacunas lapidis nihil conicere licet: unum servatur foederis praescriptum de ratione, qua privatae inter Prienenses et Milesios agendae sint causae, deque magistratibus, quibus causae illae diiudicandae tradantur.[3]) Altera inscriptio regis vel dynastae cuiusdam est epistula, qua Milesii et Prienenses iubentur secundum terminos, quos iis constituerit Smyrnaeorum civitas, quam

1) cf. vss. 27—44.

2) Frustula quaedam huius inscriptionis ediderunt Boeckhius CIG. 2905 et Waddington Leb. Asie mineure (v) 189—191. 205, qui ex fragmentis duo decreta restituenda putat: falso, ut evincit Hicksius IMB. III, 2 p. 2 not. *. Multo plura ipse Hicksius publici iuris fecit idemque subtilissima simul et certissima ratione, quam ipse luculenter exposuit l. l. p. 6 sq., tituli ordinem restituit. Quo fit, ut Boeckhii et Waddingtonii de hac re sententias nunc sicco fere pede transire liceat.

3) IMB. 414 vs. 7 *περὶ δικῶν· κτέ.* Hunc titulum altero posteriorem esse coniectura est Hicksii, cui nihil obstare videtur.

celerrime terrae conficere divisionem. Regem illum Hicksius intellegit Ptolemaeum Euergetam, quod si verum est, inter annos 247—222 titulus incisus sit oportet. Potest autem eodem iure cogitari de Seleuco Callinico, cuius partes post bellum Laodiceum rursus secutae sunt urbes Ionicae. Fortasse rex cum ab utrisque rogatus esset, ut civitatem designaret, cui rei arbitrium traderetur,[1]) populum Smyrnaeorum sibi amicissimum elegit. Quod si statuitur, titulus circa annum fere 240 insculptus est, cui non repugnat litterarum forma Rhodiorum decreti litteris satis similis. Neque enim assentiri possum Sonnio, qui Wilamovitzii vestigia secutus proconsulis esse litteras tituli affirmat.[2]) Etsi enim forma litterae Π paulo insolentior est, tamen eam a tertio saeculo abiudicare non debebat Sonnius, nam contrarium probatur compluribus titulis, e quibus e. g. CIA. II, 334 (ante annum 265/4) et Bull. 3, 470 = Ditt. 169 (Euergetae aetate incisum) attulisse satis habeo. Qua de causa ego formam litterae Π ex arbitrio lapicidae natam esse neque quicquam obstare putaverim, quominus ad Euergetae vel Seleuci tempora referatur titulus.

Porro ex forma litterarum Hicksius tertio ante Christum saeculo aliud vindicat Prienensium decretum, quo honor coronae aureae confertur in Nymphonem Protarchi filium, quod bis a populo arci praefectus munere optime functus est.[3]) Nymphonem civem fuisse et custodes mercennarios, etsi disertis nusquam dicitur verbis, tamen ex iis quae Hicksius de temporum illorum condicione uberius disputavit quaeque ipse supra p. 198 de custodia monui Prienensium, verisimile fit.

Agmen claudant tituli nonnulli diversae, ut videtur, aetatis quamquam omnes tertii et alterius ante Christum saeculi in-

1) Quod saepius factum est. Exempla vide apud Sonnium, de arbitris externis, quos Graeci adhibuerunt ad lites et intestinas et peregrinas componendas, quaestiones epigraphicae Gott. 1888 p. 75 n. 132—135.

2) Sonne p. 19 n. 30. Wilamovitzium potius commotum fuisse puto singulari *γέγραπφα* numero, quem a regibus non usurpari Hicksius iam adnotavit p. 27 col. b. Excepto scilicet Alexandro, qui ut videtur singulari usus est. IMB. 400.

3) Journ. of hell. Stud. IV, 237 sqq. cf. V, 60 sq.

cluduntur terminis, sed eiusdem argumenti. Res autem, de qua in omnibus agitur, haec est. Peregrina quaedam civitas, quae vel intestinis laborat discordiis vel causa quadam turbatur gravissima, per legatos iudices petit a Prienensibus, qui sive iudicio sive reconciliatione sedent civium animos graviter excitatos.[1]) Legatorum oratione audita Prienenses ex civium numero unum vel plures designant iudices et scribam eosque urbi, quae petiverat, auxilio mittunt. Negotio perfecto iudices et scriba Prienen revertuntur. Non multo post peregrinae illius civitatis legatio advenit secum portans decretum, quo expositis iudicum scribaeque meritis primum collaudatur Prienensium res publica, quod optimos delegaverit viros, dein laudibus et honoribus efferuntur ipsi iudices et scriba, tertium rogantur Prienenses, ut decretum, quod adferunt legati, etiam apud se publice incidendum curent. Et statim fit Prienensium decretum, quo laudatur urbs illa peregrina, quod benevolentia usa sit erga rem publicam, dein iudices, quod patria dignos se praebuerint, tertium constituitur utrumque decretum in tabulas publicas esse referendum. Quod sic fieri solet, ut in lapide perscribatur decretum urbis peregrinae praemissis paucis quae argumentum tituli indicent e. g. *τὸ παρὰ Ἐρυθραίων τιμῶν δικαστῆι Κλεάνδρωι*, vel *τὸ παρὰ Ἰασέων*, dein subiciatur ipsum Prienensium decretum. Utrumque in una servatur inscriptione IMB. 420 = Sonne 94, posterius solum exstat IMB. 419 = Sonne 78, prius solum ad nos pervenit IMB. 417, 418 = Sonne 125, 421 = So. 79, 422 = So. 80, 423 = So. 134, 436 = So. 95. Lata autem sunt decreta ab Alexandrinis Troadis (419) Iasensibus (420) Erythraeis (418) Laodicensibus (421), ab Aeolica quadam urbe (422) et tribus aliis civitatibus, quarum nomina ignorantur (417. 423. 436). Unum ex his iudicem narrat a Prienensibus delegatum esse iussu regis Antiochi, quem Antiochum Deum (261—246) intellegit Hicksius. Ceterum quod tam saepe ab aliis civitatibus Prienenses arbitri electi sint, recte fortasse ab Hicksio inde explicatur,[2]) quod exiguitas

1) Haec bene disponit Sonne p. 52.

2) cf. Hicks IMB. III, 1 p. 52ª sq.

simul et libera urbis condicio suspicionem amovit corrumpi posse eius sententiam, prout suaderet ipsius civitatis commodum vel metus domini cuiusdam potentissimi.

Sed iam devenit historiae Prienensium descriptio ad illa tempora, quibus post proelium apud Magnesiam commissum Romanorum arbitrio res Asiae administratae sunt. Quid in illo decem legatorum et Cn. Manlii Volsonis proconsulis conventu, qui Apameae actus est, de Prienensibus constitutum sit, ignoratur: coniicere licet urbem libertate donatam et sociis populi Romani adscriptam esse.[1]) Unum constat Apameae retractatam esse veterem illam Prienensium et Samiorum controversiam et arbitrium Rhodiorum tunc immutatum esse in favorem Samiorum a Manlio fortasse pecuniis corrupto.[2]) Sed alia multoque graviore calamitate triginta fere annis post Prienenses afflicti sunt, cuius causa haec erat. Ariarathes Philopator, Cappadocum rex, expulsus est ab Oropherne fratre, quem Demetrius adiuverat rex Syriae.[3]) Orophernes autem cum omnibus se invisum esse sentiret propter avaritiam, quadringenta talenta, ut haberet si forte regno pelleretur aliquid subsidii, Prienensibus conservanda tradidit,[4]) qui pecuniam in templo Minervae deposuerunt. Facile autem ex his apparet Prienen tunc liberam suique fuisse arbitrii. Paulo post Ariarathes Orophernem, qui iussu populi Romani socius fuerat regni,

1) de conventu Apameae habito cf. Liv. XXXVIII 39 = Polyb. XXI 48 et Mommsen RG. I, 751 sqq.

2) cf. Polyb. XXI 48, 1. Hanc tamen rem ab ipso Manlio et decem legatis diiudicatam esse docet senatus consultum IMB. 405, 7 = CIG. 2905 F = Lebas, Asie min. 195. (Samiorum legati) *λόγους ἐποήσαντο | κατὰ πρό⟨σ⟩ωπον πρὸς Πριην⟨ε⟩ῖς π⟨ερὶ χ⟩ώρας ⟨καὶ ὁρίων ὅπως ὦσι⟩ καθὼς Γναῖο(ι)ς Μάνλιος καὶ οἱ δέκα πρεσβευταὶ διέταξαν ⟨μετὰ τὸν Ἀντιόχειον πόλεμον κτέ.* Inde quod Prienenses contra nituntur, apparet Manlii sententiam Samiis favisse. — Manlium corruptum fuisse e sermone ipsius decreti, quo eius sententia antiquatur, conclusit Waddington ad n. 195. Apte Hicksius comparat Pol. XXII 18 Liv. XXXVIII 45.

3) cf. Diod. XXXI 32 et 32[b] (Dind.), Polyb. XXXII 24. 25, Liv. perioch. 47. — Iustin. XXXV 1. 2. App. Syr. 47. — Mommsen, RG. II, 55.

4) Diod. XXXI 32 fin., maxime autem Polyb. XXXIII 6.

regno cedere coegit statimque legatos misit ad Prienenses, qui pecuniam publice a rege Cappadociae depositam nomine regis repeterent.[1]) Sed Prienenses se Oropherne excepto ulli homini pecuniam restituturos esse negaverunt. Quod cum comperisset rex Arariathes, una cum Attalo, qui iam diu cum Prienensibus agebat inimicitias, fines eorum vastavit urbemque ipsam acerrime oppugnavit, quoad in summum rei discrimen adducti Prienenses ad Rhodios mox ad Romanos confugerunt.[2]) Horum opera civitas cum regibus reconciliata esse videtur et Oropherni reddita est pecunia.[3]) Neque is civibus, qui egregiam ipsi fidem praestiterant, gratias referre neglexit. Statuam enim Minervae enormis magnitudinis, sed non magna arte confectam tunc ab Oropherne dedicatam esse nunc demonstratur nummis regis, quos in pavimento statuae insertos invenit Clarkius mercator Anglicus.[4]) Et si recte Furtwaengler gigantomachiam, quae in zophoro templi Prienensis insculpta erat, imitationem esse censet gigantomachiae Pergamenae celeberrimae, zophorum quoque Orophernis donum fuisse statuere licet.[5]) Haec acta sunt fere anno 155.[6])

Calamitates autem belli Cappadocii rursus secuta sunt felicia urbis tempora. Neque multo post controversia quoque illa Samiorum et Prienensium fausto eventu composita est. Anno enim 135 cum res iterum coram senatu tractata est, senatus Volsonis arbitrium delevit Rhodiorumque, quae Prienensi-

---

1) cf. Polybii verba l. l. *οὐ μὴν ἀλλ' ἕως μὲν τούτου τάχ' ἄν τις ἔχοι συγγνώμην αὐτῷ καταπειράζοντι τῷ δοκεῖν τῆς ἐκείνου βασιλείας εἶναι τὰ χρήματα.*

2) cf. Polyb l. l.

3) Diod. XXXI 32 fin. *ἅπερ ὕστερον ἀπέδωκαν.*

4) De hac re Newton, Numism. Chron. New Ser. XI p. 19. Ion. Ant. IV p. 25.

5) Furtwaengler, Archaeol. Zeitg. XXXIX p. 306 sqq., qui ipse zophori fragmenta Londinii inspexit. Similitudinem inter Prienensem et Pergamenam quae intercedit gigantomachiam agnovit, sed de tempore aliter statuit Overbeck, Griech. Plastik II, 102. 104 Newtonum secutus.

6) Ad hoc bellum decretum spectat quoddam IMB. 424, sed ita mutilum, ut nihil inde possit concludi.

bus favebat, restituit sententiam.[1]) Et huic fortasse tempori tribuenda sunt frustula tituli cuiusdam, in quibus locuntur homines antiquos Rhodiorum terminos restituentes.[2]) Ceterum in illo senatus consulto et Samii et Prienenses socii vocantur populi Romani.

Et hic iam finis imponendus erit disquisitionibus meis ad Prienensium historiam pertinentibus. Duobus enim annis postquam senatus consultum illud factum est, regnum Attalidarum Attalo mortuo a Romanis in provinciae formulam redactum est. Quae res earum quoque urbium Graecarum, quae ut Priene Attalidis non paruerant, condicionem valde immutaverit necesse est. Nam ut recte dicit Lamprecht, inde ab hoc tempore fata quidem urbes habebant, historiam habebant nullam. Quod si quis condicionem provinciae Asiae urbiumque Graecarum, qualis sub imperio Romanorum fuerit, cognoscere vult, Mommsenum adeat, qui in quinto Historiae Romanae volumine etiam de Asia uberius disputavit.[3])

Caput septimum.

De Prienensium institutis publicis.

Liberi urbis incolae dividebantur in cives et peregrinos, qui non, ut in aliis civitatibus Graecis *μέτοικοι*, sed *πάροικοι* vocabantur CIG. 2906, 8. *Ἐφημ. ἀρχαιολ.* 1886. III p. 222 A.

---

1) Fortasse recte statuit P. Viereck, Sermo graecus quo S. P. Q. R. in actis publicis usi sint examinatur. Gott. 1888, n. XIII rem iam anno 136 in senatu actam esse Rhodiorumque sententiam restitutam, deinde cum Samii 135 litem renovassent, latum esse decretum CIG. 2905 F = Leb. 195—198 = IMB. 405 = Ditt. 241 = Viereck XIV *ἡμῖν* (vs. 14) *οὐκ εὐχερὲς εἶναί ἐστιν μεταθεῖναι ὃ ὁ δῆμος ὁ Ῥοδίων . . . . κέκρι⟨κε κ⟩αὶ ὁρ⟨ισμὸν⟩ πεπόνηται κτέ.*

2) Lebas, As. min. 200—207, IMB. 406—408. Initium tituli fuisse videtur IMB. 408 [a] = Lebas 200. 201.

3) Lamprecht, de Erythr. rebus publ. p. 49. — Mommsen, RG. V p. 295—338. Marquardt, röm. Staatsverwaltung I, p. 333 sq., qui alios quoque indicat viros doctos, qui de hac re egerunt.

vs. 14. cf. *παροικεῖν* IMB. 410, 6. Cives in complures tribus distributi erant, ex quibus una fuit Pandionis, cuius nominis certa est restitutio IMB. 439, 1. Et si recte Hicksius stephanephoros, qui IMB. 415, 19. 27 commemorantur, Acamantem et Hippothontem non cives, sed heroes eponymos fuisse censet, Acamantidem fortasse et Hippothontidem tribus Prienes quoque exstitisse statuere licet. Utrum phylarchi tribubus praefuerint, necne, non constat cf. 401, 25.

Summa in civitate auctoritas apud senatum et populum erat. Ille rogavit, hic decrevit; unde fit, ut sollemni decreto formula praescripta sit *ἔδοξε τῆι βουλῆι καὶ τῶι δήμωι* et nomen eius qui rogationem tulerat. Huius rei exempla haec sunt: IMB. 413, 1 *ἔδοξε τῆι βουλῆι καὶ τῶι δήμωι, Εὐετί⟨ων⟩ Ἀπολλωνίου εἶπεν· ἐπειδὴ κτέ.* 415, 27 *ἐπὶ στεφανηφόρου Ἀκάμαντος, μηνὸς Ἀπατουριῶνος, Ἀναξίλας Λυκιδέως εἶπεν· ὅπως ἂν .... δεδόχθαι τῆι βουλῆι καὶ τῶι δήμωι κτέ.*, Journ. of hell. Stud. IV, 238 *ἐπὶ στ⟩εφανηφόρου Λεωμέδοντος, μηνὸς Ταυ⟨ρεί⟩ου* (cf. Journ. of hell. Stud. V, 61) *Λυσίας Πολυχάρους εἶπεν· ἐπειδὴ .....* vs. 14 *τύχηι ἀγαθῆι δεδόχθαι τῆι βουλῆι καὶ τῶι δήμωι.* Idem fuisse videtur 416, 9 ubi haec solum exstant *⟨ἐπὶ⟩ στ⟨εφα⟩νηφόρου Ἀκάμαντος, μηνὸς Μεταγε⟨ιτ| νιῶνος .... ἱ⟩σταμένου, Ἀ .... ἑου εἶπε·*

Sed potuit etiam sine senatus consulto iustum decretum fieri, si praetores populum rogaverunt. Tunc simpliciter decreto praemittitur *ἔδοξε τῶι δήμωι, γνώμη στρατηγῶν* et omittitur nomen eius, qui rem ad populum tulerat, sc. unius ex praetoribus. Exempla haec sunt 401, 1: *ἔδοξε τῶι δήμωι· γνώμ⟨η στρατηγῶν? ἐπειδὴ .... δεδόχθαι τῶι δήμωι* vel 415, 19 *ἐπὶ στεφανηφόρου Ἱπποθῶντος, μηνὸς Μεταγειτνιῶνος, ἔδοξε τῶι | δήμωι· γνώμηι στρατηγῶν* (de dativo *γνώμηι* cf. Hicksii adn.) — 420, 38 *ἔδοξε τῶι δήμωι· γνώμη⟩ στρατηγῶν· ἐπειδὴ ......* vs. 64 *δεδόχθαι τῶι δήμωι.* 427, 1 *ἔδοξε τῶι δήμ⟩ωι γνώμη στρα⟨τηγῶν.*

Si quod additamentum opus esse videbatur ad decretum priore tempore factum, id significabatur his verbis 415, 21 *τὰ μὲν ἄλλα εἶναι καθ⟨ὼς⟩ πρότερον ὁ δῆμος ἐψήφιστ⟨αι⟩.* Cete-

rum tabulae publicae in templo Minervae erant, quod et multis titulorum locis probatur 403, 87 413, 19 415, 34 416, 5 419, 27 et inde, quod decreta ad unum omnia inter templi rudera inventa sunt.

Licet fortasse, quoniam semel de decretis mentio iniecta est, brevem hoc loco addere enumerationem honorum, qui decretis conferuntur. Corona commemoratur IMB. 415, 7 *στέφανος ὁ ἐκ τοῦ νόμου* 413, 12 Journ. of hell. Stud. IV, 238, 17 *στέφανος ἀπὸ χρυσῶν χιλίων* 401, 13. Imagines tribuuntur 415, 10 *εἰκὼν χαλκῆ* 415, 1 *εἰκὼν χαλκῆ ἐφ' ἵππωι* 415, 22 *ἄγαλμα* Lysimacho 401, 13, cf. etiam 415, 1 et 420, 74, ubi de statuis Seleuci et Antiochi sermo est. Divinis honoribus afficitur Lysimachus qui *ἄγαλμα βωμὸν πομπὴν θυσίαν* accipit IMB. 401. Alii qui decernuntur honores sunt: sedes in prima cavea cum spectantur ludi 415, 2, aditus ad senatum populumque statim post sacra permissus ib., cena in prytaneo ib., immunitas corporis bonorumque ib. De cena in Panionio, quae ibidem commemoratur, supra dixi p. 184. Renuntiatio honorum, quae agonothetae committitur, primis Dionysiis fieri solet cf. 413, 14 415, 7 419, 22 420, 59. 70.

Magistratus Prienensium et publici erant et sacri, quorum illi collegiis *συναρχίαις* coniuncti erant, *πάσαις ταῖς συναρχίαις* *Ἐφημ. ἐπιγρ.* 1886 III, 223, 16. Itaque ubi omnes significandi sunt incolae, decretum 401, 21 enumerat *το⟩ύς τε ἱρεῖς καὶ τὰς συναρχ⟨ίας⟩ | καὶ τοὺς πολίτας πά⟨ντας.* Plerique magistratus annui fuisse videntur. De ratione et tempore electionis eorum nihil constat[1]) nisi hoc neopoeas electos esse ante agonothetas. Nam in titulo IMB. 419, 20 honorum renuntiatio, quae proximis Dionysiis Apolline stephanephoro fieri debet, agonothetae eius anni committitur, cuius nomen adhuc ignoratur *τὸν μὲν ἀγωνοθέτην ὃς ἂν ἦι | τότε ποιήσασθαι ἐπιμέλειαν.* Contra in fine tituli, ubi inscriptionis insculptio neopoeae traditur proximi anni, nomen eius Charmus additur vs. 29. *τῆς δὲ ἀναγραφῆς ἐπιμέλειαν ποιήσασθαι τὸν νεωποιεῖν μέλλοντα Χάρμον ἐπὶ*

1) cf. infra p. 216.

στεφανηφόρο⟨υ⟩ | *Ἀπόλλωνος*, is igitur tunc iam designatus erat. Ceterum magistratibus rationes muneris reddendas fuisse ex IMB. 413, 8 apparet. Singuli autem magistratus Prienensium quos novimus hi sunt.

Summum inter magistratus publicos locum obtinuisse videtur stephanephorus, ex quo annus nomen ducebat. Nam quod semel in Rhodiorum decreto legitur 403, 126 *ἐπὶ στεφανηφόρου τοῦ θεοῦ τοῦ μετὰ Νίκανδρον*, illum annum apparet boni ominis causa non stephanephori, sed dei nomine significatum esse. Quod saepius factum esse probat alius titulus IMB. 419, in quo vs. 29 *τὸν νεωποιεῖν μέλλοντα Χάρμον ἐπὶ στεφανηφόρου* | *Ἀπόλλωνος* legimus, et si vera est Hicksii de Hippothonte 415, 19 et Acamante 415, 27 416, 9 coniectura, etiam heroes in eodem honore habiti sunt. Optime autem hunc morem illustrant verba Livii, rectissime ex XXXII 25 ab Hicksio allata, qui de Argivorum re publica haec praedicat: „mos erat comitiorum die primo velut ominis causa praetores pronuntiare Iovem Apollinemque et Herculem.“ — Alia Waddingtonis est explicatio Asie min. 87ᵇ, quae titulis maxime Iasensibus nititur. Saepius enim in iis, si semel annus nomine stephanephori significatus est, e. g. *ἐπὶ στεφανηφόρου Μενίππου*, anni insequentes dei solum designantur nomine, cui deinceps additur *τοῦ μετὰ Μένιππον* vel *τοῦ δευτέρου, τρίτου κτἑ. μετὰ Μένιππον*. Exempla attulit Waddington p. 88. Hoc Waddington institutum esse censet, ne memoria civium nominum multitudine opprimeretur, sed certis quibusdam annis constitutis et stephanephori nomine indicatis reliquos, qui intercederent, numero tantum distinguere deberet. At ex IMB. 419, 29 apparet Prienes deum rite designatum esse, cui proximo anno traderetur stephanephoratus vel potius honor muneris: officia enim subiisse stephanephorum rite electum patet. Explicatio igitur Waddingtonis, cui fortasse locus est in Iasensium titulis interpretandis, in Prienensium inscriptionibus adhiberi nequit. — Ceterum nomen muneris sacram indicare officii originem recte monet Hermann, Gottesdienst. Antiq. § 24, 11. Stephanephororum nomina quae ex titulis novimus haec sunt:

Athenagoras 403, 65 (fortasse a. 301 a. Ch. cf. supra p. 199 sq.) Macareus 403, 125 (300 a. Ch.?) Lycus (297?) 403, 82 Nicander 403, 125 (283 a. Ch.?) Apollo (282?) ib. Hippothon 415, 19 Acamas 415, 27 416, 9 Demetrius 418, 1 Apollo 419, 29 Leomedon Journ. of hell. Stud. IV, 238, 2 Hegemon, Uliadis f. 408 (alterius a. Ch. saeculi) ..... Demetrii filius ib. (eiusd. aet.). Accedunt sat multa magistratuum nomina nummis incusa, quae composuit Percy Gardner IMB. III, 1 p. 53[b]. Adde Iasonem ex Welzl de Wellenheim, catal. no. 5599.

Archontem, cuius nomen in nummis quibusdam Mionn. Ion. 904. Suppl. 1381. 1382 ἐπὶ .... ἄρχοντος comparet, hoc loco omittere licet, quia nummi illi nunc imperatorum tribuuntur aetati cf. Head hist. num. p. 508.

Inter militares Prienensium magistratus praetores referendi sunt et hipparchae, qui IMB. 419, 33 curare iubentur, ut salvus in patriam redeat Alexandrinorum legatus. Sed praetorum his finibus non cohibitam fuisse potestatem inde intellegitur, quod causae inter Milesios et Prienenses actae coram praetoribus dicebantur 411, 10. Fortasse igitur ut Athenis archon polemarchus, ita Prienes praetores peregrinis ius reddebant. Praeterea 415, 12 honores publice decreti iis exsequendi traduntur. Cum populo agendi ius iis fuisse supra iam commemoratum est p. 212. — De arcis praefecto nihil scimus nisi hoc mercennariis, quos res publica conduxerat, eum praefuisse et arce egredi vetitum esse Journ. of hell. Stud. IV, 238, 9. Num idem reliquis quoque castellorum praefectis IMB. 403, 65 sqq. observandum fuerit, ignoratur.

Pecunias publicas, si recte legit Hicksius et supplevit litteras, quae paene evanuerunt, administravit ὁ ἐπὶ τῆς διο⟨ικήσεως 401, 24. Huic subditi erant οἰκονόμοι, quibus 415, 18 imperatur, ut pecuniam persolvant, quae consumatur in honoribus exsequendis.

Rem frumentariam, quam in omnibus Asiae civitatibus gravissimam fuisse ex aliis titulis apparet, Prienes curabant sitophylaces tres 413, 3. Iisdem ceterarum quoque

rerum, quae in foro frumentario venibant, cura commissa erat 413, 6.

Ludos publicos instituebat agonotheta idemque honores publice decretos diebus festis renuntiari iussit IMB. 413, 15 415, 9 420, 69.

Scriba denique commemoratur publicus 419, 21, qui decreta publica lapidi incidenda curabat.

Sacris magistratibus praeter sacerdotes, qui summatim 401, 21 nominantur, adnumerandi sunt hieropoei 401, 25 et neopoea. Hunc enim, quamquam publicorum interdum curam suscipit honorum 415, 34 416, 5 419, 29, tamen non publicum fuisse magistratum inde apparet, quod pecuniam consumptam urbi expensam ferre iubetur 415, 34 419, 29. Hieropoeorum officium in ipsis sacris perficiendis versatum esse videtur.

Magistratibus sacris adiungam dierum festorum et mensium enumerationem. Apaturia ut in omnibus praeter Colophonem et Ephesum urbibus Ionicis ita Prienes quoque acta esse testimonium docet Herodoti I 147 et mensis nomen Apaturionis. Semel Panathenaea occurrunt IMB. 401, 26, saepius Dionysia ludis publicis celebrata et spectaculis, inter quae commemorantur musica et tragoedorum certamina. cf. 413, 14 *ἐν ἀγῶνι τῶι μουσικῶι*, 420, 70 *αὐλητῶν τῶι ἀγῶνι τῶι παιδικῶι*, 415, 7 *τραγωιδῶν τῶι πρώτωι ἀγῶνι.*

Mensium apud Prienenses ordo ignoratur, singulorum quae inveniuntur nomina, haec sunt: Anthesterion 408, 3, Apaturion 415, 27, Metagitnion 415, 19. 416, 9. 426ª(?), Panemus 418, 1, Boedromion CIG. 2906, Taureus, ut videtur, Journ. of hell. Stud. IV, 238, 2 cf. V, 61 (ex Haussouillieri apographo.), nomen denique aliquod in *λων* 403, 44 exiens. Annum civilem a Boedromione coepisse Bischoffius putat, de fastis Graec. antiquioribus p. 397 (Leipz. Stud. VII. 1884) Hermannum secutus qui hoc ex verbis tituli CIG. 2906, 3 *τῆ(ι) δὲ νουμηνίαι τοῦ Βοηδρομιῶνος ἐν ἧ(ι) καὶ τὴν ἀρχὴν ἀνέλαβεν* conclusit. At primum hoc ut Athenis (Ideler Chronol. 1, 361), ita Prienes Romanorum demum aetate, cui inscriptio tribuenda est, institutum esse putare licet. Dein *τὴν ἀρχὴν ἀνέλαβε* vertendum

est munus recepit, propter morbum fortasse vel aliam quandam causam intermissum. Verbis igitur tituli cavendum est ne nimium tribuatur.

Haec fere sunt quae de institutis publicis Prienensium ex inscriptionibus eruere potui. In quibus consulto omisi similitudines afferre, quae hic illic inter Prienensium aliorumque civitates intercedunt. Hoc enim si voluissem, non unius vel alterius urbis, sed omnium Graecarum Asiae civitatum mores et instituta oportuisset tractarem: quod et magni fuisset laboris et ab hac disputatione alienum. Nec tamen illam prorsus denegaverim operam, sed posteris mandaverim temporibus: nunc finiendum est, nam suam cuique satis est diei esse curam.

INDEX LIBRORUM QUI SAEPIUS LAUDANTUR.

Bull. = Bulletin de correspondance Hellénique.
CIA. = Corpus inscriptionum Atticarum.
CIG. = Corpus inscriptionum Graecarum.
Ditt. = Sylloge inscriptionum Graecarum edidit Guil. Dittenberger Lips. 1883.
FHG. = Fragmenta Historicorum Graecorum ed. C. et Th. Mueller.
Hicks = A manual of Greek historical inscriptions ed. by Edward L. Hicks. Oxoniae 1882.
IGA. = Inscriptiones Graecae antiquissimae ed. Hermannus Roehl.
IMB. = The collection of ancient Greek inscriptions in the British Museum edited by C. T. Newton. I—III, 1.
Ion. Ant. = Ionian Antiquities published by the Society of Dilettanti Oxon. I. 1769. IV. 1881.
Mionn. = Mionnet, description de médailles antiques grecques et romaines Paris 1806—1808. (vol. III.) Supplément 1819—1837. (vol. VI.)
Mitth. = Mittheilungen des Deutschen archaeologischen Instituts zu Athen.
Rayet = Milet et le golfe Latmique par Ol. Rayet et Alb. Thomas.
Wadd.-Leb. = Voyage archéologique en Grèce et en Asie mineure fait... pendant les années 1843 et 1844 par Philippe Le Bas et W. H. Waddington. Cinquième partie: Asie mineure.

INDEX TITULORUM ET LOCORUM.

INDEX NOMINUM ET RERUM.

TABULA ARGUMENTI.

Zum ältesten attischen Volksbeschluss.

Die Bruchstücke des hochinteressanten Volksbeschlusses über die Kleruchie von Salamis, welche zuerst von Köhler (Mittheil. d. arch. Inst. in Athen IX S. 117 ff.) veröffentlicht (danach C. J. A. IV n. 1 a) und dann besonders von Foucart (Bullet. de corr. Hell. XII p. 1 ff.) mit Erfolg behandelt worden sind, lassen jetzt den Versuch einer vollen Wiederherstellung minder aussichtslos erscheinen, seitdem Lolling ein weiteres Stück zu den früher gefundenen hinzugefügt hat (*Δελτ. ἀρχ.* 1888 S. 117). Zwar enthält dies nur wenige Buchstaben, in vier Zeilen zusammen zehn; weil aber auch an ihm der obere Rand vorhanden ist, lässt es sich mit Sicherheit an die anderen Stücke anschliessen. Denn in Z. 3 verbinden sich die schon von Köhler richtig gedeuteten Reste *στρατ* mit den auf dem neuen Stück erhaltenen Buchstaben *αι*: unzweifelhaft zu *στρατ[εύεσθ]αι*. Damit ist aber zugleich für die 6 ersten *στοιχηδόν* geschriebenen Zeilen die Zahl von 34 Buchstaben so gut wie sicher gestellt.[1]) Denn in dem *σι*, das am Anfang von Z. 3 vor *τελε̃ν καὶ στρατ[εύεσθ]αι* steht, liegt jedenfalls der Rest von *σὺν Ἀθηναίοισι* vor, womit ebenfalls bereits Köhler

1) Lolling nimmt mit Zustimmung von Gomperz (Arch.-epigr. Mitth. aus Oesterr. XII S. 62) eine Buchstabenzahl von 40 an, weil sie in Z. 2 *ξὺν τοῖς Ἀθηναίοι]σι* und ausserdem *δέ* ergänzen. Letzteres wird bei meiner wie ich denke richtigeren Auffassung der jetzt zu Z. 2 gefundenen Buchstaben *λεν* hinfällig. Die Einsetzung des Artikels aber widerspricht dem festen Sprachgebrauch der attischen Urkunden, welcher ihn weder in jener Formel noch überhaupt vor dem Namen *Ἀθηναῖοι* kennt. Auch darin kann ich Lolling und Gomperz nicht folgen, wenn sie in *στρατεύεσθαι* das zweite *ε* durch Versehn des Steinmetzen ausgefallen glauben.

die ältere Fassung der später üblichen Formel *στρατεύεσθαι τὰς στρατείας καὶ εἰσφέρειν τὰς εἰσφορὰς μετὰ Ἀθηναίων*[1]) gewonnen hat. Hiernach glaube ich die ersten Zeilen des Beschlusses mit annähernder Sicherheit ergänzen zu können, wobei in Z. 3 das von Foucart, in Z. 5 das von Lolling[2]) gefundene dankbare Verwendung gefunden hat.

Unsicherer wird die Herstellung in der zweiten Hälfte der Inschrift, da diese nicht mehr *στοιχηδόν* geschrieben ist. Doch darf man trotz der verschiedenen Abstände der Buchstaben in diesen Zeilen eine Zahl von ungefähr 23 Buchstaben ansetzen, da in ihnen allen der neunte Buchstabe ziemlich genau unter dem je dreizehnten der oberen Zeilen steht. Besondere Schwierigkeiten machte der Anfang von Z. 9, für den nach Köhler's Facsimile die Buchstaben *αδε.οπια* festzustehen schienen. Köhler selbst vermuthete mit Vergleichung des homerischen *ῥωπήια* [*τ*]*ὰ δὲ* [*ῥ*]*ώπια*, worin Lolling folgte, ohne damit einen befriedigenden Sinn zu erzielen. Gomperz dagegen schrieb *ἒ*[*κτ*]*όπια*, was der Raum nicht zulässt.[3]) Aber ein Abklatsch, den ich besitze, zeigt, dass an dem unteren Ende des I ein Bruch in so schräger Richtung verläuft, dass mit gleichem Rechte ein L erkannt, also *ὅπλα* ergänzt werden darf.[4]) In Folge dessen sehe ich in den Z. 10 erwähnten 30 Drachmen nicht wie Foucart und Gomperz eine Strafsumme, sondern die Entschädigung, welche der Staat den

---

1) Daneben jetzt auch die vollere Formel *τὰς εἰσφορὰς εἰσφέρειν καὶ τὰ τέλη τελεῖν καθάπερ Ἀθηναῖοι καὶ τὰς στρατείας στρατεύεσθαι μετὰ Ἀθηναίων, Δελτ. ἀρχ.* 1888 S. 224 (vgl. ebda S. 223 *στρατευομένοις καὶ τε*[*λοῦσι τὰς εἰσφορὰς μετα Ἀθηναίων*]).

2) Correcter scheint das von Lolling gesetzte *τὸν μισθόμενον καὶ τὸν μισθόντα;* aber vor *ἑκάτερον* war die Wiederholung des Artikels am ersten entbehrlich.

3) Zwischen *ε* und *ο* kann nur ein Buchstabe gestanden haben, wie in den sogar etwas breiteren Lücken der beiden vorhergehenden und der beiden folgenden Zeilen.

4) Auf meinem Abklatsch glaubte ich sogar Reste des schrägen Striches wahrzunehmen; aber auf dem Steine sind sie nach Lolling's freundlicher Mittheilung nicht sicher zu erkennen.

Kleruchen für die ihnen auferlegte Beschaffung einer Kriegsrüstung gewährte. Denn nur den wohlhabenden Bürgern durfte zugemuthet werden sich selbst zu bewaffnen (Thuk. VIII 97, 1); schon nach Salamis aber wird man vorzugsweise ärmere Bürger geschickt haben, wie dies für die Colonie nach Brea ja bekannt ist. Danach könnte der ganze Volksbeschluss etwa folgende Gestalt gehabt haben:

ἔδοχσε τõι δέμοι [τὸν ἐΣα]λαμ[ῖνα λαχόντα
οἰκε̃ν ἐ(ν) Σαλαμῖνι [αἰεὶ π]λὲν [σὺν Ἀθηναίοι
σιτε[λ]ε̃ν καὶ στρατ[εύεσθ]αι ⁝ τ[ὸν δὲ κλε̃ρον μ
ὲ μισ[θ]õν. ἐὰ μὲ οἰκ[ε̃ι ʿολαχ]ὸ[ν ἐκε̃ τὸν κλε̃ρο
ν δὲ μισθοῖ ἀποτίν[εν τὸν μισθόμενον καὶ μ
ισθõντα ʿεκάτε[ρον τὸ διπλάσιον τõ μισθõ
ἐς δ[ε]μόσιο[ν. ἀπογράφεν δὲ ἒ ἄ
ρχο[ν]τα ἒ ἄν[δρα ἰδιότεν. ἐς τ
ὰ δὲ [ʿ]οπλα π[αρέχεν ʿεκάστοι τ
ριά[κ]οντα δρ[αχμάς. ἐκπορίζε
ν δὲ [τ]ὸν ἄρχο[ντα καὶ ἀποφαίν
εν ⁝ [ἐπ]ὶ τε̃ς β[ολε̃ς τὸ ἀνάλομα.

Z. 8 *ἄρχοντα ἢ ἄνδρα ἰδιώτην* und Z. 12 *ἐπὶ τῆς βολῆς* ist bereits von Köhler, Z. 11 *δὲ τὸν* von Kirchhoff vorgeschlagen.

Dass das Facsimile von Köhler insofern nicht ganz getreu ist, als es das E meist mit über den unteren Querstrich herabgehender Hasta zeigt, hat schon Gomperz bemerkt. Aber von Köhler's Zeitbestimmung abzugehen, sehe ich keinen Grund. Dass nach Salamis die Kleruchen sofort nach definitiver Besitznahme der Insel gesandt worden sind, scheint mir durch den Bericht bei Plutarch Solon 9 bestätigt zu werden, wonach 500 Freiwillige Solon die Insel zu erobern halfen *δόγματος γενομένου τούτους ἂν κατάσχωσι τὴν νῆσον κυρίους εἶναι τοῦ πολιτεύματος*, und dafür, dass unser Psephisma nicht wesentlich später fällt als die Einrichtung der Kleruchie, spricht mindestens ein gewisser Grad von Wahrscheinlichkeit. Der Ueberlieferung aber, welche die Erwerbung der Insel vor die Tyrannis des Peisistratos setzt, den Glauben zu versagen,

sind wir um so weniger berechtigt, als wir gerade aus dem Volksbeschlusse gelernt haben, wie für jene Zeiten den alten Geschichtsschreibern authentischere Quellen zu Gebote standen, als man bisher anzunehmen geneigt war. Mit ihr in bestem Einklange steht auch die andere Tradition, deren ältester Zeuge für uns Kratinos ist, dass Solon als Oikist von Salamis geehrt wurde. Als zu dauernder Sicherung des endlich errungenen Besitzes die Kleruchie angelegt wurde, verlieh die Bürgerschaft dem Solon jene Ehre in dankbarer Anerkennung des Verdienstes, welches er in einem früheren Stadium des Kampfes um dessen Wiederaufnahme sich erworben hatte. Denn einen vorausgegangenen Verlust der Insel setzt die doch in Solons Jugendjahre fallende Elegie Salamis unzweifelhaft voraus.[1])

1) Die gegentheilige Ansicht, welche besonders Töpffer Quaestiones Pisistrateae p. 51 f. vertritt, vermag ich mit den erhaltenen Versen 6 und besonders 8 nicht zu vereinbaren. Spätere Ausschmückung ist natürlich der geheuchelte Wahnsinn. Den Anlass dazu wird das *πιλίδιον* in Demosthenes' Erzählung (XIX 255) gegeben haben, welches man in gleicher Weise verstand, wie der pileus des Odysseus bei Hygin fab. 95 oder vielmehr in dessen Quelle nach R. Schöne's Nachweis (Hermes VI S. 125 f.) gemeint ist. Anders Usener Altgriechischer Versbau S. 114.

Die Gerichtsscene der Ilias.

Die Gerichtsscene auf dem Schild des Achill ist im letzten Decennium Gegenstand wiederholter Besprechungen gewesen, die bei mancherlei Abweichungen im Einzelnen doch alle in einer Auffassung übereinkommen, welche unleugbar etwas Bestechendes hat, und wenn sie sich bestätigte, auf die Entwicklung der Rechtsanschauungen bei den Griechen neues Licht werfen würde. Leider erweist sie sich bei näherem Zusehn als unhaltbar; aber auch von der herkömmlichen Deutung, für welche namentlich Schömann eingetreten ist, habe ich in der neuen Bearbeitung der 'Griechischen Alterthümer' in ein paar Puncten abgehn müssen. Die dort nicht mögliche Begründung mag hier in thunlichster Kürze gegeben werden.

Auf dem Markte vor versammeltem Volke

δύο ἄνδρες ἐνείκεον εἵνεκα ποινῆς Σ 498
ἀνδρὸς ἀποκταμένου· ὁ μὲν εὔχετο πάντ' ἀποδοῦναι
δήμῳ πιφαύσκων, ὁ δ' ἀναίνετο μηδὲν ἑλέσθαι.

Dass der jüngere Philostratos (*εἰκ.* 10 S. 126) die Stelle missverstanden hat, wenn er den Streit der Frage gelten lässt, ob der zur Last gelegte Mord überhaupt begangen sei, darüber ist man allerseits einig. Aber während nach der schon von den alten Erklärern aufgestellten Meinung es sich um die Frage handelt, ob das Wergeld erlegt sei oder nicht, fanden zuerst Passow und Münscher (Allgem. Schulzeitung 1829 II S. 579 ff.) und neuerdings wieder Hofmeister (Zeitschr. f. vergl. Rechtswiss. 1880 S. 443 ff.) vielmehr den Sinn in den Worten, dass der Todtschläger jedes beliebige Wergeld zu zahlen sich erbietet, der Andere aber sich weigert es anzunehmen. Ebenso dann

Dareste (Annuaire des études grecques 1884 p. 90 ff.), Leist (Gräco-italische Rechtsgeschichte S. 329 ff.), Leaf (Journal of hellenic studies VIII p. 122 ff.). Zuzugeben ist zunächst, dass *ἀναίνομαι* bei Homer gewöhnlich 'verweigern' heisst; aber für die andere Bedeutung bürgt doch das bekannte *ἀασάμην οὐδ' αὐτὸς ἀναίνομαι I* 116, wonach auch *ξ* 149 zu beurtheilen ist. Ob aber in *εὔχετο ἀποδοῦναι* der Infinitiv des Aorist, wie eine allerdings weit verbreitete Ansicht will, als Ausdruck der reinen, absoluten Handlung auch ein für die Zukunft Verheissenes bezeichnen könne, wird besser unten geprüft. Erschienen aber einmal beide Auffassungen als sprachlich gleich zulässig, so glaubte man für die jüngere eine doppelte gewichtige Erwägung in die Wagschale werfen zu dürfen. Einerseits schien bei ihr der Streitpunct selbst an Bedeutung erheblich zu gewinnen, während man es auffallend fand, dass der Dichter aus der *ποινῇ ἀνδρὸς ἀποκταμένου* [1]) nichts gemacht haben sollte, als eine gewöhnliche Schuldklage. Weiter aber berief man sich auf das *δήμῳ πιφαύσκων* und auf die folgenden Verse

λαοὶ δ' ἀμφοτέροισιν ἐπήπυον ἀμφὶς ἀρωγοί· 502
κήρυκες δ' ἄρα λαὸν ἐρήτυον.

Diese Haltung der beiden Parteien wie des Volkes lasse erkennen, dass eine Sache von weitergehendem Interesse verhandelt werde, die Frage, ob der Bluträcher zur Annahme des Sühngeldes zu verpflichten sei. Da somit es sich um den Kampf der alten Rechtsanschauung wider eine jüngere mildere handele, sei das Parteiergreifen des ganzen Volkes für den einen der beiden Theile vollkommen am Platze. Aber Hofmeister selbst, der diese Gesichtspuncte vorzugsweise geltend macht, muss einräumen, dass bei Homer sonst überall

1) Wollte man vor dieser Lesung des Zenodot und der *πλεῖσται* das *ἀποφθιμένου* des Aristarch bevorzugen, an dem selbst Didymos irre wurde, so würde doch der Sinn derselbe bleiben. A. Gemoll zwar (Jahresb. f. d. cl. Alterth. XXX S. 145) wollte *ἀνδρὸς ἀποφθιμένου* als Gen. subi. nehmen; das ist aber um so weniger statthaft, als Homer auch sonst bei *ποινῇ* nur den Gen. obi. kennt.

Annahme oder Nichtannahme eines Wergeldes in das freie Belieben der Angehörigen des Erschlagenen gestellt ist. Die Sühnung des vergossenen Blutes ist in der homerischen Cultur eben noch lediglich Sache der betroffenen Familie, und völlig unerweislich zum Mindesten bleibt es, ob die Entwickelung des Criminalrechts sich auf dem von Leaf vorausgesetzten Wege vollzogen hat, dass die freie Wahl in Annahme des Blutgelds eine Beschränkung erfuhr, die zur Abschaffung der Blutfehde den Weg bahnte. Der bezeichneten Schwierigkeit entgeht die Auffassung von Leist, welcher bereits der homerischen Zeit die Unterscheidung zuschreibt zwischen dem im Affect begangenen Todtschlag, welcher eine Sühne zulasse, und der vorbedachten Tödtung, welche sie ausschliesse; welcher von beiden Fällen vorliege, das sei die Frage, um die es in dem Rechtsstreit sich handle. Aber jene Unterscheidung ist in die einzig dafür angezogene Stelle von dem Verhältniss der *Λιταί* und der *Ἄτη* willkürlich hineingetragen. Selbst in dem attischen Blutrechte ist sie nicht zum klaren Bewusstsein gelangt und verhängnissvoll für Leist's ganze Auffassung von diesem Rechte ist der Irrthum geworden, dass jener Unterschied mit der Scheidung zwischen *φόνος ἀκούσιος* und *φόνος ἑκούσιος* sich decke oder mindestens *φόνος ἀκούσιος* im eigentlichen Sinne die im Affect begangene Tödtung sei.

Erweisen sich also die rechtlichen Erwägungen, welche nach Dareste die Entscheidung in der Frage zu bestimmen haben, ausser Stande, die ihnen zugewiesene Aufgabe zu erfüllen, so sehn wir uns auf die Hülfsmittel streng philologischer Interpretation zurückgewiesen. Da muss es zunächst ins Gewicht fallen, dass der Aoristinfinitiv bei Homer an den zwei andern Stellen, an denen er nach *εὔχομαι* vorkommt, sicher Präteritalbedeutung hat, wogegen in der Bedeutung 'geloben' (nur den Göttern gegenüber) das Verbum ebenso nur den Infinitiv des Futur im Gefolge hat, wie dieser auch bei den sonstigen Verben des Versprechens die Regel bildet; nur für den Infinitiv des Präsens bei *ὑπίσχομαι* lassen sich zwei nicht ganz sichere Belege beibringen. Einer Sprachbetrachtung

aber, welche sich dieser Instanz durch die Berufung auf die zeitlose Grundbedeutung des Aoristinfinitivs oder auf sein vereinzeltes Vorkommen nach ἔλπομαι (ἐλπωρή) zu entziehen sucht, kann ich um so weniger Berechtigung zugestehn, als der von Cavallin de temporum infinitivi usu Homerico p. 38 ff. und in erweiterter Fassung in der akademischen Abhandlung Aoristi infinitivus Homericus ad verba dicendi et sentiendi relatus num futurum tempus significet (Acta universitatis Lundensis XVII) dargelegte homerische Sprachgebrauch genau derselbe ist, wie ihn für das Attische Madvig in seinen zu wenig beachteten Bemerkungen über einige Puncte der griechischen Wortfügungslehre S. 34 ff. und nochmals Adversaria critica I p. 155 ff. erwiesen hat. Aber es giebt noch einen andern Weg das Verständniss der Stelle sicher zu stellen.

Vielumstritten ist auch der Sinn der Schlussverse

κεῖτο δ' ἄρ' ἐν μέσσοισι δύω χρυσοῖο τάλαντα 507
τῷ δόμεν ὃς μετὰ τοῖσι δίκην ἰθύντατα εἴποι.

Ist damit einer der rechtsprechenden Geronten oder der streitenden Gegner gemeint? Gegen die erstere Meinung glaubte Schömann (ant. iur. publ. gr. p. 73) einen doppelten Grund geltend machen zu können 'cum quod novo iudicio opus fuisset quo decerneretur cuiusnam sententia iustissima esset[1]), tum quod *δίκην εἰπεῖν* nunquam non de litigantibus dicitur.' Beide Gründe wiederholte nochmals unter Bezugnahme nicht auf Schömann, sondern auf eine Mittheilung von Shilleto P. M. Laurence im Journal of Philology (1879 p. 125 ff.) und fügte das dritte Argument hinzu, die Summe von zwei Talenten sei viel zu gross, um den Ehrensold eines Richters vorstellen zu können; ein Satz, dessen Anfechtbarkeit sofort von W. Ridgeway in derselben Zeitschrift (1882 p. 30 ff.) nachgewiesen wurde. Auch den von Schömann betonten Grund wird man nicht entscheidend finden, da er sich doch nur auf nachhomerische Belege stützen kann; noch weniger freilich die gegentheilige Behauptung Münscher's, dass der homerische Gebrauch von

1) Nach Gladstone Hom. Stud. S. 330 freilich hätte darüber das Volk durch Acclamation entschieden.

δίκῃ die Deutung auf die Parteien ausschliesse. Wenn *οἱ δὲ — δίκας εἴροντο ἄνακτα λ* 570 nichts anderes heissen kann, als 'sie fragten den Herrscher nach ihren Rechten', so ist auch für unsern Vers die Möglichkeit des *δίκην εἰπεῖν* im Sinne von 'sein Recht vortragen' nicht zu bestreiten, wie auch *Ἀχιλῆα δίκῃ ἠμείψατο Ψ* 542, wenn es anders ächt ist, nur mit Döderlein verstanden werden kann 'rechtend entgegnen'. Dass aber auch der Superlativ die Beziehung auf die streitenden Parteien nicht hindert, bedarf wohl nicht erst der Begründung. Somit wäre schwer zu einer festen Entscheidung zu gelangen, wenn sie nicht durch ein bisher übersehenes Moment ermöglicht würde, das in *μετὰ τοῖσι* gegeben ist. Dass das Pronomen nur auf die Geronten gehen kann, darüber ist ein Zweifel weder laut geworden noch überhaupt möglich. Die Bedeutung der Präposition aber lässt nur die Wiedergabe mit 'vor, bei' zu, und verbietet die Gleichsetzung mit einem Genetiv, wie sie die jüngere Deutung bedingen würde. Damit fällt aber zugleich die bei letzterer unerlässliche Auffassung der zwei Talente als Richterlohn, den man mit den *πρυτανεῖα* der attischen Gerichtshöfe oder mit der *παράστασις* der Diaiteten verglichen hat. Denkbar bleibt nur eine doppelte Möglichkeit. Entweder sind die zwei Talente der Gegenstand des Streites, das von dem Beklagten hinterlegte Wergeld, das er im Fall des Sieges zurückerhält, andernfalls dem Gegner zu überlassen hat, oder aber sie bedeuten ein Succumbenzgeld, das gleich der attischen *παρακαταβολή* oder dem römischen *sacramentum* vor Beginn des Rechtsstreits von beiden Parteien deponirt und von der verlierenden verwirkt wurde als *poena temere litigandi.* Von einer solchen kann aber natürlich keine Rede sein, wenn der Streit sich um Annahme oder Nichtannahme des Wergelds drehte, und da sonach vom Standpunct dieser Ansicht die in Frage stehenden Verse eine Erklärung überhaupt nicht zulassen, so muss die Ansicht selbst nothwendig falsch sein.

Besteht also die alte Auffassung vom Gegenstande des Streites allein zu Recht, so ist damit über die Beziehung der

zwei Talente noch nichts entschieden, das Urtheil hierüber vielmehr abhängig von Beantwortung der anderen Frage, wie der noch nicht erwogene Vers

ἄμφω δ' ἱέσθην ἐπὶ ἵστορι πεῖραρ ἑλέσθαι 501

zu verstehen, ob unter *ἵστωρ* ein Zeuge oder ein Schiedsrichter zu denken ist. Dass an der andern Stelle, wo das Wort gebraucht ist, *Ψ* 486 trotz Aristarch und Lehrs nur ein Schiedsrichter gemeint sein kann, dafür darf ich mich auf die einleuchtenden Bemerkungen von Pappenheim (Philol. Suppl. II S. 38) beziehn. Aber auch für unsern Vers ist schon von demselben Gelehrten betont worden, dass im vorliegenden Fall durch einen Zeugen sich doch nur die positive Behauptung des Beklagten, nicht aber die negative des Klägers erhärten liess. Und dazu tritt das Bedenken, das Dareste hervorhebt: wenn beide Parteien sich geeinigt haben, es auf eine Zeugenaussage ankommen zu lassen, wie kommt es dann doch zu dem *ἀμοιβηδὶς δικάζειν* der Geronten? Also sind wir in diesem Puncte von der Meinung der alten Erklärer, der Schömann, Nägelsbach Homer. Theol.[3] S. 266 u. A. folgen, abzugehn genöthigt. Damit hört aber der Streit zugleich auf, eine eigentliche Schuldklage zu sein und in den zwei Talenten haben wir nicht ein Succumbenzgeld, sondern den Gegenstand des Streites zu erkennen, wie Capellmann (schedae Homericae 1856 p. 16 f.) gesehn hat.

Nur ein Bedenken könnte hiergegen erhoben werden und ist besonders von Ridgeway a. a. O. betont worden. Die zwei Talente Goldes scheinen nach bekannten Stellen einen zu geringen Werth darzustellen, um als Wergeld zu gelten, da es doch anderwärts vom Mörder heisst

καί ῥ' ὁ μὲν ἐν δήμῳ μένει αὐτοῦ πόλλ' ἀποτίσας

(*I* 634). Aber dort ist vom Mörder des Bruders oder Sohnes die Rede und die Höhe des Blutgelds wird nach der Besonderheit des Falls verschieden bemessen worden sein, wie auch das altdeutsche Werigelt zwar durch Volksrecht bestimmt, aber sehr verschieden abgestuft war.

Wenn also gegen die bisherigen Ergebnisse ein begrün-

deter Zweifel schwerlich aufkommen kann, so ist nicht mit gleicher Sicherheit die letzte Frage zu entscheiden, wie das Verhältniss der nach V. 506 wechselnd ihren Spruch fällenden Geronten[1]) zu dem angerufenen Schiedsrichter zu denken ist. Hofmeister sah nach Andern in den erstern die Beisitzer, welche der ἵστωρ berufe, ohne sich der eigenen Entscheidung zu begeben. Aber ungleich näher liegt doch, wie schon Lucas (Philol. Bemerkungen 1843 S. 11) erkannte, die andere Annahme, dass es eben die βουλὴ γερόντων ist, auf deren Schiedsspruch die Parteien compromittiren; ob dieser mit Einstimmigkeit oder durch Mehrheit zu Stande kommt, danach haben wir nicht zu fragen. Recht also behält Hofmeister nur darin, dass die Existenz einer Schuldklage für Homer nicht zu erweisen ist. Aber dem rechtsgeschichtlichen Interesse unserer Scene thut es keinen Eintrag, dass es nicht ein eigentlicher Process, sondern ein Schiedsgericht ist, das auf ihr sich abspielt.

1) Denn dass der Vers nicht auf die streitenden Parteien geht, wie noch Döderlein wegen des ἤισσον wollte, beweist die schon bei Homer feststehende Scheidung zwischen δικάζειν und δικάζεσθαι.

J. H. Lipsius.

Druck von J. B. Hirschfeld in Leipzig.

LEIPZIGER STUDIEN

ZUR

CLASSISCHEN PHILOLOGIE

HERAUSGEGEBEN

VON

O. RIBBECK H. LIPSIUS C. WACHSMUTH

ZWÖLFTER BAND.

LEIPZIG

VERLAG VON S. HIRZEL

1890.

LEIPZIGER STUDIEN

ZUR

CLASSISCHEN PHILOLOGIE

HERAUSGEGEBEN

VON

O. RIBBECK H. LIPSIUS C. WACHSMUTH

ZWÖLFTER BAND

Zweites Heft.

LEIPZIG
VERLAG VON S. HIRZEL
1890.

INHALT.

Seite

DE CALLISTUS FABULA

SCRIPSIT

REINHOLDUS FRANZ.

ACCEDIT
DE ASTRONOMICO QUOD HESIODO ASCRIBITUR CARMINE
EPIMETRUM.

Callistus [1]) fabulam tractare paranti ex re mihi visum est nonnulla praefari, ne quis ignoret, quae materiae sit condicio, quod inquirentis fuerit consilium, qui quaestionis futurus sit ordo atque ambitus.

Fabula tenui ad nos pervenit memoria; neque id mirabitur, qui reputaverit Arcadum eam fuisse propriam, nationis poetarum semper sterilis, a frequenti finitimorum commercio arduo montium circumiectu exclusae, apud reliquos Graecos nunquam aut auctoritate potentis aut florentis notitia. Verum in angustis testimoniorum finibus maior, ut spero, exspectatione comparebit et varietas rerum et favor fortunae, utpote quae ex ingenti litterarum ruina satis multa reliqui fecerit, quibus collectis dispositis excussis etiamnunc possit fatorum formarumque fabulae recuperari imago, quamvis hic illic imperfecta, in universum tamen satis expressa. Hanc adhuc, quod sciam, nemodum exsecutus est; sed qui in hanc regionem devenere, eorum

1) 'Calisto' Romanos omnibus temporibus, nunquam 'Callisto', scripsisse Baehrens in Fleckeis. Ann. 1883 p. 787 contendit. Res ita sese habet, ut optimi libri in Propertio (Neap.) Ovidio Columella Charisio (I p. 127 K.) scripturam 'Callisto' exhibeant, altera deteriores plerumque illorum codices obsederit, sed etiam in Catulli fuerit archetypo, et regnet apud posteriores (Hyginum, scholia Vergiliana, al.). Inde unam formam legitimam constituere non fas est. Romani in scribendo Callistus nomine non magis sibi constitisse videntur quam Graeci; etenim ne apud hos quidem *Καλιστὼ* similesque formas defuisse inscriptiones docent (cf. Luc. Mueller ad Lucil. p. 240 sq.). Itaque ipse utar scriptura vulgata, in reddendis auctorum testimoniis optimum quemque sequar librum.

nemo omnia, vix unus alterque plura composuere, non disposuere testimonia, cum plerique satis haberent obvios dumtaxat nonnullos laudasse auctores; qui quae memoriae prodiderunt cum minime sufficerent ad cognoscendum, quid quoque tempore de Callisto narratum esset aut creditum, accidit, ut vel spectatae viri doctrinae per singulorum fabulae graduum, obscuriorum potissimum, inscientiam ad falsa iudicia deferrentur. Quae cum ita sint, fore confido, ut non litus videar, sed agellum araturus esse, qui fructus aliquid promittat.

Atque in animo mihi est fabulae texere historiam, quae si non erit plena — ad primordia enim tenebris obvoluta ascendere non conabor, quoniam in istas regiones inoffensum ferre pedem qui doceret nondum exstitit —, at omnia complectetur, quae de fabula per litteras propagata dicenda erunt.

Inquirendi igitur initium non ab initiis capiam fabulae, qualia cum omnium prope consensu Odofredus Müller constituit, sed ab eis veterum testimoniis, quae ut antiquissima ita nulli dubitationi obnoxia sunt, atque id agam, ut singulas fabulae formas ex litterarum signorumque monumentis, quotquot ex antiquitate relicta mihi innotuerunt, indagatas quam maxime potero refingam et explorem, quo auctore aut quando fere et quo modo ortae sint ac quatenus pertineant. Ordinem, quantum per rem licebit, sequar temporis. Semel autem atque iterum in deverticula ferar: oportebit enim ad exsequendam fabulae historiam accuratiora quam adhuc factum est invenire cum de epitomis ex Ovidii Metamorphoseon libris confectis tum de astronomico quod Hesiodo ascribitur carmine ab aliis aliter aestimato, quod tamen, ne quaestionis tenorem nimis tardarem, in fine malui separatum tractare.

Haec praemonenda censui, si quis mihi aliquatenus vellet comes exsistere iamiam viam ingredienti per ruinas plerumque ac spinas flexuosam, rarius per amoena cultaque loca rectam, in qua si forte in praetereundis non nunquam nimis commoratus, in arduis etiam lapsus videar, venia mihi sit primos gressus temptanti.

I.

§ 1.

Primum audire iuvabit, qualem Callistus fabulam antiquissimi narraverint POETAE EPICI ET GENEALOGI. At haud ambiguis testimoniis destituti primo quidem certi nihil possumus reperire et plane in tenebris erraremus, nisi de origine saltem Callistus quae singuli tradidissent, scriptum legeremus in Apollodori quem finxerunt Bibl. III 8, 2, 2: *Εὔμηλος δὲ καί τινες ἕτεροι λέγουσι Λυκάονι καὶ θυγατέρα Καλλιστὼ γενέσθαι· Ἡσίοδος μὲν γὰρ αὐτὴν μίαν εἶναι τῶν νυμφῶν λέγει, Ἄσιος δὲ Νυκτέως, Φερεκύδης δὲ Κητέως* [1]). De Hesiodo quidem plura et accuratiora quaestio, cum processerit, aperiet: ceteri quae praeter genealogiam de Callisto prodiderint, obscurum manebit. Ex varietate autem sententiarum permagna colligendum principio Callistus et personam et fabulam ab omni conexu solutam permansisse et postea demum parentes eius inventos esse ab aliis alios. Quod vero puellae ne nomen quidem ipsum constat, sed eadem referuntur ab Istro frg. 57 (FHG I p. 426) de Themisto quadam, ab Ariaetho Tegeata frg. 1 (FHG IV p. 318) de Megisto, Cetei filia et nepte Lycaonis, documento est, quantopere apud Arcades fabula viguerit, cum alibi aliis vel alii — si forte Istri memoria non ex Arcadum traditione sit repetenda — nomini adhaereret. Neque id mirum. Communia enim nationis celebrabat initia. Namque eius summa, qua omnes inde a principio consentiunt, haec est, ut sive nympha sive regis filia, comes Dianae, ab Iove compressa Arcadem pepererit, a quo reges originem, natio nomen trahebat; quae fabulae vis sera demum aetate neglecta est, ubi exstitere, qui

1) Pugnat cum hoc loco Eratosthenes, qui Hesiodum scripsit Callisto Lycaonis filiam perhibuisse (cf. Erat. Catast. rel. ed. Rob. p. 50). Cuius difficultatis solvendae Robert triplicem viam proposuit in Eratosth. Catast. rel. p. 238 adn. 2. Longe ceteris praeferenda et praelata ab ipso Roberto ea est, ut Eumeli et Hesiodi nomina inter se commutentur. Eodem modo alter Bibliothecae locus iam ab Heynio est sanatus; vidit enim II 1, 3, 3 Pherecydis et Asclepiadis nomina inter se transponenda esse.

cum matre filium puerilibus annis ad caelum abreptum esse audacter fingerent.

§ 2.

Cum Arcade Panem coniunxit artissimo consanguinitatis vinculo Epimenides. In catalogo enim, quo Panis genealogiae enumerantur quemque Rob. Münzel in Quaest. mythogr. Berol. 1883 emissis p. 16 refinxit et ex doctis Apollodori *περὶ θεῶν* libris fluxisse demonstravit, etiam haec sunt: *Ἐπιμενίδης δὲ Καλλιστοῦς καὶ Διὸς παῖδας γεγενῆσθαι Πᾶνα καὶ Ἀρκάδα διδύμους* (sc. *φησίν*), ab Ottone Kern [1]) Epimenidis assignata theogoniae (frg. 6 p. 65), quod carmen saeculo sexto exeunte conditum esse idem probavit. Nymphis qui Callisto adnumerarent, olim fuisse supra audivimus: horum opinionem Creticum quoque poetam secutum esse inde fit veri simillimum, ne dicam certum, quod, quantumvis de Panis parentum nominibus sententiae inter se discedant, in hoc tamen magnus consensus apparet, quod nympha [2]) fertur Panis mater fuisse aut certe nutrix.

1) In libello, quo de Orphei Epimenidis Pherecydis egit theogoniis, Berol. 1888.

2) In ipso catalogo triplex memoria notatur, qua Pan nympha natus perhibetur, atque etiam *Πηνελόπη*, quam praeterea illic nominatam invenimus quamque vulgo credebant ex Mercurio Panem genuisse (cf. Herod. II 145. Plut. de def. or. 17), cum ex Apolline vellet Pindarus (cf. catal. Apollod. = frg. 100 Bgk) et ex procis omnibus Duris Samius (FHG II p. 479 frg. 42), — etiam haec olim nympham significasse videtur nomine a texenda tela deducto (cf. Preller Myth. Gr. I[3] p. 616 et Welcker Doctr. d. Gr. II p. 657). Plerumque vero hanc Penelopen confusam videmus cum Icarii filia (iam ab Herod. II 145). At pristina eius natura sub ipso antiquitatis exitu rursus emergit apud Nonnum XIV 87 sqq.:

τοῖσιν ἔσαν δύο Πᾶνες ὁμήλυδες, οὓς τέκεν Ἑρμῆς
κεκριμένῃ φιλότητι μιγεὶς διδυμάοσι νύμφαις·
τὸν μὲν — — —
τὸν δὲ νομαῖς οἴων Νόμιον φίλον, ὁππότε Νύμφης
δέμνιον ἀγραύλοιο διέστιχε Πηνελοπείης.

Mortali patre natam Panis matrem finxisse solus omnium videtur, qui posterioris aetatis est, auctor Homerici in Panem hymni (XIX 34, ubi *νύμφης* nomen, quod nonnulli retinent [cf. Ludwich in Mus. Rhen. 42 p. 555], corruptum existimo, quoniam argumento [cf. *ἀνδρὶ παρὰ θνητῷ* et *τέκε δ'*

§ 3.

Hanc tam memorabilem genealogiam, qua heros est cum deo copulatus, auctor gentis cum deo indigena et honoratissimo antiquissimoque Arcadum [1]), ascivisse videtur, qui Epimenidi aetate proximus est, Aeschylus. De hoc enim in eodem illo catalogo sub finem haec proferuntur: *Αἰσχύλος δὲ δύο Πᾶνας, τὸν μὲν Διός, ὃν καὶ δίδυμον, τὸν δὲ Κρόνου* (sc. *φησίν*). Agitur de interpretatione nominis *δίδυμος*. Welcker in Doctrina deorum Graec. (II p. 659 adn. 20) Panis videtur agnoscere cognomen; comparat enim Apollinem Didymaeum (qui *ἀπὸ Διδύμων τῆς Μιλήτου τόπου* dicebatur, ut est in schol. ad Aristoph. Lys. 1281) [2]) et Amyclaeum (quem *τετράχειρα καὶ τετράωτον*, quodammodo igitur geminum fuisse Sosibius tradidit apud Zenob. I 54) [3]). Ad quam sententiam haud dubie inductus est initio fabellae ex collectione fabul. Vindob. petitae, quam ad hunc locum illustrandum affert. At initium istud non vidit corruptum esse. Quid scribendum sit, optime intelleges, si fabellam cum ipso eius fonte composueris:

ἐν μεγάροισι] repugnat). Nympha enim vix est dubium quin et ea intellegenda sit, quae Panis vaticinantis dicitur parens fuisse in Apollod. Bibl. I 4, 1, 3 *Ἀπόλλων δὲ τὴν μαντικὴν μαθὼν παρὰ τοῦ Πανὸς τοῦ Διὸς καὶ Θύμβρεως* (sic enim editores cum Aegio pro codicum lectione *ὕβρεως*, quam etiam Tzetzes ad Lycophr. 772 habet hinc nimirum petitam, cum illud exstet in Argum. Pind. Pyth. et ipsum se commendet fabellam spectanti, cf. Heyne ad Apollod. et Welcker Doctr. d. Gr. II p. 659, qui tamen erravit, cum Panem etiam Hybris et Mercurii filium a veteribus dictum esse scripsit p. 665). Denique de nymphis Panis nutricibus vide Paus. VIII 30, 3; et de eisdem cum Pane cultu coniunctis vide Paus. I 34, 3 et X 32, 7, cf. etiam Welcker Doctr. d. Gr. II p. 664. Conze, 'Heroen- u. Göttergestalten' t. XXII. 'Mitth. d. d. arch. Inst. in Ath.' V p. 208, t. VII. 'Bull. de corr. hell.' V p. 351 sqq., t. VII.

1) *Ἐπιχώριος* audit apud Paus. VIII 26, 2, *θεῶν ἀρχαιότατός τε καὶ τιμιώτατος* apud Dion. Hal. I 32. Cf. etiam Paus. VIII 37, 11 *θεῶν δὲ ὁμοίως τοῖς δυνατωτάτοις καὶ τούτῳ μέτεστι τῷ Πανὶ ἀνθρώπων τε εὐχὰς ἄγειν ἐς τέλος καὶ ὁποῖα ἔοικεν ἀποδοῦναι πονηροῖς*, et quae id. VIII 31, 3 ex epigrammate refert.

2) Cf. Welcker I p. 527. Enger ad Arist. l. l.

3) Cf. Welcker I p. 472 sqq.

Coll. fab. Vindob.	Serv. ad Georg. III 391
'Dan sive Didimon [*Welcker legi iubet:* Pan sive Didymos] amasse dicitur Lunam. Qui spretus pavit pecora candidissima,	'Mutat fabulam: nam non Pan, sed Endymion [dyndimion *V.*] amasse dicitur Lunam. Qui spretus pavit pecora candidissima et sic eam in suos inlexit amplexus: cuius rei mystici volunt quandam secretam esse rationem.' (INTERPOL.: 'Fabula sic est: Pan cum Lunae
et ut Lunae formosus videretur, niveis velleribus se circumdedit atque eam ita ad rem veneriam allexit.'	amore flagraret, ut illi formosus videretur, niveis velleribus se circumdedit atque ita eam ad rem veneream illexit.' — —).

Subtracto autem isto adminiculo Welckeri sententia quo fulciatur non habet. Licet igitur eam mittere, praesertim cum alia se offerat multo simplicior ac vero propior. Nam qui in catalogo modo legit Epimenidem Panem et Arcadem *διδύμους* appellasse, is nonne statim coniciat hic eandem necessitudinem designari? Sed hoc sensu scriptor si verba accipi voluit atque intellegi — nec de alio cogitare licet nisi inania captanti —, fratris nomen omittere, si quid sentio, non debuit. Quod cum perspiceret, Fr. Vater in Rhesi fabulae edit. p. 86 Arcadis nomen e voculis *ὃν καὶ* eliciebat. At lenius locus sanatur, si post *δίδυμον* nomen *Ἀρκάδος* excidisse statuimus. Quam coniecturam nihil difficultatis habere quivis concedet, cum turbatam lacunosamque condicionem scholii ad Rhesi v. 36 perscripti, cui hanc catalogi particulam debemus, inspexerit. Qui neque mutet quidquam neque inserat [1]), aut de intellegendo desperet necesse est aut sumat Aeschylum nuda Gemelli appellatione usum esse, ut Panem alterum ab altero distingueret. Id tamen

1) Sic Münzel l. l. et Frid. Wieseler in Commentatione de Pane et Paniscis Ind. schol. Gott. 1875 praemissa p. 20; sed uterque haud dubie commotus est initio illius fabellae a Welckero collato, in quo Didymi nomen corruptela ex Endymionis nomine ortum esse supra ostendi.

minus credibile. Gemellos enim esse Panem et Arcadem cum praeter Epimenidem nemo tradiderit, arbitrari non licet Aeschyli aequalibus ita constitisse, ut tale nomen [1]) audientibus pateret. Itaque aut gravior latet corruptela aut scribendum est ὃν καὶ δίδυμον ⟨Ἀρκάδος⟩. Ergo si minus certum, attamen veri simillimum est Aeschylum Epimenidis auctoritatem amplexum esse, cum de Arcadis ortu diceret. Dicere autem de eo debuit in ea fabula, quae *Καλλιστώ* inscripta erat, quanquam, huius argumentum quale fuerit, prorsus ignoramus. Nam praeter titulum in fabularum indice, quem cod. Medic. servavit, commemoratum unum tantummodo superest frustulum, quod Hesychio debemus, hoc: *Πανίας βήσσας· ὡς ἀπὸ τοῦ Πανός· Αἰσχύλος Καλλιστοῖ* (frg. 98 N[2].). Unde nihil discimus nisi, id quod per se patet in tractatis Callistus rebus, de montibus sermonem fuisse Arcadiae, quoniam Pan in his credebatur versari.

§ 4.

Sed paulo post *duplicem* aperte deprehendimus fabulae formam. Quarum *altera* haec est, ut Callisto conversa esse feratur in ursam. Quae narratio cum non solum testium ampliore nitatur numero, sed etiam retineatur, ubicunque fabula aut immutata aut ad aliam personam translata est, dominata esse inter Graecos arguitur. Significavit eam, nunc quidem antiquissimus nobis testis, Polygnotus Thasius, cum in porticu Delphica inferos pingeret. Haec enim refert Paus. X 31, 10: *Τῶν γυναικῶν ἀνωτέρω τούτων ἐστὶν ἡ Λυκάονος Καλλιστὼ καὶ Νομία τε καὶ ἡ Νηλέως Πηρώ· — — τῇ Καλλιστοῖ δὲ ἀντὶ μὲν στρωμνῆς ἐστὶν αὐτῇ δέρμα ἄρκτου* [2]), τοὺς

1) *δίδυμον* mulieres Apollinem invocant in Arist. Lys. 1281; quod unum est huius appellationis exemplum, sed hoc quoque, quamvis plana sit in Apolline appellatio, a nonnullis in dubitationes vocatur.

2) Tali nota Polygnotus in compluribus figuris usus est, ut vivorum aut fortunae aut naturae spectantes commonefaceret, velut in Actaeone Aiace Phaedra et in Eurynomo, de quibus vide Ottonem Jahn in Stud. philol. Kiliensibus 1841 p. 125. Joannes Bolte in diss. de monum. ad Odysseam pertin. Berolinensi 1882 p. 43 apte confert apostolos Christianos et martyres tormenta, quibus necati sunt, tenentes.

πόδας δὲ ἐν τοῖς Νομίας γόνασιν ἔχει κειμένους. ἐδήλωσε δέ μοι τὰ πρότερα τοῦ λόγου φάναι τοὺς Ἀρκάδας Νομίαν εἶναί σφισιν ἐπιχώριον νύμφην[1].

Altera forma de amissa quidem specie humana nihil habet, sed sagittae ictu Callisto interfectam facit a Diana virginitatem non conservatam ulciscente. Legimus hanc primum breviter indicatam in Homeri et Hesiodi quod proprie dicitur certamine, quam mediam cognominis tractatus Hadriani aetate compilati partem ex Alcidamantis sophistae, Gorgiae discipuli, *Μουσείῳ*, quanquam non plene, transcriptam et ab eodem illo esse compositam probavit Fridericus Nietzsche in Mus. Rhen. XXV p. 536 sqq. et XXVIII p. 220 sq. Versus autem sunt hi (111 sq.):

ΗΣ. αὐτὰρ ἐπεὶ δμήθη γάμῳ, Ἄρτεμις ἰοχέαιρα —
ΟΜ. Καλλιστὼ κατέπεφνεν ἀπ᾽ ἀργυρέοιο βιοῖο.

Memoria huius formae multo minoris est ambitus quam illius. Nam praeter brevem mentionem in Apoll. Bibl. III 8, 2, 4 diversae narrationi insertam haec in litteris saltem praeterea nusquam reperitur; in nummorum aliquot Arcadicorum signis an agnoscenda sit, postea erit videndum.

Interim redeamus ad *priorem* formam, ut hanc, quam maxime fieri poterit, exploremus et exsequamur. Antiquissimum, quem nunc quidem afferre liceret, testem supra nominavi Polygnotum. At fuere, qui eam aliquanto prius in Arcadia ipsa expressam sibi viderentur invenisse.

§ 5.

Exstant enim *nummi* aliquot, quia litteris *ΜΑ* signati sunt et totius numeri haud exigua pars prope Tegeam reperta est (cf. 'Revue numism.' 1874 p. 167), Mantineae assignandi, qui in antica parte ursam vel si mavis ursum exhibent sinistrorsum gradientem, in aversa aut quadratum aut triangulum incussum,

1) Quo consilio Polygnotus Callisto cum Nomia et Pero composuerit, obscurum est. O. Jahn p. 117 sic iudicat: 'Betrachtung der Natur und des in ihr webenden und lebenden Geistes in den betreffenden Sagen — — in ihr glaube ich das Band zu finden, welches diese 3 Figuren — — zu einer bedeutungsvollen Gruppe vereinigte.' Mera vero somnia protulit Bachofen ('Der Bär in den Relig. d. Alterth.', Basil. 1863 p. 22).

illud aut litteras *MA* aut delphinum aut tridentem, hoc tres glandes continens (cf. Imhoof-Blumer, 'Monn. grecques' p. 198 No. 230—232. Head Hist. num. p. 376). Ad quos ii accedunt, qui in antica parte caput habent ursae sinistrorsum spectans, in aversa glandem (cf. Imhoof-Blumer No. 233. 234. Head ibid.). Ex illo numero qui in aversa parte effigiem delphini aut glandium ostendunt, eos Adr. de Longpérier ('Revue numism.' 1874 p. 166 sq.) propter antiquam litterarum formam aetati tribuit Aeschyleae; omnes intra annos 500 et 400 collocavit Head l. l. Ursam autem omnes fere, qui de his nummis scripserunt, postquam de la Saussaye ('Annal. de l'inst. arch.' 1845 p. 102) praeivit, ad Callisto rettulerunt, cum ex eis, quae Paus. VIII 36, 8 tradit (*καὶ τὰ ὀστᾶ Ἀρκάδος τοῦ Καλλιστοῦς ἀνείλοντο ἐντεῦθεν* [sermo est de Maenalo] *κατὰ τὸ ἐκ Δελφῶν μάντευμα οἱ Μαντινεῖς*) et quae idem plura exponit VIII 9, 3, colligerent matrem Arcadis Mantineae peculiari honore et cultu floruisse. Quae interpretatio si certa est ac necessaria, multum sine dubio lucramur; nam rato tum comperimus testimonio in ipsa Arcadia circa Persarum bella eam narrationem, qua Callisto ursa facta esse ferretur, quoniam publica auctoritate sancitam videmus, regnasse, si minus per totam nationem multiplicem, at certe in praestanti eius parte. Sed enim vereor, ne spe nos inani interpretes frustrati sint. Nam fundamenta illorum opinionis ubi quaerimus ac circumspectamus sintne idonea, non diu latet nulla omnino subesse.

Ursa enim, cuius effigiem Mantinenses in adversa nummorum, quos primos percussisse videntur, parte exprimendam curaverunt, contemplantis animum necessario ad varias illas revocat animalium figuras, quas antiquiore aetate in plerisque Graecorum nummis invenimus, quorum species his de quibus agimus simillima est, cum et illi in hac parte animalis figuram, in illa quadratum incussum exhibeant; quam formam antiquissimam Mantinenses in eo tantum deseruerunt, quod quadratum aut triangulum signis aut litteris expleverunt. Illorum autem animalium quae sit vis ac notio, nunc inter omnes rei nummariae peritos constat. Postquam Ern. Curtius in Menstr. acad. Berol. 1869 ('Ueber den relig. Charakter d. griech. Münzen') iterum-

que in Dissert. acad. Berol. 1874 ('Ueber Wappengebr. u. Wappenstil im gr. Alterth.') praeclare rem illustravit, perstrinxit W(eil) in Baumeisteri Monumentis p. 934: postremus eam exposuit Head in Hist. num. introd. p. XXXV et LVI sqq. Qui p. XXXV, ubi nummorum cudendorum descripsit initia, secundum gradum, quo a rudi nota ad certa signa transitum est, sic depingit: 'Subsequently the art of the engraver was called in to adorn the lower of the two dies, which was always that of the face or obverse of the coin, with the symbol of the local divinity under whose auspices the currency was issued, the gods being as it were called to witness to the good weight and purity of the coin. This symbol — — consisted usually of the figure of an animal or of the forepart of an animal, or of some inanimate object, heads and figures of gods and men being rare or unknown in the earliest period.' Hic signorum usus quamdiu obtinuerit, idem docet p. LVII his verbis: 'All through the history of free and independent Greece, and even until the death of Alexander the Great, the main object of the coin-type was to place before the people an ideal representation of the divinity most honoured in the district in which the coin was intended to circulate.' Neque igitur nasci potest dubitatio, quo sensu ursae effigies accipienda sit: animalis figura quodammodo vice numinis ipsius fungitur, cuius postea imago locum symboli occupat. 'It was of course necessary', inquit ille p. LVI, 'that the coin-type should consist of a generally intelligible device, which might appeal to the eyes of all as the sacred emblem of the god whose dreaded name was thus invoked to vouch for the good faith of the issuer.' Iam si quaeris, quod numen effigie significetur ursae, deam, cuius fabulas cultumque ursa contingat, solam reperio Dianam. Huic vero illam apud Arcades fuisse dicatam aperto testimonio non constat, sed comprobari potest coniectura.

A certis ut proficiscar, exordiar a fabulis: Erant Arcadum clarissimae, quae de Callisto et de Atalanta ferebantur; in utraque ursa partes agebat; nam huic narrabatur mammam

praebuisse a patre expositae (cf. Apollod. Bibl. III 9, 2, 2. Ael. V. H. XIII 1), Callisto dicebatur in ursam esse conversa. Atqui haec erat Dianae comes, utraque deae natura simillima, ut cum Odofredo Müller (Dor. I² p. 376) non temere plerique iudicent utramque ipsius esse deae formam separatam. Ergo id apparet in prisca religione ursam necessitudine quadam cum Diana coniunctam fuisse, siquidem incredibile est lusum fabulae popularis in eo agnosci, quod puellae pulcherrimae turpibus cum ursis consociatae sint[1]), nec potius inde ursae partes esse repetendas, quod priscis illis hominibus, apud quos fabularum initia quaerenda sunt, dea, cuius habitum moresque et Atalanta et Callisto referunt, cum ursa ratione quadam visa sit cohaerere. Quae ratio vix alia potuit esse nisi ea, ut ursa deae sacra duceretur[2]). Neque id miraberis. Nam ubi nobilius leonum genus deest, illic ursa[3]) animalium est princeps, ut ursus Germanis olim habebatur eorum rex; consentaneum igitur eam deae potentissimae, venatorum patronae, dicatam fuisse, in ea praecipue terra, quae illam ipsam deam maxime omnium coleret atque etiam, cum scateret montibus silvis feris, studium venandi semper foveret et aleret. Num cultus quoque apud Arcades huius opinionis vestigia servaverit, ignoramus[4]); permultis vero eadem religio

1) Hoc modo istarum narrationum, quibus etiam quae de Paridis infantia similia ac de Atalantae narrantur adiungit, originem explicare conatur Otto Keller ('Tiere d. klass. Altert.' 1887 p. 108 sq.), cum dicit: 'Der Humor der Volksdichtung zeigt sich darin, dass gerade nur die schönsten Leute mit dem plumpen, garstigen Bären in nächste Beziehung gesetzt werden — — gerade so werden in den deutschen Märchen die schönsten Prinzessinnen in ekelhafte Kröten verwandelt.' Sed aliam produnt sententiam popularia haec commenta nec cum Arcadicis iam potest componi quae de Paride exposito est fabula, quia Robert ('Bild und Lied' p. 233 sqq.) eam V demum saeculo a tragicis Atticis (a Sophocle, ut videtur) inventam esse probavit.

2) Sic etiam Cybele fingebatur a bestiis sibi consecratis nutrita esse, postquam a patre esset exposita (cf. Diod. III 58, 1. 59, 8).

3) Ursos, ut auctor est Paus. VIII 23, 9, saltus Arcadici etiamtum omnes habuere.

4) Nescio, quo iure E. Curtius ('Stud. z. Geschichte d. Artemis' in Relat. acad. Berol. 1887 p. 1179) contendat: 'Die ἀρκτεία, welche die arkadischen Dienste mit den attischen verbindet.'

subesse visa est sollemni illi ritui, quo puellae Atticae teneris annis Dianae Brauroniae Munichiaeque sacra peragebant, ἄρκτοι vocatae [1]). At sunt qui negent illam puellarum appellationem cum ursae nomine ullo modo cohaerere. Quae a deae aditu non essent exclusae, maluit intellegi K. Lehrs ('Popul. Aufs.'² p. IX), cum ἄρκτοι contractum esse vellet ex forma ἄερκτοι. Quae tamen coniectura stare nequit [2]). Probabilius vero est, quod cum Lobeckio (Aglaoph. p. 74 adn.) nuperrimus statuit ampliusque confirmavit Otto Keller ('Tiere d. klass. Altert.' p. 110): 'Die Bären, ἄρκτοι, genannten Mädchen der Artemis sind vielmehr Eingeweihte, ἀρκτοί, die in der allerältesten rohesten Zeit offenbar geopfert wurden, während eine spätere mildere Zeit sich mit dem symbolischen Opfer, wie es in den Satzungen des Vestalinnentums liegt, begnügte.' Cui interpretationi, etsi simplex verbum ἄρχεσθαι hac notione usurpatum nemo monstravit nec sine exemplis est puellarum appellatio vulgari sensu accepta [3]), nonnulla tamen favent; certe

---

1) Testimonia collegit et ex eis sacra descripsit explanavitque post alios (cf. Gerhard Myth. Gr. § 331, 1) Welcker in Doctr. deor. I p. 571 sqq. Nonnulla correxit aut magis exsecutus est Aug. Mommsen in Heortol. p. 406 sqq. Alia pauca addidit Schoemann in Antiqu. Gr. II³ p. 480 sq. Sacra habuisse venationis speciem coniecit Frid. Back in diss. de Graec. caerimoniis in quibus homines deorum vice fungeb. Berol. 1883 p. 26. 28.

2) Notum est Lehrsium eorum sententiam acriter impugnasse, qui religiones Graecorum ad naturam revocarent (cf. 'Popul. Aufs.'² p. 261); eisdem ut argumentum eriperet, istam nominis interpretationem protulit. At fieri potuisse, ut quae ἄερκτοι essent, tam antiqua iam aetate ἄρκτοι et vocarentur et intellegerentur, ut pristinae significationis ne umbra quidem in memoria relinqueretur, collato ἀργὸς vocabulo minime evicit. Nam apud Homerum Hesiodumque nusquam invenitur forma contracta, sed soluta ubique ἀεργός. Originem vero vocabuli recentiores demum Graeci obliti sunt (cf. Lobeck ad Phryn. p. 105). Cetera id genus, velut ἀέκων: ἄκων, ἄεθλον: ἆθλον, semper formam servarunt duplicem. Estne igitur credibile vocem ἄερκτος plane aliam legem secutam esse? Immo, quia ex ἄερκτος ἆρκτος fieret necesse erat, eo minus cum ἄρκτον bestiae nomine confundi poterat puellae appellatio eoque tenacius vocum differentia ortusque appellationis in sensibus haerere debebat.

3) Ab animali numinis sacro sacerdotes vel quibus sacra facienda erant nomina trahere minime inauditum est, immo in ipsius Dianae cultu

ut comprobetur ursam Dianae sacram fuisse, hac caerimonia tanquam fundamento uti, quae ratio Odofredo Müller in Proleg. p. 73 placuit, anceps est ac praestat ab ea manum abstinere.

At quod ex cultu efficere vetamur, id offerre videntur fabulae eum prosecutae. Quibus omnibus commune est fundamentum illa ipsa opinio, ursam in Dianae esse gratia ac tutela; alios enim audimus tradidisse *μυστήρια* quae dicuntur Braurone ideo olim instituta esse, ut Diana placaretur irata, quod ursa necata esset, quae in eius aede fuisset, mansuefacta [1]; alios eorum principia ab Iphigenia repetisse Braurone, non Aulide ad immolandum ducta, cum dicerent *ἄρκτον ἀντ᾽ αὐτῆς, οὐκ ἔλαφον φονευθῆναι,* cuius fabulae testes nominantur Euphorio Chalcidensis (in schol. ad Ar. Lys. 645 = frg. 81 Mein.) et Phanodemus Atthidographus (in Etym. M. p. 748, cf. Tzetz. ad Lyc. 183 = FHG I p. 367 sq. frg. 10. 11). Neque in hac re differt quae de Embari dolo narratur fabula ad Dianae Munichiae cultum spectans [2]. Quae nisi funditus ficta sunt ex falso intellecto *ἄρκτων* nomine

---

huius rei exemplum habemus. Namque Dianae Ephesiae sacra erat apis; huius enim effigies non solum in nummis Ephesiorum ab initio apparet, sed etiam in statua deae compluriens repetita est (cf. Baumeisteri Monum. p. 131). Atqui Paus. VIII 13, 1 commemorat *τοὺς τῇ Ἀρτέμιδι ἱστιάτορας τῇ Ἐφεσίᾳ γινομένους, καλουμένους δὲ ὑπὸ τῶν πολιτῶν Ἐσσῆνας,* quorum nomen a Suida ita explicatur: *Ἐσσήν· βασιλεύς, κυρίως τῶν μελισσῶν.* Videntur ergo sacerdotes virgines (cf. Strab. XIV 1, 23) *μέλισσαι* dictae esse. Eodem vero nomine aliae quoque vocabantur sacerdotes: Pind. Pyth. IV 106 (60) de oraculo *μελίσσας Δελφίδος* loquitur; Hesych. ex Callim. h. Apoll. 110 affert '*μέλισσαι· αἱ τῆς Δήμητρος μύστιδες*', et cum hoc fere consentiunt schol. ad Pind. Pyth. IV 106 et Porph. A. nymph. 18. — Alia nonnulla invenies exempla in Friderici Back de Graec. caerimoniis diss. p. 26. His unum addo, quod Mithrae cultus praebet, de quo Porph. de abst. IV 16 *ὡς τοὺς μὲν μετέχοντας τῶν αὐτῶν ὀργίων μύστας λέοντας καλεῖν, τὰς δὲ γυναῖκας λεαίνας, τοὺς δὲ ὑπηρετοῦντας κόρακας,* cf. Tertull. adv. Marc. I 13.

1) Cf. schol. ad Arist. Lys. 645 *ἐπετέλουν δὲ τὴν θυσίαν αἱ κόραι ἐκμειλισσόμεναι τὴν θεόν, ἐπειδὴ λιμῷ περιπεπτώκασιν οἱ Ἀθηναῖοι, ἄρκτον ἡμέραν ἀνῃρηκότες τῇ θεᾷ,* quae uberius narrata redeunt ibidem altero loco et apud Suidam, qui hinc petivit, sed e scholiis paulo auctioribus.

2) Cf. Suid. in v. *Ἔμβαρός εἰμι· — — — Μούνυχος — Μουνυχίας Ἀρτέμιδος ἱερὸν ἱδρύσατο. ἄρκτου δὲ γενομένης ἐν αὐτῷ καὶ ὑπὸ τῶν*

— id quod ne ii quidem, qui principalem ἄρκτων notionem aliam fuisse sibi persuaserunt, statuere ausi sunt [1] —, ursae religio, quam e fabulis Arcadibus vindicavimus, ne Atticis quidem ignota erat, Atticis prioribus dico, nam de posterioribus satis constat. Sed malo hoc incertum relinquere et acquiescere in eis, quae fabulae Arcadicae nobis suppeditant; nam vel haec sufficiunt [2].

Si igitur, sicut Head docuit, in nummis signum erat clarum numinis symbolum ex honoratissimo quoque urbis cultu petitum, ursa autem, quo Mantinenses utebantur signo, cum Diana nec cum alia aliove deorum fabulis conexa reperitur [3]), ursa pro

---

Ἀθηναίων ἀναιρεθείσης λιμὸς ἐπεγένετο· οὗ τὴν ἀπαλλαγὴν ὁ θεὸς ἔχρησεν, εἴ τις τὴν θυγατέρα θύσῃ τῇ θεῷ κτλ. Eadem ex Pausaniae lexico exhibet Eustathius ad Hom. *B* p. 331, 26; exstant etiam in Bekk. Anecd. I p. 444 sq.

1) Cf. O. Keller ('Tiere' p. 111): 'Die Misdeutung und Veränderung war — erleichtert — weil die Göttin als syrische Religionsgestalt und als hellenische Jagdgöttin auch die Bären unter sich hatte: man erinnere sich besonders jener bekannten attischen Legende, wornach die Athener, weil sie eine im Heiligtum der syrischen Mondgöttin Artemis zu Munichia geborene Bärin getötet hatten, mit Hungersnot bestraft wurden.' — In aede deae Syriae ursas commemorat inter animalia sacra Luc. de dea Syria 41; Dianae Laphriae ursae catulos inter multa alia a Patrensibus immolari refert Paus. VII 12, 5.

2) Aliam viam ingressus est *Lauer* ('System d. gr. Mythol.' p. 295 sq.), cum sic iudicavit: 'Der grosse Bär, den man seit den ältesten Zeiten als solchen am Himmel kannte, konnte sehr wohl dem poetischen Beschauer des Himmels als Begleiter und Diener des Mondes erscheinen. — So erst, glaube ich, ist der Bär der Artemis heilig, Kallisto in eine Bärin verwandelt worden, und hiessen die jungen Mädchen in Brauron Bärinnen.' Cui opinioni quodammodo fundamentum subtrahitur, si demonstratur, ut infra demonstrabitur, non antiquitus, sicut Lauero visum est, Arcades in ursa caeli Callisto agnovisse, sed seri poetae commento Callistus cum ursae signo nexum deberi. Idem monendum est contra *Usenerum*, qui in Mus. Rhen. XXIII p. 334 contendit: 'Die Entstehung des Symbols [sc. der Mondgottheit als einer Bärin] erklärt sich aus dem bekannten nördlichen Sternbild.'

3) Nummum *Aeduorum* et *Orcitirigis* nominibus signatum, qui adversus Dianae imaginem, aversus ursam exhibet (cf. 'Revue numism.' 1860 p. 98. Bachofen, 'Der Bär in d. Relig. d. Alterth.' tab. II 8), quia ad Graecum exemplum (de Massiliensi enim origine sine idonea causa cogitavit de

Dianae symbolo habenda est ut animal illi consecratum, si modo id accedit, ut illius cultus apud Mantinenses in magno honore fuerit. Fuisse autem eum, sicut omnino prae ceteris floruit in Arcadia, Mantineae antiquitus praecipuo in honore ex eis cognoscitur, quae Paus. VIII 13, 1, loco non integro, de proprietate religionis tradidit, qua templo communi cum Orchomeniis Mantinenses deam venerabantur [1]).

Ad Callistus fabulam ursam revocare quod ipse Head nondum desiit, licet mirari. Haec enim ratio non solum pugnat cum illa lege, quam in signis antiquioris aetatis omnes agnoscunt nummorum periti et confirmant, quae eiusdem tempestatis formaeque sunt, exempla [2]), sed etiam aliis laborat incommodis. Namque ipsam Callisto Mantineae cultum habuisse nemo tradidit nec licet inde efficere, quod, ut refert Paus. VIII 9, 4, Pythia Mantinenses iussit *τέμενός τε θυηλάς τ' Ἀρκάδι τεύχειν.* Dianam autem effigie eius significari, quam in ursam olim converterit,

---

la Saussaye, 'Rev. num.' l. l.) revocare non licet, eodem trahere vetamur: immo ursa apud Celtas peculiarem vim videtur habuisse (cf. O. Keller, 'Tiere' p. 109). — Propter seram aetatem non minus neglegenda est ursa, quam sub Alexandri Severi imperio *Byzantii* in aere suo expresserunt, cuius exemplar nitida imagine reddidere Imhoof-Blumer et Keller ('Tier- u. Pflanzenbilder auf Münzen u. Gemmen', tab. II 4).

1) Etiam in suis finibus templum Dianae Mantinenses habuere, cf. Paus. VIII 12, 5.

2) Immensa religionum fabularum signorum varietate difficile dictu redditur, quid quoque loco cuique sit deorum aut cur attributum, ut profecto neminem offendere debeat, nobis si nonnulla ambigua sunt, alia obscura. In universum tamen etiamnunc coniectura licet plus minus certa assequi, quae in signis valeant rationes; et quantum iudicare possum, ubique agnoscenda est animalis repraesentati cum numine aliquo necessitudo. Exempla nonnulla afferam ad hoc illustrandum apta, nummis me continens Peloponnesiorum: Aeginetarum testudo (cf. Head p. 332) sacrum est animal Veneris, item Sicyoniorum columba (cf. Head p. 345); Eleorum aquila (cf. Head p. 353) Iovis, Argivorum lupus (cf. Head p. 366) Apollinis, Psophidiorum cerva (cf. Head p. 379) Dianae, Corinthiorum Pegasus (cf. Head p. 345) Minervae animal est *Χαλινίτιδος*, cf. Paus. II 4, 1. Haec omnia manifesta: sed ne inter incerta quidem huius aetatis ullum novi exemplum, quod eam interpretationem admittat, quam ii statuant, qui ursa significatam volunt Callisto.

non magis licet statuere. Omne enim deest huius fabularum usus certum exemplum[1]). Praeterea ab omni arte alienum est personam mutatam ita repraesentare, ut nec circumstantium figuris neque alio indicio imaginis sensus denotetur. In nuda enim bestia quis tandem hominem deumve cognosceret? Denique obstat, quod apud Arcades fabulae domesticae post Leuctricam demum pugnam, qua Peloponnesiorum res concussae et transformatae sunt, in formam nummariam fere coeptae sunt recipi, a quo tempore statim frequentes occurrunt, sed ubique in parte aversa[2]). His expositis duo mihi videor ad certum perduxisse: *primum ursam nummorum nullo pacto licere intellegi Callisto; deinde antiquam apud Mantinenses obtinuisse religionem Arcadicam*, qua

1) Exemplum praeberent, nisi perversa esset interpretatio, *Byzantiorum* saeculi IV nummi, qui in parte adversa *taurum* in delphino gradientem exhibent. Istum enim taurum cum pro vacca haberet, Pinder ('Annali dell' inst.' 1834 p. 310 adn. 1) ad Io rettulit. Qui error hinc per multos libros manavit ac ne eis quidem patuit, qui taurum agnoscerent. Nam in Baumeisteri Monum. p. 948 haec legimus mirabilia: 'Die Hauptseite, der Stier, welche⟨r⟩ auf dem Delphin steht, weist auf die Sage von der I[n]o, die durch den Zorn der Hera in eine Kuh verwandelt, hier den Bosporus überschritten haben sollte.' Contra haec non opus est monere IV saeculo, cum ars maxime floreret, Io non iam vaccae, sed cornutae virginis sub specie repraesentatam esse (cf. Engelmann diss. de Ione Hal. 1868 p. 30). Neque enim erit, qui ad nummos, signa publica, transferat, quod per artificum neglegentiam hic illic factum videmus, ut femina maris insignibus ornaretur, quod etiam in Io vacca vasis pictori semel accidit (cf. Overbeck, 'Gr. Kunstmyth.' II adn. 186), ut alii cervam virilibus instructam (cf. Overb. ib.), alii cornutam (cf. Stephani, 'Compte-rendu' 1876 t. IV 1—3), alii leaenam iubatam (cf. O. Keller, 'Tiere d. kl. A.' p. 362 adn. 215) effinxere. Non minus perperam caput auribus cornibusque *arietinis* instructum, quod *Metapontinae* eiusdem saeculi didrachmae adversae exhibent, ad Arnen a Neptuno in agnam conversam cum aliis rettulit Bolte in diss. de monum. ad Odyss. pertinent. Berol. 1882 p. 48. Recte iudicavit de utrisque Head p. 230 et 63 sq.

2) Apud Orchomenios Methydriensesque Callisto (cf. Head p. 377), apud Pheneatas Mercurius cum Arcade (ib. 378), apud Psophidios aper Erymanthius (ib. p. 379), apud Stymphalios Hercules clava feriens (ib. 380), apud Tegeatas Cepheus Telephus Sterope (ib. 380), apud Thelpusios Arion equus (ib. p. 382).

ursa Dianae ante omnia animalia sacra ac dilecta haberetur, ut priscis temporibus fabulis cum dea consociaretur, posteriore aetate in nummis eius effigie dea significaretur. Quam ursae vim e fabulis signisque necessarie demonstratam gaudebit qui Callistus naturam fabulaeque principia indagare conabitur.

§ 6.

Iam nummis Mantinensium ex hoc in alium nexum relegatis ad Polygnotum revolvimur, inter apertos quidem Callistus fabulae testes antiquissimum. Hic eius sortem dilucide pelle ursina significaverat: qui vero non multo post pluribus eius mentionem fecit, EURIPIDES in Helena, utrum eandem an prorsus aliam fabulam secutus sit, propter laceram memoriam non est facile diiudicatu. Qua de causa longiore hic locus eget disquisitione, ut poetae sententiam recuperemus.

Helena, quod forma sua et Troianis et Graecis exitio fuisset, questa his pergit verbis socordia librariorum male obscuratis et paene ad desperandum corruptis [1]) v. 375 sqq. N.:

ὦ μάκαρ Ἀρκαδίᾳ ποτὲ παρθένε Καλλιστοῖ, Διὸς
ἃ λεχέων ἐπέβας τετραβάμοσι γυίοις,
ὡς πολὺ ματρὸς ἐμᾶς ἔλαχες πλέον,
ἁ μορφᾷ θηρῶν λαχνογυίων [2])
ὄμματι λάβρῳ σχῆμα λεαίνης
ἐξαλλάξασ᾽ ἄχεα λύπης.

Quae si, quatenus intellegi possunt, breviter reddimus, sententia prodit haec: 'O beata Callisto, quae conversa ieris in Iovis amplexum; quam multo nacta es mea matre meliora, cum bestiae figuram sortita liberareris aegritudine.' — In universum quidem haec apta sunt inter se et cohaerentia, sed fabula ex eis eminet plane singularis. Summas vero difficultates continet et omnes adhuc explicandique et emendandi conatus

1) Totius, cuius pars est iste locus, carminis ea est condicio, ut comprobetur, quod cum Cobeto Wilamowitz iudicavit in Anal. Eurip. p. 244, 'Helenam a librariis nequissimis tam male habitam esse, ut permulta omnino corrigi nequeant.'

2) Sic emendavit Reiske codicum *λάχνα γυίων*.

elusit, quem in interpretatione omisimus, versus ὄμματι λάβρῳ σχῆμα λεαίνης. De hoc autem ut quisque iudicat, ita formam fabulae sibi constituit. Est enim summa quaestio, λεαίνης nomen sitne retinendum an damnandum. Inter iudices magna dissensio: Veteres interpretes cum aut nihil mutarent aut in lenissimis mutationibus se continerent, in explicanda mira locutione desudabant nullo fructu [1]), neque hac aetate defuerunt, qui omnia defenderent aut certe non offenderent in mentione leaenae. Alii, quorum agminis dux illustris Godofredus Hermann est, λεαίνης nomen intolerabile rati coniecturis removere studuerunt, cum Henricus Schmidt in Monod. et amoeb. trag. Att. (1871) p. CXX totum versum mallet eicere. Kirchhoff denique de restituendo desperans 'lacera versuum vestigia' increpat, 'in quibus pateat Atalantae mentionem fuisse factam.'

At media quaedam via sicut saepissime ita hic est ingredienda. Ferri illum versum talem non posse, qualis sit in codicibus, non iam opus videtur pluribus exponere, quoniam, qua ratione esset intellegendus aut cum ceteris coniungendus, nemini contigit ut cum aliqua probabilitate ostenderet. Sed adeo totum locum esse mutilatum quam ferat Kirchhoffii sententia, nihil est cur credamus, nec potest Atalantae mentio excidisse, quia huius sors non ea erat, ut cum Ledae sorte compararetur.

Comparat Helena Callisto cum Leda [2]). Comparationis fundamentum est, quod utramque Iuppiter adiit; neque enim aliud eis commune. Comparationis cardo, quid utrique inde venerit mali. Id enim totius est carminis argumentum, ut Helena, quos sua forma perdiderit, queribunda percenseat, hoc ordine, ut cladem lamentata primum Troianorum (v. 362—369), deinde Graecorum (v. 370—374), matris denique (v. 375—385) sortem miserrimam significet, cum beatas praedicat, quibus ex

---

1) Robortellus scripsit λεαίνῃ, quod interpretatus est 'levigaris i. e. illustras stellis.' Id merito impugnat Sigonius in Emend. (Ven. 1557 p. 84 sq.); ipse autem censet poetam leaenae nomine pro ursae abusum esse.

2) Cf. v. 377 ὡς πολὺ ματρὸς ἐμᾶς ἔλαχες πλέον, quae satis sunt ad refutanda, quae H. Schmidt temere statuit: 'Helena also vergleicht ihr Unglück mit dem herrlichen Loose der Kallisto.'

Iovis coniugio venerit iactura formae (v. 375—383), non id quod Ledae accidisset, ut filia exsisteret pernicies duorum populorum (v. 383—385); quae qui audiunt necesse eorum meminerint, quae de tristi Ledae exitu Helenae ante Teucer nuntiaverat [1]). Quod si his poetae mentem assecuti sumus, sequitur, ut corrigenda sint, quae contentionis initium faciunt, *ὦ μάκαρ — Καλλιστοῖ, Διὸς ἅ λεχέων ἐπέβας τετραβάμοσι γυίοις,* siquidem contentionis ratio flagitabat, ut, quid Callisto ex Iovis amplexu abstulisset, non qua eum forma passa esset, diceretur. An erit qui sermonis inconcinnitatem ita quodammodo excusare conetur, ut subesse statuat singularem fabulam, ex qua Callisto conversa iam figura cum Iove concubuerit aut eius amore frui perrexerit etiam bestia facta, quale est, quod de Io Aeschylus [2]) prodidit? Certe fuerunt [3]) qui *λεαίνης* nomen, quod tamen, ut statim apparebit, cum ista lectione suspecta artissime cohaeret, satis fulciri ac defendi opinarentur obscuro quodam loco, quem Valckenaer (ad Callim. eleg. frg. p. 174) in homiliis, quae *Clementi Romano* falso tribuuntur, investigavit. Continet enim earum quinta Apionis cuiusdam pagani *ἐγκώμιον μοιχείας,* in quo inter enumeratos Iovis amores haec verba occurrunt p. 13: *(Ζεὺς) Καλλιστοῖ τῇ Λυκάονος ἠγριώθη λέων καὶ ἄλλον τίκτει, Ἀρκάδα.* Ac profecto primo quidem obtutu hinc memoriae codicum fides exsistere videtur atque alterius loci alter tanquam supplementi instar habere. Res enim postulat et exempla [4]) confirmant, ut, cui Iuppiter

1) Cf. v. 135 sq. *ΕΛ. οὔ πού νιν Ἑλένης αἰσχρὸν ὤλεσεν κλέος;*
ΤΕΥ. φασίν, βρόχῳ γ' ἅψασαν εὐγενῆ δέρην.

2) Suppl. 304 sq. *ΒΑ. οὐκοῦν πελάζει Ζεὺς ἐπ' εὐκραίρῳ βοΐ;*
(Weckl.) *ΧΟ. φασίν, πρέποντα βουθόρῳ ταύρῳ δέμας.*

3) Praeter alios Robert-Preller in Myth. Gr. I⁴ p. 304 adn. 2.

4) Mutatus in taurum Iuppiter narratur coisse cum Io vacca (cf. Aesch. Suppl. 305 W.), in equum Neptunus cum Cerere equa (cf. Paus. VIII 25, 5). Absurdum est, quod H. Schmidt opinatur, virginem passam esse leonem (praeterea cum hoc statuit, ipse secum pugnat, quoniam recepit lectionem *ἐπέβας τετραβάμοσι γυίοις*), et absurdum illud esse teneo, quanquam non ignoro esse etiam ubi deus ferae bestiae figura indutus virginem dicatur compressisse, velut Serv. ad Aen. I 550 de Egesta narrat: ʻa Crimisso

leonis figuram indueret, ea fuerit leaena aut certe bestia, et cuius cubile leaena conscenderet, is fuerit leo. At fefellit ista similitudo. Nam primum consentaneum est ac necessarium poetam, ubi fabulam significare satis habeat paucisque velit in memoriam revocare, eam sibi formam eligere, quam eis qui audiunt maxime notam existimet. Vulgata autem inter Graecos ea erat narratio, qua Callisto in ursam conversa ferebatur. Nam in hac re, quantumvis cetera variaverint, consentiunt uno illo homiliarum auctore excepto omnes, quicunque omnino conversam illam tradiderunt. Accedit, quod haec forma poetae consilio multo melius conveniebat quam altera illa, in qua non ita appareret, quomodo amissa species humana cum Iovis cohaereret amplexu. Deinde vero eodem, quo ratione vocamur, ex ipsis poetae verbis nos ducit unum quidem, de cuius fide non dubitatur. Animadvertit Godofr. Hermann, cum adnotaret: 'Communem famam secutum esse Euripidem, minime dubium relinquit *μορφᾷ θηρῶν λαχνογυίων*, quod in ursam, non in leaenam quadrat'. Etenim *λάχνην* Hesychius sic interpretatur: *δασεῖα θρίξ. χαίτη. κόμη. ὕλη. δασύτης παρὰ τὸ λάσιον κτλ.* Haec rursus eis illustrantur, quae scripsit Aristot. in Hist. an. p. 498[b] 25: *αὐτῶν δὲ τῶν τετραπόδων καὶ τρίχας ἐχόντων τῶν μὲν ἅπαν τὸ σῶμα δασύ, καθάπερ ὗος καὶ ἄρκτου καὶ κυνός· τὰ δὲ δασύτερα τὸν αὐχένα ὁμοίως πάντῃ, οἷον ὅσα χαίτην ἔχει, ὥσπερ λέων. λάχνη* igitur in leone iuba; verum ne haec quidem nisi promissa: id enim ea aperiunt, quibus Oppianus iubarum diversitatem descripsit; dicit enim in Cyneg. III 27 sq. de Armeniis leonibus minus validis: *ἐκ δ' ἄρα δειρῆς καὶ γενύων ἑκάτερθε θοαὶ κομόωσιν ἔθειραι,* et v. 31 de Arabicis: *δειραὶ κἀκείνοις καὶ στήθεα λαχνήεντα,* at v. 37 de leone Libyco, quem leonum appellat regem: *οὐκέτι λαχνήεις, ὀλίγη δ' ἐπιδέδρομε χαίτῃ*; quae etiam planiora fiunt collata

fluvio — converso in ursum vel canem conpressa edidit Acesten.' Nam quod necessarium visum est Aeschylo, idem haud dubie Euripidi et omnibus omnino, qui rem sibi ante oculos proponerent. Indidem fluxit, quod Iuppiter in Moschi Europae v. 163 et in Ovidii Fast. V 615 narratur tauri speciem exuisse, ut Europae amore frueretur.

cum eis quae Aristot. in Hist. an. p. 629 [b] 33 scripsit: *γένη δ' ἐστὶ λεόντων δύο· τούτων δ' ἐστὶ τὸ μὲν στρογγυλώτερον καὶ οὐλοτριχώτερον δειλότερον, τὸ δὲ μακρότερον καὶ εὐθύτριχον ἀνδρειότερον*, quae Plin. in Nat. hist. VIII 46 sic vertit: 'Leonum duo genera, conpactile et breve crispioribus iubis, hos pavidiores esse quam longos simplicique villo'. Quoniam igitur *οὐκέτι λαχνήεις* vel leo est, qui crispiore iuba careat, quo tandem iure *λαχνόγυιος* appellari potest leaena, cuius tota pellis brevissimis pilis tecta levis sit? At ursarum horrida species quam bene hoc vocabulo notatur, quae, ut ait Oppianus in Cyn. III 140, *λάχνην μὲν πυκινὴν δυσπαίπαλον ἀμφιέσαντο*! Eo autem vocabulo, quod bestiae aspectum quam accuratissime certissimeque ante oculos poneret, poeta eo magis uti debuit, quod bestiam ipsam non nomine designasse, sed descripsisse tantum videtur. Haec autem quam statuimus vocabuli vis ceteris quae afferre possum exemplis confirmatur: nam breves bestiae pilos nusquam significat, quanquam lato usu patet a lanugine (cf. Hom. *λ* 320) usque ad apri (Hom. *I* 548) et echini (Opp. Hal. II 369) saetas.

Quoniam igitur ratio et memoria convincunt *λεαίνης* nomen corruptum esse et a poeta designari ursam, procul sunt ab hoc loco habenda quae in homiliis exstant singularia. Quibus reiectis simul cadit unum illud adminiculum lectionis *ἐπέβας*, quod ille locus ministrare videbatur, nec iam dubito, quin cum Hartungio reponendum sit *ἀπέβας*, qua lenissima mutatione et concinna fit comparatio et mira esse ac singularis desinit fabula, quapropter non intellego, cur hanc emendationem editores spreverint.

Sententia quidem iam plana est apteque procedit: In capite ponitur tanquam *παράδοξον*: beatam fuisse Callisto, quae ex Iovis concubitu abiisset mutata; statim ratio subiecta est: beatam eam fuisse prae Leda, quia formae iactura aegritudinem, malo nimirum minore maius, effugisset. Singula vero verba graviter corrupta medicum adhuc desiderant. Cuius munere qui hucusque functi sunt, non multum profecerunt. In falso omnino fundamento positas esse eorum coniecturas,

qui Ursae signum animo poetae obversatum esse crederent, Hermanni[1]) dico et Schmidtii, vel ex eis apparet, quae adhuc disputavi. Sed ne quis incertam memoriam obiciat, *alterum* quoque, quod eiusdem condicionis est, *exemplum* oportet spectare sic libris traditum:

> *ἅν τέ ποτ' Ἄρτεμις ἐξεχορεύσατο*[2])
> *χρυσοκέρατ' ἔλαφον Μέροπος Τιτανίδα κούραν*
> *καλλοσύνας ἕνεκεν·*

Num integra haec sint, valde dubito; non quod cum Schmidtio verbum desiderem — id enim licet ex eis quae antecedunt simul audire —, sed quia verba *Μέροπος Τιτανίδα κούραν* ob singularem memoriam suspecta sunt. *Τιτανὶς* enim *κούρα* in cervam auratis cornibus insignem mutata haud dubie intellegenda est Atlantis filia Taygete[3]), neptis Iapeti Titanis[4]), de qua schol. ad Pind. Ol. III 53 (29) haec referunt: *ἡ Ταϋγέτη ἡ τοῦ Ἄτλαντος θυγάτηρ, ἥντινα Διὸς βουληθέντος βιάσασθαι εἰς ἔλαφον μετέβαλεν ἡ Ἄρτεμις, εἶτα πάλιν εἰς*

1) Herm. coni. *ἃ μορφᾶς θηρῶν λαχνογυίων ὄμματι λάβρῳ σχῆμα διαίνεις, ἐξαλλάξασ' ἄχθεα λύπης*, quae sic vertit: 'Quae formae hirsutarum ferarum speciem largo oculo defles, commutato pondere doloris.' Cum universa sententia haec pugnare iam monuit Herwerden, 'Mél. Graux' p. 194; nam 'Callisto' inquit 'Leda multo felicior ab Helena praedicatur non ob aliam causam, credo, quam quod in ursam conversa perdidisset malorum memoriam et conscientiam.'

2) Hermann adnotavit: '*Ἐξεχορεύσατο* comparari potest cum eo, quod apud Ovid. Met. II 465 Callisto experta est: deque suo iussit secedere coetu.' Hartung istam notionem negat posse verbo tribui. Recte fortasse. Neque enim cum verba a praepositione *ἐκ ἐξ* incipientia perlustravi, ullum repperi exemplum, quod prorsus responderet: saepius hanc notionem exhibent quae in *-ιζω* (cf. *ἐξορίζω, ἐξοικίζω, ἐξυπνίζω*, al.), nonnunquam quae in *-οω* (cf. *ἐκταλαντόω, ἐξαγκυρόω*), nunquam, quantum vidi, quae in *-ευω* exeunt. Itaque in interpretando rectius proficiscendum videtur a generali notione agitandi, quam *χορεύειν* habet in Eurip. Herc. f. 871 et 879. Quae Hartung proposuit refutare superfluum.

3) Hanc agnoscunt Schmidt et Robert-Preller I[4] p. 306 adn. 3. Alii fabulam ad Meropis Coi filiam transferunt, velut Hartung et Knaack in Quaest. Phaeth. p. 20, falso, quia haec nec *Τιτανὶς* erat nec mutata esse narratur.

4) De hoc cf. Hes. Theog. 134. 207.

τὴν οἰκείαν φύσιν ἀποκαταστᾶσα καὶ γενομένη ἄνθρωπος καθιέρωσεν αὐτὴν τῇ Ἀρτέμιδι. — — — ἡ Τηϋγέτη τῆς Ἀρτέμιδός ἐστι φίλη. ταύτης ἠράσθη Ζεύς, καὶ αὐτὴν Ἄρτεμις διωκομένην εἰς ἔλαφον μεταβάλλει. ὅθεν καὶ εἰς ὑπόμνημα τοῦ πραχθέντος τὴν ἔλαφον χρυσώσασα ἀνέθηκε γαμηθεῖσα Διΐ. Quae ratione parum cohaerent; inepte enim fingitur quae ex Iove Lacedaemonis mater facta est a Diana ideo conversa esse, ut Iovem effugeret. Itaque ex duabus unam conflatam esse censeo narrationibus, quarum altera ferebatur Taygete in cervam conversa esse a Diana propter amissam virginitatem, altera cervam Dianae consecrasse. Illam manifesto secutus est Euripides — paulisper enim Taygeten feram mansisse aut, ut ab Iovis insidiis defenderetur, mutatam esse verba nullo pacto patiuntur intellegi —, hanc Pindarus, cum scriberet Ol. III 29 sq. Bgk: *χρυσόκερων ἔλαφον θήλειαν — ἅν ποτε Ταΰγέτα | ἀντιθεῖσ' Ὀρθωσίᾳ ἔγραψεν ἱεράν* [1]). Patet igitur ab Helena Taygeten non ob aliam causam dici felicem nisi ob hanc, quod fera facta sit. Quod autem de hac, idem valet de Callisto. Confirmatur igitur quam supra posui interpretatio. Iam vero inde, quod Callistus cum Taygetae fortuna composita est, colligo Euripidi illum fabulae exitum, quo Callisto in astris poneretur, nondum fuisse notum. Quem si spectas, Callistus Taygetae sorti non iam respondet. In mentem autem quin legenti audientive eius, si notus erat, veniret fieri non potuisse vel inde cognoscitur, quod omnes fere interpretes de Ursae signo cogitaverunt. Ille enim tam laetus rerum exitus efficit, ut Callisto beata videatur propter illum, non propter formae iacturam. Cum autem hoc velit designare poeta illum nequit novisse. Neque alio ducit universa ratio earum fabularum omnium, quae ad sidera pertinent. Constat enim plerasque Alexandrina demum aetate ad caelum relatas esse.

1) Vides scholiastarum narrationes ita ortas esse, ut fabula vulgata cum eis quae Pindarus indicasset conciliaretur. Nam Taygete, si cervam Dianae consecraverat, fera nec permanserat nec Dianae facta erat ira, sed beneficio, sicut narrant schol. Partem veri animadvertit Robert in Prelleri Myth. I[4] p. 306 adn. 3.

Quod interim velim teneas; infra enim scire intererit Euripidi Callistus Taygetaeque fata etiamtum eadem visa esse. Nunc illuc, unde digressi sumus, revertamur.

Hermanni igitur Schmidtiique coniecturas mittendas esse vidimus. Nec Schmidtio contigit, ut versum illum sensu cassum demonstraret ex adnotatione ortum esse, quam quis, ut Ursae maioris situm definiret, adiecisset; verba enim *ὄμματι λάβρῳ* quid tandem in tali adnotatione sibi volunt? immo haec ipsa produnt poetam. Medela vero nondum est reperta. Coniecturas sufficit enumerasse: Hartungii *σχῆμα ταλαίνης — ἀχεά⟨τε⟩λύπης*, Ottonis Goram in Mus. Rhen. XVIII p. 311 portentosum commentum *σχῆμα ʼλέαινες*, Herwerdeni in Misc. in honorem Caroli Graux conscriptis p. 194 *μορφᾶς — σχῆμʼ ἐλελόγχεις*. Hermann autem frustra negavit *ὄμματι λάβρῳ* interpretandum esse 'truci adspectu, torvo lumine': *ὄμμα θοὸν* in ursa praedicat Opp. Cyn. III 143, sed bestiae rapaci illud non minus convenit. Corruptam tamen versus partem ut evidenter restituerem, quamvis multa temptanti mihi non magis quam prioribus contigit. Fortasse *σχῆμα* retinendum est et intellegendum decus, quod assumpta turpi ursae figura Callisto perdidit (perdendi notio forsitan lateat sub *λεαίνης* vocabulo aperte corrupto). Sed nolo hariolari.

Fabula qualis fuerit, cum tantummodo significata sit, dumtaxat divinare licet. Nam certa haec tantum videntur prodire: Callisto, virgo Arcadica, Iovis amorem invita experta est; sed virginitatem ereptam dum luget[1]), in ursam est transfigurata, ut ferae inde vitam viveret.

§ 7.

Accuratiora primum comperimus ex Amphidis fabula[2]), cuius argumentum in angustum coactum servaverat Eratosthenes in Catalogis, unde excerpta quae exstant composuit Robert in

1) Cf. *ἐξαλλάξασʼ ἄχεα λύπης.*

2) Inscriptionem fabulae ignoramus. Quam *Alcaeus*, comoediarum eiusdem fere aetatis scriptor (cf. Bergk in Hist. litt. Gr. IV p. 105), condidit fabulam *Καλλιστὼ* inscriptam, eius argumentum non dubium est

Erat. Catast. rel. p. 50 sq. Quae si una narratione complectimur, ille comoediarum scriptor Platonis [1]) aequalis rem sic exposuit: Iovem Dianae simulatum ad Callisto cum comitibus venantem se applicavisse, tanquam eam esset adiuturus, sed a ceterarum conspectu amotam virginem compressisse. Spatio certo peracto cum partus ei instaret, a Diana interrogatam, quid sibi accidisset, ut tam grandi utero videretur, ex necessitate tandem, diu cunctatam, ipsi eam deae culpam attribuisse, quoniam ab illa passa esset vim. At illam tanta quantam putaret impudentia iratam in ursam eam convertisse [2]).

In promptu est, quam plenum fuerit tale spectaculum risus iocique, ac vix licet dubitare, quin fraudem, qua Iovem uti videmus, poeta comicus e suo addiderit ingenio, ut nodum fabulae necteret. Utique Eratosthenes huius narrationis auctorem aetate illo superiorem non habuit. Quod vero gravissimum est, a severitate antiquioris aevi haec quidem deorum tractatio abhorret, comico convenit. Quod si hoc additamentum, quo fabulam is qui ad risum res deflecteret poeta auxit, separavimus, quae fonti, unde ille sua hausit, assignentur restant haec: Callisto, una ex Dianae comitibus, dum cum turba aequalium venatur, Iovis accendit amorem

---

quin non ad mythicam, sed ad Atticam pertinuerit Callisto, meretricem Socrati aequalem (cf. Ael. V. H. XIII 32). Nam quae narrantur apud Athen. IX 399 e sq. *Ναυσικράτης δ᾽ ὁ κωμῳδοποιὸς ἐν Περσίδι σπανίως, φησίν, ἔστιν εὑρεῖν δασύποδα περὶ τὴν Ἀττικήν· — — — Ἀλκαῖος δ᾽ ἐν Καλλιστοῖ καὶ ὡς πολλῶν ὄντων ἐμφανίζει διὰ τούτων* (I 759 K.)·

> *Κορίαννον ἵνα τί λεπτόν; Β. ἵνα τοὺς δασύποδας*
> *οὓς ἂν λάβωμεν ἁλσὶ διαπάττειν ἔχῃς.*,

ex his apparet scaenam fuisse in Attica. — Ceterum Callistus nomen in Attica admodum frequens videtur fuisse; nam ter redit in epigrammatis apud Kaibelium (Epigr. Gr. 56. 82, 3. 151, 2) et bis apud Toepfferum (Genealog. Att. 1889 p. 124. 132).

1) Cf. Bergk in Hist.. litt. Gr. IV p. 167.

2) Etiam Ursae signum in hac fabula commemoratum fuisse falso, ut infra demonstrabitur, opinatur Robert in Erat. Cat. rel. p. 243.

et passa est amplexum. Diana autem, ubi gravidam deprehendit, ira exarsit et quae peccasse videretur abegit in ursam commutatam.

§ 8.

Iam cum his velim conferas quae apud Latinos Catasterismorum compilatores Amphidis mentionem praecedunt, apud Graecos, qui hanc omiserunt, continuae narrationis priorem faciunt partem. Auctor in capite nominatur Hesiodus: fabula affertur ad explicandum Ursae maioris signum. Memoriam autem maxime integram conservarunt scholia Aratea: itaque quae ista praebent vel sola nobis sufficiunt. Sunt autem (secundum Roberti Erat. Cat. rel. p. 50) haec:

Ἡσίοδος δέ φησι Λυκάονος αὐτὴν θυγατέρα εἶναι καὶ ἐν Ἀρκαδίᾳ κατοικοῦσαν ἑλέσθαι μετὰ Ἀρτέμιδος τὴν περὶ τὰς θήρας ἀγωγὴν ἐν τοῖς ὄρεσι ποιεῖσθαι· φθαρεῖσαν δὲ ὑπὸ Διὸς ἐμμεῖναι ἐν τοῖς πρότερον κλέπτουσαν τῇ Ἀρτέμιδι τὸ σύμπτωμα· ἤδη δὲ ἐπίτοκον οὖσαν ὀφθῆναι ὑπ᾽ αὐτῆς λουομένην· ἐφ᾽ ᾧ ὀργισθεῖσαν τὴν Ἄρτεμιν θηριῶσαι αὐτήν· καὶ οὕτω τεκεῖν ἄρκτον οὖσαν τὸν κληθέντα Ἀρκάδα.

Altera narrationis parte, quae ab hac in Catalogis Eratosthenicis inserta Amphidis fabula dirempta erat, exponitur, qui factum sit, ut Callisto postea inter astra reciperetur.

Priorem partem cum incerto illo Amphidis fonte congruere nemo non videt. Sed auctoris nomen Hesiodi definitionem requirit. Verba secuti compilatorum, quae in Epitome sunt *Ταύτην* [sc. *τὴν ἄρκτον τὴν μεγάλην*] *Ἡσίοδός φησι Λυκάονος θυγατέρα ἐν Ἀρκαδίᾳ οἰκεῖν* et idem declarantia apud reliquos, necesse est credamus Hesiodum signum Ursae ex Callistus fabula explicasse et totam ei narrationem tribuamus, non priorem partem solam. Et omnes quos quidem sciam sic iudicarunt, cum astronomico quod Hesiodi sub nomine ferebatur carmini totam narrationem assignarent. Quod confirmare conatus est Marckscheffel in Hesiodi etc. fragm. p. 354 altero argumento. Adnotat enim: ‘Haec ad Astronomiam pertinere certa ratione collegisse mihi videor e Lact. Plac. Arg. ad Ovidii

metam. II 5 et 6 p. 797 ed. Stav.', quibus subscripsit Rzach in Hes. ed. p. 151 adn. In illis enim Argumentis eis quae ex Ovidio relata sunt (Callisto esse Iovis beneficio cum Arcade inter astra collocatam, sed Iunonis invidia ab oceano exclusam) adiecta sunt verba 'ut auctor Hesiodus indicat.'

Haec iam examinemus. Verbis eorum, qui Catasterismos exscripserunt, ne quis deciperetur, iam monuit O. Müller in Proleg. p. 199. Vidit enim auctorum nomina ad historias fere, non ad catasterismos pertinere, nonnunquam vel contrariis verbis; cuius rei nonnulla attulit exempla, quorum luculentissimum ea continent quae de Virgine scripta leguntur; etenim verbis *Ταύτην Ἡσίοδος [ἐν Θεογονίᾳ] εἴρηκε θυγατέρα Διὸς καὶ Θέμιδος, καλεῖσθαι δὲ αὐτὴν Δίκην,* quae Epitomes caput IX incipiunt quibusque quae ceteri habent testes congruunt, his falso ad Virginis referuntur sidus quae Hesiodus de Iustitia protulerat dea, Iovis Themidisque filia (cf. Theog. 901 sq. et Op. 256). Nec plus valet quod in Epit. et schol. Arat. maior narrationis pars apta est ex verbis *Ἡσιοδός φησι,* tanquam omnia ad hunc redeant; nam et hoc merae neglegentiae tribuendum esse vel inde elucet, quod Hesiodi mentionem olim Amphidis excepit, ut nunc etiam in schol. German. et Hygini Astron. Ergo in hac quidem re diiudicanda istorum scriptorum verba premere non licet.

Sed niti videntur viri docti altero potissimum argumento, *testimonio* illo *fabulae Nasonianae subiecto.* At qui hoc faciunt nec libelli, quo metamorphoseon fabulae enarrantur[1]), condicionem nec testimoniorum, quae fabulis nonnullis aspersa sunt, fidem quaesiverunt. Testimonia enim summa cum cautione adhibenda esse vel obiter perlustranti apparet. Laudantur semel Varro, semel Phanocles, septiens Hesiodus, qui semel coniunctus est cum Euripide. Sed in his dubitatio ac suspicio bis tantum exclusae sunt: in eis quae initium faciunt: 'Chaos, ut Hesiodus

1) Editores libellum *Lactantio* donaverunt, quanquam in cod. Marc. sine nomine exstat, in Laurentiano, qui tamen illo aetate et auctoritate inferior est, Donati nomen fert, cf. Muncker, Myth. Lat. II praef. p. VII sq. Foerster, 'Raub u. Rückkehr d. Perseph.' p. 290 adn.

indicat volumine quod deorum originem continet, fuit initio [1]) quaedam rerum confusio' et in eis quae fab. II 4 p. 796 Stav. subscripta sunt: 'Phanocles in Cupidinibus auctor [2]).' Quid faciam verbis 'Saecula etiam dicata Varronis auctoritate vertuntur; quoniam aureum in deterius argenteum et post in aëneum ac postea, quod etiam peius [*cod. et ed.:* orpheium] antedictis est, in ferreum cessit', haereo; a Munckero (p. 788 Stav.) glossatori tributa et sub contextum relegata sunt; utique sera eorum origo. Damnatum est, sed immerito, testimonium in eis, quae antecedunt et a Munckero et ipsa e contextu exclusa sunt; etenim non ad fabulam, sed ad genealogiam Hesiodi nomen debebant referre, cum scripta legerent: 'humanum genus — — Prometheus, Iapeti filius, ut idem Hesiodus ostendit, ex humo finxit' [3]). Quae II 2. 3 p. 796 Stav. de Heliadibus referuntur ita cum Hygini fab. 154 consentiunt, ut de communi fonte cogitandum sit. Quod vero ad fidem attinet verborum, quae in Argum. sunt 'lacrimae earum, ut Hesiodus et Euripides indicant, in electrum ⟨?sunt conversae?⟩', apud Hyg. 'harum lacrimae, ut Hesiodus indicat, in electrum sunt duratae': de Euripide dubitatio nasci nequit (cf. Hippol. 735 sqq.), de Hesiodo dubitare licet; obstant enim quae Plin. XXXVII 11 servavit: 'Phaethontis . . . sorores . . . lacrimis electrum . . . fundere . . . plurimi poetae dixere, primique, ut arbitror, Aeschylus, Philoxenus, Euripides, Nicander, Satyrus'. Sed potest etiam a Plinio omissum esse Hesiodi nomen aut apud eum excidisse [4]). Ergo quae adhuc inspeximus testimonia aut confirmari poterant aut non poterant damnari. At sunt etiam quae aut falso allata

1) Cf. Hes. Theog. 116.

2) Phanoclis vestigia constat Ovidium et alibi pressisse, cf. Knaack in Quaest. Phaethont. p. 93.

3) Fabulam ab Hesiodo alienam esse plerique perspexerunt, velut Bode in Script. rerum myth. II p. 165 et Welcker in Trilog. Aeschyl. p. 13. Aperte expressam primum eam invenimus a Philemone in Stob. Flor. II 27. In Attica eam ortam esse demonstrare conatus est Preller in Philol. VII p. 56, nec tamen probavit Roberto in Prelleri Myth. I⁴ p. 81 adn. 6 fabulae testimonia enumeranti.

4) Cf. Robert in Herm. XVIII p. 439, Knaack in Quaest. Phaeth. p. 10.

esse videantur aut maxime suspecta sint. Suspectum mihi est quod fabulae XI 4 p. 864 Stav. adhaeret de Midae ortu testimonium: 'Qui tamen fertur Midas esse matris magnae filius. Sic enim cum Hesiodo consentit Ovidius'. Id quidem, quod cum Hesiodo consentire dicitur Ovidius, prodit scriptoris neglegentiam; Ovidius enim nihil tale dixit. Sed Midae Phrygis genealogiam [1]) qui Hesiodo vindicat, eius de fide est cur diffidamus. At fortasse immerito. Certius iudicare licet de his quae historiae Memnonis (XIII 3, p. 873 St.) in fine appicta sunt verbis: 'quod tamen monumentum in Phrygia constituit patruus eius, ut Hesiodus vult' [2]) et de hoc quod historiae Leucothoes, quae in turis arborem mutata fertur, (IV 5, p. 811 St.) subscriptum est testimonio: 'hoc Hesiodus indicat.' Narrare potuit Hesiodus nec Leucothoes fabulam Asiae propriam [3]) nec quae ad Memnonis sepulcrum pertinent [4]). Attamen eius nomen fictum putare vel ideo non licet, quod maior testimoniorum pars, ut supra vidimus, rata est nec veri simile non ad unum omnia redire fontem. Tollitur difficultas, si statuimus testimonia ab eo qui transcriberet non semper quo deberent loco aut modo

---

1) Eadem redit apud Hesychium in v. *Μίδα θεὸς* et Plut. Caes. 9, et in Hyg. fab. 191 (Midas rex Mygdonius filius matris Idaeae) et 274 (Midas rex Cybeles filius Phryx).

2) Haec verba cum prioribus non cohaerent; praecedunt enim haec: 'Quae [sc. Memnonides] memores belli quotannis ad sepulcrum eius conveniunt et inter se dimicantes sanguine suo manibus eius frequentes parentant. Et ipsa mater eius matutinis temporibus lacrimas desiderio filii sui Memnonis transmutat in rorem.' Editores nexum restituerunt violenter vocula 'quod' in 'cui' mutata. Ego vero nullus dubito, quin 'quod' retinendum sit 'monumentum'que intellegendum Memnonis sepulcrum paulo ante commemoratum, quod ad illustrandum aliquando illa verba, quae nunc ad fabulae finem delapsa sunt, appicta fuerint. Unde manaverint, statim intelleges, cum de narrationum fonte dixero.

3) Cf. Ov. Met. IV 209. 212. — At in Hyg. cod. Fris. Argonautarum catalogo (p. 47 adn. Schm.) illatus est cum aliis 'Thersanon Solis et Leucothoes filius ex Andro.' Graeca haec videtur ac diversa fabulae forma.

4) Cf. Ael. Hist. an. V 1 *λέγουσι δὲ οἱ τὴν Τρῳάδα ἔτι οἰκοῦντες ἠρίον εἶναί τι τῷ τῆς Ἠοῦς Μέμνονι ἄνετον κτλ.* cf. Robert, 'Bild u. Lied' p. 119 adn. 54.

esse inserta. Quod interdum factum sit paene necesse est, cum' id quod Richardus Foerster ('Raub u. Rückkehr der Perseph.' p. 290) idoneis argumentis comprobavit, Narrationes auctae fabularum additamentis et poetarum Graecorum nominibus supersint de commentariis in Ovidii Metam. conscriptis, qui etiam argumenta fabularum continebant [1]). Tum

1) Quod C. Lange, De nexu inter Hyg. op. mythol. p. 67 sq. temere contenderat, auctorem Narrationum non ex Ovidio pendere, sed ex Hygini operibus fabulas desumpsisse, Foerster satis refutavit. Qui quae contra monuit, eis unum addere placet exemplum: narratur enim XIII 3 p. 873 St. mater Memnonis impetrare, 'ut — — sorores in volucres convertantur', qui error originem traxit ex obiter lectis Ovidii (XIII 608) verbis 'pariter sonuere sorores' [sc. aves ex Memnonis cinere natae]. — Non superfluum videtur monere narrationes etiam *interpolatorum* manus multis locis passas esse. Pauca afferam exempla: I 6 respectu Metam. I 163 sqq. loco alieno inserta sunt verba 'in deos querimonia delata', quae recte absunt apud Mythogr. Vat. I 17. Narratio XI 4 media sic libris traditur: 'Quam ob causam [Apollo ob eandem stultitiam, quam et supra gesserat in Liberi patris voluntate] deus iratus aures eius asininae ut essent sempiterno effecit'; iterum verba quae eicienda notavi non agnoscit Myth. Vat. I 90. Item VII 2 quae ad Medeam pertinent verba 'postquam animadvertit stipitem — — — tempus existimans' et impedita oratione arguuntur narrationi postea invecta (ex Met. VII 279—285) nec redeunt apud Myth. Vat. I 188. — Denique hac data occasione addam ex eodem fonte quo Narrationes fluxisse videri etiam *Graecam Metamorphoseon epitomen* fortasse decurtatam, quam Westermann cum in Paradoxogr. p. 222 sq. tum in Mythogr. p. 347 sq. edidit et Wilamowitz in Anal. Eurip. p. 182 adn. ad Ovidium redire perspexit. Ex ipso enim Ovidio eam excerptam esse ideo non est veri simile, quod plus semel aliam atque hic dedit fabulae formam; qua re ad argumenta vocamur Metamorphoseon, quae ita comparata erant, ut Ovidiana iis quae alii narrassent supplerentur, quales Graecorum erant ὑποθέσεις. Talium autem argumentorum vestigia etiam in Narrationibus multa deprehenduntur. Ergo utraque epitome ex aequali saltem fonte ducta est, fortasse ex eodem; nam semel quidem, cum ab Ovidio discedit, auctor Graecus cum Latino consentit: uterque enim, cum Ovidius I 721 sq. Iunonem fingat Argi interfecti oculos in pavonis cauda collocasse, vulgarem substituit fabulam, qua Iuno ferebatur Argum in pavonem transformasse, cuius testes sunt Mosch. I 58, schol. ad Arist. av. 102, Nonn. XII 70. In reliquis vero epitome Graeca ab Ovidio dissentiens dissentit etiam a Narrationibus, unde tamen propter laceram harum et confusam hic illic condicionem (cf inprimis II 8) nihil licet efficere. Sed notandum est quod de Nyctimene, quae in Metam.

Hesiodi nomen XIII 3 restringendum est ad sola verba proxima 'patruus eius' — Priamum enim Memnonis patruum perhibere ille potuit, siquidem Troum genealogia iam in Iliade, quamvis in parte quadam recentiore, *Y* 236 sqq. prolata est —, sed IV 5 revocandum est ad genealogiam in capite commemoratam; nam ex quo Leucothoe genus ducit Belum eiusque gentem Hesiodo non ignotos fuisse ex Catal. fragmento (45 Rz.), quod Strabo servavit, discimus. Ex his iam satis luculenter apparet illud unde profecti sumus testimonium ita tantum esse accipiendum, ut in Callistus fabula credatur inesse quod ad Hesiodum redeat; quid redeat, inveniendum est collatis aliis testimoniis indiciisve.

Narratio ipsa, si totam spectas, seram clamat aetatem. Nam primum Arcade puero ad caelum translato eponymi naturam neglegit; deinde, cum etiam ad Ursam minorem, ut infra demonstrabo, pertineat, necesse orta sit post Thaletem Milesium, cui Ursae minoris notitiam Graecos debere veteres consentiunt [1]); denique qui eius finem faciunt catasterismi Alexandrinorum studia produnt. His narrationis indiciis addendum est quod, cum Euripides Helenam scriberet, Callisto cum astris nondum coniuncta erat. Sequitur, ut Hesiodi Astronomia, si Catasterismorum narrationem continebat, falsario Alexandrino assignanda sit. Et hoc ut statuerent, nonnulli commoti sunt. Ego vero in epimetro me satis probaturum spero carmen illud ante saeculum V compositum esse. Ergo catasterismi non possunt ad Hesiodum revocari, sed huius nomen in Argu-

II 592 dicitur 'patrium temerasse cubile', at in epitome inducitur *φεύγουσα τὸν τοῦ πατρὸς ἔρωτα*, utramque fabulam habet Lactantius (ad Stat. Theb. III 507), qui ex commentariis Ovidianis (indicia non desunt, cf. Foerster l. l. p. 290) tam potuit haúrire quam ex Vergilianis hausit. Neglegentiam auctoris epitomes cave in eo agnoscas, quod ex eius narratione Syrinx, quae apud Ovidium (I 701 sqq.) cum ad amnem pervenit mutatur, *εἰς τὸν ποταμὸν αὑτὴν ἔρριψεν*: immo iterum praetulit fabulae formam suo tempore vulgatiorem, cf. Long. II 34 *ἐς δόνακας κρύπτεται, ἐς ἕλος ἀφανίζεται*, Ach. Tat. VIII 6, Nicet. Eug. III 304.

1) Cf. schol. Arat. 27; 39 = Hyg. Astron. II 2 p. 33, 9 Bunte; schol. Ven. A ad Σ 487.

mentis Nasonianis alieno fabulae loco (exstat in fine, debuit initio) insertum est et in Eratosthenicis ad priorem tantum spectat narrationis partem, quam Amphidis fabula excipit, quamque ne Hesiodo vindicemus genealogo nihil obstat.

Hesiodeam igitur fabulam certo recuperavimus, nec tamen tenemus plenam. Est enim apertum poetam genealogum genealogicam fabulam commemorato partu non finivisse, sed etiam addidisse, quis curam suscepisset infantis, quis eum perduxisset ad adulescentiam, quem in montium solitudine ursa enixa erat inopem ac desertum. Eis, quae in Eratosthenicis ad Arcadem pertinentia sequuntur, nihil iuvamur, quia tam arte apteque cum fine ab Hesiodo abiudicando cohaerent, ut non sit dubium, quin narrationis auctor in eis quae ad Arcadem attinent depingendis propriam viam ingressus sit. Sed num aliunde quae desideramus suppleri possint, circumspicientibus nobis primum sese offert *schol. ad Theocr. I 123* ad extremam hanc fabulae partem spectans. Quod cum propter miseram memoriae condicionem scrupulis obnoxium sit et difficultatibus obstructum, paulo fusius est de eo disputandum. Appictum est Theocriteorum versuum primo horum (I 123 sqq.):

Ὦ Πὰν Πάν, εἴτ' ἐσσὶ κατ' ὤρεα μακρὰ Λυκαίω,
εἴτε τύγ' ἀμφιπολεῖς μέγα Μαίναλον, ἔνθ' ἐπὶ νᾶσον
τὰν Σικελάν, Ἑλίκας δὲ λίπε ῥίον[1]) *αἰπύ τε σᾶμα*
τῆνο Λυκαονίδαο, τὸ καὶ μακάρεσσιν ἀγητόν.

Sub uno conspectu ponam, quale exstat in codicibus et quale propositum est ab Ahrensio:

I. (codd.) *Λυκαίω: ὑπὸ τῷ Λυκαίῳ φησὶ χωρίῳ καλουμένῳ Καλλιστοῦς*	(Ahr.) *Λυκαίω:* ⟨*τὸ*⟩ *ὑπὸ τῷ Λυκαίῳ φησὶ χῶμα, ἠρίον καλούμενον Καλλιστοῦς,*
II. ... *εἰς ὃ ὄρος ἐλθοῦσαν τὴν Λυκάονος θυγατέρα Καλλιστὼ ὑπὸ Ἑρμοῦ τραφῆναι ἄρκτον οὖσαν·*	*εἰς ὃ [ἐλθοῦσαν] τὴν Λυκάονος Καλλιστὼ θυγατέρα ἄρκτον οὖσαν ὑπὸ Ἑρμοῦ ταφῆναι·*

1) *λίπ' ἠρίον* plurimi edit. ex Bosii coniectura; *λίπε δρίον* maluit Meineke.

ἣν καὶ φησιν Ἄρατος ἐν [δ'] οὐρανῷ ἐστηρίχθαι.	ἣν φησιν Ἄρατος ἐν οὐρανῷ ἠστερίσθαι.

Priorem scholii partem ex schol. Ahrensianis petivi, ex Zieglerianis praestantioribus alteram. Illa enim cod. Ambrosiano deest et ab Ahrensio sumpta ex cod. Genev. inferioris notae (cf. praef. Ahr. p. XXIV et XLIV), ubi haec ἑτέρα est ἐξήγησις.

Lectionem ταφῆναι, quae librorum deterioris notae est, veram esse Ahrens p. 477 ex eis potissimum effecit, quae de Callisto Paus. VIII 3, 6 narrat: Ἄρτεμις δὲ ἐς χάριν τῆς Ἥρας κατετόξευσεν αὐτήν. καὶ ὁ Ζεὺς Ἑρμῆν πέμπει σῶσαι τὸν παῖδά οἱ προστάξας, ὃν ἐν τῇ γαστρὶ εἶχεν ἡ Καλλιστώ· Καλλιστὼ δὲ αὐτὴν ἐποίησεν ἀστέρας καλουμένην Ἄρκτον μεγάλην. — — ἔχοιεν δ' ἂν καὶ ἄλλως τὸ ὄνομα οἱ ἀστέρες ἐπὶ τιμῇ τῇ Καλλιστοῦς, ἐπεὶ τάφον γε αὐτῆς ἀποφαίνουσιν οἱ Ἀρκάδες. Nam 'consentaneum est' inquit 'eundem Mercurium, qui puerum ex utero occisae eriperet, hanc sepelisse ex eorum narratione, qui sepultam agnoscerent. Nec video, cur Arati commemoratio interpolata habeatur, quae cum τραφῆναι male coit'. Itaque cum Duebnero in hoc scholio de Callistus tumulo agi statuit, quem Paus. VIII 35, 8 describit. 'Quod Pausania teste' inquit 'ille tumulus non sub ipso Lycaeo situs erat, non premendum est; hic mons nominatur, quia Callistonis fatum cum Iovis sacro Lycaeo arctissime coniunctum erat. Iam vero non latet totum scholium minime ad Λυκαίῳ pertinere, sed ad vs. 125 Ἑλίκας δὲ λίπ' ἠρίον et hanc lectionem egregie confirmare. — — Scholium propter Lycaei commemorationem ad alienum locum translatum est.' Hactenus Ahrens. Verum dubito, num omnia recte disputaverit. Id quidem negari nequit, narrationi Pausaniae dempto catasterismo bene convenire Mercurium qui occisam ursam sepeliat. Verum inde nihil efficiendum nisi id, ut ex fabula aliquo modo, nisi quae obstant (obstat autem Pausaniae [VIII 35, 8] de tumuli situ testimonium), lectio ταφῆναι possit explicari. Sed enim postquam Ziegleri editione certiores facti sumus, quid in librorum sit optimo, iam demonstrandum est non posse ferri quam ille praebeat lectionem τραφῆναι. Id num ceteris Ahrens quae attulit argumentis

evicerit, iam videamus. Quod Arati commemorationem ‛cum *τραφῆναι* male coire’ dicit non prorsus assequor; nam multo etiam minus catasterismi mentio cum *ταφῆναι* coit. Quae de Arato proferuntur cum proximis omnino non cohaerent; diversam enim continent de extrema Callistus fortuna narrationem eamque posterioribus tritam, ex qua Callisto inter astra recepta erat, falso, ut infra ostendam, Arato ascriptam. Sed cum magna veri specie Ahrens statuit in hoc scholio de Callistus agi tumulo, ac speciosa est, confiteor, qua corruptum scholii initium restituit, coniectura, quanquam a dubitatione non libera, quia Pausaniae testimonio constat non sub Lycaeo, sed sub Maenalo Callistus tumulum fuisse, quam difficultatem Ahrens removere frustra conatus est. At est deliberandum, liceatne omnino quae Ambrosianus servavit coniungere cum isto initio, quoniam non sine vi duae istae partes conglutinantur. Mihi vero nascitur suspicio eum, a cuius manu scholia codicis Genev. profecta sunt, quae separata legisset invita memoria contraxisse. Eo adducor, haec cum reputo: Primum omnino dubitare licet, num *θάπτειν εἰς ἠρίον* Graece dictum sit. Deinde difficile est probare, quomodo fieri potuerit, ut *ἐλθοῦσαν* scholio inferretur: interpolatori enim id tribuere debet qui lectionem *ταφῆναι* veram ducit. Nam si inusitata erat elocutio *εἰς ὅ — ταφῆναι*, ut non intellegeretur, non est credibile eam a scholiasta esse adhibitam; sin erat usitata et intellegi poterat, frustra quaerimus, cur tandem etiam conservata pristina lectione *ταφῆναι* insertum sit *ἐλθοῦσαν*, quo sensus turbatur. Denique non levissimos movet scrupulos deserta optimi libri auctoritas. Quae cur spernatur, vereor ut satis sit causae. Ambrosiani enim memoria, si solam spectamus, nihil habet suspicionis aut offensionis, sed omnia dilucida sunt et inter se apta. Quod si quis quaerat, quid in explicando Lycaei nomine Callistus sibi velit fabula, huius mentio iniecta est, ut illustrata e fabulari historia imago montis magis ante oculos poneretur, quod scholiastae consilium aperiunt, qui in Maenali nomine subinde afferuntur, vs. Apollonii Rhodii ad Atalantae fabulam spectantes. Sed hic Callisto in Lycaeo non sepulta, sed versata esse narratur,

cum in parte priore, qualem Ahrens probabiliter restituit, de Callistus sermo sit tumulo. Iam cum vis adhibenda sit, ut ex duabus reliquiis unum prodeat scholium aptum, altera autem pars dubitationi per se non sit obnoxia nominique explicando conveniat, cui appicta est, at prior pars, quae ab optimo libro abest, referri possit ad verba, quae prope exstant, *Ἕλικας δὲ λίπ᾽ ἠρίον* (quibus Callistus tumulum significari interpretes plerique omnes statuerunt): concedes me iure suspicatum esse inscium librarium propter communem Lycaei Callistusque mentionem, inductum fortasse insuper corrupta lectione *ταφῆναι*, illud interpretamentum huc translatum cum hoc scholio, quod initio carere videretur, consuisse. Itaque, quantum ratio valet in scholiis, apparet retinendam esse Ambrosiani memoriam solamque nobis respiciendam.

Ad hanc autem fabulae formam, quam Hesiodi esse cognovimus, scholium ideo revocandum est, quod huic soli convenit. Nam diversae, quae postea nobis occurrent, formae omnes exitum habent plane alium, cum Callisto aut interfectam faciant aut a terra inter astra abreptam. Scholio igitur addiscimus Callisto, Lycaonis filiam, ursam factam in Lycaeum montem[1]) pervenisse ibique curae fuisse Mercurio. Quae quomodo inter se cohaereant, facile vides: etenim quae de Lycaone feruntur fabulae omnes sedem habent aut proxime ad illum montem aut in eo, ut pateat, cur eius filia in illum fingatur venisse. Mercurii autem partes animum ad ea revocant, quae eius narrationis, ex qua Callisto a Iunone mutata et a Diana occisa est, Pausanias et simillimae sub fine Apollodorus personatus exhibent: ille VIII 3, 6 *ὁ Ζεὺς Ἑρμῆν πέμπει σῶσαι τὸν παῖδά οἱ προστάξας, ὃν ἐν τῇ γαστρὶ εἶχεν ἡ Καλλιστώ*, hic III 8, 2, 5 *ἀπολομένης δὲ Καλλιστοῦς Ζεὺς τὸ βρέφος ἁρπάσας ἐν Ἀρκαδίᾳ δίδωσιν ἀνατρέφειν Μαίᾳ*. Secum haec minime discrepant, sed supplent sese invicem, cum

1) In Lycaeo ursam vagantem fecit qui Hesiodi narrationem multo post alieno sensu continuavit (Erat. in Catast. I p. 52 Rob., de quo infra dicendum erit). Qua re egregie confirmaretur, si opus esset confirmatione, quod scholium huc revocavimus.

scholio autem communem mentionem habent Mercurii. Iam vero cum egregie conveniant quod Mercurius praestat officium apud Pausaniam infanti quodque idem apud scholiastam matri, neque ullo pacto potuerit Hesiodus praeterire, quis infantem curasset, nullus dubito, quin utroque coniuncto finem narrationis Hesiodeae recipiamus. Quam hoc recepto iam plenam tenemus. Fuit autem, omnia si recolligimus, haec fere:

Callisto[1]), Lycaonis[2]) (quem Pelasgus[3]) terra olim editus[4]) genuerat) filiae, patria erat Arcadia. Adulta a molli virginum ingenio et moribus abhorrebat ac durum sibi elegit venandi studium; itaque ad Dianam se applicavit; quam in montibus feras agitantem comitabatur. Sed Iuppiter pulchritudine eius captus virginitatem ei eripuit. At illa, quid passa esset, dominae aperire verita permansit in casto eius choro, tanquam et ipsa etiam esset integra. Quam fraudem non impune tulit. 'Nam iam utero ingravescente prope diem partus in flumine corpus cum recrearet, a Diana cognita est non conservasse virginitatem'[5]), graviterque offensae statim poenas dedit conversa in ursam. Ita deformata cum turba aequalium relicta in deserta fugere coacta esset, ad patrium se convertit montem Lycaeum, ubi puerum enixa est, cui postea nomen Arcadi est inditum. Tum denique Iuppiter, miseratus cui malorum auctor exstiterat et suum

1) Callistus nomen, quod in Catast. in Ursae maioris titulo deest, exstat ib. in Arctophylacis signo et in scholio Theocriteo ac constaret vel patris nomine; Lycaonis enim filia sola dicitur Callisto, nunquam Themisto aut Megisto, quod moneo contra Robertum in Prell. Myth. I[4] p. 304 adn. 2.

2) De patris nomine consentiunt Erat. et schol. Theocr. Error subesse videtur in Apoll. Bibl. III 8, 2, 2, cf. supra p. 237 adn. 1.

3) Cf. frg. 71 Rz. *Υἱέες ἐξεγένοντο Λυκάονος ἀντιθέοιο*
ὅν ποτε τίκτε Πελασγός.

4) Cf. Apoll. Bibl. II 1, 1, 5 *Ἡσίοδος δὲ τὸν Πελασγὸν αὐτόχθονά φησιν εἶναι.*

5) Verbis utor Hygini.

simul sanguinem curans, Mercurium misit, qui infantem educandum Maiae committeret in Cyllenio monte habitanti[1]), matrem nutriret.

Talem fere Hesiodus Graecis exhibuit Callistus historiam, quam primus litteris mandasse existimandus est. Nec dedecet, opinor, poetam haec rerum conformatio, quanquam, quid ipse praestiterit, quid vatum superiorum sollertia finxerit, hodie non iam licet probe discernere aut definire. Sed quisquis summam laudis meruit, videmus fabulam olim nihil nisi genealogicam iam vere humanam factam: nam quae de miro Arcadum eponymi ex ursa ortu olim ferebantur iam ita exculta amplificataque invenimus, ut necessitas quaedam et aequitas divina in omnibus compareant. Quae amorem spernit, haec ab Iove domatur nec tamen frangitur, sed, quanquam ab hoc nobile fert in utero pignus, nec spiritu nec loco cedit priore, casum suum patronam celans, dum fraude detecta ab illa erepta humana specie punitur. Deserta partum edit, periturum, nisi quis opem tulerit. Sed in summis angustiis Iuppiter suorum meminit: ipsam, quae iam satis superbiam luerit, custodiae Mercurii tradit; puerum, quae nobilissima est in Arcadia, nutrici mandat, futurum magnae gentis auctorem.

Haec sane non omnia apertis verbis indicata sunt, sed mentem poetae reddidisse ideo potissimum mihi videor, quod per compilatores ipsos servata est ratio, qua Diana commota esse dicitur, ut comitem specie privaret: neque enim ob vanam suspicionem[2]) haec in poenam incidit immerito, sed quia deam fefellit noxia. Quae ratio aperte expressa mihi indicio est cetera quoque ita concepta ac proposita fuisse, ut Callistus fata non ex fortunae iniuria, sed ex illius mente repeterentur, ut narratio spiritum acciperet vere tragicum.

Apud posteriores Hesiodus narrationi suae magnam qui-

---

1) Cf. Apoll. Bibl. III 10, 2, 1 *Μαῖα — — Διὶ συνελθοῦσα ἐν ἄντρῳ τῆς Κυλλήνης Ἑρμῆν τίκτει.*

2) Falso Hyginum, cum rem male intellexisset, narrationi verba intulisse 'cui dea pro magnitudine suspicionis non minorem retribuit poenam' ceterorum consensu evincitur.

dem, sed non tantam quantam exspectaveris forsitan auctoritatem paravit. Nam praeterquam quod Callistus quam ascivit genealogia postea vulgo recepta est: quod ad ipsam attinet fabulam, ex Hesiodo pendere solum vidimus *Amphidem*, ab eo certe non dissentire *Polygnotum*; addere nunc licet *Palaephatum*, quem in fabula interpretanda ab eis, quae Hesiodus narrasset, profectum esse libelli *περὶ ἀπίστων* inscripti docet caput XV (Mythogr. Gr. ed. Westerm. p. 282): *Καὶ ὁ περὶ Καλλιστοῦς λόγος τοιοῦτος, ὡς κυνηγετοῦσα ἄρκτος ἐγένετο. ἐγὼ δέ φημι καὶ ταύτην εἰς ξύλοχόν που καταντήσασαν, ὅπου ἐτύγχανεν ἄρκτος, θηρεύουσαν καταβρωθῆναι, τοὺς δὲ κυνηγετοῦντας ἰδόντας εἰσελθοῦσαν μὲν ἐπὶ τὴν τῆς ἄρκτου κοίτην, μηκέτι δ' ἐξερχομένην, εἰπεῖν ὡς ἡ κόρη ἄρκτος ἐγένετο.* Nam in venatu mutata Callisto non facile potuit dici nisi si Diana auctor fingebatur. — At de *Aeschylo* ne hariolari quidem licet, *Euripidis* de Callisto verba *ἃ λεχέων ἀπέβας τετραβάμοσι γυίοις* dubito an non ad Hesiodeam, sed ad aliam revocanda sint fabulae formam, quam infra p. 295 indicabo.

II.

§ 1.

Nunc tempus est transire ad exquirendam *alteram* quae ante aetatem Alexandrinam manifesta apparet fabulae *formam*, cuius tamen memoria quartum saeculum non superat, quanquam indicia sunt, unde et hanc perantiquam esse colligas. Ex duobus testimoniis, quae per scriptores sola ad nos pervenerunt, *Certam. Hom. et Hes.* vs. 111 sq. (Rz.)

ΗΣ. αὐτὰρ ἐπεὶ δμήθη γάμῳ, Ἄρτεμις ἰοχέαιρα —
ΟΜ. Καλλιστὼ κατέπεφνεν ἀπ' ἀργυρέοιο βιοῖο.

et *Apollod. Bibl.* III 8, 2, 4 *εἰσὶ δὲ οἱ λέγοντες, ὡς Ἄρτεμις αὐτὴν κατετόξευσεν, ὅτι τὴν παρθενίαν οὐκ ἐφύλαξεν* intellegitur hanc formam a priore eo tantum differre, quod Callisto ob amissam virginitatem a Diana non convertitur in ursam, sed transfigitur sagitta. Cave enim inde, quod in Apollod. Bibl. huius formae mentio narrationi eorum inserta est, qui

Callisto primum a Iunone mutatam, deinde a Diana interfectam dixerunt, conicias in hac quoque utrumque statuendum esse, siquidem iniquum est atque absonum eam, quae semel peccaverit, bis puniri, primum a Iunone formae iactura, deinde nece etiam a Diana [1]). Ac quis tandem ferat deam laesum pudorem etiam in ursa persequentem? Iunoni igitur locus non relinquitur, sed comitem lapsam ipsa domina mortifera poena afficit. Quae fabula, cum poetas dum versibus certant eam brevissime significantes inducere licuit, tum quidem — ineunte IV saeculo, cum ALCIDAMAS sophista certamen conderet — nimis abscondita esse non potuit.

§ 2.

Age nunc videamus, sitne eadem agnoscenda in NUMMORUM aliquot ARCADICORUM signis.

Principatum eorum, qui huc revocandi sunt, numero tenent et varietate *Orchomeniorum* nummi aënei: itaque ex his proficiscendum. Altera eorum series, *ΕΡΧΟΜΕΝΙΩΝ* [2]) nomine signata, formis leviter variatis in parte adversa dextrorsus spectantem ostendit Dianam (pone quam in nonnullis canis [3]) subsedit), cum, posito genu dextro dextraque manu reiecta,

---

1) Qui primus Callisto a Iunone conversam a Diana occidi fecit (sic Paus. VIII 3, 6 et schol. ad Hom. Σ 487) hoc crimen sic effugit, ut iram et vindictam Callistus uni daret Iunoni, cuius *ἐς χάριν* Diana deinde ursam conficeret.

2) *Ἐρχομενὸν* vetus esse nomen oppidi et Arcadici et Boeotici inscriptiones docent, cf. Meister Dial. Graec. II 89.

3) Cervam sibi visus est dispicere Friedlaender ('Arch. Zeit.' 1864 p. 135). Sed canem ceteri omnes agnoscunt. Canis Dianam comitatur etiam in eis Orchomeniorum nummis qui Caesarum aetate prodierunt (cf. 'Journal of Hell. Stud.' 1886 p. 100) atque etiam attributa erat in templo prope Acacesium sito Dianae statuae, quam Paus. VIII 37, 4 sic describit: *Ἄρτεμις μὲν παρὰ τὴν Δήμητρα ἕστηκεν ἀμπεχομένη δέρμα ἐλάφου καὶ ἐπὶ τῶν ὤμων φαρέτραν ἔχουσα, ἐν δὲ ταῖς χερσὶ τῇ μὲν λαμπάδα ἔχει, τῇ δὲ δράκοντας δύο· παρὰ δὲ τὴν Ἄρτεμιν κατάκειται κύων, οἷαι θηρεύειν εἰσὶν ἐπιτήδειοι.* Fortasse et qui formam nummariam scalpsit statuam reddidit; sed quam imitatus sit, nec suspicari licet, cf. 'Journ. of Hell. Stud.' 1886 p. 100.

sinistra quam porrexit arcum tenet, tanquam sagittae, quam modo emisit, spectet effectum; in aversa sinistrorsus spectantem feminam passis manibus resupinam cadentem, pone quam infans aut iacet supinus aut humi sedens dextram ad illam tendit (cf. Imhoof-Blumer, 'Monn. gr.' p. 203 No. 246 et 247. tab. E 10. Catal. Mus. Brit., Pelop. ed. Percy Gardner p. 190. tab. XXXV 15). Prae ceteris insigne est exemplum Berolini asservatum, quod Friedlaender ('Arch. Zeit.' 1864 p. 133 sqq. tab. CLXXXIII 4) proposuit; in hoc enim femina fluitante veste induta magnam sinu recepisse sagittam conspicitur, quae in reliquis aciem oculorum iam fugit. Altera series, distincta litteris *EP* pro pleno titulo positis, forma non differt, nisi quod in exemplo quod Friedlaender ('Arch. Zeit.' 1872 p. 79, 4) repraesentavit femina adversa figura, dextrorsus conversa facie cernitur, cum sinuosa vestis delapsa inferiora corporis circumfluit; alterum descripsit Imhoof-Blumer, 'Monn. gr.' p. 203 No. 248. Duplici huic seriei adnumeranda est altera species, quae, plerumque litteris *EP* notata, in adversa parte caput cum casside exhibet aut barbatum aut imberbe, sed in aversa Dianam arcum tenentem aut eodem quo in superioribus nummis habitu (cf. Prokesch-Osten Ined. tab. III 98) aut rectam assistentem talarique tunica vestitam (cf. Prokesch-Osten ib. III 97. Imhoof-Blumer p. 203 No. 249. Cat. Mus. Brit., Pelop. p. 190 t. XXXV 16).

Utraque species quin Orchomeno assignanda sit A r c a d u m, dubitatio non iam potest nasci, cum quod Prokesch-Osten p. 277 quae descripsit exempla loco Orchomeni ipsum se invenisse affirmat, tum quod non Dianae modo par atque eadem effigies genu posito arcum tenentis in Heraeensium nummis frequens est, qui adversi Minervae caput prae se ferunt (cf. Imhoof-Blumer p. 194 No. 226—228), sed ipsa femina cum infante plane eodem habitu motuque atque est in Orchomeniorum quod Imhoof-Blumer repraesentavit exemplo redit in averso nummo *ΜΕΘΥΔΡΙΕΩΝ* nomine signato, qui adversus caput Iovis laureatum exhibet (cf. Imhoof-Blumer p. 200 No. 244. t. E 9). Diu enim, praesertim cum exempla satis integra nondum praesto essent, nec de origine nec de forma ac propterea ne de inter-

pretatione quidem nummorum constabat; nam vulgo tribuebantur Orchomeno Boeotorum, qua de causa interpretum conatus signa explicandi eludebantur: Sestini enim Actaeonem ad rupem alligatum (cl. Paus. IX 38, 4), Head olim ('Numism. Chronicle' 1873 p. 110) Atalantam et Venerem cum Amore, Friedlaender signo accuratius cognito Nioben cum uno ex liberis agnoscere sibi videbatur. Denique Imhoof-Blumer ('Wiener num. Zeitschr.' 1877 p. 25 et postea 'Monn. gr.' p. 200 sq.), cum allato Methydriensium nummo evinceret de Orchomeno Arcadum cogitandum esse et adhibita domestica Callistus fabula signa explicaret, rem expedivit atque absolvit. Neque enim alia poterit reperiri fabula similis, quae Arcadum res ita contingat, ut in formam nummariam recepta esse credi possit. Quare qui contra diceret, quantum scio, nemo exstitit.

Palam vero eadem nobis occurrit fabula in argenteis, qui artificiosa sua forma praestant, *Pheneatarum* nummis, qui adversi caput Cereris, aversi Mercurium habent, qui sinistrorsus currens dextra caduceum tenet, sinistra puerum gestat; cum vero ad inscriptionem *ΦΕΝΕΩΝ* interdum litteris paulo minoribus adiectum sit pueri nomen ΑΡΚΑΣ, interpretatio signi non est dubia. Exstat autem duplex forma: exemplum alterius perfectioris, quam Rud. Weil ('Zeitschr. f. Numism.' IX p. 35 not. 1) ad Praxitelis auctoritatem[1]) revocavit, proposuerunt Friedlaender-Sallet ('Königl. Münzkab. Berlin'[2] t. II 153), alterius Rud. Weil ('Z. f. Numism.' IX t. II 8) et Percy Gardner in Mus. Brit. catal. (Pelop. t. XXXVI 7).

De aetate, qua totum hoc genus percussum sit, in universum quidem nummorum periti consentiunt: Post pugnam Leuctricam Arcades coepisse cum omnino aere uti tum fabulas adhibere domesticas docet Rud. Weil p. 33 sq. (cf. Ulr. Köhler, 'Mitth. d. arch. Inst.' VII p. 4. 6); tum enim excitabatur, quae Lacedaemoniorum principatu ad illud tempus oppressa iacuerat, communis originis propriaeque virtutis conscientia[2]). Spatio

1) Inventionis tamen laudem Weil scalptori reservavit neque aliter iudicarunt Imhoof-Blumer et Gardner, 'Journ. of Hell. Stud.' 1886 p. 101.

2) Cf. Xen. Hell. VII 1, 23.

autem pugnam subsequenti ut tota quae huc pertinet series nummorum aëneorum assignanda sit, sententia inclinat Imhoof-Blumeri (p. 197), neque aliter indicasse videtur Weil aut P. Gardner in M. B. catal. p. 182 sqq.: at Head in Hist. num. p. 377 consentit de Orchomeniorum et Methydriensium, sed dissentit (p. 375) de nummis Heraeensium, cum hos intra annos 322 et 280 collocet, causa, ni fallor, hac commotus, quod horum forma minus quam illorum perfecta est. Eidem tamen tempori omnes pariter ascribere coactus sit, si quis de consilio in signis agnoscendo sentiat cum Weilio, qui p. 34 sic indicat: ʽUnter dem Einfluss der arkadischen Einheitsbewegung und in unverkennbarem Gegensatze dazu wird die Stammsage betont in dem Typus der schiessenden Artemis und der zum Tode getroffenen Kallisto mit dem Arkaskinde.' Ac profecto et Orchomenios [1]) et Heraeenses [2]) scimus inde a principio aversos fuisse a consilio omnes Arcades in unum foedus consociandi et contra populares arma tulisse cum Lacedaemoniis. Methydrienses, qui participes fuerant condendae Megalopolis (cf. Paus. VIII 24, 4), quam maxime est probabile inter eos fuisse, qui non multo post in patriam redirent, dum a Megalopolitanis Thebanorum auxilio vi reducerentur (cf. Diod. XV 94); medio autem tempore formam Orchomeniorum receperant; fuerant enim, ut Pausanias VIII 27, 4 scribit, *ἐκ τῶν συντελούντων ἐς Ὀρχομενόν*, et utriusque oppidi conditor, ut idem VIII 3, 3 et 36, 1 refert, dicebatur Orchomenus; postea rursus Methydrium *πόλιν μὲν οὐκέτι, κώμην δὲ ἐς τὸ Μεγαλοπολιτικὸν συντελοῦσαν* invenit Paus. VIII 12, 2. Ab hac igitur parte Weilii sententiae omnia favent. Nec temporum ratio ei repugnat didrachmarum quas Pheneatae effigie Mercurii Arcadem gestantis ornaverunt formam eodem modo explicanti. Pro-

1) Cf. Xen. Hell. VI 5, 11 *Ὀρχομενίων δὲ οὐκ ἐθελόντων κοινωνεῖν τοῦ Ἀρκαδικοῦ διὰ τὴν πρὸς Μαντινέας ἔχθραν* — —

2) Ibid. *Ἡραιεῖς δὲ καὶ Λεπρεᾶται συνεστρατεύοντο τοῖς Λακεδαιμονίοις ἐπὶ τοὺς Μαντινέας* — et 5, 22 *οἱ Ἀρκάδες στρατεύουσιν ἐπὶ τοὺς Ἡραιέας, ὅτι τε οὐκ ἤθελον τοῦ Ἀρκαδικοῦ μετέχειν καὶ ὅτι συνεισβεβλήκεσαν εἰς τὴν Ἀρκαδίαν μετὰ τῶν Λακεδαιμονίων.*

bavit[1]) enim hos nummos argenteos tempori fere pugnae apud Mantineam commissae assignandos esse, cum tanta inter Arcades dissensio exorta esset, ut cum Megalopolitanis Thebanisque soli starent qui proximam tenebant regionem (cf. Xen. Hell. VII 5, 5) contra eos qui mediam et septentrionalem terrae partem incolebant, quorum socii Lacedaemonii et Athenienses erant.

Nec tamen foederis adversarii Callistus Arcadisve personas eo consilio in nummos recipere poterant, ut ad communem omnium Arcadum originem provocarent, sed ita tantum, ut propriam suam in nummis repraesentarent fabulam, hac quoque ratione studia sua manifestantes; nam, ut ait Xenophon in Hell. VI 5, 6, *ἔπραττον ἐᾶν τε κατὰ χώραν τὴν πόλιν καὶ τοῖς πατρίοις νόμοις χρῆσθαι.* Propriam autem fuisse Orchomeniis Callistus, Pheneatis Arcadis quodammodo fabulam facile demonstrari potest. Quod quidem apud illos Dianae cultus eximio honore floruit (cf. Paus. VIII 13, 1. 5, 11), apud hos Mercurii, quippe quem apud se natum praedicarent (cf. Paus. VIII 14, 10 *θεῶν δὲ τιμῶσιν Ἑρμῆν Φενεᾶται μάλιστα*; 16, 1; 17, 5. Head Hist. num. p. 378), id aperit, cur Dianae figura in illorum, Mercurii in horum nummis appareat; et quia et ipsi Dianam magnopere colebant (cf. Imhoof-Blumer 'M. gr.' p. 197), Heraeenses ab Orchomeniis deae figuram mutuati in suos nummos transtulerunt. Sed inde, quod *τάφος Καλλιστοῦς*, ut ex Paus. VIII 35, 8 verbis elucet, non multum a Methydrio aberat oppido Orchomeniis olim subiecto, efficiendum est Orchomenios in suis finibus Callisto a Diana transfixam gloriatos esse. Item Pheneatas Arcadem sibi vindicasse puerum a Mercurio ablatum infra (p. 281) videbimus. Ergo Orchomenii cum Methydriensibus et Pheneatae nihil aliud fecere quam Stymphalii, cum sua signa effigie Herculis ornabant, aut Tegeatae, cum Cepheum Tele-

1) p. 35 'Für die arkadische Eidgenossenschaft wird in gleicher Weise wie bei den Chalkidiern vorausgesetzt werden dürfen, dass die Prägung des Grosssilbers dem Bunde vorbehalten war.' Cf. p. 36 'Entstanden ist diese Drachmenprägung als Grossgeld der arkadischen Föderalisten im Gegensatze zum arkad. Bundesgeld von Megalopolis.'

phum Steropen repraesentabant, eadem omnes aetate. Tegeatarum vero exemplum monet, Weilii coniecturae ne nimis confidamus. In Tegeatis enim haec deficit, quippe qui foederis partes tenere perseveraverint et tamen ad nummos signandos propriam adhibuerint fabulam. Deficit etiam in tertio, quod e Callistus fabula petitum est, signo [1]). Descripsit enim delineavitque Comnos ('Revue numism.' 1865 p. 161 sq. t. VII 5) nummum argenteum, cuius in parte adversa inter litteras *P-Δ* (i. e. *ΑΡΚΑΔΩΝ*) dextrorsus spectans Iovis caput apparet laureatum, in aversa puer nudus, humi sedens, dextra folium, ut videtur, tenens, sinistra in terram innixus; subscriptum est *ΑΡΚΑΣ*.

Sed quoquo consilio Callistus fabula a singulis adhibita est, id certum videtur, omnibus illis signis, utpote quae eiusdem sint regionis et eiusdem temporis, eandem subesse fabulae formam. Iam igitur certo comperimus, quid in ipsa fabulae patria, cum Megalopolis conderetur, de Callisto sit creditum, modo constet de interpretatione.

Imhoof-Blumer, 'Monn. gr.' p. 201 signa ad Pausaniae revocavit narrationem, ex qua Callisto a Iunone in ursam mutata a Diana conficitur, infans a Mercurio ab interitu servatur, quanquam in nummis Callisto integram habet speciem humanam. Ita enim argumentatus est: 'On sait combien il répugnait à l'art antique de représenter des métamorphoses accomplies, et qu'on se contentait généralement d'indiquer le changement d'une figure humaine en animal par l'addition de quelque petit attribut —. Si un signe caractéristique de ce genre fait défaut à Kallisto, c'est sans doute uniquement à cause de la difficulté de trouver un moyen, clair et simple à la fois, de signaler le changement sur un espace aussi restreint

1) Dubitanter ad Arcadem Lycaonemve aut ad Callisto etiam alias in nummis Arcadicis figuras rettulit Percy Gardner in Mus. Brit. catal., Pelop. p. 185 sq. (in nummis Mantinensium arg. caput cum casside barbatum et [in parte aversa] caput nymphae), p. 190 (in n. Orchomeniorum aën. rursus caput cum casside barbatum et [in p. aversa] virum armatum), p. 201 (in n. Tegeatarum aën. iterum [in p. aversa] virum armatum). Cf. etiam 'Journal of Hell. Stud.' 1886 p. 98.

que l'est le flan d'un petit bronze. Remplacer une tête de femme par une tête d'ourse n'était pas du goût du temps et revêtir Kallisto de la peau d'une ourse, aurait été difficile à rendre d'une manière distincte et gracieuse' [1]). At enim minime video, cur tandem artifici difficilius fuerit Callisto pelle ursina velare (qua nota Polygnotus usus erat) quam fluitante veste, qualem distincta arte perfectam duo exempla ostendunt a Friedlaendero proposita. Hoc igitur argumentum ex difficultate exsequendi repetitum futtile mihi videtur. Aliud autem ille non attulit. Decepit eum magna similitudo, quae inter Paus. narrationem et signa intercedit; ac debuit ad illam confugere, quia alteram, ex qua Callisto Dianae sagitta perit nec tamen antea amisit humanam speciem, haud dubie sicut alii [2]) ignoravit; quod libenter ignoscet qui meminerit in litteris huius non plus quam duobus locis iisque tam breviter mentionem fieri, ut eum, qui non diligenter fabulae memoriam perquisiverit, facile fugere possit, cum similis Pausaniae narratio oculos statim ad se convertat, quia sola continere videtur quae sufficiant ad Orchomeniorum simul et Pheneatarum signa explicanda.

Sed accuratius spectanti apparet eandem facultatem alteram quoque habere fabulae formam, quae ne in figura quidem Callistus a signis discrepat. Nam Pheneatarum Mercurium qui Arcadem puerum aufert e Pausaniae narratione iam Hesiodo vindicavimus et nunc vindicare debemus eorum quoque narrationi, qui Callisto non mutatam, sed interfectam esse voluerunt, cum apud hos eo non minus opus sit quam apud Pausaniam. Dubium ergo non iam potest esse, utra fabula signorum interpreti praeferenda sit. At enimvero dixerit quispiam certo, utra expressa sit, non posse diiudicari; neque enim deesse exempla, quae doceant interdum omnem commutatae figurae notam ab artificibus omissam esse [3]). Verum est; sed alia accedunt,

1) Similia sensisse videtur Weil p. 34 not. 3.

2) Cf. Robert-Preller I⁴ p. 304 adn. 2.

3) Joannes Bolte in diss. de monumentis ad Odysseam pertinent. epimetro I, quod inscripsit 'metamorphoses quomodo effinxerint artifices antiqui', p. 44 Actaeonem commemorat, qui saeculo VI et V, non iam IV,

quibus res ad certum redigatur: Non premo quod hanc quam agnoscimus fabulam eadem aetate qua nummi prodiere Alcidamas sophista in Hom. et Hes. certamine significavit; sed eam valuisse in Arcadia inde colligam, quod sub Maenalo Callistus tumulus monstrabatur; sepulta enim dici non facile potuit ursa, debuit interfecta femina. Porro Pausaniae narrationis, ut infra comprobabitur, certe exitus catasterismo auctus nummis aetate inferior est, narratio autem sine isto exitu nusquam antea nobis occurrit; ac quanquam eiusmodi est, ut etiam sine eo stare potuerit, tamen sine idonea causa non licet catasterismum novamque fabulae conformationem non ad eundem auctorem referre posteriorem. Denique ipsa imago Dianae feminam pone quam infans humi trepidat sagitta traicientis male exprimit istam narrationem, in qua primas partes Iuno agat, Diana secundas, at optime reddit — totam enim quodammodo exhaurit — eam, ex qua Diana Callisto quia mater facta est interficit. Quibus de causis eam interpretandi rationem, quae ut simplicissima ultro se offert, etiam necessariam existimo nec dubito, quin qui certamen composuit et qui in Arcadia signa scalpsere eandem fabulam ante oculos habuerint[1]).

Sed cum plenam narrationem refingere aggredimur, exoritur dubitatio, quid de mortis statuendum sit tempore, utrum ante an post partum Callisto sit a Diana perempta. Ceteras si respicimus fabulae formas, dum gravida est eam poena affectam invenimus: sic in Hesiodea, sic in Pausaniae et eorum qui in summa cum eo consentiunt narrationibus. Dissentit Ovidius demum: hic enim certam ob causam finxit Callisto postquam partum edidisset a Iunone aemula commutatam esse. Verum

etiam nudus contra canes dilaniantes se defendens repraesentatus sit, sine ullo novae figurae indicio.

1) Si constat de signis nummorum, constat etiam de Callistus statua, quam cum compluribus aliis Arcades, non ut Paus. X 9, 5 vult Tegeatae, post pugnam Leuctricam Apollini Delphico dedicaverunt (cf. 'Mitth. d. arch. Inst. in Ath.' 1889 p. 17 sqq.). Nec iam repetere licet quae Overbeck ('Gr. Kunstmyth.' II p. 415) pronuntiavit: 'Ob und wie (die Verwandlung) in der Gruppe bezeichnet war, ist auf keine Weise zu errathen.'

consensus priorum si non convincit, attamen comprobat in hac quoque forma Callisto iam gravidam sibi Dianae iram contraxisse, cui sententiae ipsa rerum condicio favet, siquidem facile credas deae eius quam secum haberet statum non usque ad finem latuisse; favent ei etiam verba non minus quae in Certamine exstant *ἐπεὶ δμήϑη γάμῳ* quam quae in Bibl. *ὅτι τὴν παρϑενίαν οὐκ ἐφύλαξεν*. Repugnare videntur nummi, cum infantem exhibeant prope matrem iacentem. At enim notum est, quam non rarum sit in veterum picturis, ut quae deinceps facta sunt una oculis subiciantur, ut tota ex imagine appareat historia [1]). Arcadis autem figura ideo opus erat, ut simul, cur femina mortem perpeteretur, causa appareret. Neque igitur licet in hac quidem re nummis quidquam momenti tribuere.

Iam cum veri sit simillimum matrem periisse, priusquam infans lucem aspexisset, opus est, ut testimonia suppleamus, arcessere Pausaniae verba *καὶ ὁ Ζεὺς Ἑρμῆν πέμπει σῶσαι τὸν παῖδά οἱ προστάξας, ὃν ἐν τῇ γαστρὶ εἶχεν ἡ Καλλιστώ*. Talia enim huius narrationis auctori necessario fingenda erant. Quae secuta sint, aperiunt Pheneatarum didrachmae, cum Mercurium ostendunt Arcadem cursu auferentem. Qui quonam tendat, quaerenti respondet Apollod. qui fertur his: *Ζεὺς τὸ βρέφος ἁρπάσας ἐν Ἀρκαδίᾳ δίδωσιν ἀνατρέφειν Μαίᾳ*, in quibus Iovis mandata exsequi intellegendus est Mercurius. Iam Maia credebatur habitasse in Cyllene; Cyllenes autem sub radicibus iacebat Pheneus. Pheneatae ergo propriam hanc et domesticam habuerunt quam in nummis expressere fabulam, ut Callistus Orchomenii.

Iam in eo est, ut videamus, num ipsam narrationem proponere liceat; sed simul atque ad singula constituenda accessimus, in tenebris versamur; nec spes est aut via haec probabiliter recuperandi, quia nulla nobis plenior huius formae narratio succurrit. Itaque satis habeamus necesse est fabulae

1) De hac prolepsi cf. Bolte diss. de monum. ad Odyss. pertin. p. 43 c. adn. 91. Unum e multis est exemplum Argus Ioni puellae nondum mutatae adiectus, cf. Overbeck, 'Gr. Kunstmyth.' II p. 467 sq.

speciem adumbrare; ac si omnia comprehendimus, haec fere efficiuntur:

Callisto, Lycaonis filia, inter Dianae comites recepta postquam castam se esse permansuram spopondit[1]), Iovis accendit amorem et passa est amplexum. Diana autem ubi vidit, quam dilexerat, eam virginale decus perdidisse, ira exarsit ac protinus sagitta gravidam transfixit. Sed ab Iove missus aderat Mercurius, qui infantem ex occisae utero ereptum in Cyllenen montem ad suam ferret matrem nutriendum. Illic adolevit Arcas nominatus. Callisto autem, ubi periit, sepulta est.

In promptu est quam Hesiodus dedit narrationem hac quae in Callistus patria valuit esse antiquiorem. Potest enim haec ex illa, nunquam illa ex hac deduci. Mirum vero non est, quod illa in hanc transiit. Nam cum sensus fabulae is esse hominibus videretur, ut Callisto haud conservatae virginitatis deae virgini poenam daret, facillime potuit fieri, ut in eius locum, quae mira esset neque ipsa fabula explicaretur, alia substitueretur poena, quae in talibus delictis sollemnis esset naturaeque Dianae conveniret[2]). Etenim ad sensum quem in-

1) Virginem se mansuram Callisto iure iurando promittit in Apollodori Bibl. III 8, 2, 3, ubi in codicibus haec sunt: *ὤμοσεν αὐτοῦ μεῖναι παρθένον* (corrupta haud dubie), et in Ovidii Fast. II 157 sqq. In Apollodori autem narratione, quam Ovidiana priorem esse videbimus, ista quam refingimus posteriorem, tali Callistus voto facile caremus, quia non quod hoc violavit a Diana, sed quia Iovi placuit a Iunone punitur; at aegre tali voto caremus in ista, in qua ob amissam virginitatem poenam det; culpae enim eius augetur species et magis intellegitur praeceps Dianae ira, si quae lapsa est illi etiam periura habenda est; quod sensisse videtur Ovidius, cum Dianam exclamantem faceret: 'periura Lycaoni' (Fast. II 173). Itaque votum illud suo auctori mihi videor restituisse.

2) Quam multis in fabulis hanc Diana in nefarios exerceat poenam, quam ex Arcadum narratione in Callisto exercuit, paene superfluum est monere. Nonnulla certe mihi obvia afferam exempla: Maeram Locri matrem ab ea interfectam esse narraverat Pherecydes (cf. schol. Od. λ 326), Apollinis gratia Coronidem Hesiodus, in Arcadia Buphagum refert Pausanias VIII 27, 17 et Limona Tegeatae filium idem VIII 53, 3. De Niobae filiabus taceo.

duit fabula solet accomodari ac submutari: quae non iam necessaria intelleguntur possunt, non debent, aut omitti aut sic transformari, ut novae condicioni magis conveniant. Hoc factum est apud Arcades in Callistus fabula; ac tam erat in proclivi hic poenae transitus, ut sua sponte fieri posset, cum fabula per tempora traderetur, neque opus sit ad poetae nescio cuius auctoritatem in Arcadia praevalentem confugere, qui consulto pro formae iactura eam poenam, quae et aptior et ad fidem pronior videretur, substituerit. Atque id eo minus est probabile, quod nova haec fabulae forma apud Arcades perantiqua erat, si quid ei licet tribuere, quod sub Maenalo tumulus erat aede Dianae ornatus, quem Callistus ossa tenere credebant; nec veri simile sero demum talem opinionem esse confictam. Ceterum praeterea nihil novatum videmus nisi quod cum novo exitu ipso cohaerebat, operam dico paulo mutatam Mercurii, cui non iam ursa nutrienda, sed ex matris utero exsecandus est Arcas. Quod Mercurii negotium memoriam excitat Iovis Liberum et Apollinis Aesculapium servantis. Plane eadem ac de Arcade narrata sunt de Aesculapio: Hesiodus enim tradiderat matrem eius Coronidem a Diana sagitta esse traiectam, ipsum ex inanimi illius corpore ab Apolline ereptum et in Chironis antrum perlatum; Pausaniae (II 26, 6) auctor (fortasse Ister) puerum voluit servatum esse a Mercurio. Haec qui exposuit, Wilamowitz in Quaest. philol. IX p. 70 sqq. vidit horum exemplar fuisse *Διονύσου γονάς*, quas notum est ita conceptas fuisse, ut Juppiter matre fulmine tacta infantem conservaret denuoque partu editum Mercurio traderet, qui nymphis aut nutrici committeret. Quae fabula celeberrima ut exemplo suo rexit quae de Aesculapio narrabantur, ita traxit quae de Arcade simillima.

III.

§ 1.

Venio nunc ad *tertiam* fabulae *formam*, qua Callisto primum mutata, tum etiam occisa, denique inter astra sublata fertur.

Haec nova forma, cuius memoria supra Alexandrinam

aetatem non ascendit, sed testimoniorum copia excellit, in triplicem modum variata perlustrantibus occurrit. Proficiscendum est ex quinque, quae ad rem cognoscendam maximi momenti sunt, narrationibus Graecis; de quibus tamen una quidem non proprii esse pretii videtur, eam dico quam Eustathius ad Σ 485 p. 1212 profert, cum maxime suspicari liceat eam ex schol. Hom. esse depromptam; certe in ea nihil inest, quod ab illis absit. Reliquae autem quattuor aequabiliter in duo genera discedunt, quae eo distinguuntur, ut in altero Iuno aemulam ipsa dicatur convertisse, in altero Iuppiter uxorem ut furtum suum celaret convertendo praevenisse, sed ceteris omnibus inter se concinunt. Nec vero binarum narrationum alteram ex altera manasse, sed utramque propriam habere auctoritatem et ex communi fluxisse fonte eo evincitur, quod in utroque genere altera non nihil habet, quo altera careat. Quod ut ipse oculis cernas, in uno eas conspectu ponam, secutus quem supra indicavi ordinem:

Schol. Ven. A ad Il. XVIII 487	Paus. VIII 3, 6	Apollod. Bibl. III 8, 2, 3 (exscr. Tzetz. ad Lyc. 481)	Liban. p. 1101
Ζεὺς Καλλιστοῦς τῆς Λυκάονος ἐρασθεὶς ἐμίσγετο αὐτῇ λανθάνων Ἥραν. ἐπιγνοῦσα δὲ ἡ θεὸς μετέβαλεν αὐτὴν εἰς ἄρκτον καὶ ὡς θηρίον Ἀρτέμιδι προσέταξε τοξεῦσαι. Ζεὺς δὲ εἰς οὐρανὸν	*Ταύτῃ τῇ Καλλιστοῖ, λέγω δὲ τὰ λεγόμενα ὑπὸ Ἑλλήνων, συνεγένετο ἐρασθεὶς Ζεύς. Ἥρα δέ, ὡς ἐφώρασεν, ἐποίησεν ἄρκτον τὴν Καλλιστώ, Ἄρτεμις δὲ ἐς χάριν*	*Αὕτη σύνθηρος Ἀρτέμιδος οὖσα, τὴν αὐτὴν ἐκείνῃ στολὴν φοροῦσα, ὤμοσεν † αὐτοῦ μεῖναι παρθένον*[1]. *Ζεὺς δὲ ἐρασθεὶς ἀκούσῃ συνευνάζεται (εἰκασθείς, ὡς μὲν ἔνιοι λέγουσιν, Ἀρτέμιδι,*	*Τὴν Ἥραν ὁ Ζεὺς ἐλύπει Καλλιστοῦς ἐρῶν καὶ ποιεῖ τὴν ἐρωμένην ἄρκτον τοῦ τὴν Ἥραν λαθεῖν. ὡς δὲ αὐτὴν ἔχοι πλησίον*[2]), *μεταδίδωσι τοῦ*

1) *ὤμοσε μενεῖν παρθένος* scr. Hercher. Sed restat *αὐτοῦ*. Lateatne *ἀεί*;

2) Sic in codice, cf. Hercher in Herm. II p. 149. Westermann in Mythogr. p. 374 ex coniectura dedit *ὡς δὲ αὐτῆς ἔσχε πλήσμιον,* quod non uno nomine perversum est. Omnia sana sunt. Ad sententiam cf. Luc. Deor. conc. 5, ubi Momus reprehendit, quod Liber Icarii filiam canemque (signa Virginis et Caniculae, cf. Hyg. Astr. II 4 p. 36, 21 B.) in caelum i. e. in deorum societatem sustulerit, et quae infra ad Valerii Flacci locum adnotabo.

αὐτὴν ἀναγαγὼν πρώτην κατηστέρισεν. ἡ ἱστορία παρὰ Καλλιμάχῳ.

[Eustath. p. 1212, exscr. Eudoc. 533

Καλλιστὼ τὴν Λυκάονος χόλῳ Ἥρας διὰ τὸν Διὸς ἔρωτα μεταπεσεῖν εἰς ἄρκτον λέγουσι, καὶ τοξευθῆναι μὲν ὑπ' Ἀρτέμιδος, ἀναχθῆναι δὲ εἰς ἀστέρας ὑπὸ τοῦ Διός.]

τῆς Ἥρας κατετόξευσεν αὐτήν. καὶ ὁ Ζεὺς Ἑρμῆν πέμπει σῶσαι τὸν παῖδά οἱ προστάξας, ὃν ἐν τῇ γαστρὶ εἶχεν ἡ Καλλιστώ· Καλλιστὼ δὲ αὐτὴν ἐποίησεν ἀστέρας, καλουμένην Ἄρκτον μεγάλην.

ὡς δὲ ἔνιοι, Ἀπόλλωνι). βουλόμενος δὲ Ἥραν λαθεῖν εἰς ἄρκτον μετεμόρφωσεν αὐτήν. Ἥρα δὲ ἔπεισεν Ἄρτεμιν ὡς ἄγριον θηρίον κατατοξεῦσαι — ἀπολομένης δὲ Καλλιστοῦς Ζεὺς τὸ βρέφος ἁρπάσας ἐν Ἀρκαδίᾳ δίδωσιν ἀνατρέφειν Μαίᾳ, προσαγορεύσας Ἀρκάδα· τὴν δὲ Καλλιστὼ καταστερίσας ἐκάλεσεν Ἄρκτον.

οὐρανοῦ. καὶ ἔστι Καλλιστὼ[1]) τῶν ἀρκτῴων ἀστέρων. ἀπὸ δὲ ταύτης παῖς Ἀρκάς, ὅθεν Ἀρκάδες. οὗ τεχθέντος Ἑρμῇ τῆς σωτηρίας ἐμέλησε.

Quae quanquam una discrepantia manifesta distinentur, tamen ab eodem fonte deductos deprehendere mihi videor rivulos eo inter se dispares, ut hi propius, longius illi a communi fonte absint. Re enim et ipsis verbis nonnullis non solum binae eiusdem generis narrationes inter se congruunt, verum etiam consentitur praeter unum illud discrimen inter omnes aequabiliter. Afferam quae sub oculos cadunt duo haec exempla:

{ I. ὡς θηρίον Ἀρτέμιδι προσέταξε τοξεῦσαι.
{ III. ἔπεισεν Ἄρτεμιν ὡς ἄγριον θηρίον κατατοξεῦσαι.

{ II. καὶ ὁ Ζεὺς Ἑρμῆν πέμπει σῶσαι τὸν παῖδά οἱ προστάξας.
{ IV. Ἑρμῇ τῆς σωτηρίας ἐμέλησε.

Iam inquirendum est, qui et qualis fons ille fuerit omnibus communis. Quam priore loco posuimus quaestio eis solvitur, quae scholio Hom. subscripta sunt: ἡ ἱστορία παρὰ Καλλιμάχῳ. Sed enim, cum Schwartzii egregia studia (in Fleckeis. Annal. suppl. XII p. 1 sqq.) talium subscriptionum fidem infirmaverint, opus est circumspectare, si quid reperiamus, quod testimonio scholiastae praesidio sit; prorsus enim inane id habere non licet; sed id potest fingi, initio utramque narratio-

1) καλλίστη cod., cf. Hercher ibid.

nem in scholio notatam fuisse, Callimachi autem mentionem ad alteram leviter deflexam spectasse, quae postea omitteretur, ut nunc auctoris nomen quo iure referretur non iam haberet, id quod non semel factum esse Schwartz l. l. exemplis allatis comprobavit. Verum tamen Callimachum rem sic enarrasse, ut scholiasta vult, eo confirmatur, quod eius discipulus *Ister* (frg. 57) Themisto suam, ad quam Callistus fabulam transtulit, item a Iunone conversam inducit. Ergo certe non est, cur de subscriptionis fide dubitemus. Porro, ubi non iam Dianae ira, sed Iunonis invidia fingitur causa fuisse, cur Callisto bestia fieret, illud est et simplicissimum et proximum, ut Iuno Dianae partes subeat; sequitur, ut prior sit illa forma, quae Callisto a Iunone ipsa mutatam exhibet, posterior et ex illa demum deducta haec, quae puellam a Iove, ne Iuno adulterium sentiret, conversam facit. Ergo pro principali fonte accipere debemus narrationem Callimachi.

Sed exsistit quaestio, quinam factum sit, ut eius exemplum postea qui secuti sunt nonnulli, quamvis leviter, immutarent. Causam novandi procul dubio — idque iam a Roberto in Prelleri Myth. I[4] p. 304 adn. 2 perspectum non sine gaudio vidi — simillima Ius fabula praebuit pari atque eodem modo variata et saepe cum Callistus fabula composita. Attamen poetam illi hanc adaequasse, cum Callimachum secutus eam denuo versibus exprimeret, nequaquam est credibile. Obstat enim, quo ambas narrationis species inter se devinctas esse cognovimus, rerum verborumque concentus, quem expedire non potest qui ad poetam confugeret mutationis auctorem, utpote quem nemo crederet eisdem ac Callimachum verbis usum esse. Qua de causa statuendum est *mythographum* quendam, qui fabulas ad verbum transcribere aut fastidiosa cum diligentia excerpere putidum duceret, notissima Ius fabula, cuius in consimili Callistus fortuna ei in memoriam venisset, adductum esse, ut huius quoque res ad illius exemplum redderet, scribens Iovem, ut uxorem furtum celaret, dilectam puellam ipsum deformi ursae specie abdidisse. In reliquis nihil novavit, sed intacta quae invenit transtulit. In eo enchi-

ridio mythologico, quod Pausaniae in manibus fuisse indicant, utramque fabulam priorem formam simpliciorem usque retinuisse docent quae I 25, 1 ad statuas illustrandas adnotavit: *Ἰὼ τὴν Ἰνάχου καὶ Καλλιστὼ τὴν Λυκάονος — — αἷς ἀμφοτέραις ἐστὶν ἐς ἅπαν ὅμοια διηγήματα, ἔρως Διὸς καὶ Ἥρας ὀργὴ καὶ ἀλλαγὴ τῇ μὲν ἐς βοῦν, Καλλιστοῖ δὲ ἐς ἄρκτον.* At in Apollod. Bibl. illa II 1, 3, 2, haec III 8, 2, 4 a Iove conversa esse perhibetur. Io autem a Iove ipso, ut amorem posset abiurare, mutatam esse iam in Catalogis narratum erat Hesiodeis (cf. Kirchhoff in Philol. XV p. 13 sq.), cf. frg. 4, quod Rzach vix recte assignavit Aegimio.

§ 2.

Denique recentiorem hanc narrationis formam tertio loco in Ursae maioris titulo prolatam legimus in *Hygini* Astron. II 1 p. 31, 6 Bunte [Buntii memoriam ex optimis libris correxit Bursian in Act. acad. Monac. 1876 p. 9]:

'Sed alii dicunt, cum Calisto Iuppiter esset in silvam persecutus, Iunonem, suspicatam id quod evenit, contendisse, ut eum manifesto diceret deprehendisse. Iovem autem, quo facilius suum peccatum tegeretur, in ursae speciem conversam reliquisse. Iunonem autem in eo loco pro virgine ursam invenisse; quam Dianae venanti, ut eam interficeret, demonstrasse. Quod factum ut perspiceretur Iovem aegre tulisse, effigiem ursae stellis figuratam constituisse' [1]).

Ingressum narrationis videmus valde exornatum. Copiose enim, cur et quemadmodum Iuno intervenerit, exponitur. At extremam partem contractam et imminutam invenimus. Infans enim Iovis opera ab interitu conservatus ne uno quidem verbo significatur. Quae ceteris testibus Hyginus plura exhibet, num omnia pleniori quam quales nobis suppetant fonti debeat, subdubitabit quicunque inspecta Roberti Catasterismorum editione

1) Extrema verba a Buntio falso distincta sunt, quanquam iam recte erant a Stavereno; graviore enim nota post 'tulisse' posita ille cum enuntiatum in duo discerpsit sensum corrupit et orationem.

animadverterit, quantopere ille, quo magis rem illustraret, hic illic de suo addere amaverit, si quae ad rerum condicionem magis cognoscendam aut ad augendam rerum copiam conducere arbitraretur, quanquam plerumque res sunt levioris momenti. Verum tamen hic si minus omnia, at certe longe plurima non ex Hygini ipsius ingenio, sed ex eius manasse fonte inde cognoscitur, quod non solum nihil ceterorum testimoniis aut tenori fabulae repugnat, sed etiam nonnulla, quae a ceteris brevius quam clarius significata sunt, prorsus ex re explanantur; cf. ex. gr. verba 'quam Dianae venanti, ut eam interficeret, demonstrasse' cum eis quae de eadem re indicant schol. Hom. Paus. Apollod.: concedes Hygini memoriam longe praestare et cum summa veritatis specie rem absolvere. Locupletem igitur testem tenemus eo insignem, quod cum reliquis, qui, cum similitudine quadam contineantur, ex eodem omnes pendere videntur auctore, nullo cognationis vinculo coniunctus est. Qui cum fabulam ex parte fusius et accuratius quam ceteri narret, ad restituendam Callimachi narrationem magno nobis erit pretio.

In omissa Arcadis mentione non offendet qui Hygini consilium respexerit: hic enim cum non id ageret, ut Callistus quam diligentissime referret fabulam, sed ut composita sententiarum varietate Ursae explicaret signum, ursae partum commemorare nihil intererat. Nec tamen ipse Hyginus, quandoquidem Catasterismos Eratosthenicos satis accurate ac plene fere exscripsit, historiam ita contraxisse existimandus est, ut partus mentio excuteretur, sed contractam accepisse. Pendet ergo ex eo scriptore, qui, cum item siderum fabulas colligeret, in Ursae nomine expediendo Callimacheam de Callisto narrationem, a mythographo quodam Ius fabulae adaequatam, ita receperit, ut, qui ad suum consilium supervacaneus esset, Arcadem omitteret, reliqua intacta conservaret. Quem fuisse suspicor *Parmeniscum.* Excipiunt enim narrationem ex Catasterismis Eratosthenicis sumptam tres aliae — quae inter II et III interposita sunt verba 'Hoc signum — — — ut paelex' aliunde illata neque ab ipso Hygino profecta esse infra ostendam —, quarum ultimae auctor laudatur Ariaethus Tegeates. Huius

antem notitiam Hyginum doctis Parmenisci libris debere Robert in Erat. Cat. rel. p. 227 sq. comprobavit. Idem illum exemplis demonstravit multas fabulas collegisse. Nonne igitur probabile ad illum etiam quae praecedunt duas narratiunculas redire, ut Hyginus ad Ursam explicandam primum adhibuerit Eratosthenem, deinde, unde huius memoriam suppleret, adierit Parmeniscum?

§ 3.

Ei quam modo tractavimus narrationi similis est quae ei proxime antecedit, ita libris tradita:

'Nonnulli etiam dixerunt, cum Calisto ab Iove esset compressa, Iunonem indignatam in ursam eam convertisse; quam Dianae venanti obviam factam ab ea interfectam et postea cognitam inter sidera collocatam.'

Omnia vides cum Callimachi germana narratione congruere excepto exitu, cum Callisto non iam a Iove, ut qui e Callimacho pendent ceteri uno consensu produnt, sed a Diana dicatur ad sidera perlata esse. Praeterea iterum nihil de Arcade; atque fabula ita conformata est, ut ei locus vix relinquatur nec sicut in priore forma eius mentio nullo negotio inseri possit: nam abiecto qui ad extremum intercederet, ne ipsius periret filius, et invicem substituta cuius nihil interesset nisi ut errorem in pristina commissum sodali sarciret sublata est ratio et occasio servandi amoris pignoris: hoc igitur ab auctore istius narrationis prorsus neglectum videtur. Iovis autem progeniem neglegere per fabulae naturam non licuit nisi ei, qui sine respectu generis continuandi id unum in oculis haberet, ut e Callistus rebus Ursae caelestis explicationem eliceret. Ergo auctor erat catasterismorum venator, qui quae ad sideris originem demonstrandam in fabula non essent necessaria resecaret: etenim cum Arcade Iovem removit in fine matri filioque succurrentem et omisit, si Hygini verbis 'quam Dianae venanti obviam factam' tantum tribuere licet, etiam Iunonis fallaciam. Multo igitur et breviorem et simpliciorem narrationem reddidit. Sola enim iam perficit Diana quae apud Callimachum Iuno per Dianam et Juppiter

efficiunt, cum ursam venanti sibi obviam factam nec cognitam ferit, postea agnitam inter sidera collocat, quo commissum errorem sarciat. Protulit Hyginus istam narratiunculam de Ursa maiore nec quidquam in ea inest, quod eam huic eripere nobis permittat ac referre ad Ursam minorem, de qua similia narrantur.

Id dico contra Robertum, qui in Erat. Cat. rel. p. 56 istam cum eis composuit, quae in Catasterismis de Ursa minore servata sunt et in codicibus sic scripta:

Epitome	Arati interpres lat.	Schol. Germ. BP 59, 5	Schol. Germ. G. 114, 19
Αὕτη ἐστὶν ἡ μικρὰ καλουμένη· προσηγορεύθη δὲ ὑπὸ τῶν πλείστων Φοινίκη. ἐτιμήθη δὲ ὑπὸ τῆς Ἀρτέμιδος. γνοῦσα δὲ ὅτι ὁ Ζεὺς αὐτὴν ἔφθειρεν, ἠγρίωσεν αὐτήν· ὕστερον δὲ σεσωσμένῃ λέγεται δόξαν αὐτῇ περιθεῖναι ἀντιθεῖσαν ἕτερον εἴδωλον ἐν τοῖς ἄστροις, ὥστε δισσὰς ἔχειν τιμάς.	Honorata est a Diana propter praedictas ruinas. ignorans enim quod Iupiter eam violasset, fecit eam agrestem, postea vero sentiens dicitur gloriam ei superponere adiciens illi aliud signum inter astra, ut duplices habeat honores.	Ursa minor a pluribus Phoenice vocatur; ex eadem ratione, qua superior, astris inlata beneficio Dianae. prius quod ⟨Iupiter⟩ eam infamasset, efferasse; † quod cognita (*aut* quo cognito *aut* postea cognitam *scribendum vidit Rob.*) miseratam immortalitate donasse [submutasse] et aliam posuisse ursam, ut essent duo eius beneficio [*l.* beneficia].	Porro Arcturus minor, qui a pluribus Phoenice, a nonnullis canis cauda vocatur. dicitur a Iove inter astra conlocatus, ut duplex honor Helices monstraretur.

His statim addo testem a Roberto neglectum, eum qui Servii commentaria additamentis ditavit. Hic enim ad Verg. Georg. I 246 praeter alia Eratosthenica servavit haec:

'Hanc Phoenicen vocitatam quidam ferunt, Dianae comitem, iraque eius, quod gravida esset inventa, in ursam esse mutatam atque eiusdem rursus misericordia sideribus insertam.'

'Adparet' inquit ille p. 2 in adn. 'decurtatam esse narrationem ac verba variis mendis depravata, nec minus corrupta legisse scholiastam Germanici aut Arati quem vocant interpretem Latinum. — horum sane nihil sub Ursa minore Hyginus habet, sed quam ille sub Ursa maiore de Callisto narra-

tiunculam secundo loco adfert (II 1 p. 31, 3—6 Bunte), eam facere non possum, quin genuinam atque integram eiusdem fabulae formam esse suspicer quam decurtatam et corruptam in Catasterismis legimus, cum et Hygini illud "postea cognitam" ei, quod graeco auctori restitui, ὕστερον δὲ ἐγνωσμένῃ respondere videatur et apud utrumque Diana, non, ut vulgo ferebatur et in fabula antecedenti ab utroque narratur, Iupiter, Callisto inter sidera conlocasse tradatur. quod si recte suspicatus sum, in graecae narrationis initio iam satis antiquo tempore, prius certe quam libellus ad Germanici carmen explicandum in latinum translatus est, Iunonis nomen excidisse statuendum et pro γνοῦσα ex Hygini verbis "Iunonem indignatam" ἀγανακτοῦσα scribendum est, a quo ἀγνοοῦσα, quod Arati interpretem legisse adparet, propius abest.'

At enim primum minime 'apparet' narrationem esse decurtatam aut, ut idem p. 56 in adn. addit, sensu paene cassam. Nam quae Arati interpres Lat. praebet plana sunt, et quae Epitome habet plana fiunt, illo duce si corrigimus γνοῦσα in ἀγνοοῦσα (= ignorans) et cum Roberto ὕστερον δὲ σεσωσμένῃ in ὕ. δ. ἐγνωσμένῃ (= postea vero sentiens). An mirum est, quod Diana narratur, postquam rem rescierit, et ipsa solatii causa in caelo constituisse figuram eius, quae, cum Iovi succubuisset, immerito videretur tam graviter punita esse? Quod autem exitus in Catast. et apud Hyg. idem est, quoad ad Dianam pertinet extremi beneficii auctorem, inde efficere non licet eandem fuisse narrationem, quoniam in Catast. nec Iuno nec mors Callistus commemorata est. Deinde vero, id quod gravissimum est atque Robertum plane fugit, verba Epitomes ἀντιθεῖσαν ἕ τ ε ρ ο ν εἴδωλον ἐν τοῖς ἄστροις et magis etiam quae subsequuntur ὥστε διασὰς ἔχειν τιμάς, quae similia redeunt apud reliquos omnes, haec luculenter docent Catasterismorum auctorem, ex quo omnes pendent, et maioris et minoris Ursae ortum repetivisse ex una Callistus fabula. Ut duplex autem signum explicaretur, patet non licuisse duplici eiusdem rei ac diversa uti memoria, sed ex eadem fuisse proficiscendum. Atqui ad explicandam Ursam maiorem adhibita

est ea fabulae forma, quae nec Iunonis furorem nec Callistus mortem agnoscat, sed Dianam faciat Callisto erepta humana specie punientem. Ergo quae de Ursa minore tradita est narratiuncula, cum huic optime respondeat, integra iudicanda est et ab ea, quam Hyginus secundo loco de Ursa maiore protulit, diversa. Sequitur, ut Hyginus istam de Ursa minore narratiunculam omiserit. Itaque corrigenda sunt quae de eo Robert p. 2 praedicat: 'Praeter pauca minoris ambitus enuntiata unam tantum omittit historiolam, quae de Orione in Catasterismis bis eadem quamvis diversis verbis narratur'. Simul apparet ob eandem causam atque alteram de Orione fabellam istam quoque ab Hygino omissam esse: nempe noluit bis idem referre; eadem autem esse, quam de Ursa minore in Catasterismis prolatam invenit quamque de Ursa maiore ipse iam aliunde attulerat, narratiuncula tam potuit videri Hygino quam visa est Roberto propter eundem utriusque exitum.

Duas igitur Catasterismorum narrationi Hyginus adiunxit fabulae formas, utramque ex Callimachea deductam, cum ipsa Callimachea desit; quae res ideo notatu digna est, quod Robert p. 231 eum Callimachum legisse suspicatur.

§ 4.

Ad Callimachum nobis nunc est revertendum. Nam examinata narrationum varietate postquam, quae Callimachi essent ipsius, quae qua de causa ab aliis postea essent novata, exploravimus, tandem eo pervenimus, ut iam tuto liceat aggredi ad refingendam Callimacheam narrationem ipsam nec verendum sit, ne huic asseramus quae posteriores addiderint. Quod si schol. Hom. et Paus. potissimum, ut par est, secuti omnia recolligimus, Callimachum haec fere reperimus narrasse:

Callisto, Lycaonis filia[a]), cum Diana venabatur, eodem quo illa ornatu vestita, illique se totam addixerat iurata se semper in virginitate esse mansuram[b]). Sed Iuppiter (pulchra) virgine

a) schol. Hom. b) Apollod.

conspecta cum amore incensus esset[c]), in silvam (venantem) persecutus[d]) amplexu corripuit[e]) quamvis invitam et reluctantem[f]) clam Iunone[g]). Quae (certo temporis spatio interiecto)[h]) ubi primum in puella gravida Iovis furtum sensit[hh]), indignata

c) omnes. d) Hyg. III.

e) omnes. — Quae in Apoll. Bibl. de Iove addita sunt verba εἰκασθείς, ὡς μὲν ἔνιοι λέγουσιν, Ἀρτέμιδι, ὡς δὲ ἔνιοι, Ἀπόλλωνι aliena esse ipsa indicat qua afferuntur forma dicendi. Huc accedit quod de omnibus quaecunque ex Callimachea pendent narrationibus ne una quidem talem Iovis fraudem ullo verbo tangit; quam si commemoratam invenissent scriptores certe non omnes uno consensu quam referrent indignam habuissent.

f) Apollod. g) schol. Hom.

h) Prope peractis demum mensibus Callisto Iunoni poenas dedisse amissa specie simul et vita poeta fingere debuit, si Iunonem noluit bis ad operam vocare. Quae ut denuo interveniret, novam afferri rationem necesse erat; sed huius nullum est in memoria vestigium; itaque transfigurationem nece exceptam esse statuo, quanquam manifesto aliter est in recentiore narrationis forma. Ita enim Hyginus III suam narrationem incipit: 'Cum Calisto Iuppiter esset in silvam persecutus, Iunonem — contendisse, ut eum manifesto diceret deprehendisse. Iovem autem — in ursae speciem conversam reliquisse. Iunonem autem in eo loco pro virgine ursam invenisse.' Ac vix aliter intellegi possunt Apollodori de Iove verba βουλόμενος δὲ Ἥραν λαθεῖν εἰς ἄρκτον μετεμόρφωσεν αὐτήν. Cum vero Hyginus pergat 'Quam Dianae venanti, ut eam interficeret, demonstrasse', apparet hic temporis nullam omnino rationem habitam esse; uno enim tenore se excipiunt concubitus transfiguratio mors. Quae neglegentia apud Hyginum, cum partus non meminerit, minus offendit quam apud Apollodorum, ac prodit mythographi festinationem, qui ad Iovem mutantis partes transtulit. Qui ante oculos habuisse Callimachi videtur de Io narrationem. Illud enim, quod Iuno 'suspicata id quod evenit' coniugem absentem secuta esse dicitur, redit in Ius fabula apud Ovidium (in Met. I 601 sqq.), quem cum Calvo (cf. frg. 9—14 L. Mueller) Callimachi vestigia pressisse constat. Traxit igitur eiusdem narratio altera alteram.

hh) Quo signo in illa Iuno auctorem senserit, incertum relinquitur. Nec vero opus erat, opinor, signo ullo aut nuntio, nisi forte censes Callimacho non licuisse deae plus sagacitatis tribuere quam feminae cuilibet mortali. Ovidius certe, qui cum Callimacho consentit Iunonem coniugis furtum non vidisse (cf. Met. II 435), quo modo illa rem rescierit securus ita narrat in Met. II 466 sq.:

Senserat hoc olim magni matrona Tonantis
distuleratque graves in idonea tempora poenas.

eam in ursam convertit[i]) et Dianae, quam venandi forte studium obviam ferret, insciae monstravit adhortata, ut quam prope cerneret bestiam telo peteret[k]). Postquam autem haec certa deae sagitta transfixa animam efflavit[l]), ab Iove missus aderat Mercurius[m]), qui e mortuae utero infantem eriperet[n]) atque, ut in Arcadia educaretur, suae matri ferret Maiae[o]) (in antrum Cyllenium). Nomen ei pater indidit Arcadi[p]), quoniam mater eius *ἄρκτος* fuerat[q]); qui auctor factus est nationis nominisque Arcadum[r]). Callisto autem ipsam, qua erat bestiae figura, ad caelum sublatam primam[s]) inter sidera collocavit nomine appellatam Ursae[t]) maioris[u]).

Quae a Callimacho eo tantum discrepant, quod hic, si quid tribuis Pausaniae verbis *Ἥρα δέ, ὡς ἐφώρασεν, ἐποίησεν ἄρκτον τὴν Καλλιστὼ* et scholiastae Hom. *ἐπιγνοῦσα δὲ ἡ θεὸς μετέβαλεν αὐτήν,* induxit Iunonem, ubi primum puellam ex Iove gravidam conspexit, sine mora iura sua laesa acerrime ulciscentem.

i) schol. Hom. Paus. Hyg. II. k) schol. Hom. Paus. Apoll. Hyg. III. l) Apollod. m) Paus. Liban. n) Paus.

o) Apollod., de quo cf. p. 281. Mercurium auctor Bibliothecae demum sive is quem hic exscripsit omisit, non recentiorem qui condidit narrationem; alter enim huius testis Libanius eum retinuit.

p) Apollod. Liban. Apud Pausaniam in proximis pueri nomen una cum historia affertur; tacent de eo schol. Hom., quia ad versum, in quo de Ursa caeli sermo est, illustrandum Arcadis mentio non magis opus erat quam in simili consilio apud Hyginum.

q) Haec, quamvis dubitanter, Callimacho asserui, sic ratiocinatus: Ister Callimacheus, ut Stephanus Byzantius in v. *Ἀρκαδία* refert, Arcadem scripsit *διὰ τὴν τῆς μητρὸς ἀποθηρίωσιν (ἄρκτῳ γὰρ ὑφ' Ἥρας αὐτὴν ὁμοιασθῆναι) ταύτης τυχεῖν τῆς προσηγορίας.* Forma igitur fabulae nixus est Callimachea, quanquam puellae nomen non Callisto, sed Themisto esse voluit. Unde autem sumpsit fabulam, indidem petivisse credi potest etiam veriloquium. Atqui Callimachum scimus eiusmodi nominum lusibus delectatum esse (cf. Dilthey, De Callim. Cyd. p. 38). Ergo veri simile iam hunc istam nominis explicationem minime reconditam dedisse, praesertim cum vix fieri posset, quin docti poetae animum quaestio subiret, cur tandem *Ἀρκάδος* esset nomen puero inditum.

r) Liban. s) schol. Hom.
t) omnes. u) Paus. Hyg. II. III.

Hac igitur narratione coniuncta sunt, quae adhuc seorsum tradita invenimus, transfiguratio et mors; novus in fine accessit catasterismus. Ex duabus autem quae coaluerunt fabulae formis alteram probe novimus: nam Dianae Callisto interficienti occurrimus apud Arcades. Alteram, qua Callisto a Iunone in ursam conversa esse feratur, aperte quidem expressam nondum offendimus, sed significatam existimo ab Euripide in Helena: nam quae de Callisto illic praedicantur *Διὸς ἅ λεχέων ἀπέβας*[1]) *τετραβάμοσι γυίοις* cum eorum narratione, qui gravidam faciunt a Diana conversam, conciliari aegre tantum possunt atque adeo eam videntur indicare fabulam, in qua transfiguratio Iovis concubitum subsecuta sit; id autem fieri non potuit nisi aut per Iunonem coniugis vestigiis instantem aut per Iovem ipsum uxorem fallere conantem; atqui hoc quidem vidimus post Callimachum demum ex Ius historia fabulae illatum; ergo, si de emendando versu Euripideo mecum consentis, restat Iuno coniugis furtum persecuta, qualem adhibuit Callimachus, quanquam hic, quia cum erepta specie humana necem coniunxit, deam non protinus, sed instante demum partu aemulam ulciscentem induxit.

Sed utcunque de illo versu iudicas, dubium esse vix potest, quin simplicis fabulae hic agnoscenda sit *forma tertia,* quoniam is, qui de se ipse profiteretur *ἀμάρτυρον οὐδὲν ἀείδω* (frg. 442), non primus omnino Callistus fabulae iratam Iunonem credendus est intulisse, sed accepisse a prioribus. Ac potuit haec forma aeque ac secunda ex prima facillime oriri, quin etiam paene necesse erat oreretur, postquam per temporum vices pristina fabulae vis in oblivionem adducta est hominesque res deorum magis magisque ad sua exempla detrahebant. Nam quis nescit, quantopere in deliciis habuerint Iunonem in Iovis amores furentem posteriores potissimum? Sed iam ad priores sat magnus redit fabularum numerus, quae hanc deae speciem offerant. Neque igitur mirum sit, si iam superiore aetate in Callistus fabula Dianae partes in Iunonem translatae sint, quod ut fieret,

1) *ἀπέβας* scribendum esse pro codicum lectione *ἐπέβας* supra p. 253 sqq. probare studui.

narrationis condicio pariter ac similium fabularum exempla incitabant. Atque ego quidem arbitror talem fabulam iam Euripidi in Helenae carmine ante oculos fuisse.

Callimacho vero, nisi omnia fallunt, debemus quod ex duabus fabulae formis una effecta est narratio. Atque erant illae eiusmodi, ut facillime possent copulari et in unam confundi; nam altera alterius esse supplementi instar videbatur nec potius diversa eiusdem rei memoria, ut qui eas coniunxerat plenam se fabulam recuperasse sperare posset. Mutari autem vix quicquam opus erat praeter rationem, ex qua Diana Callisto nece afficeret: in ursa enim Diana non iam ulcisci poterat amissum pudorem; itaque poetae fingendum erat Dianam a Iunone ad ursam traiciendam commotam esse, id quod fecit, aut in venatu obviam sibi factam stravisse, id quod catasterismorum scriptor nescio quis praetulit. Apud Callimachum non dubito quin ratio eadem fuerit atque in consimili Ius fabula apud Ovidium [1]): Iuno timere non prius desinit quam aemulam exstinxerit; qua de causa illi speciem humanam rapuisse non contenta rapit etiam vitam, cum in Dianam simili utatur fraude atque in Orionis fabula, qualem Ister exhibuit, Apollo [2]).

Exitum, quo Callisto sub Ursae maioris nomine sideribus insereretur, Callimachus iam de suo addidit. Opinio sane vulgata et ab omnibus [3]), quantum vidi, recepta nunc ea est, ut

1) Met. I 622 pelice donata non protinus exuit omnem
diva metum timuitque Iovem et fuit anxia furti,
donec Arestoridae servandam tradidit Argo.

2) Cf. Hyg. Astr. II 34 p. 73, 12 B.: 'Istrus autem dicit Oriona a Diana esse dilectum et paene factum, ut ei nupsisse existimaretur. quod cum Apollo aegre ferret, et saepe eam obiurgans nihil egisset, natantis Orionis longe caput solum videri conspicatus, contendit cum Diana eam non posse sagittam mittere ad id, quod nigrum in mari videretur. quae cum se vellet in eo studio maxime artificem dici, sagitta missa caput Orionis traiecit.' eqs.

3) Unius afferre mihi liceat verba viri de his ipsis studiis optime meriti, Caroli Robert, qui in Erat. Cat. rel. p. 238 de fabula ad Ursam maiorem pertinente haec pronuntiavit: 'Si quae alia, mere sideralis fabula est; ut enim Ursam inde ab antiquissimis temporibus Graecis notam fuisse constat, ita Callistus historiam semper cum hoc sidere coniunctam fuisse

ab initio Arcades in Ursa caeli gentis suae matrem agnoverint. At enim huic opinioni fundamenta subtraxi, cum ostendi catasterismum ab Hesiodo esse abiudicandum et Euripidi etiam fuisse ignotum. In Arcadia vero ante poetam Alexandrinum Callisto unquam aut usquam conexam fuisse cum Ursae signo prorsus incredibile. Nam si conexa aliquando fuisset, qui tandem potuit fieri, ut ursae imago in caelo cottidie visa tam facile memoriae excideret Callistoque nexu illo cum sidere neglecto diceretur non conversa neque inter astra abrepta esse, sed occisa et sepulta?[1]) Ante Callimachum catasterismi testis nullus reperitur, cum vel is, qui data opera sidera tractavit, Aratus in Phaenomenis, Callimacheam Ursae interpretationem etiamtum ignorasse videatur; ac fortasse casui ne id quidem tribui potest, quod, cum Ursae signum commemorant, poetae Callimacho aetate superiores nunquam, aetate inferiores[2]) saepius tangunt aut significant Callistus fabulam. Auctor igitur catasterismi idem iudicandus est, quem duabus fabulae formis in unam conflatis novam narrationem condidisse vidimus.

§ 5.

Ursae omnino in caelo figuram[3]) qui iam ante aetatem Alexandrinam a quoquam e fabulari historia explicatam credit testimonii aut indicii ne umbram quidem sibi habet. Sideris

---

neque quemquam de Callistone in ursam mutata dixisse opinor, quin inter sidera eam relatam esse adderet.' — Quanquam quod verum est iam perspexerat Buttmann, cum de ortu signorum disputans in Actis acad. Berol. 1826 de Callisto sic iudicaret: 'In die Sterndeutungen aber kam diese Bärin ebenso wie der Nemeische Löwe und der Marathon. Stier und der Widder der Helle' usw.

1) Cum Arcadum opinione catasterismum conciliari non posse iam animadvertit Paus., cum VIII 3, 7 haec adiceret: *ἔχοιεν δ' ἂν καὶ ἄλλως τὸ ὄνομα οἱ ἀστέρες ἐπὶ τιμῇ τῇ Καλλιστοῦς, ἐπεὶ τάφον γε αὐτῆς ἀποφαίνουσιν οἱ Ἀρκάδες.*

2) Locos infra invenies collectos p. 314 sqq. et 338 sqq.

3) Ursae nomen initio septem illis stellis omnium maxime insignibus inditum esse nec pluribus, ut Buttmann in Dissertat. acad. Berol. 1826 p. 34 sqq. contendit, cum veram ursae figuram construere studeret, gen-

mentio illis temporibus omnino nondum frequens est in litteris; novi hos tantum locos:

Hom. Σ 487 sqq. ἄρκτον θ', ἣν καὶ ἄμαξαν ἐπίκλησιν καλέουσιν,
(= ε 273 sqq.) ἥ τ' αὐτοῦ στρέφεται καί τ' Ὠρίωνα δοκεύει,
οἴη δ' ἄμμορός ἐστι λοετρῶν Ὠκεανοῖο.

Soph. Trach. 131 οἷον ἄρκτου στροφάδες κέλευθοι.
Naupl. frg. 399, 11 (N.) Palamedes [at cf. schol. Arat. 27] invenisse dicitur
ἄρκτου στροφάς τε καὶ κυνὸς ψυχρὰν δύσιν.

Eurip. El. 733 νεφέλαι δ' ἔνυδροι πρὸς ἄρκτον [sc. εἰσίν].
Ion 1152 sqq. Πλειὰς μὲν ᾔει μεσοπόρου δι' αἰθέρος,
ὅ τε ξιφήρης Ὠρίων· ὕπερθε δὲ
ἄρκτος στρέφουσ' οὐραῖα χρυσήρει πόλῳ.
Pirith. frg. 594 (N.) — δίδυμοί τ' ἄρκτοι
ταῖς ὠκυπλάνοις πτερύγων ῥιπαῖς
τὸν Ἀτλάντειον τηροῦσι πόλον.

Artem signa ad fabulas revocandi Alexandrinos demum factitasse in universum pridem intellectum est: est autem quod de plerisque constat agnoscendum in hoc quoque signo. Quod cum ex eis esset, quae ab antiquissimis temporibus Graeci cognita habebant, consentaneum est in primis interpretum operam excitasse. Neque igitur mirum quod iam *Aratus*, quamvis paucorum nosse videatur siderum interpretationes, de duabus Ursis habet quae nobis referat (Phaen. 30 sqq.):

— — — εἰ ἐτεὸν δή,
Κρήτηθεν κεῖναί γε Διὸς μεγάλου ἰότητι
οὐρανὸν εἰσανέβησαν, ὅ μιν τότε κουρίζοντα

tium in hac re consensu evincitur. In eo autem, quod animali pusilla, longa signo est cauda, non esse cur quisquam offendat, id, qui novissimus de signi nominibus diligenter disputavit, Otto Keller ('Tiere d. klass. Altert.' p. 125 sqq.) rectissime inde effecit, quod, cum America reperta est, etiam Irocesi septentriones ursum appellabant. Merito igitur idem opinionem eorum damnavit, qui ἄρκτον pro ἄρκτοις, quibus 'lucentes' i. e. stellae significarentur, positam existimarent; quam coniecturam primus proposuit Adalb. Kuhn ('Höfers Z. f. d. Wiss. d. Spr.' I (1845) p. 158 sqq.), amplius confirmare studuit Max. Müller ('Vorles. üb. d. Wiss. d. Spr.' II² p. 392 sqq. 409), accepit Usener in Mus. Rhen. XXIII p. 334).

Δίκτῳ ἐν εὐώδει, ὄρεος σχεδὸν Ἰδαίοιο,
ἄντρῳ ἐγκατέθεντο καὶ ἔτρεφον εἰς ἐνιαυτόν,
Δικταῖοι Κούρητες ὅτε Κρόνον ἐψεύδοντο.
καὶ τὴν μὲν Κυνόσουραν ἐπίκλησιν καλέουσιν,
τὴν δ' ἑτέρην Ἑλίκην [1]).

Ab Arato autem nunquam discedit nobilis Callimachi adversarius, *Apollonius Rhodius*, qui sideris mentionem ter iniecit in Argonauticis:

II 360 ἔστι δέ τις ἄκρη Ἑλίκης κατεναντίον ἄρκτου [2]).
III 745 sq. ναυτίλοι εἰς Ἑλίκην τε καὶ ἀστέρας Ὠρίωνος
ἔδρακον ἐκ νηῶν.
1195 sq. — ἐπεὶ ῥ' Ἑλίκης εὐφεγγέος ἀστέρες ἄρκτου
ἔκλιθεν.

§ 6.

Sed *Theocritus*, postquam in epicis
XXII 21 ἐκ δ' ἄρκτοι τ' ἐφάνησαν
et XXIV 11 sq. ἆμος δὲ στρέφεται μεσονύκτιον ἐς δύσιν ἄρκτος
Ὠρίωνα κατ' αὐτόν [3])
more priorum signum usurpavit — nam VII 112 ἐγγύθεν ἄρκτω de plaga septentrionali dictum praetereo —, iam Callistus signi-

1) Haec nomina per totum carmen tenet nec videtur aliam nisi quam protulit interpretationem cognitam habuisse. Quae in schol. Theocr. codicis Ambros. I 123 de Callisto addita sunt ἣν καί φησιν Ἄρατος ἐν [δ'] οὐρανῷ ἐστηρίχθαι, eis fides non est habenda. Neque enim credibile scholiastam aliud carmen in animo habuisse nisi Phaenomena; in his autem Callistus nec vola nec vestigium. Ortum verborum hunc esse existimo, ut nescio quis, cum lecto Callistus nomine meminisset, quae vulgo de eius exitu ferrentur, mentionem catasterismi adiecerit, Aratum autem laudaverit eius testem, quia hic Ursae signum descripserat, Ursam autem Callisto esse posterioribus constabat; qua de causa pronum erat utramque confundere, ut confusae sunt etiam a recentioribus, velut a Schneidero in Callimach. II p. 574, de quo vide infra (p. 302 adn. 3).

2) Cf. Arat. Phaen. 51 οὐρὴ πὰρ κεφαλὴν Ἑλίκης ἀποπαύεται ἄρκτου.

3) Ante oculos poeta habuit Homericum illud
ἥ τ' αὐτοῦ στρέφεται καί τ' Ὠρίωνα δοκεύει.

ficavit catasterismum, cum Daphnim pastorem fecit Panem his invocantem (I 123 sqq.):

ὦ Πὰν Πάν, εἴτ' ἐσσὶ κατ' ὤρεα μακρὰ Λυκαίω,
εἴτε τύ γ' ἀμφιπολεῖς μέγα Μαίναλον, ἔνθ' ἐπὶ νᾶσον
τὰν Σικελάν, Ἑλίκας δὲ λίπε ῥίον αἰπύ τε σᾶμα
τῆνο Λυκαονίδαο, τὸ καὶ μακάρεσσιν ἀγητόν.

Sic enim codices. At inter editores non constat de interpretandis scribendisque eis ipsis verbis, quae huc pertinent: Ἑλίκας δὲ λίπε ῥίον. Fritzsche enim ad v. 125 Helicen (quo nomine Ursam maiorem modo audivimus ab Arato nuncupari) intellegit Callisto eiusque significari censet tumulum a Pausania commemoratum; qua de causa ex Bosii coniectura recipit λίπ' ἠρίον; ac nunc omnes ad eius sententiam accessere praeter Meinekium, qui p. 196 'Obstat' inquit 'opinioni illi, quod Helicae nomine non utuntur veteres poetae de Callistone nisi ubi astrum, in quod illa mutata ferebatur, designare volunt; neque obscura erit eius rei causa, quid Ἑλίκη significet, reputantibus.' Itaque hic mavult retineri ῥίον et scribi Ἑλίκα; Ἑλίκας enim apud Stephanum Byz. in v. Ἑλίκη (Ἕλικα quem vocat Apollod. III 8, 1, 2 facillime corrigas in Ἑλίκαν) unus est e Lycaonis filiis. At huic coniecturae duo obstant: primum quod ab Helica, cum et ipse sit Lycaonides, alter nuda Λυκαονίδαο appellatione distingui non potest, deinde quod Helicas iste plane ignobilis et obscurus est ac ne in Arcadia quidem, unde Pan venire iubetur, sedem habet, quoniam ab eo Achaiae oppidum nomen traxisse fertur. Iste igitur mittendus. At tertiam interpretationem nemo protulit nec proferre possit. Nam cum intra Arcadum fines Ἑλίκας ῥίον quaerendum sit, aliud nomen non offertur nisi Lycaonis filii aut filiae. Illum autem cum sententia repudiet, sola restat haec. Itaque aut verba graviter corrupta iudicanda sunt aut aliquo modo tollenda est iusta Meinekii offensio. Illud ut faciamus, non est idonea causa: immo sententiae satisfit, si cum Fritzschio λίπε ῥίον in λίπ' ἠρίον[1]) mutamus intellegi-

1) ῥίον Callistus quid sit, haud facile dicas. δρίον autem, quod Meineke nixus Pausaniae descriptione (VIII 35, 8) quam ἠρίον scribi maluit et Hartung arripuit, de tumulo dictum displicet.

musque Callistus tumulum, in proximis autem (*αἰπύ τε σᾶμα τῆνο Λυκαονίδαο*) sepulcrum Arcadis[1]). Nam aut in Lycaeo aut in Maenalo Daphnis Panem scit versari; rogat eum, ut in Siciliam veniat relinquatque — num alias quam quas modo obtinere dictus est sedes Lycaei Maenalive? Sub Maenalo autem Callistus tumulum, in Maenalo Arcadis sepulcrum fuisse Pausaniae testimonio constat. Deinde matris tumulo filii sepulcrum apte iungi quis non videt? Apte denique etiam Pan in eis locis commorari fingitur, in quibus sepulti iacent quibuscum artissimo sanguinis vinculo cohaerere olim putabatur, quandoquidem Epimenidem tradidisse scimus esse *Διὸς καὶ Καλλιστοῦς Πᾶνα καὶ Ἀρκάδα διδύμους*. At enim cum his interpretatio quam maxime commendetur, concedendum est Meinekium in eo merito offendisse, quod sideris nomine sepulta designaretur, quae ad sidera non pervenit. Cuius difficultatis solvendae unam video facultatem: *Ἑλίκης* nomine poeta sine certo consilio ita uti non debuit, ut appellationis vim prorsus neglegeret confundens ursam in caelo positam cum femina sub terra iacente; qualis incuria in docto doctae aetatis poeta neque intellegi neque excusari potest; quod simile sit exemplum ne apud eos quidem novi, qui et aetate et sensu multo hoc sint inferiores[2]). Sed quodnam fuerit consilium, quaeris. Nequit

1) Quae scholia Ambr. ad v. 126 exhibent .. *ὃ Αἰπύτου τάφον καλοῦσι. καὶ Ὅμηρος· Αἰπύτιον παρὰ τύμβον. εἰς ὃν φασι τὰ εἰσερχόμενα ζῷα ἄγονα γίνεσθαι* male turbata sunt. Verba extrema ad *Αἰπύτου τάφον* referri nequeunt, sed spectant ad templum aliquod. Templum autem esse Lycaeum discimus e Callim. hymn. I 11 sqq. (*ἔνθεν ὁ χῶρος | ἱερός, οὐδέ τί μιν κεχρημένον Εἰλειθυίης | ἑρπετὸν οὐδὲ γυνὴ ἐπιμίσγεται*) collatis cum scholiastae interpretatione (*ὅτι πᾶν ζῷον εἰσιὸν ἐκεῖ μεμολυσμένον ἄγονον ἐγίγνετο καὶ σκιὰν τὸ σῶμα αὐτοῦ οὐκέτι ἐποίει*). Verba igitur mutilata aliunde (a v. 123 *Λυκαίω*) ad hunc versum (*Λυκαονίδαο*) aberrarunt. Quae antecedunt interpretantur Theocriti *αἰπὺ σᾶμα Λυκαονίδαο*, sed aperte falso; nam Aepyti sepulcrum et Homerus (*B* 604) et Pausanias (VIII 16, 2) testes sunt fuisse in Cyllene, in qua Pan versari nec dicitur nec credebatur.

2) Ovidius in Ib. 473 sideris nomine quod est Arctos ad designandam puellam terrenam usurpato non peccat, quia Callisto ad sidera sublatam esse ei constat.

poeta electo sideris nomine aliud spectasse quam ut Callistus catasterismum significaret. Quod si Callimachus, ut supra probavimus, hunc fabulae exitum invenit, Theocritus illius inventum scientibus sat manifesto designasse putandus est. Ac fortasse hic sodalem ludit, cum in verbis Ἕλικας ἠρίον e vetere fama retinet tumulum, sepultam autem sideris nomine nuncupat. Theocritum autem Callimachumque alterum alterius saepe occupare dicta et respicere inventa ante biennium Alfredus Gercke in Mus. Rhen. XLII p. 592 sqq. multis exemplis demonstrare studuit; aliquot ex eis refutari posse concedo, at non omnia, ut cum Rannowio nuper contendit Eduardus Hiller, qui in Bursiani Act. ann. XVI (1888) p. 185 'Keine Stelle bei Theokrit' inquit 'existiert, wo wir genötigt wären, eine bewusste Anlehnung an Kallimachos anzunehmen.' De hoc loco aut desperandum est aut tale quid concedendum.

Quae tamen ad σῆμα Λυκαονίδαο pertinent verba τὸ καὶ μακάρεσσιν ἀγητόν explanare nequeo — de Lycaonidae enim, Arcadem intellego, monumento praeter situm nihil accepimus —, sed his quoque significari suspicor aliquam narrationem eiusdem fortasse poetae tum notam, nunc obscuram.

Callimachus ipse, qui Callistus tetigit fabulam [1]) hymni in Iov. vs. 40 sq.

— — παλαιότατον δέ μιν ὕδωρ
υἱωνοὶ πίνουσι Λυκαονίης ἄρκτοιο,

adhibuit, si Catullus in hac re exemplum suum expressit — nec credibile talia Romanum poetam ipsum addidisse —, eius etiam catasterismum in ea elegia, qua Βερενίκης πλόκαμον celebravit [2]). In Catulli enim carmine LXVI 66 coma Berenices dicitur in caelo esse 'Calisto iuncta Lycaoniae.' Ipsa fabulae narratio Schneidero in Callimacheis II p. 574 videtur 'ex libro cui Ἀρκαδία (cf. Suid.) inscriptum erat petita [3]).'

1) Sine causa verba ad sidus rettulit Maass in Anal. Erat. p. 101.

2) Temporis ratio non obstat; nam senior poeta hanc elegiam condidit, cf. Gercke in Mus. Rhen. XLII p. 625. Occasionem autem in describendo novo sidere Callistus quoque nominandae rerum praebebat similitudo.

3) Quae idem subinde de Callisto in caelo cum Orione coniuncta

Inter Callimachi discipulos *Istrum*, quem supra bis commemoravi, cum ex dissona memoria, fortasse Argiva (cf. infra p. 346 sq.), sumptum Themistus nomen loco Callistus poneret, a magistro fabulam recepisse ex Stephani Byzantii in v. Ἀρκαδία verbis discimus his: Ἴστρος δέ φησιν, ὅτι Θεμιστοῦς καὶ Διὸς ὁ Ἀρκὰς ἐγένετο, διὰ δὲ τὴν τῆς μητρὸς ἀποθηρίωσιν (ἄρκτῳ γὰρ ὑφ' Ἥρας αὐτὴν ὁμοιασθῆναι) ταύτης τυχεῖν τῆς προσηγορίας. καὶ τὸ ἄστρον λέγεται ἐν τῷ οὐρανῷ τότε ἄρκτος κληθῆναι, ἣ ἅμαξα ἐλέγετο [1]).

§ 7.

Posterioribus Callimachus suam Ursae interpretationem adeo approbavit, ut priorum velut Arati de Ursis sententiae reprimerentur et qui post eum ad sidera explicanda accessere eum sequerentur velut Eratosthenes, ut de aliis taceam, nisi a plaustri effigie proficisci maluerunt, ut Eratosthenes altero loco Hermippus alii [2]). Inter Romanorum enim et Graecorum vergentis aetatis scriptores constat vulgataque est opinio Ursam esse Callisto, et quia ab his potissimum nostra pendet fabularum notitia, ne recentiores quidem dubitarunt, quin ab Ursa Callistus persona discerni non posset.

Ac profecto hic catasterismus narrationem optime concludit

---

protulit, falsa sunt — confudit enim Ursam cum Callisto —, qua de causa quae in his posuit fundamentis sua sponte corruunt.

1) Verba extrema, quae apud Stephanum Istri mentionem praecedunt, suo loco restituit Wilamowitz in Herm. XIX p. 447 adn. 2. — Stephanum exscripsit Eustath. ad *B* 603 p. 300 et ad Dion. Perieg. 414, et alterutrum adhibuit qui Eudociae nomen ementitus est DXXXVI p. 260.

2) Aratus v. 30—35 Ursas Iovis nutrices fuisse dicit. Simillimam, sed auctiorem, prodiderat fabulam Aglaosthenes in Naxicis, cf. Robert in Erat. Cat. rel. p. 243. — Hermippus, ut Hyginus II 4 p. 38, 4 B. refert, septentriones pro aratro a duobus bubus tracto venditavit. Alius poeta Alexandrinus cum Plaustro coniunxit Aurigam, quem Phaethontem esse voluit, cf. Knaack Quaest. Phaeth. p. 61. Bubus quae Custodem fugiant Ursas similes dicit schol. ad Od. ε 272, I p. 270, 17 Dind. At num recte aut necessario Maass Anal. Erat. p. 86 ex Parthenii narr. XX concluserit Chios in sidere Helicen Meropae, quam Orion ebrius compressisset, matrem agnovisse, dubito.

et cum ea ita apte cohaeret, ut demi nequeat, quin integra pars detrahi videatur (quam virtutem saepe desideres in eorum narrationibus, qui fabulari historia ad signa explicanda abusi sunt). Postulat enim ratio poetica, ut quae sine sua culpa [1]) non solum speciem, verum etiam vitam perdiderit mortua saltem quandam iniuriae compensationem accipiat. Est igitur fas et aequum eum, qui invitae pudorem eripuerit et insonti Iunonis iram excitaverit, mala denique quodammodo sarcire donato honore immortali [2]). Nova igitur fabulae sententia: 'per aspera ad astra' (cf. Prop. II 28, 15 sqq. Baehr.).

Haec cum finxit, poeta minime illud *ἀμάρτυρον οὐδὲν ἀείδω* neglexit. De suo enim nihil addidit nisi quod ea quae memoria fabularis et natura suppeditabant ratione quadam inter se coniunxit: namque fabulae, cuius duas formas in unam composuit, et caeli ursam ostendit eandem esse. Neque igitur novavit, sed explicavit. Fabula naturam suam retinuit nec desiit genealogorum quoque desideriis satisfacere, quam virtutem tum demum amisit, cum filius matrem inter astra secutus est.

Nam in tanta quanta apud Alexandrinos sidera explicandi ars florebat gratia fieri non potuit, quin in nova regione, in quam a Callimacho traducta erat, Callistus fabula mox latius sese extenderet et alia quoque signa occuparet [3]). Itaque non multo post exstiterunt et qui patrem et qui filium Callistus non procul ab ea in caelo monstraret: illud ab Ariaetho [4]) Tegeata, hoc ab Eratosthene in Catasterismis factum est.

---

1) Hesiodus tali compensatione non egebat, quia apud eum Callisto crimen in se admisit. Ceteras fabulae formas quae sine catasterismo sunt — duas praeterea constituimus — non satis cognitas habemus, sed licet idem suspicari.

2) Primam Callisto inter sidera receptam esse ut diceret, id doctum poetam movisse videtur, quod summam sibi Arcades antiquitatem asserebant (cf. schol. ad Apoll. Rh. IV 264). Primam inter feminas mortales a Iove compressam esse Nioben, Phoronei filiam, alii affirmabant (cf. Apoll. Bibl. II 1, 1, 5).

3) Cf. Rob. in Erat. Cat. rel. p. 233 'Si quis poetarum Alexandrinorum in sideribus interpretandis lusus penitus cognoverit, is non unum tantum, sed complura siderum simul ex tali fabula explicari non ignorat.'

4) Roberto in Erat. C. r. p. 227 adn. 14 vera nominis forma videtur

§ 8.

Illud ex Parmenisco[1]) Hyginus tradit in Astron. II 1 p. 31, 18 B: '*Ariaethus* autem Tegeates, historiarum scriptor, non Calisto, sed Megisto dicit appellatam et non Lycaonis, sed Cetei filiam, Lycaonis neptem; praeterea Cetea ipsum Engonasin nominari. Reliqua autem superioribus conveniunt'[2]) (namque praecedunt duae narratiunculae ex Callimachea deflexae). Plura habet idem II 6 p. 41, 18 B. in Engonasin signo: 'Ariaethus autem, ut ante diximus, hunc Cetea, Lycaonis filium, Megistus patrem, dicit — qui videtur ut lamentans filiam in ursae figuram conversam — genu nixum[3]) palmas diversas tendere ad caelum, ut eam sibi dii restituant.'

Ex verbis 'reliqua autem superioribus conveniunt' apparet Ariaethum narrationem ascivisse aut ipsam Callimacheam aut ex Callimachea deductam; nam quae apud Hyginum primo loco affertur Eratosthenica nimis abhorret. Mutasse igitur nihil videtur nisi nomina, cum ea substitueret, quae domestica quaedam, Tegeatarum[4]) suspicor, memoria praeberet. Sed filiae signo signum patris adiecit. Quem finxisse videtur tantum ex filiae casu dolorem accepisse, ut Iuppiter misericordia captus lamentantis figuram astris deformaret. Coniunxit igitur cum Ursa Genicularium; quod signum fortasse etiamtum interpretem desiderabat; nam Aratus de eo affirmat Phaen. 64:

— — *τὸ μὲν οὔτις ἐπίσταται ἀμφαδὸν εἰπεῖν.*

Certe inter primos[5]) Ariaethus id explicatione donavit. Scripsit

---

esse Ἄραιθος. Sed 'Ariaethum' uno excepto omnes vocant ('Ariethum' Hyg. codd., cf. Bursian in Act. acad. Monac. 1876 p. 10).

1) Cf. Rob. in Erat. C. r. p. 227 sq. Hyginum antiquo Arati commentario usum esse Maass in Anal. Erat. p. 43 contendit nec tamen mihi persuasit.

2) Quae subsequuntur capitisque finem faciunt verba 'quae res in Nonacri monte Arcadiae gesta demonstratur' aliena esse infra exponam.

3) 'Nixum' scripsi cum libris optimis et verba distinxi, quemadmodum praecepit Bursian in Act. acad. Monac. 1876 p. 14.

4) Utique reconditior erat ista memoria; publicam enim auctoritatem in Arcadia habuit genealogia Hesiodea, cf. infra p. 345.

5) Primus certe est in longa interpretum serie, quam Hyg. II 6 p. 41,

enim post Callimachum, a quo Ursae interpretationem mutuatus est, sed ante Apollodorum Atheniensem, qui eum in conscribendis *περὶ θεῶν* libris adhibuit (cf. Münzel Quaest. mythogr. p. 16).

IV.

§ 1.

At Ariaethi commenta, quorum praeter Hyginum nemo meminit, auctoritate longe superat Eratosthenis in Catasterismis trium simul siderum ex una Callistus fabula explicatio. Tria autem illa sidera loco et nominibus arte coniuncta erant: nam *Ἄρκτον τὴν μεγάλην* comitabatur *ἡ μικρὰ* et sequebatur *Ἀρκτοφύλαξ*: itaque vel nomina postulabant, ut ex una fabula explicatio repeteretur. Qui autem Callimacheam Ursae maioris interpretationem ascivit, ei demonstrandum erat, cur Callisto duas figuras in caelo haberet et quis eius esset custos. Hoc praestitit auctor narrationis ex eis refingendae, quae in Catasterismis in Ursae maioris (p. 50 sqq. Robert) et minoris (p. 56 R.) et Arctophylacis (p. 74 sqq. R.) titulis separatim prolata sunt. Nam ad unam haec omnia redire narrationem pluribus exponere non opus est, quoniam res ipsa cogitantem docet nec singulae partes per se stare possunt aut satis intellegi [1]).

Rem auctor ita instituit, ut fabulam Hesiodeam praemitteret, hanc autem eis, quae de Iovis in puellam fraude Amphis addidisset, suppleret ac deinde ipse ita continuaret, ut in fine tres nascerentur catasterismi, e quibus unum a Callimacho

15 B. servavit. Praeter Ariaethum novimus Hegesianactem Anacreontem Hermippum; reliquorum nomina nescimus. Ceterum cf. Maass Anal. Erat. p. 43 sq.

1) Res quanquam Robertum fugit, tamen est certissima: nam eis, quae de Ursis maiore et minore prolata sunt, unam effici narrationem non dubium relinquunt verba in Ursae minoris titulo de Callisto dicta *ὥστε δισσὰς ἔχειν τιμὰς* et quae praecedunt *ἕτερον εἴδωλον* (cf. supra p. 290 sqq.); Arctophylacis et Ursae maioris historias dirimi non posse utriusque exitus clamat, ubi ob laesam templi religionem matri pariter ac filio ab Arcadibus mors instat, ambo igitur ad caelum abripiendi sunt, sicut recte apud Hyg. et schol. German.

accepit, duos ipse addidit. A Callimacho quominus cum catasterismo simul etiam fabulae lineamenta peteret, impediit narrationis illius condicio: praematura enim Callistus morte omnis praeclusa erat facultas, quo tertium quoque signum explicaretur, cum matre astris inserendi filii. Eam sola praestabat Hesiodi narratio. Ad hanc igitur opus erat redire; nec tamen tota poterat retineri. Nam quae Hesiodus narraverat de Mercurio ursam quidem in Lycaeo pascente, sed infantem in Cyllenen procul auferente necesse erat abicerentur, siquidem ursam una cum filio ad astra pervenisse demonstrandum erat. Itaque partu commemorato auctor Hesiodum reliquit et sua iam annexuit commenta. Quae ut pernoscantur, opus est disiectas illas tres narratiunculas, quas singulas inspecta Roberti editione commode tibi possis restituere, in unam coniungere, quae haec fere sit:

A) Callisto, cum ut fera in monte (Lycaeo) vagaretur, capta est a caprariis quibusdam et cum puero, cui postea Arcadi nomen erat, Lycaoni (patri) tradita[a]). B) Qui cum aliquando Iovem hospitio accepisset, puerum 'cum alia carne concisum'[b]) ei pro epulis apposuit. At Iuppiter statim mensa proiecta domum fulmine incendit et Lycaonem ipsum in lupum convertit morum eius immanitatem abhorrens[c]), at puerum membris collectis compositisque ad vitam reduxit et caprario cuidam dedit educandum. 'Qui adolescens factus in silvis cum venaretur, inscius vidit matrem in ursae speciem conversam. Quam interficere cogitans persecutus est in Iovis Lycaei templum, quo ei qui accessisset mors poena erat Arcadum lege; itaque cum utrumque necesse esset interfici'[d]) et mors eis iam in-

A) Catast. I p. 52 Rob.

a) Sic omnes. Unum secutus testem nominabo.

B) Catast. VIII p. 74 Rob.

b) Hyg. c) Epit. της ὠμότητος αὐτὸν μυσαχθείς.

d) Hyg.

staret ab Arcadibus insecutis[e]), Iuppiter suorum 'misertus ereptos inter sidera collocavit.'[f]) 'Qui, ut res gesta est, ita manent, illa ursae natura'[g]), ille ursam sequens[h]), quapropter illa Ursa, ille Ursae custos appellatur. C) Interim Diana, quae sodalem suam (cum perfidam duceret) ab Iove vim passam esse ignorans[i]) in bestiam converterat, rem cognoverat[k]). Itaque (praecipitem iram dolens pro illata iniuria) gloriam illi retribuit, cum alteram ursae effigiem, quae Ursa minor vocitatur, in caelo constituit, ut duplicem illa honorem haberet.

In hac narratione, quam ab Hesiodea, cui subiecta est, vulgo non dirimunt, omnia seram produnt aetatem: Immixta Lycaonis historia, eminens doctrina, neglecta fabulae natura.

Quae de Lycaonis facinore circumferebantur[1]) Callistus res nullo modo attingere per se intellegitur, nec quemquam fugiet ea ne ad hanc quidem narrationem esse necessaria, sed cum ea tam laxe copulata, ut salvo rerum ordine omitti possint, sicut omissa sunt a scholiasta Arateo et Ovidio. Inserta ergo ideo tantum videntur, ut longum temporis spatium, quod Callistus partum inter et catasterismum est, paulum expleretur nec nuda aut obscura relinqueretur tota Arcadis pueritia. Ita-

e) Hyg. in Ursae mai. capite. f) Hyg. g) Schol. Germ. BP.

h) Hyg., cf. Ovid. Fast. II 190 et Avieni Phaen. 259 sq. (Et licet instanti similis similisque minanti | terga Helices iuxta premat arduus).

C) Catast. II p. 56 Rob. — Hyginus hanc narratiunculam omisit; quam Rob. huc revocavit, ad Ursam pertinet maiorem, cf. p. 289 sqq.

i) In Epitome γνοῦσα codicum in ἀγνοοῦσα corrigendum esse supra ostendi p. 291.

k) Auctor, cum haec fingeret, ea potissimum ante oculos habuisse videtur, quae Amphis Hesiodeis addiderat: nam cum Callisto Dianae de vitii auctore sciscitanti culpam ipsi tribuit (quia huius specie indutus Iuppiter eam fefellerat), tum probe intellegimus deae et iracundiam, ubi illud crimen audivit, et poenitentiam, ubi puellam verum dixisse resciit. Contra Hesiodi ex mente Callisto poenam tulit merito.

1) Inquisivit in hanc fabulam, quam alii de Lycaene, alii de Lycaonidis narrabant, H. D. Müller, 'Myth. d. gr. Stämme' II p. 83 sqq.

que ad Arcadem translata sunt quae alii puero [1]) aut homini cuidam [2]), alii ipsius filio Nyctimo [3]) a Lycaone accidisse volunt, ut Iovi aut in ara aut in mensa mactatus offerretur. Arcade autem substituto fit, ut nefas immanitatis capiat fastigium: suo enim patri vescendus apponitur filius, summo deorum ab homine mortali, nepos ab avo. Qui qua de causa tam nefanda animo conceperit, quaerentibus solus inter auctores respondet Hyginus, cum addat (II 4): 'studebat enim scire, si deus esset, qui suum hospitium desideraret. Quo facto non minore poena est adfectus.' At haec ab ipso Hygino addita esse statuit Robert, recte haud dubie, non solum quia ceteri auctores nihil tale habent eademque causa redit, ubi aptior est, in Hyg. fab. 176 ('Lycaonis filii Iovem tentare voluerunt, deusne esset'), sed quia alia se offert explicatio multo probabilior, eam dico, quam Lactantius ad Stat. Theb. VIII 414 in his indicat: 'Lycaon pater Helicae ursae fuisse dicitur, qui dolore stupratae a Iove filiae deos humanarum carnium cibis violavit.' Quam causam a scholiasta non esse inventam ideo potissimum existimo, quod sic demum, si Lycaon filiae corruptorem ulciscitur, Callistus Lycaonisque fabulae interiore aliquo vinculo cohaerent et ad unam vere narrationem coalescunt. Exempla autem praebuere nefandi epuli mensa Thyestea, pueri collectis compositisque membris ad vitam restituti sors Pelopis. Ex his omnibus sera origo elucet.

---

1) Paus. VIII 2, 3.

2) Ov. Metam. I 227 (— — missi de gente Molossa | obsidis unius iugulum mucrone resolvit), cf. eiusdem Ib. 431.

3) Stat. Theb. IX 126 sq. (— sat funera mensae | Tantaleae et sontes vidisse Lycaonis aras | et festina polo ducentes astra Mycenas). Eandem fortasse fabulam continebant *Λυκάων* Xenoclis et Achaei *Ἀζᾶνες*, cf. Welcker Trag. Gr. II p. 963 sq. Alteram formam habet Nonnus XVIII 20 sq.:

ἔκλυον, ὡς ὑπέδεκτο τεὸν γενετῆρα Λυκάων
αὐτὸν ὁμοῦ μακάρεσσι, καὶ υἱέα χειρὶ δαΐξας
Νύκτιμον ἀγνώσσοντι τεῷ παρέβαλλε τοκῆι,
καὶ Διὶ παμμεδέοντι μιῆς ἔψαυσε τραπέζης
Ἀρκαδίης παρὰ πέζαν.

Cum Nonno consentiunt Arnob. Adv. nat. IV 24 et Clem. Alex. Protr. II 11.

Doctrina magis quam ingenio excellentem auctor in eis se praestat, quae de suo addidit. Primum enim, ut Arcadis pueri fata intexeret, bis induxit caprarios, non admodum scite, sed docte procul dubio: nam pascuis terra abundabat et capris potissimum apta erant quae Lycaeo adiacent loca aspera et montuosa (cf. Curtius Pelop. I p. 169. 318). Deinde, ut causam catasterismi inveniret, religionem Lycaei adhibuit, cuius mentionem faciunt Paus. VIII 38, 6 (*τέμενός ἐστιν ἐν αὐτῷ Λυκαίου Διός, ἔσοδος δὲ οὐκ ἔστιν ἐς αὐτὸ ἀνθρώποις· ὑπεριδόντα δὲ τοῦ νόμου καὶ ἐσελθόντα ἀνάγκη πᾶσα αὐτὸν ἐνιαυτοῦ πρόσω μὴ βιῶναι*) et Plut. in Quaest. Gr. 39 p. 300. Cur Arcadem fingeret matrem telo insequentem, causam praebuit signorum inter se collocatio, quae iam ab Arato, qui ursas, non plaustra, agnoscit (cf. v. 27), hunc in modum descripta est Phaen. vs. 91 sqq.:

Ἐξόπιθεν δ' Ἑλίκης φέρεται ἐλάοντι ἐοικώς
Ἀρκτοφύλαξ, τόν ῥ' ἄνδρες ἐπικλείουσι Βοώτην,
οὕνεχ' ἁμαξαίης ἐπαφώμενος εἴδεται Ἄρκτου.

Fabulae naturam quam parum respexerit nec curaverit genealogos, id documento est, quod Arcadem finxit adolescentulum cum matre terra abreptum, quasi nesciret hunc regno accepto nationi suum nomen et regiam progeniem dedisse. Et talem narrationem assignare potuerunt Hesiodo!

Auctor vix alius est nisi ipse, ad quem Catasterismorum materies redit, *Eratosthenes*. Nam Callimachum inter et Eratosthenem exstitisse, qui illius inventa amplificata huic traderet, auctorem nobis ignotum quis tandem statuat, a Roberto (p. 32) praesertim edoctus Eratosthenem eos neglexisse, qui data opera de sideribus scripsissent, Hermippos et Hegesianactes? Conferre non inutile videtur quae de Virgine proferuntur in Catast. IX p. 82: *Ταύτην Ἡσίοδος εἴρηκε θυγατέρα Διὸς καὶ Θέμιδος, καλεῖσθαι δὲ αὐτὴν Δίκην.* Iustitiam Hesiodeam ad sidera translatam iam apud Aratum invenimus (cuius mentio in Catast. interpolata est, cf. Rob. p. 33), quanquam apud hunc parentes non sunt iidem. Sed Eratosthenes rediit ad Hesiodum ipsum, retinens tamen catasterismum. Idem factum esse vides atque in Callistus fabula, quam in novam formam re-

dactam ad sidera rettulit Callimachus, ad sidera relatam accepit, sed ad formam Hesiodeam revocavit Eratosthenes. Eratosthenem dico, quia in eis, quae Robert p. 31 sqq. eruit, acquiescere malo, quoniam I. Boehme in Mus. Rhen. XLII p. 286 sqq. non solum ea, quae Ern. Maass in Analectis Eratosthen. ('Philol. Untersuch.' VI) disputavit eo consilio, ut Catasterismos Eratostheni falso ascriptos esse demonstraret, satis infirmavit, verum etiam ex ipsis stellarum catalogis originem Eratosthenicam comprobavit.

Sed iam nascitur difficultas. Nam videmus Eratosthenem eadem signa, quae e Callistus fabula explicavit, cum aliis copulata ex Icari vel, ut alii [1]) dixere, Icarii fabula interpretatum esse, cum in Arctophylace et Ursis, ab altera horum appellatione, qua Bootes et Plaustra vocabantur, profectus, Icarum cum plaustris [2]) agnosceret et proxime filiam eius Erigonam in Virgine, canem Maeram in Canicula, crateram in Cratere monstraret et his insuper, si Maass verum vidit, adderet in Protrygetere stella Dionysium (cf. M. p. 110) et in Aquarii signo Aristaeum (cf. M. p. 69). Alteram hanc interpretationem, si Robertum in proleg. p. 4 et 34, Catal. frg. I p. 39 sqq., Catast. VIII p. 77 sqq. audimus, in eodem quo priorem opere protulit, contra si Maassium in Anal. Erat. p. 59 sqq., in carmine elegiaco, quod Ἠριγόνη inscriptum erat. Ille autem eo nititur, quod in schol. Hom. Ven. B Erigonae historiae sub-

1) Cf. Maass Anal. Erat. p. 105 adn. 51.

2) Eratosthenem Icarum simul cum plaustris in caelo agnovisse apertis quidem verbis non dicitur, sed recte conclusisse mihi videtur Maass ex Hygini verbis et scholio Hom. (Od. ε 272), quanquam hic de uno cogitat plaustro, ego duo malim statuere, quia existimo eum, qui ambo signa, maius et minus, ex Callistus fabula explicaret, ne ab hac quidem interpretatione alterum exclusisse; confirmatur autem quod statui scholio Homerico, cuius verba sunt haec: *ὁ Βοώτης καὶ Ἀρκτοφύλαξ καλεῖται· καὶ δοκεῖ εἶναι ὁ Ἰκάριος· Βοώτης δὲ λέγεται . . ., ἐπεὶ ὁ Ἰκάριος ἐπὶ ἁμαξῶν παρεκόμιζε τὸν οἶνον.* Minus accurate Hyginus II p. 35, 11 B.: 'alii dicunt Icarum . . . utres plenos in plaustrum imposuisse; hac re etiam Booten appellatum', et fab. 130: 'Icarus plaustro onerato [cum Erigone filia et cane Maera] in terram Atticam ad pastores devenit.'

scriptum est *ἱστορεῖ Ἐρατοσθένης ἐν τοῖς ἑαυτοῦ καταλόγοις*; quod argumentum ut illi eriperet, Maassio non contigit; frustra enim ostendere conatus est 'illos stellarum catalogos, ad quos pertinet scholii homerici subscriptio, ex commentario saec. I exeunte sive ineunte II in Aratum conscripto, non ex genuino Eratosthenis libro, provenisse' (p. 59); nam argumentationem eius Boehme l. l. (cf. inprimis p. 305) diluit. Itaque Roberti sententiam retineo, quam ipse mihi videtur novo teste allato Maass invitus etiam confirmasse. Attulit enim (p. 4 sqq.) Cosmam Hierosolymitanum, saeculi VIII scriptorem. Qui inter ea, quae ex Catasterismis exscripta esse apparet, etiam Erigonae historiam habet (cf. p. 7 et 83 sq.). Ergo haec in Catasterismis olim scripta legebatur, quanquam excidit ex Epitome et deest ceteris Catasterismorum compilatoribus praeter Hyginum, qui tamen eam an aliunde haberet dubitare licebat. Catasterismos autem cum e commentario Arateo fluxisse nulla re convincatur, immo compendium esse ex ampliore Eratosthenis libro, Catalogis, factum, id quod Robert statuit, Boehmii disputatione comprobatum sit, sequitur, ut Eratosthenes in eodem libro deinceps utramque interpretationem protulerit. Quae res potest mira videri, si utriusque ipse fuit auctor. Hoc autem tantum non est certissimum. Icari enim familiam ab Eratosthene primo inter sidera monstratam esse Maass (p. 86 sq. 124 sqq.) comprobavit; Hesiodeae de Callisto narrationi novum quo III signa explicarentur exitum ab eodem adiectum esse ipsa rerum condicio testatur. Discrimen in eo est, quod Icari fabulam primus omnino ad astra rettulit, Callistus fabulam iam ad astra relatam accepit, illam ab Atticis petitam ipse demum conformavit excoluit auxit[1]) (cf. Maass

1) Verbis Pollucis V 42 *ὁ δὲ Ἰκαρίου κύων καὶ ἔδειξε τῇ θυγατρὶ τὸν Ἰκαρίου νεκρόν· καὶ εἰ χρή τι πιστεύειν τοῖς ποιηταῖς, οὗτός ἐστιν ὁ Σείριος* et his Probi ad Verg. Georg. I 217 'Pecoribus autem Canis sidus ideo inimicum est, quod poetae ferunt a pastoribus Icarum occisum' Maass p. 85 abutitur haec efficiens: 'Poetam et Pollux et Probus qui dicitur horum catasterismorum dixerunt auctorem.' Nam catasterismorum notitiam hi procul dubio hauserunt ex poetis, qui frequenter eos commemorant, non ad ipsum ascenderunt auctorem.

p. 124 sqq.), hanc posita pro fundamento Hesiodi narratione satis habuit idoneo exitu amplificare. Protulitne igitur hanc tanquam ex mente priorum, Hesiodi et Amphidis, illam e sua ipsius? Illorum narratione Ursae, ipsius Plaustra explicabantur. Utramque veram habere aut dicere non potuit, sed alteram alteri opponere debuit. Cui vero novam suam interpretationem, quae videtur, opposuit, eam prius ad unum signum spectantem ipse demum ita adornavit et auxit, ut iam tria signa una comprehenderet. Quae res ad recte aestimandam Eratosthenis operam ac rationem magni momenti est.

Prior narratio in Catasterismis in III particulas discerpta legebatur. Sed cum probe intellegi non possit nisi membris in unum corpus recollectis, meo iure mihi videor statuere Eratosthenem eam continuam exhibuisse et epitomatorem demum, ut suam cuique signo attribueret particulam, contextum dissolvisse. Quod si in hac concedendum est narratione, non minus valet in ceteris, quae eiusmodi sunt, ut ex una fabula complura signa explicentur. Neque universa memoriae ratio obstat: nam Robert demonstravit (p. 33) Catasterismos 'a principio hanc formam non habuisse, sed postea demum in eam redactos esse', ab eo scilicet, qui Eratosthenis librum in compendium contraheret, ut mythologicum in Aratum commentarium componeret.

§ 2.

Utraque interpretatio apud posteriores magnam auctoritatem cepit, maiorem tamen altera, quae ad Icari familiam pertinebat; haec enim quam familiaris fuerit Romanis, nube exemplorum ostendit Maass p. 87 sqq. Altera, qua Callisto cum Arcade in caelo monstrabatur, ne ab omnibus reciperetur, vel id impediebat, quod similis forma Callimachi nomine commendata cum ea certabat.

In *compendia* haec fortasse sola transiit; certe in schol. Hom. (Σ 487) et ad Pausaniam (I 25, 1. VIII 3, 6) atque aliquo circuitu in Apollodori Bibl. (III 8, 2) et ad Libanium (p. 1101) Callimacheam vidimus solam pervenisse; nec iam dubitatur, quin hi ex compendiis hauserint. Debuerunt autem hanc arripere, sper-

nere commenta Eratosthenica ii, qui genealogiam spectarent, ergo ante omnes ii, qui compendio historiam fabularem comprehendere.

At nihilo minus et istorum notitia usus que apud poetas mythographosque increbruit, apud Latinos ideo, quod *Ovidius* ea ita recepit, ut summam amplae suae narrationi intexeret; sed hanc ipsam ob causam e Romanorum litteris perpauci citari possunt auctores, quos certo dicas Eratosthenem ipsum, non Ovidium ante oculos habuisse. Primo loco ii nominandi sunt, quos, cum data opera de sideribus scriberent, Eratosthenis aut Catalogis aut Catasterismis usos esse Robert ostendit, *Nigidius Figulus*, *Germanicus*, *Germanici interpretes*, *Avienus*, quorum numero adiciendus videtur etiam qui *Manilius* audire solet Astronomicon auctor, utpote qui II 26 sqq. multos enumerat homines animalia res astris nobilitata 'raptamque Lycaone natam' inter haec commemoret et III 359 fingat aliquem 'prona Lycaoniae spectantem membra puellae'. Sed praeter hos in censum omnino ii tantum veniunt, qui Ovidio aetate superiores sunt. Inter quos tamen vix unus alterve Callistus fabulam tetigit: In Comae Berenices apud *Catullum* LXVI 66 sqq. verbis

— — Calisto iuncta Lycaoniae[1])
vertor in occasum, tardum dux ante Booten,
qui vix sero alto mergitur oceano

Callimachum audire nobis videmur. Incertum, de utra fabulae forma cogitaverit *Vergilius* in Georg. I 137 sq. initia Iovis imperii describens:

Navita tum stellis numeros et nomina fecit
Pleiadas Hyadas claramque Lycaonis Arcton.

Sed Eratosthenis narratio, si verba premere licet, *Propertio* obversata est, cum affectam suam puellam exemplis solatur earum, quibus vitae pericula summum honorem paraverint; ac commemoratis Io Ino Andromeda sic pergit II 28, 23 (Baehr.):

Callisto Arcadios erraverat ursa per agros[2]):
haec nocturna suo sidere vela regit.

1) In codic.: 'Calixto iuxta Lycaonia'.

2) Simillime Ovid. in Fast. II 181 'Ursa per incultos errabat squalida montes.'

Otto in progr. Glogav. 1886 p. 8 De fabulis Propert. (part. II) disputans cogitavit de Callimacho: at in huius narratione Callisto ursa facta statim vel subinde a Diana occiditur; contra apud Eratosthenem multos annos 'errasse per agros' fingitur, dum cum filio venante congrederetur.

Plura fabulae testimonia apud huius priorisque aetatis auctores frustra quaesivi: itaque descendere opus ad *Ovidium.* Qui superioribus annis et ipse raro occasione utitur, cum sidus commemorat, fabulae significandae, sed in Fastis postquam iterum Callistus fata sat multis versibus persecutus est iam compluriens originis ursae caelestis meminit, saepissime vero ac paene ad taedium in Tristibus et sideris et cum sidere fabulae mentionem repetit, cum inde a libro II lamentari non desinat, quod in terram relegatus sit isti tam gelido sideri suppositam. Primum in Amor. III 12, cum poetarum commenta recenset, etiam Callistus notat fabulam v. 31:

De Niobe silicem, de virgine fecimus ursam.

Dehinc non nisi in sidere illius meminit; quod in superioribus carminibus bis factum est:

Her. XVIII 151 sq. Andromedan alius spectet claramque Coronam
quaeque micat gelido Parrhasis Ursa polo.

Art. am. II 55 sq. Sed tibi non virgo Tegeaea comesque Bootae
ensiger Orion aspiciendus erit.

Sequuntur II plenae fabulae narrationes, altera in Metam. II 409—530, altera in Fast. II 155—192, quas ex Callimacho et Eratosthene conflatas esse postea videbimus. Hinc poetae fabula familiaris facta est; redit enim eius mentio ter in Fastis:

III 793 Stella Lycaoniam vergit proclivis ad Arcton.
IV 577 (cum Ceres Ursam alloquitur) Parrhasides stellae!
VI 235 sq. Tertia post Nonas removere Lycaona[1]) Phoebe
fertur, et a tergo non habet Ursa metum.

octiens vero in Tristibus:

I 3, 48 Versaque ab axe suo Parrhasis Arctos erat.
4, 1 Tinguitur oceano custos Erymanthidos ursae.

1) Lycaon = Lycaonides, cf. quos laudat Peter in Fast. ed. II p. 54.

I 11, 15 Fuscabatque diem custos Erymanthidos ursae.
II 190 Parrhasiae gelido virginis axe premor.
III 2, 2 Quaeque Lycaonio terra sub axe iacet.
4, 47 sq. Proxima sideribus tellus Erymanthidos ursae
me tenet.
11, 7 sq. Barbara me tellus et inhospita litora Ponti
cumque suo borea Maenalis ursa videt.
V 3, 7 sq. Quem nunc suppositum stellis Erymanthidos ursae
iuncta tenet crudis Sarmatis ora Getis.

His addendi sunt Ib. vs. 471 sq. ad Lycaonis filium pertinentes:

Ut ferus Aeolides, ut sanguine natus eodem,
quo genita est, liquidis quae caret Arctos aquis[1]).

Ultra Ovidium in Romanorum litteris nunc descendere non licet, quoniam hic fabula retractata novum memoriae gradum auspicatus est. Itaque ad Graecos nunc reversi videamus, quae apud hos post Eratosthenem fabulae fata fuerint.

§ 3.

Supra intelleximus Callimacheam narrationem in compendia transiisse et hac via a mythographo quodam ignotae aetatis (si de Hygini fonte recte iudicavi, fuit ante Parmeniscum) ad Ius fabulae exemplar deflexam esse; supra etiam intelleximus eam a scriptoribus, qui catasterismos venarentur, receptam et ab uno ita potissimum immutatam esse, ut in fine Iovis officio ipsa puellae patrona fungeretur Diana; nunc illum, quisquis fuit, suspiceris ea ante oculos habuisse, quae Eratosthenes de Ursae minoris origine narrasset. Callimachea igitur forma vulgata erat, et, si quam, hanc in scholis pueri discebant. Ergo vix errabimus, si hanc agnoscemus apud eos quoque, qui fabulam ita significaverunt, ut, quam asciverint, e verbis intellegi nequeat.

Sic factum est a *Luciano* in Dial. mort. 28, 3 (= p. 447) *Σὺ οὖν οὐδὲ τὰ ἄλλα πιστεύεις οὕτω γενέσθαι, ὁπόταν ἀκούσῃς,*

1) Cf. schol. in Ellisii Ib. ed. p. 82 (I) '— — Natus de eodem patre, de quo Parrasis, quae ideo caret aquis, quia non occidit.' (II) 'Arpiten, filium Licaonis, fratrem Callistonis, quae Parrasis dicitur, significat — —.'

ὅτι ὄρνεα ἐκ γυναικῶν ἐγένοντό τινες ἢ δένδρα ἢ θηρία, τὴν Ἀηδόνα ἢ τὴν Δάφνην ἢ τὴν τοῦ Λυκάονος θυγατέρα, et De salt. 47 (= p. 296) πολλὴ δὲ καὶ ἡ κατ᾽ Ἀρκαδίαν μυθολογία, Δάφνης φυγή, Καλλιστοῦς θηρίωσις κτλ.; praeterea ab *Artemidoro* XII 12 p. 103 ed. Herch. Ἄρκτος γυναῖκα σημαίνει (φασὶ γὰρ ἐκ Καλλιστοῦς τῆς Ἀρκαδικῆς μεταβαλεῖν τὸ ζῷον οἱ περὶ μεταμορφώσεων μυθολογήσαντες). Possunt huc (sed eodem iure ad formam Eratosth.) revocari etiam quae in Recognitionibus *Clementinis*, quas Rufinus in Latinum transtulit, exstant IX 26: 'Callisto in sidus, quod Arcton vocant' (sc. dicunt conversam).

Callimacheis auctoritate cedunt commenta Eratosthenis, quanquam obscura ne haec quidem manserunt, sed apud Graecos quoque ad infima antiquitatis tempora usque valuerunt; at in vulgarem notitiam usumque videntur non penetrasse, sed magis in catasterismorum syllogis latuisse.

Tali e sylloga[1]) *Tatianus* in orat. ad Graecos 9 p. 42 ed. Otton. haec petivit: κύων ὁ τῆς Ἠριγόνης ἐν οὐρανῷ δείκνυται καὶ Σκορπίος ὁ τῆς Ἀρτέμιδος βοηθὸς καὶ Χείρων ὁ Κένταυρος καὶ ἡ ἡμίτομος Ἀργὼ καὶ ἡ Καλλιστοῦς ἄρκτος. At ipsos adiit Catasterismos Eratosthenicos[2]) Homiliarum quae *Clementi* tribuuntur scriptor, qui V 17 haec habet: Λόγισαι γάρ μοι, πόσας ἠμείψαντο ἐρωμένας, ὧν τὰς μὲν κατηστέρισαν, τινῶν δὲ καὶ τέκνα καὶ συνεργοὺς εὐεργέτησαν· αὐτίκα γοῦν Ζεὺς κατηστέρισεν Καλλιστώ, τὴν λεγομένην ἄρκτον μικράν (!), ἣν καὶ κυνόσουραν προσαγορεύουσίν τινες. — — ἐποίησεν ἀστέρας — — καὶ Ἀρκάδα διὰ Καλλιστοῦς.

Inter poetas Eratosthenis inventa *Nonnus* amplexus est: commemorat autem non solum Callistus Arcadisque catasterismos, sed etiam fraudis, qua Iuppiter usus sit, semel iterumque meminit ac significat Callisto a Diana mutatam (cf. XXXVI 71):

---

1) Cf. Wilamowitz in Commentar. grammat. II Ind. schol. Gryphisw. 1880/81 praemisso p. 16. At Maass in Anal. Erat. p. 54 hic quoque Arateum suum commentarium detexisse sibi videtur.

2) Cf. Wilamowitz l. l.

ergo totam ante oculos habuit narrationem. Locos ex rerum ordine componam:

II 122 sq. — — — — — — ἀλλὰ Κρονίων
Καλλιστοῦς λάχε λέκτρον ἐς Ἄρτεμιν εἶδος ἀμείψας.

XXXVI 66 sqq. (Loquitur Iuno ad Dianam a se modo superatam)
— ἀλλὰ καὶ αὐτῆς
λῆγε μεγαφρονέουσα σαόφρονος εἵνεκα μίτρης,
ὅττι τεῶν μελέων μεθέπων τύπον ὑψιμέδων Ζεὺς
παρθενικὰς ἀγάμους νυμφεύεται· εἰσέτι κείνην
εἰκόνα σὴν βοόωσι δολοπλόκον Ἀρκάδες ὗλαι,
Καλλιστοῦς ἀγάμοιο γαμοστόλον, ὑμετέρην δὲ [1])
ἔμφρονα μάρτυρον ἄρκτον ἔτι στενάχουσι κολῶναι
μεμφομένην νόθον εἶδος ἐρωμανὲς Ἰοχεαίρης,
θηλυτέρης ὅτι λέκτρον ἐδύσατο θῆλυς ἀκοίτης [2]).

XXXIII 288 sqq. ἀξονίῳ δὲ τένοντι πολυπλανὲς ὄμμα τιταίνων
Καλλιστὼ σκοπίαζε καὶ ἄστατον ὁλκὸν ἁμάξης,
γινώσκων, ὅτι θῆλυς ἐδέξατο θῆλυν ἀκοίτην
μιμηλῆς μεθέποντα νόθον δέμας Ἰοχεαίρης [2])
ἀγνώστοις μελέεσσιν·

VIII 73 sqq. — — μερόπων χορὸς ἄξονα βαίνει·
Καλλιστὼ κατ' Ὄλυμπον ἑλίσσεται, ἧχι φαείνει
κύκλος ἀερσιλόφοιο φερώνυμος Ἀρκάδος ἄρκτου.

XIII 295 sqq. (in fine pagorum Arcadicorum enumerationis)
οἵ τ' ἔχον Ἀρκαδίην πόλιν Ἀρκάδος, ὃν ποτε μήτηρ
Καλλιστὼ Διὶ τίκτε, πατὴρ δέ μιν εἰς πόλον ἄστρων
στηρίξας ἐκάλεσσε χαλαζήεντα Βοώτην.

Deinde Nonnus compluriens fabulam uno tantum vocabulo significavit; notabile autem est quod non plus uno loco certam imaginem retinet (I 169 sq. ἄξονι κεκλιμένης λοφίην ἀνεσείρασεν ἄρκτου Παρρασίης), reliquis ambas non solum signi figuras, sed etiam interpretationes ab Eratosthene prolatas

1) Iuno cum ἔμφρονα ἄρκτον Dianae Iovisque propriam dicit, sibi cum ea nihil fuisse testatur. Ergo et hac re ad Eratosthenem delegamur, qui Iunonis partes in fabula non agnoscat.

2) Eorundem vocabulorum repetitio docet poetam in altero loco alterum ob oculos habuisse.

miscet: modo enim plaustrum ad Callisto refert (I 462 ἔσσο *Λυκαονίης* ἐλατὴρ Ἀρκτῴος *ἁμάξης*. XLII 290 καὶ *Ἀρκάδος* ἐγγὺς *ἁμάξης*), modo ursae iungit Booten senem sive Icarium (II 182 sqq. αἰθερίῳ δὲ δράκοντι συνέμπορος *Ἀρκάδος ἄρκτου* — — ὄμμασιν ἀγρύπνοισι *γέρων* ἐφύλασσε *Βοώτης*. XLVII 250 sqq. *Ἰκάριον* δὲ γέροντα — εἰς πόλον ἀστερόφοιτον ἄγων ὀνόμηνε Βοώτην | φαιδρόν, *ἁμαξαίης* ἐπαφώμενον *Ἀρκάδος ἄρκτου*)[1]).

§ 4.

Eodem quo Eratosthenes, sed alia via, tendebat is qui in Ursa minore *Callistus canem* agnovit: uterque studuit signa propinqua ex eadem fabula explicare. Rem discimus ex scholiis Arateis, in quibus ad v. 27 de Ursis haec adnotata sunt: διτταὶ δέ εἰσιν, ὧν τὴν μὲν Ναύπλιος εὗρε, τὴν δὲ δευτέραν τὴν ἐλάσσονα Θαλῆς ὁ σοφός. ‖ λέγει δὲ τὴν ἐλάσσονα εἰκόνα κυνὸς εἶναι, ἥτις ἦν Καλλιστοῦς, ἥτις συγκυνηγὸς ἦν τῇ Ἀρτέμιδι. ἀποθανούσης δὲ αὐτῆς συναπέθανε καὶ ἡ κύων. ‖ τὸ δὲ ὄνομα ἔχει διὰ τὸ κυνὸς οὐρὰν ἔχειν. Aratus quidem Ursam τὴν ἐλάσσονα εἰκόνα κυνὸς εἶναι nusquam dixit. Ab hoc igitur auctor nequit profectus esse. Sed videntur fuisse qui propter κυνὸς οὐρὰν canem in Ursa minore agnoscerent. Id certe fecit qui Callisto ursam cum cane circa polum versari pronuntiavit. Scholiasta lusum huius arreptum, quoquo modo, cum Arati verbis conciliabat contendens hunc signo eandem figuram tribuisse; quam sententiam extorquere potuit ex uno versu 36 καὶ

---

1) Quod in Nonno observavimus, idem redit apud alios quoque serioris aevi scriptores et Graecos et Latinos, velut in schol. Arat. 257 (ὑπὸ τὸν ῥυμὸν τῆς Ἄρκτου), in Lucani Phars. IV 523 (flexoque Ursae temone paverent), Senecae Herc. Oet. 1523 ed. Leon. (sub plaustro — ursae), Avieni Phaen. 131 (illa [sc. ursa] licet parvo iaceat temone per aethram) et 259 (licet [sc. Arctophylax] — terga Helices — premat, haud tamen unquam | in picturatae plaustrum procurrere matris | fas datur). Ex ipso addam Nonno II 279 καὶ ὕδατι διψὰς ἀλάσθω | ἄρκτος ἁμαξαίοιο δεδυκότος ἱστοβοῆος. — Ex Arati Phaen. 93 Nonnus desumpsit ἁμαξαίης ἄρκτου appellationem (XLVII 252) ut multa alia, cf. Maass in Anal. Erat. p. 100.

τὴν μὲν Κυνόσουραν ἐπίκλησιν καλέουσιν. Vides istum quoque siderum interpretem e Callimacho pendere.

§ 5.

Pauca denique verba hoc loco requirit sententia Henrici Schmidt, qui in libri, quo tragoediae Atticae carmina non semper aequa Minerva tractavit, p. CXX singularem illam fabulae formam, quae inter enumeratos Iovis coniuges et filios in Homiliis *Clement.* V 13 indicatur verbis (*Ζεὺς*) *Καλλιστοῖ τῇ Λυκάονος ἠγριώθη λέων καὶ ἄλλον τίκτει, Ἀρκάδα,* inde repetit, quod in caelo ab Ursa proxime absit *Leo.* Cui explicationi quod opponam non habeo: immo eam si minus certam, at quam maxime probabilem duco. Una enim rem statim expedit, cum impedita sit via leonis e fabula vulgari repetendi. Ratio enim nisi in siderum collocatione nulla, quantum video, comparet, qua intellegi possit, cur tandem Callisto a Iove compressa esse dicatur sub figura leonis.

§ 6.

Iam per Graecorum litteras fabulam persecuti *artificum monumenta* num quae ad Callisto pertineant circumspiciamus. De nonnullis supra dictum est: scimus enim Polygnotum Callisto inter inferos sedentem pinxisse, Orchomenios Methydriensesque Callisto et Pheneatas aliosque Arcadem in nummis repraesentasse. Callistus Arcadis aliorumque statuas ab Arcadibus post pugnam Leuctricam Delphos dicatas esse constat earum titulo nuper reperto, quem infra p. 345 exhibebo. Callistus et Ius statuas [1]), quae factae erant a Dinomene, qui c. a. 400 floruit, in Acropoli Atheniensium iunctas vidit Pausanias (I 25, 1). Ad nos ex arte Graecorum nihil pervenit, quod ad Callisto referre liceat [2]), praeter Arcadum nummos. Laudat quidem

1) De his cf. Overbeck, 'Gr. Kunstmyth.' II p. 415 et Kuhnert Fleckeis. Annal. suppl. XIV p. 275.

2) De statua falso huc relata vide Overbeckium l. l. — Quia cum Callistus fabula signum Ursae cohaeret, non alienum duco adnectere quae ad hoc pertinere videantur artium opera: Ursarum et draconis in caelo

Bachofen ('Der Bär in den Relig. d. Alterth.' p. 16) 'die herrlichen Kunstdarstellungen der Poniatowski-Gemmen No. 39—42' inter fontes fabulae potissimos; sed ex Foersteri adnotatione ('Raub u. Rückkehr d. Perseph.' p. 116) didici eas esse a falsario profectas, ut non doleam, quod eas inspicere mihi non licuit.

V.

§ 1.

Sed iam Graecos dimittamus et revertamur ad Ovidium. Hunc supra praemonui Eratosthenis et Callimachi commenta, quae apud Graecos ad infimam usque aetatem separata regnasse modo vidimus, una narratione coniunxisse. Nunc singula excutiam, ut appareat, quae utri debeat, quae ipse addiderit. Cum autem narratio quam Fastis II 155—192 inseruit, nisi

---

collocatio repraesentata est in gemma ex Asia oriunda, nunc Parisiensi, quam pulchro exemplo deformarunt Imhoof-Blumer et Otto Keller ('Tier- u. Pflanzenbilder auf Münzen u. Gemmen' 1889 tab. XVI 8); ursae ita positae sunt, ut praecepit Aratus in Phaen. 28 sqq. — Minus constat de interpretatione ursae, super cuius tergum stella comparet, in Alexandrinorum nummo aëneo repraesentatae, qui non ante Augusti imperium (cf. Head p. 718) percussus nunc Parisiis ('Cabinet des médailles') asservatur cuiusque imaginem delineavit Bachofen ('Der Bär in d. Rel. d. Alterth.' tab. II 5). Stella super adiecta Ursam caelestem significari novissimus O. Keller ('Tiere d. kl. Altert.' p. 127) contendit. Quae tamen interpretatio incerta est iudicanda. Nam quae in Mantinensium nummis super ursam conspicitur magna stella, eam notae vice ['countermark, star'] fungi vult P. Gardner in M. B. catal. (Pelop. p. 184). Alia est vis stellae, quam iam in antiquissimis nummis electris itemque postea in argenteis Milesii super caput leonis posuere (cf. Head p. 503 sq.) aut in tetradrachmis Abderitae ante pectus grypi (cf. Imhoof-Blumer et Keller, 'Tier- u. Pflanzenbilder auf M. u. G.', tab. XI 25). Attamen ut ursa Alexandrinorum sit sidus intellegendum — est autem ubi de tali stellae significatu dubitare non liceat, velut in capricorno, cui stella in aere Commageno superposita est, (cf. Imhoof-Blumer et Keller, 'Tier u. Pflanzenbilder', tab. X 1), aut in ariete, qui eodem modo in gemma insignitus est (cf. ib. tab. XVIII 46) —, explicatio tamen potest etiam ex Aegyptiorum religione repeti (cf. Head p. 720); horum enim sacerdotes Plutarchus de Is. et Os. 21 auctor est dixisse *θεῶν — τὰς — ψυχὰς ἐν οὐρανῷ λάμπειν ἄστρα, καὶ καλεῖσθαι κύνα μὲν τὴν Ἴσιδος ὑφ' Ἑλλήνων, ὑπ' Αἰγυπτίων δὲ Σῶθιν, Ὠρίωνα δὲ τὴν Ὧρον, τὴν δὲ Τυφῶνος ἄρκτον.*

quod brevior est, non differat ab ea quam in II Metam. libro 409—530 protulit, quanquam ne idem eisdem bis narraret verbis cavit variavitque singula, utramque in unam comprehendere licet. Utraque igitur pariter adhibita fabulam summatim proponam, quo quidque redeat diligenter adnotans:

Callisto Lycaonis filia cum Diana eiusque nymphis venabatur.	Met. II 411-416, cf. 495. 526 Fast. II 155 sq.	= Hes. ap. Erat., Callim., alii.
Iuravit virginem se mansuram.	F. 157—160	= Call. (Apollod. ὤμοσε μενεῖν παρθένος).
Sed Iuppiter amore captus ei pudorem eripuit	M. 409 sq. 433 F. 161 sq.	= Hes. ap. Erat., Callim., alii.
quamvis invitae ac reluctanti,	M. 434—436 F. 178.	= Callim. (Apollod.: ἀκούσῃ συνευνάζεται).
postquam Dianae facie indutus eam fefellit.	M. 425	= Amph. ap. Erat.
Callisto, quanquam conscientia amissae virginitatis afflicta, in Dianae choro permansit.	M. 441—452	cf. Hes. ap. Erat. (Schol. Arat.: φθαρεῖσαν δὲ ὑπὸ Διὸς ἐμμεῖναι ἐν τοῖς πρότερον κλέπτουσαν τῇ Ἀρτέμιδι τὸ σύμπτωμα).
Sed cum lavacro eius crimen patuisset,	M. 460—462 F. 169—172	= Hes. ap. Erat. (Schol. Arat.: ἤδη δὲ ἐπίτοκον οὖσαν ὀφθῆναι ὑπ' αὐτῆς λουομένην).
procul secedere a Diana iussa est. Quo facto	M. 464 sq. F. 173 sq.	—
Arcadem peperit.	M. 468 sq. F. 175 sq.	= Hes. ap. Erat.
Iuno poenam adhuc distulerat,	M. 467	—
sed partu magis etiam accensa	M. 468—473	
illam in ursam convertit.	M. 476—484 F. 177	= Callim.
Hac nova specie pristinam servans mentem	M. 485	—
per agros montesque errabat.	M. 489—495 F. 181 sq.	
Quindecim annos natus	M. 497 F. 183	

Arcas, dum venatur,	M. 498 sq.	= Erat.
in matrem incidit,	M. 500 F. 184	
et ignarus eam iaculo fixisset,	M. 504 F. 187	—
nisi utrumque Iuppiter ad caelum rapuisset;	M. 505 sq. F. 188	= Erat.
ubi signa vicina sunt,	M. 507 F. 189	
prior Arctos vocata, alter Arctophylax, quia ursam a tergo sequi videtur.	F. 189 sq.	
At Iuno a Tethye et Oceano impetravit, ut Arctos ab aequore semper prohiberetur.	M. 508—530 F. 191 sq.	—

Vides fundamenta narrationis desumpta esse ex libro Eratosthenis, colores hic illic aspersos et Iunonem insertam esse ex carmine Callimachi. Iuno autem invecta duas necessario traxit fabulae mutationes: Primum opus erat Callisto salvam a Diana dimitti, ut Iuno posset huius loco poenam exercere. Deinde Iuno fingenda erat poenam in idoneum tempus distulisse; tale praebuit paelicis partus, quo necesse erat Iunonis dolorem redintegrari; poeta vero simplici hac ratione non contentus deam induxit aegre ferentem quod illa etiam fecunda esset, quasi omnino potuisset fieri, ut Iovis semen fructu destitueretur; cogitavit de mortalibus, non de immortalibus, *ἐπεὶ οὐκ ἀποφώλιοι εὐναὶ ἀθανάτων* (Hom. λ 249). — In proximis Ovidius fabulam, quam apud Eratosthenem intextam invenit, Lycaonis ideo omittere debuit, quod eam iam ante, quanquam alia forma, narraverat; qua dempta simul nos fraudavit primae Arcadis sortis notitia, cum iam frustra quaeramus, quis matre in ursam conversa inopis infantis curam susceperit; nam satis habuit dicere XV annis peractis filium cum matre congressum esse, cum illud legentibus ut quisque vellet animo supplendum permitteret. Quae sequuntur abiecta inutili doctrina simpliciora reddidit: abiecit enim laesam ab utroque Lycaei religionem, idoneam, sicut est, Iovi hanc ratus causam intercedendi, quod a filio

matri mors instabat. At peccavit exemplo deserto in depingenda condicione: nam ex fabulae sententia eam debuit effingere et in terram transferre, quam in caelo obtinent sidera; haec autem ea est, ut Ursam Arctophylax persequi videatur, et hanc expressit Eratosthenes; at Ovidius in Met. huius oblitus est, cum scriberet 501 sqq.:

— — — Ille refugit
inmotosque oculos in se sine fine tenentem
nescius extimuit propiusque accedere aventi
vulnifico fuerat fixurus pectora telo.

In Fastis etsi non mutavit causam, vitavit tamen manifestam fabulae et siderum collocationis discrepantiam ac quodammodo se ipsum corrigere[1]) videtur v. 190:

Arctophylax formam terga sequentis habet.

Hic paulum subsistamus. Nam quae adhuc perlustravimus, omnia ita comparata sunt, ut dubium esse nequeat, quos is qui narrationem composuit adhibuerit auctores. Compositam autem eam esse tacitus posui ab ipso Ovidio; non temere, opinor; nam quae cum Eratosthenis exemplo discrepant aut in eo desunt, eorum nihil est, quod non possit ab ipso esse profectum aut quod dici nequeat unde illatum aut cur novatum sit. Eratosthenem autem ab eo esse lectum Fastis comprobatur, in quibus quae narrantur fabulae praeter quinque omnes in Catasterismis redeant (cf. Robert in Erat. Cat. rel. p. 29); Callimachi vero carmina ei penitus nota fuisse non est quod moneam. Qua de causa mihi persuasum est Ovidium hos auctores sibi familiares ipsos adiisse, etiamsi, id quod in medio relinquam, habuerit in manibus quod nuper complures ei tribuerunt syntagma mythologicum vel syntagmata; quod G. Knaack in Quaest. Phaeth. p. 68 ipsam Callistus fabulam, qua syntagmatis usus demonstretur, affert positum est in Maassii de Catasterismorum origine iudicio et cum hoc suo fundamento concidit, si Catast. ad Eratosthenem redeunt neque e scholiis Arateis

1) Ut temporum ita narrationum ratio docet fabulam ab Ovidio prius in Metam., postea in Fastis tractatam esse.

descripti sunt. Alium enim eam narrationem, quam Ovidius exhiberet, composuisse cur statuamus ne ulla quidem est causa: immo in ea ipsa inest quod ab alio profectum esse vix credi possit; matris dico cum filio congressum in Fastis non minus quam in Metam. (in illis tamen, ut supra dixi, poeta manifestam quidem cum veritate discrepantiam vitavit) talem qualis cum siderum inter se collocatione pugnet. Rerum igitur caelestium sat incuriosum auctor se praebet. Hac autem re proditur Ovidius; qui quanta incuria in rebus astronomicis versatus sit, Ideler satis ostendit. Iam vero in congressu illo depingendo Eratosthenis exemplum deserere non potuit nisi qui ante omiserat violatam Lycaei religionem. Qui autem hoc modo Eratosthenis narrationem contraxisse reperitur, eidem ceteras quoque fabulae mutationes assignare par est. Ergo hinc quoque ad Ovidium ducimur auctorem.

Iam pergo ad narrationis finem. Restant enim haec: Iuno, quod Callisto inter sidera recepta est, indignata ad Tethyn et Oceanum, quorum olim alumna fuit, descendit et iniuriam sibi illatam questa rogat atque ab eis impetrat, ut novum sidus ab aequore semper prohibeatur.

Primum explicatur, cur Ursa nunquam occidat. Qui explicationem invenit ab eis profectus est, quae Iuno apud Homerum dicit (Ξ 201 sq.):

Ὠκεανόν τε θεῶν γένεσιν καὶ μητέρα Τηθύν,
οἵ μ' ἐν σφοῖσι δόμοισιν ἐὺ τρέφον ἠδ' ἀτίταλλον.

Sed quis invenit? Apud Graecos nunc quidem istam narratiunculam frustra quaerimus, quanquam inde ab Alexandrinorum aetate, postquam iam Homerus versu *οἴη δ' ἄμμορός ἐστι λοετρῶν Ὠκεανοῖο* praeclare praeivit, Ursa nunquam occidens in horum quoque litteris hic illic commemoratur, velut a Nonno II 279, III 5, XXV 136 sq., 397, XXXVIII 367. Sed quae Ovidius enarrat significat *ignotus poeta Latinus*, cuius versus in Hyg. fab. 177 servati sunt. Illic enim quod Callistus sidus non occidat ita explicatur:

'Tethys enim, Oceani uxor, nutrix Iunonis, prohibet eam in oceanum occidere. [hic ergo septentrio maior]. de qua in creticis versibus:

tuque Lycaonio mutata e semine nymphe[1]),
quam gelido raptam de vertice Nonacrinae[2])
oceano prohibet semper se tingere Tethys[3]),
ausa suae quia sit quondam succumbere alumnae.'

Horum versuum auctorem Aem. Baehrens in Misc. crit. p. 19 comprobavit[4]) 'fuisse in eorum poetarum novellorum

1) In codice: 'tuque Lycaoniae mutatae semine nymphae.' Muncker, cum apostrophen ad Arctophylacem referret, nihil mutari, sed post 'mutatae' voculam 'e' inseri voluit; quod etsi postea fecit Riese, ego tamen perversum duco. Rob. Unger in progr. Friedland. 1861 p. 6 sqq., cum versus ex aliquo heroum catalogo, quo etiam qui a Callisto genus ducerent recensiti essent, superesse putaret, scribi iussit: 'tuque (vel 'tresque') Lycaonio mutatae e semine nymphae.' Cui versus formae duo obstant: primum, id quod levius est, desideratur vocativus; deinde, idque gravius est, verba 'e semine nymphae' insolentius dicta sunt quam quae ei qui per coniecturam inferat largiri possim; neque enim mihi sufficiunt quae Unger p. 9 attulit exempla, Ovidii (Met. XII 93) 'esse satum Nereide' et procreandi verbi etiam in mulieribus usus. Itaque apostrophe ad Callisto relata praetuli cum Scheffero formam 'mutatae' in 'mutata e' dissolvere; 'nymphe' pro 'nymphae' codicis et 'nympha' Schefferi recepi a Baehrensio, qui novissimus hunc locum pertractavit in Misc. crit. p. 19 sq. Quod vero idem 'mutata' corrigi vult in 'prognata', non assentior; nam et illud ferri potest, quin etiam, cum de signo sermo sit Ursae, mutatae figurae significatio tantum non est necessaria.

2) Sic in codice. Muncker scribi maluit 'Nonacrino', quod Bunte recepit. Ego vero codicis lectionem non ausim damnare, etsi valde dubia mihi quoque est. Trita enim nominis forma est Nonacris, rarior Nonacria, sed potuisse etiam Nonacrinam locum appellari Rob. Unger p. 10 similibus exemplis (velut Ἀμαντία: Ἀμαντίνη, Κεστρία: Κεστρίνη, Elephantis: Elephantine) evicit. Accedere vero quo forma 'Nonacrino' commendetur infra videbimus, cf. p. 330 adn. 1.

3) In cod. 'Thetis.'

4) Tria attulit argumenta: haec enim sunt eius verba: 'non premo *σπονδειάζοντα;* sed Catulli memoriam utique provocat totus horum versuum color. et nescio an is qui Cirin epyllion composuit, ut ex ceteris eius aevi vatibus flores collegit, ita versum fragmenti nostri quartum ob oculos habuerit, cum v. 83 scriberet «ausa quod est mulier numen fraudare deorum».' Minus valent primum et tertium, plus medium. Sed est quod huic iudicio obstare videatur. Poetae enim Catullo aut Ovidio aequales nusquam, quantum nunc scimus, illo quo poeta ignotus sensu dixere feminam feminae succumbere: at, si mittimus Hyginum, de quo mox dicemus,

numero, qui sub finem liberae reipublicae exstiterunt quique a Cicerone inridente cantores Euphorionis vocitabantur.' Poetae nomen latere existimat in 'versibus', cum in 'Creticis' non offendat, sed syllogam in eis agnoscat fabularum ad Cretam pertinentium, quam nescio quis Catulli aequalis Alexandrinum aliquem poetam secutus composuerit. Rob. Unger in progr. Friedland. 1861 p. 6, cum primo versu Ancaeum, Arcadis abnepotem, designari temere sumeret, collatis Apollonii Rhodii I 164 sqq. eo adductus est, ut sat audaci coniectura reponeret 'in Argonauticis Varronis'; atque Alexandro Riese ita imposuit, ut, etsi sprevit eius coniecturam, versus tamen inter Varronis Atacini fragmenta reciperet. Quae priores luserunt (Barth: 'in v. Aratаeis', Bernhardy: 'in v. Eratosthenicis') possum omittere, nec commorari opus est in eo, quod novissimus Hygini editor proposuit: 'in v. eroticis.' Certa in his, nisi nova subsidia accedunt, indagari non possunt. Sed enim ad nostrum consilium sufficit versuum scire aetatem, quam Baehrens satis probabiliter definiit. Nam si Catulli aequalis, quisquis fuit, illam de Ursa ab oceano exclusa fabulam significavit, non est dubium, quin ex Alexandrinis nescio quis eius auctor fuerit, etsi nullum huius apud Graecos ipsos iam invenimus vestigium 1). Ovidius igitur in fine non minus quam in prioribus narrationis partibus totam materiam Alexandrinis debere iudicandus est.

simile aliquid solum apud Apuleium reperitur, cui succuba idem valet quod aemula; cf. Met. V 28, ubi Venus exclamat: 'Vel maxime Psychen ille, meae formae succubam, mei nominis aemulam, vere diligit', et X 24; et cum Apuleio consentiunt glossae nonnullae, quas Rob. Unger p. 7 attulit. Potestne igitur poeta in singulari notione cum Apuleio conspirans Catulli aequalis haberi? Meo quidem iudicio potest. Licet enim dubitare, an illa succumbendi succubaeque vis antiquitus in usu fuerit, quanquam primo magis in vulgari ideoque spreta a cultioribus poetis, postea, cum vetera et vulgaria protraherentur, in litteras recepta; cui opinioni favet quod Apuleius succubam in eo opere usurpavit, in quo eum sermonem vulgarem fere secutum esse constat.

1) Callimachum, de quo sine ulla causa cogitavit Preller in Myth. Gr. I³ p. 385, auctorem non esse inde necessario efficitur, quod de omnibus qui ex hoc pendent ne unus quidem extremam illam narrationis particulam habet. Quis auctor fuerit, ne suspicari quidem licet.

Ratione autem, si quae adhuc disputavi vera sunt, hac usus est, ut tanquam filum Eratosthenis narrationem sequeretur, huic a Callimacho quae nulla aut leni mutatione inseri possent insereret, finem adhibito tertio auctore, sive ipse illo homine Alexandrino sive eo qui illum secutus esset, suppleret. De suo in ipso fine plurima addidisse videtur, quandoquidem in Iunonis oratione bonum quem Seneca laudat declamatorem admirari licet; in prioribus quot flores admiscuerit ex culto Callimachi hortulo decerptos, quot ipsi debeamus, quis dicat?

Sed praeter Graecos nescio an in auribus sive ob oculos ipsos illos habuerit versus, de quibus modo verba fecimus. Nam primum Ovidii in Met. II 409 verba 'in virgine Nonacrina', quibus Callisto primum inducitur, eorum memoriam suscitant, quae eadem versus sede ignotus ille poeta habet 'de vertice Nonacrinae'; at spondiacum istum tam consimilem versus exitum e communi forsitan uterque libaverit fonte, poeta Alexandrino, ad quem etiam Suidae verba '*Νωνακρίνη· λέγεται ἡ Καλλιστώ*' revocari possunt. Sed accedit quod apud Ovidium etiam alumnae appellatio verbumque tingendi redeunt,

cf. { ign. poetae 'ausa suae quia sit quondam succumbere alumnae.'
Ov. Met. II 527 'at vos si laesae contemptus tangit alumnae,

et { ign. poetae 'oceano prohibet semper se tingere Tethys',
Ov. Met. II 530 'pellite, ne puro tingatur in aequore pelex.'

Itaque etsi pro certo affirmare nihil audeo, veri tamen haud dissimile arbitror Ovidio, cum primum Callistus fabulam narrandam aggrederetur, popularis quoque sui versuum in mentem venisse. Nec tamen nego posse consensum etiam communi fonte, Graeco nimirum, explicari.

§ 2.

Restat, ut videamus, unde versus in Hygini Fabulas pervenerint. Vix autem erit quin, ubi primum conspexerit, eos hoc loco miretur, quoniam cum Hygini ratione videntur male convenire. At huic rei fortasse nihil est tribuendum; nam

idem, quem Hygini nomine designamus, in Astronom. semel atque iterum singulos vel binos versus attulit. Sed accedit quod nunc inter iudices peritissimos constat Romanos scriptores ab Hygino nusquam consultos esse[1]). Quod si verum est, sequitur, ut versus ab *interpolatore*, cui iam a Mauricio Schmidt assignati sunt, Fabulis sint illati.

In Astronomicis in Ursae maioris titulo, postquam Callistus fabulae III formae narratae sunt, haec sequuntur (p. 31, 14 Bunte):

'Hoc signum, ut complures dixerunt[2]), non occidit. Id qui[3]) volunt aliqua de causa esse institutum negant Tethyn, Oceani uxorem, id recipere, cum reliqua sidera eo perveniant in occasum, quod Tethys Iunonis sit nutrix, cui Calisto succubuerit ut paelex. — — — quae res in Nonacri monte Arcadiae gesta demonstratur[4]).'

Haec cum versibus illis comparanti protinus apparebit illos ab Hygino reddi: redeunt enim cum Nonacrini montis mentio tum singularis ille, de quo supra dixi, succumbendi usus. Quod si Hyginus etiam in Astronomicis, sicut Roberto (in Erat. Cat. rel. p. 232 sq.) visum est, viro in his versatissimo, 'Latinos auctores fere neglexit', de *interpolatore* hic quoque cogitandum est.

Sed non solum in Hygini opera versus illi invaserunt, sed etiam in Ovidii Metam. argumentis vestigia eorum deprehenduntur. In his enim (II 5) Iuppiter narratur in Callistus amorem incidisse, 'cum circa Nonacrinum montem Arcadiae — vagaretur.' Quae ex Ovidio peti non potuerunt; hic

1) Cf. Robert in Erat. Cat. rel. p. 235 et inprimis Wilamowitz in Quaest. philol. IX p. 49 adn., ubi de hac re plura invenies, in quorum capite posita sunt verba 'Alles Römische ist Interpolation im Hygin.'

2) 'dixere' Bunte, at 'dixerunt' habent libri optimi, cf. Bursian in Act. acad. Monac. 1876 p. 10.

3) 'id qui' dedi ex Bursiani coniectura. Codices: 'ut (at, et) qui.'

4) Extrema sententia apud Hyginum in fine totius capitis (p. 31, 21 B.) posita ea excipit, quae Ariaethus de Callisto protulerat. Cum his autem nullo modo cohaeret: contra quo eam revocavi, neque offendit et eis quae antecedunt convenit. Scrupulus, si qui residat, omnis, credo, eximetur ei qui verborum quem monstraturus sum fontem agnoscet.

enim nihil tale habet ac ne cogitavit quidem de certo Arcadiae loco; nam 'virginem Nonacrinam' v. 409 Callisto appellavit per synecdochen pro Arcadica; sed hac appellatione ei, qui argumenta confecit, causam praebuit, ut aliunde Nonacrini montis mentionem narrationi inferret. Desumpsisse autem eam iste putandus est ex illis versibus; neque enim alibi cum illo monte Callistus fata coniuncta invenimus, etiamsi, primum in versibus illis Latinis an in exemplo iam Alexandrino id factum sit, dici nequeat; Suidae enim quam supra attuli glossam *Νωνακρίνη· λέγεται ἡ Καλλιστώ* ad id diiudicandum non sufficere patet. Atqui argumenta ex ampliore Ovidii Metamorphoseon commentario residua esse Richardus Foerster certis indiciis demonstravit. Ergo meo iure mihi videor conicere olim in illo commentario versus illos ipsos exstitisse, ut ad illustrandam supplendamque Ovidii narrationem praesto essent [1]). Cui coniecturae quaestio, cum processerit, firmamenta substernet, per quae fore spero ut iam tuto stare videatur.

§ 3.

Sed priusquam pergam, ad finem perducere libet, quam supra incohavi, de Hygini fabulis quaestionem. Paucis absolvere licet de fab. 176:

'Ad Lycaonem, Pelasgi filium, Iovis in hospitium venisse dicitur [et filiam eius Calysto compressisse; ex quo natus est Arcas, qui ex suo nomine terrae nomen indidit]. Sed Lycaonis filii Iovem tentare voluerunt, deusne esset, ⟨et⟩ carnem humanam cum caetera carne commiscuerunt idque in epulo ei apposuerunt. Qui postquam sensit, iratus mensam evertit, Lycaonis filios fulmine necavit. Eo loco postea Arcas oppidum communivit quod *Τραπεζοῦς* nominatur. [Patrem Iuppiter in lyci figuram mutavit].'

Intra cancellos posui quae aliunde fabulae illata esse mihi persuasi. Ipse suas Hyginus fabulas corruperit an inter-

1) Si interpolator Hygini Astronom. et scriptor Metamorph. argumentorum pendent ex versibus in Fabulis Hygini conservatis, veri est simillimum scribendum esse pro Frisengensis lectione 'Nonacrinae' 'Nonacrino', quia ille habet 'in Nonacri monte', hic 'circa Nonacrinum montem.'

polator sit incusandus [1]), nescio, sed scio alienum esse quod Iuppiter dicatur Lycaonis hospitio usus filiam compressisse, et sensu carere quod idem sceleratis filiis fulmine peremptis patrem peculiari poena, cuius nulla omnino causa apparet, afficiat [2]); atque huius quidem additamenti naturam vel sedes indicat; suum enim locum haberet post verbum 'necavit'; subiectum est a fabulae redactore ex altera narrationis forma, ex qua Lycaon, quia ipse facinus in se admisit, in lupi figuram mutatur.

Transeo ad fabulam proximam, quae de Callisto agit. Haec, si alteram eius partem cum versibus et stellarum catalogo, quia aliena est, mittimus, ex eo numero est, quae *ex scholiis Vergilianis* fluxerunt; quod ut perspiciatur, opus est eam cum eis componere, quae Lactantius ad Statii Theb. III 685 et Mythogr. Vatic. II 58. 59 exhibent:

Hyg. fab. 177	Lact. ad Statii Theb. III 685	Mythogr. Vat. II 58 sq.
	AD OCEANUM] Quia Arctos oceano non immergitur, positione cursus spherae circularis. *οἵη δ' ἄμμορός ἐστι λοετρῶν Ὠκεανοῖο* [3]). Sed fabulas, quae in septentrionem sunt fictae a Graecis contra veri propositum, edisseramus.	De Gigantum sanguine natus est
Calysto, Lycaonis filia,	Calysto, Lycaonis Arcadiae regis filiam, in comitatu Dianae Iuppiter cum vidisset, in amorem eius incidit, nactusque a reliquis se-	Lycaon, tyrannus Arcadiae. Eius filiam Calliston cum in comitatu Dianae Iuppiter vidisset, in amorem eius incidit, et a reliquis se-

1) Hyginum additamenta narratiunculis inspersisse non ignorat qui Astronomica in Roberti Catast. ed. legit; sed hic quidem de Frisingensis interpolatore cogitare malet qui acceperit quae idem ille p. 216 sq. disputavit.

2) Non in eo offendo, quod pater poenae filiorum est particeps — nam quis demiretur, id quod Bibliothecae Apollodoreae auctor tradit, patrem una cum filiis fulmine tactum esse? —, sed quod pater ex illorum interitu exemptus huic tam singulari poenae reservatur, cuius nulla allata sit ratio.

3) Ita correxi quae in Tiliobrogae editione exstant: o. i. e. a. d. o. a. m. o. p. a. c. e. &. i. *λοιποον οκεανος*. — Versus est homericus (Σ 489. ε 275).

ursa dicitur facta esse ob iram Iunonis, quod cum Iove concubuit. Postea Iovis in stellarum numerum retulit, quae septentrio appellatur, quod signum loco non movetur neque occidit. Thetis enim, Oceani uxor, nutrix Iunonis, prohibet eam in oceanum occidere.	gregatam nymphis in Dianam mutatus seductamque compressit et gravidam fecit. Cuius cum crimen crescens uterus proderet, indignata Diana comitatu suo eam repulit: quae exactis decem mensibus enixa est parvulum, qui Arcas cognominatus est. Indignata Iuno, quod pellex sua ex Iove etiam mater esset, Calysto vertit in ursam. Cuius filius Arcas cum esset in adultam productus aetatem, inprudens in matrem incidit, ursamque credens misso telo eam perimere voluit. Non sustinens Iuppiter ignorantem parricidium perpetrare, statim eos inter sidera rettulit. Ille Arcturus et alio nomine Arctophylax vocatur. Illa ἄρκτος μείζων, Latine septentrio maior appellatur. Quod signum loco non movetur neque mergitur. Thetis enim, uxor Oceani, nutrix Iunonis fuit, quae propter affectum nutritae eam prohibet in oceanum cadere, unde *Verg.* 'Arctos oceani metuentes aequore tingi.'	gregatam nymphis in Dianam mutatus compressit et gravidam fecit. Cuius cum crimen tumens uterus proderet, indignata Diana comitatu suo eam reppulit. Illa autem exactis decem mensibus enixa est parvulum, qui Arctos(!) cognominatus est. Indignata Iuno, quod pellex sua ex Iove etiam mater esset, Calliston vertit in ursam. Cuius filius Arctos cum esset in adultam aetatem productus, imprudens in matrem incidit, ursam credens, ac misso telo eam perimere voluit. Non sustulit Iuppiter ignorantem matricidium perpetrare, statimque eos inter sidera collocavit. Ille Arcturus et alio nomine Arctophylax vocatur. Illa ἄρκτος μείζων, Latine septentrio maior appellatur. Quod signum loco non movetur nec hac quam dicturus sum causa mergitur. Thetis enim, filia Nerei, uxor Oceani, nutrix Iunonis fuit. Quam Iuno indignata pellicem suam in caelum translatam rogavit, ut propter affectum nutricis eam prohiberet in oceanum cadere.

Lactantius, cum in calce Vergilii verba afferat, ex commentario se in Vergilium conscripto hausisse indicat. Id vero eo confirmatur, quod, ut Rob. Unger p. 7 testatur, alter Lactantii codex Monacensis in extrema narrationis parte eadem habet verba atque Serv. ad Verg. Georg. I 246, quem versum Lactantius in calce laudat. Sunt haec:

Lact. cod. Monac.	Serv. ad Verg. Georg. I 246 (exscr. Gaudentius in schol. Bern. ed. Hagen)
— indignata[m] autem Iuno, quod Iuppiter pelicem suam in siderum numerum retulisset, rogavit Thetin, nutricem suam, deam maris, ne unquam pateretur eas (!) occidere. Unde Verg.—	— quas postquam Iuppiter in siderum rettulit numerum, Iuno rogavit Tethyn, suam nutricem, ne unquam eas pateretur occidere. Unde nunc 'metuentes' dixit. —

Cum Lactantio autem plerumque ad verbum consentit Mythogr. Vatic. II, quem sua maximam partem ex scholiis Vergilianis descripsisse inter peritos constat [1]). Ergo ad eundem ab utroque relegamur fontem. Nec iam dubium videtur, quin ex eodem, etsi per alium rivulum, fluxerit prior illa Hygini fabulae pars. Neque igitur casui tribuendum quod Servii ad Georg. I 246 verba 'quas postquam Iuppiter in siderum rettulit numerum' simile sonant atque Hygini 'postea Iovis in stellarum numerum rettulit.'

Fabula, quam hi ex commentario aliquo Vergiliano desumptam narrant, Ovidiana est, etsi a Lactantio Graecis imputatur; (ex quo errore — an fraudem putes? — solo intellegas hunc sua ab ipso Ovidio non accepisse). Quod si quis non statim persenserit, eum monuisse sufficiet redire in hac narratione, quae Ovidii propriae sint, et Dianam Callisto comitatu suo repellentem et Iunonem indignantem, quod paelex sua ex Iove etiam mater facta sit.

Ad Ovidium revocari aut possunt aut debent ea quoque, quae alibi in scholiis Vergilianis de Callisto relata sunt. Excepta est una narratiuncula a Servii interpolatore ad Verg. Georg. I 246 inserta, quae ad Eratosthenem redit; at haec non ad maiorem, sed ad minorem pertinet Ursam. Reliquae sunt hae: Serv. ad Verg. Georg. I 138 [exscripsit Mythographus Vat. I 17]: — 'Lycaon enim, rex Arcadiae, habuit filiam Callisto [*L.*, Calisto *libri Serv.*]. Quam cum vitiasset Iuppiter, Iuno in ursam con-

1) Cf. Robert in Erat. Cat. rel. p. 219.

vertit et postea Iuppiter miseratus in signum ⟨septentrionis⟩.' (Ex eodem fonte — id docent quae praecedunt — in scholia Bernensia haec transierunt: '— ursa, in quam transfigurata est Callisto [caliston *B*], Lycaonis filia'). Ad hanc respicit interpolator ad Georg. I 246 haec adnotans: 'de Helice, Lycaonis filia, amata a Iove et a Iunone in ursam mutata, supra dictum est.' Eadem suppletur ab interpolatore ad Aen. I 744 ita: 'haec autem, ut fabulae loquuntur, Callisto fuit, comes Dianae, quam Iuppiter mutatus in Dianam stupravit, ex qua natus est filius nomine Arcas. Cetera in libro I Georg. plenius narrata sunt.' Haec quidem ad Ovidium referri possunt, debent praeter Serv. ad Georg. I 246 quae eius interpol. ad Georg. I 67 narrat: 'alii Arcadem fuisse filium Callistus et Iovis ⟨dicunt: qui⟩ cum matrem in figuram ursae Iunonis ⟨ira transfiguratam⟩ vellet occidere, ambo in caelum ⟨a Iove translati sunt, et⟩ ille Arcturus, illa Helice dicta.' Bis scholiastarum neglegentia fabulam pessumdedit: Servius cum ad Vergilii (Georg. I 246) versum 'Arctos oceani metuentes aequore tingi' adnotavit 'hoc refertur ad fabulam; nam hae duae paelices Iunonis fuisse dicuntur', illius versus gratia ex una duas paelices efficiens fabulam correxisse cognoscitur non ipse demum, sed quem secutus est auctor (cf. p. 333). Plus etiam peccavit qui Probi illustre nomen fert, cum non solum Callisto dum gravida est a Iunone mutatam, verum etiam Arcadem in eandem formam conversum esse tradidit ad Georg. I 138 (p. 25 Keil): 'Lycaonis arcton dicit septentrionem et vulgarem sequitur historiam. Iuppiter enim Callisto, Lycaonis filiam, creditur mutatus in Dianam compressisse; quae gravida mutata in ursam ira Iunonis peperit puerum Arcada, quem Iuppiter, ne venans matrem feriret, mutatum in eandem formam cum ea inter sidera retulit.'

Lactantius denique ad Statii Theb. IV 294 fabulam breviter repetivit: 'una pars narrationis est Nonacria ut Trinacria. Est autem nomen loci vel agri Arcadiae, in quo Iuppiter in speciem Dianae versus cum Calystone Lycaonis filia concubuisse narratur. Ovid. sic in virgine Nonacri⟨n⟩a.' Sed quae de

Nonacria protulit, ipse sibi e versu Statiano ('Nonacria rura') confinxit.

Itaque iam confidenter statuo fuisse qui, cum in Vergilii Georgica commentarios componeret, ad I 246 Nasonianam de Callisto fabulam afferret, unde describeretur a Lactantio et Mythographo Vat. altero, excerpta transiret in Hygini Fabulas, minuta et contracta a Servio servaretur eiusque interpolatore.

§ 4.

Ex ipsis tamen Ovidii versibus ille hausisse non videtur, sed *ex Metamorphoseon epitome* ei quam nos tenemus simili [1]). Id inde colligo, quod, quos ex illo pendere vidimus, iidem etiam habent quae cum Argumentis Metam. ita consentiant, ut casu factum esse vix possit. Etenim non solum Lactantio cum Argumento duae locutiones communes sunt:

---

1) Idem quod in Callistus videtur etiam in Heliadum fabula factum esse (neque in hac, opinor, sola); consentiunt enim hi testes:

Argum. II 2. 3	Serv. ad Aen. X 189	Hyg. fab. 154	Schol. Germ. Strozz. 174, 13 (Breys.)
Sorores Phaethontis Phaethusa Lampetie Phoebe, casum fratris dum deflent, deorum misericordia in arbores populos mutatae sunt. † Ac fluxisse dicunt *) lacrimae earum, ut Hesiodus et Euripides indicant, in electrum.	Huius interitum flentes sorores Phaethusa et Lampetusa deorum miseratione in arbores commutatae sunt. cf. ad Buc. VI 62 Phaetontiades – – quae, dum exstinctum fratrem flerent, conversae sunt in arbores. — (Interpol. addit: 'sorores Phaethontis sucina flevisse dicuntur – –').	Sorores autem Phaethontis, dum interitum deflent fratris, in arbores sunt populos versae. Harum lacrimae, ut Hesiodus indicat, in electrum sunt duratae, —	Sorores quoque Phaethontis flentes in arbores populos versae fuisse, lacrimae quoque earum in electrum duratae dicuntur, —
*) Muncker coni.: 'mutatae sucina flevisse dicuntur.' 'Dicuntur' accipio; cetera fortasse sanantur, in fine si addis 'duratae.'		Moneo ex Ovidio petita esse etiam quae praecedunt (cf. Rob. in Erat. Cat. rel. p. 217).	

Lact.	Argum.
— in amorem eius incidit —	— in Callistus ... incidit amorem —
— enixa est parvulum —	— quem erat enixa —,

sed etiam duo additamenta ab Ovidio aliena in Argumentis redeunt:

Myth. Vat. II	Argum. I 6
De Gigantum sanguine natus est Lycaon, tyrannus Arcadiae.	De Gigantum sanguine nati quam sacrilega mente versati sint, Lycaonis testatur exemplum. Qui tyrannus Arcadiae —
Serv. ad Georg. I 246	Argum. II 5. 6
add. cod. Regin.: 'nam reliqua signa dicuntur omni nocte in oceano tingi.'	— inter caetera sidera liquore non tingitur.

Qui Argumenta confecit misere consuisse videtur quae ex Ovidio sumpsit et quae ipse finxit, quae in commentario legit narrata quaeque adnotata; nam horum omnium certa exstant vestigia, in hac narratione non minus quam in aliis [1]). Quae Ovidii, quae ipsius sint, facile qui legerit dignoscet; quae cum antiquiore epitome conspirarent, supra indicavi; quae ex commentarii doctrina superesse censeam, nunc addam:
primum verba 'circa montem Nonacrinum Arcadiae', ac fortasse etiam quae subsequuntur 'in quo genitus existimatur', quanquam falsa sunt — cum Nonacrino enim confusus est mons Lycaeus — et a quolibet addi potuerunt non minus quam quae paulo post inserta sunt 'A Graecis autem Helice, a nostris septentrio nuncupatur';
deinde verba 'ut auctor Hesiodus indicat. Vel alii:

1) Multa in Argumentis ab interpolatoribus addita sunt (exempla ex innumeris pauca supra in p. 264 adn. 1 attuli), qui aetate Mythographo Vat. primo inferiores erant. Haec igitur ubique secernenda sunt, priusquam de fabula iudices. Ne tamen opineris quae ab Ovidio aliena sint esse item interpolata, de Argi fabula te moneo, in qua Argum. I 10, Mythogr. Vat. I 18, Epitome Graeca in Westerm. Mythogr. p. 347 inter se consentiunt, dissentiunt ab Ovidio.

«Sed lucet in astris | Callisto renovatque suos sine fluctibus ignes».'

Nonacrini montis mentionem supra ex ignoti illius poetae versibus repetivi et hinc conieci eos in commentario olim exstitisse. Quae coniectura etsi per se non est necessaria — potest enim auctor Argumenti etiam fingi non ipse versus ob oculos habuisse, sed eius qui eos ob oculos habuit, commentatoris dico, verba reddidisse —, tamen alio nomine ita commendatur, ut credere liceat me verum assecutum esse. Apparet enim ante verba 'vel alii', quae editores violenter coniectando frustra tentaverunt, aliquid excidisse. Quid exciderit, dubium esse nequit. Praecedere enim nihil aliud potuit nisi alius scriptoris de eadem re, Ursa nunquam occidente, verba. Eiusmodi autem sunt versus illi, ad quos in Argumento ante respectum est. Ergo tantum non certissimum est eos hoc loco exstitisse. Hinc autem, sive ex argumento etiamtum pleniore sive ex commentario ipso, transcripti sunt in Hygini Fabulas et pervenerunt, in prosam soluti, in eiusdem Astronomica.

Iam de his versibus satis dictum. Quod vero ad eos attinet, qui hos olim subsequebantur, nunc soli exstant in Argumento: praeter Robertum Unger, qui in illo programm. p. 7 sq. e voculis 'vel alii' temerario ut solet impetu raptus nomen 'Varronis Atacini' elicuit versusque paucis verbis suppletis cum prioribus illis versibus eidem poetae assignatis coniunxit, cuiusnam sint nemo scit. Digni certe sunt optima aetate.

Hesiodi nomen, ut de hoc pauca addam, nunc non suo loco legi, sed ab initio Argumenti ad finem esse delapsum supra ostendi (p. 265 sq.). Incusandus haud dubie is est, qui docti commentarii reliquias suis narrationibus hic illic inspersit, qua in re eum non satis diligenter versatum esse duobus exemplis supra p. 263 demonstravi.

Hactenus de Ovidio eiusque auctoribus et de eis quae ex Metamorphoseon commentario supersunt.

§ 5.

Post Ovidium Callistus res denuo tractare non mirum quod nemo ausus est. Huius enim narratio ut plenissima ita suavissima est, nec dubito quin brevi, quatenus linguae Latinae imperium patebat, divulgata auribus animisque se insinuaverit; nec cessit principatu ad nostra usque tempora, sed etiamnunc ingenia tenet sicut tenuit, postquam a dulci vatis Paeligni ore fluxit. Ex hoc igitur confido Romanorum quicunque postea Callistus meminerint pendere, quanquam ex ipsis verbis demonstrari in paucis tantum potest. Nam praeter eos, quos sua ex commentario Ovidiano accepisse statui, fabulam narravit unus *Isidorus* Hispalensis in Etymol. III 35 et ita, ut quem sequatur auctorem appareat, significavit unus *Statius*.

Illius verba haec sunt in Ottonis edit.: 'Sic Calisto, Lycaonis regis filia, dum ab Iove compressa et fabulose a Iunone in ursae speciem versa fuisset, quae Graece ἄρκτος appellatur, post interfectionem ipsius nomen eius Iovis cum filio in stellis septentrionalibus transtulit; eamque Arcton, filium autem eius Arctophylax appellavit.'

Statius fabulam septiens tetigit: enumerabo locos ex rerum ordine:

Theb. IV 293 — — — — — — quae risistis, Amores,
grata pharetrato Nonacria rura Tonanti.
VII 162 [Bacchus cum Iove, quod Thebis infestus sit, litigat]
— — — — sed non Danaeïa limina talis
Parrhasiumque nemus Ledaeasque ibis Amyclas.
Ach. I 263 — virgineos si Iuppiter induit artus.
Theb. IV 304 ille Lycaoniae rictu caput asperat ursae.
VII 6 sqq. [Iuppiter Mercurium affatur]
i, medium rapido Borean inlabere saltu
Bistonias, puer, usque domos axemque nivosi
sideris, oceano vetitum qua Parrhasis ignem
nubibus hibernis et nostro pascitur imbri.

Silv. IV 5, 5 sq. iam trux ad Arctos Parrhasias hiems
concessit altis obruta solibus.

Theb. VIII 369 sqq. — — — liquido velut aethere nubes
invida Parrhasiis unum si detrahat astris,
truncus honor plaustri, —

Isidorus Ovidii narrationem reddere eo convicitur, quod Callisto facit a Iunone conversam, quae dea ab Eratosthenica narratione aliena est. Statium non Eratostheni, sed Ovidio fabulam debere indicio sunt versus 'grata pharetrato Nonacria rura Tonanti', quo memoria excitatur virginis quae in Metam. II 409 dicitur Nonacrinae, et illud 'oceano vetitum qua Parrhasis ignem .... pascitur.'

Reliqui quos quidem ex hac aetate noverim fabulae testes sunt hi:

Gaetulicus, quem Caligula a. 40 interfecit, (frg. poet. Rom. ed. Baehr. p. 361):

sicca Lycaonius resupinat plaustra Bootes.

Columella de re rust. XI 2, 15: VII idus Febr. Callisto sidus occidit.

Seneca Oed. 476 sq. (Leo)

quasque despectat vertice e summo
sidus Arcadium[1]) geminumque plaustrum.

1) 'Sidus Arcadium' num Seneca intellexerit Arcadem, non Callisto, valde mihi dubium; loquendi usus postulare videtur, ut de Callisto cogitemus, quae etiam a Val. Flacco I 481 ita significata est. Licet igitur quam maxime suspicari Senecam hic esse oblitum Ursam Plaustrumque non diversa esse signa. Quantopere caelestia, quae semper ei sunt in ore (locos composuere in ind. Peiper et Richter in v. sidera p. 556), nomina ei sint sine certa specie, cognoscas ex his chori in Thyeste fab. versibus (867 sqq.):

monstraque ('plostraque' coni. Leo) numquam perfusa mari
merget condens omnia gurges;
et, qui medias dividit ursas,
fluminis instar lubricus Anguis
magnoque minor iuncta Draconi
frigida duro Cynosura gelu
custosque sui tardus plaustri
iam non stabilis ruet Arctophylax.

quasi vero Cynosura non alterum sit e monstris ante iam commemoratis.

Herc. fur. 5 sqq. [Iuno loquitur] — — paelices caelum tenent [1]).
Hinc Arctos alta parte glacialis poli
sublime classes sidus Argolicas agit.
Phaedr. 287 sq. si qua ferventi subiecta cancro [sc. regio],
si qua Parrhasiae glacialis ursae, —
Herc. Oet. 1280 sqq. quondam Getico durior Haemo
nec Parrhasio lenior axe
saevo cessit membra dolori.
Lucanus Phars. II 237 Parrhasis obliquos Helice cum verteret axes [2]).
Valerius Flaccus Arg. I 481 sqq.
pervigil Arcadio Tiphys pendebat ab astro
Hagniades, felix stellis qui segnibus usum
et dedit aequoreos caelo duce tendere cursus.
V 204 [Phasis invocatur] — fecundi proles Iovis, orte nivali
Arcados axe deae [3]), — —

1) Eisdem Lívor Iunonem stimulat in Nonni Dion. VIII 73 sq.

2) Nihil nisi trita legis in commentis Bern. quae Usener publici iuris fecit ad hunc versum adnotata: 'Parrasos urbs Arcadi⟨a⟩e, unde Calisto, quae septentrionalem circulum habet', aut in schol. quae Weber cum Luc. carm. edidit vol. III p. 134: 'Calistonem dicit a Iove compressam et in ursam conversam, postea in sidus receptam septentrionis.'

3) Sidera deos esse Romanis iam constat. Documento sunt
Ov. Met. II 521 [Iuno de Callistus honore queritur]
Esse hominem vetui, facta est dea.
Sen. Herc. fur. 12 (Leo) ferro minax hinc terret Orion deos.
Thyest. 842 [chorus sidera enumerare incipit de caelo delapsura]
— — — — ibit in unum
congesta sinum turba deorum.
Herc. O. 1903 vos quoque mundi turba citati
flete Herculeos, numina, casus.
Hyg. fab. CCXXIV, in qua praeter alios Arcas Perseus Callisto afferuntur, inscripta 'Qui facti sunt ex mortalibus immortales'.

cf. etiam Nonni Dion. XLVII 257 sqq. et supra p. 284 adn. 2. Semina quaedam huius opinionis iam apud Euripidem inveniuntur, qui in Electra (990 sqq.) haec de Castore et Polluce dicit:

καὶ τοῖν ἀγαθοῖν ξύγγονε κούροιν
Διός, οἳ φλογερὰν αἰθέρ' ἐν ἄστροις
ναίουσι, βροτῶν ἐν ἁλὸς ῥοθίοις
τιμὰς σωτῆρας ἔχοντες.

V 368 sqq. non secus autumno quam cum magis asperat ignes
Sirius aut saevo cum nox accenditur auro
luciferas crinita faces, hebet Arcas et ingens
Iuppiter.

Martialis epigr. IV 11, 3
[de Saturnino qui in Germania seditionem moverat]
impia Parrhasia movisti bella sub ursa.

VI 25, 2 [de amico contra Dacos militante]
horrida Parrhasio quem tenet ursa iugo.

58, 1 sq. cernere Parrhasios dum te iuvat, Aule, triones
comminus et Getici sidera pigra poli, —

Claudianus XVII 298 sq. (Ieep)
conveniant ursi, magna quos mole rigentes
torva Lycaoniis Helice miretur ab astris.

XXVI 246 sq. [de cometa]
inde Lycaoniam paulatim expulsus ad Arcton
crine vago Getici foedavit sidera plaustri.

Vides Callisto et Arcas in polo fulgentes quam familiares fuerint Romanis, neque inveniri qui unam e prioribus fabulae formis se respicere aut nosse aperiat; quod apud Graecos posteriores non idem est in forma Eratosthenica consensus, inde perspicere licet apud Romanos hanc vulgatam esse auctoritate Ovidii.

Qui ut tenuit populares, ita ne Graecis quidem plane neglectus est. Nam *Tzetzes*, quem exscripsit auctor Violarii Eudociae 533, ad Hesiodi op. 564 haec adnotavit: *Ἀρκτοῦρος· τοῦτον υἱὸν λέγουσι Καλλιστοῦς τῆς Λυκάονος θυγατρός, Ἀρκάδα καλούμενον, ὅτι Διὸς μιγνυμένου τῇ Καλλιστοῖ Ἥρα ζηλοτυπήσασα ταύτην ἄρκτον ἐποίησεν, ἐπερχομένην δὲ τὴν Καλλιστὼ ἐν κυνηγεσίῳ κατ' αὐτοῦ ὁ παῖς τρώσας ἀνεῖλεν,*

At adulta primum fortasse conspicitur in Rudentis, quam Plautus fabulam ex *Diphili* Graeca vertisse traditur, prologo, quem qui pronuntiat Arcturus orationem ita orditur:

Qui gentis omnis mariaque et terras movet
eius sum: sum civis civitate caelitum.

Hac cum opinione cohaeret quod postea divi imperatores inde a Caesare stellae esse ferebantur.

καὶ ὁ Ζεὺς ἐλεήσας αὐτοὺς κατηστέρισεν. Sola ab Ovidio discrepant verba *τρώσας ἀνεῖλεν,* pro quibus exspectamus *ἀναιρεῖν ἐπεθύμει* vel simile aliquid. Neglegentia forsitan ipsi Tzetzae vitio sit vertenda. Ceterum quod Ovidiana narratio etiam ad Graecos penetravit non inauditum est, quandoquidem seriem metamorphoseon ex Ovidio translatam supra p. 264 in adn. cognovimus.

Ovidio vindice fabulae memoriam ne insequentibus quidem saeculis cum universa litterarum oblivione esse exstinctam non opus est probare. Testem, qui totum agmen claudat, illustrissimum afferro *Dantium.* Hic enim Callisto a Diana abactam commemorat in Purgat. XXV 130 sqq.:

'— — — — — — al bosco
si tenne Diana, ed Elice caccionne
che di Venere avea sentito il tosco',

et Callisto cum Arcade in sideribus agnoscit in Parad. XXXI 31 sqq.:

'se i barbari, venendo da tal plaga,
che ciascun giorno d' Elice si copra,
rotante col suo figlio ond' ell' è vaga', —.

§ 6.

Inter *artifices,* quorum quidem opera aetatem tulerint, seriores unus Callistus fabulam expressit. Continet enim vasculi argentei a. 1861 prope Valentiam, Hispaniae oppidum, effossi, nunc Parisini, quod novissimus tractavit diligenterque delineandum curavit Froehner, 'Musées de France' 1873 p. 21 sqq. tab. V, 'interior pars quattuor Iovis amores: primum Ganymedem ab aquila raptum, deinde olorem ad Ledam confugientem; sequitur Iuppiter feminam incerti nominis [Semelen vult Froehn.] amplexus et quarto loco idem deus a Diana formam mutuatus Callisto fallens. Designat deum sub specie virginis latentem et habitus Callistus et Amor iuxta stans et, quod summum est, reliquarum figurarum comparatio [1]).' Inscriptio addita est

1) Verbis utor Joannis Bolte, qui in diss. de monum. ad Odyss. pertinent. Berol. 1882 p. 40 huius vasculi meminit. Idem hac cum imagine

haec: [F]AT(a)E PAVLINA D(edit) V(otum) S(olvens). Litterarum forma, si Froehner verum vidit, III saeculi exeuntis est. Cum Ovidio id tantum discrepat, quod a latere ardens candelabrum in columna positum noctem significat; in Metam. enim Callisto narratur sub medium diem Iovis dolo succubuisse. At enim tantillum licentiae artifici nemo non libenter concedet.

VI.

Fabulae quae exstiterint formae a litterarum initiis ad recentioris usque aevi limina, exposui: reliquum est, ut tanquam in appendice ea paucis complectar, quae, cum commemorandi locum non haberem, ante omisi. Ac primum dicam de dissona quadam fabulae memoria, deinde de Callistus genealogiis, denique pauca monebo de fabulae interpretatione.

§ 1.

De Iove Arcadis patre omnibus constare supra invenimus. Attamen qui dissentirent non plane defuisse statim apparebit.

Ex coniectura statuo diversam de patre memoriam subesse in Apoll. Bibl. III 8, 2, 3, ubi Iuppiter Callisto fefellisse narratur *εἰκασθεἰς, ὡς μὲν ἔνιοι λέγουσιν, Ἀρτέμιδι, ὡς δὲ ἔνιοι, Ἀπόλλωνι.* Quem ad finem Iuppiter speciem Dianae induat, intellegimus; quem ad finem Apollinis, obscurum est. Itaque conicere audeo hanc memoriam ita ortam esse, ut mythographus aliquis vulgatam fabulae formam, qua Iuppiter, cum reconditiore, qua Apollo Callisto subegisse ferretur, eo conciliaverit, ut fingeret Iovem Apollinis figuram mentitum furtum perpetrasse. Quam coniecturam pro certa haberem, nisi eius

---

in adn. recentiorem contulit picturam Cassellis asservatam, qua *Petrus Paulus Rubens*, cum eundem Callistus casum repraesentaret, Iovem Dianae speciem mentitum virili quodam colore artificiose notaverit, sed etiam aquilam fulmen gerentem adiecerit. Ab amico artis amanti certior factus sum ibidem asservari etiam *Joannis Henrici Tischbein* picturam in re cum prioribus congruentem et alteram, qua *Luca Cambiaso* Genuensis (a 1527 natus) Callisto, cum coram nymphis a Diana deprehenditur temerata, oculis proposuit.

auctoris qui eam confirmat fides admodum infirma esset. Adnotavit enim Tzetzes ad Lyc. 478: *Ἀρκὰς ὁ Διὸς ἢ Ἀπόλλωνος παῖς.* Potuisse Apollinem in Iovis locum subire et ab hoc quoque nationis originem repeti inde efficio, quod, ut Paus. VIII 38, 8 tradit, in Lycaeo monte erat *Ἀπόλλωνος ἱερὸν ἐπίκλησιν Παρρασίου*, cui festos dies anniversarios agebant. Cognomine enim deus gentis Parrhasiae proprius arguitur.

At manifesto ab omnibus discrepant ac plane singularia sunt quae de Arcade prodidit Duris Samius frg. 26 (FHG II p. 475). In scholio enim ad Apoll. Rh. IV 264 doctrinae pleno, quo, cur Arcades antelunares dicti sint, ex diversorum sententiis exponitur, sunt etiam haec: *Ἀριστοτέλης δὲ ἐν τῇ Τεγεατῶν πολιτείᾳ φησίν, ὅτι βάρβαροι τὴν Ἀρκαδίαν ᾤκησαν, οἵτινες ἐξεβλήθησαν ὑπὸ τῶν Ἀρκάδων ἐπιθεμένων πρὸ τοῦ ἐπιτεῖλαι τὴν σελήνην, διὸ κατωνομάσθησαν προσέληνοι. Δοῦρις δὲ ἐν πέμπτῳ καὶ δεκάτῳ τῶν Μακεδονικῶν Ἀρκάδα φησίν, ἀφ' οὗ ἡ Ἀρκαδία καλεῖται, Ὀρχομενοῦ υἱόν, διὸ καὶ πόλιν τῆς Ἀρκαδίας Ὀρχομενόν* [1]).

§ 2.

Callisto qui nympham perhibuere — *Eumelus*, nisi fallimur (cf. supra p. 237 c. adn.), et fortasse etiam *Epimenides* (cf. supra p. 238) — antiquissimam memoriam videntur retinuisse.

Sed consentaneum est eam inter primas in genealogorum manus incidisse, cum nationis eponymum peperisse ferretur. *Asius* quidem quid spectaverit, cum patrem eius Nycteum diceret, cuius nomen neque in fabulis neque in genealogiis Arcadum alibi invenitur, certo diiudicare difficile est, quoniam dubitare licet, utrum illius nomen ipse invenerit an priscam aliquam memoriam reddiderit, in qua *Νυκτέως* nomen fortasse cohaereret cum pristina Callistus natura, id quod fabulae interpreti expendendum committam. At *Hesiodi* ratio aperta est.

1) Quomodo ista genealogia posset explicari, coniecturam fecit C. Müller in FHG II p. 133.


Qui cum Callisto filiam faceret Lycaonis, Pelasgi filii, Arcadico eam inseruit regum stemmati [1]). Atque huius haud dubie auctoritati tribuendum est quod praeter duos genealogos, Pherecydem et ignotum scholiastae Euripidei auctorem, quos diversam memoriam praetulisse videbimus, posterioribus de Lycaone Callistus patre constat. Nam ut reliquos Graecos, ita ipsos illa Arcades tenuit. Hoc quidem ex titulo discimus Delphis nuper reperto, quem Pomptow ('Mitth. d. d. arch. Inst. in Ath.' 1889 p. 17) edidit et sub pugnam Leuctricam, a. fere 369, ab Arcadibus foederatis cum statuis Apollini dicatum esse ostendit, cum simul Pausaniam X 9, 5 falsa prodidisse convinceret. Eum facere non possum quin hoc loco repetam:

Πύθι᾽ Ἄπολλον [ἄν]αξ, τά[δ᾽ ἀγάλματ᾽ ἔ]δω[κεν ἀπαρχάς
αὐτόχθων ἱερᾶς λαὸς ἀ[π᾽ Ἀρκαδί]ας·
Νίκηγ Καλλιστώ τε Λυκά[νιδα], τῆι πο[τ᾽ ἐμίχθη
Ζεύς, ἱεροῦ δὲ γένους Ἀρκ[άδ᾽] ἔφυσε κό[ρον·
ἐκ τοῦ δ᾽ ἦν Ἔλατος καὶ Ἀφε[ίδ]ας ἠδὲ κ[αὶ Ἀζάν,
τοὺς δ᾽ Ἐρατὼ νύμφα γείνατ᾽ ἐν Ἀρκαδί[αι·
Λαοδάμεια δ᾽ ἔτικτε Τρίφυλον, παῖς Ἀ[μύκλαντος,
Γογγύλου ἐκ κούρας δ᾽ ἦν Ἀμιλοῦς Ἔρα[σος.
τῶνδε σοὶ ἐκγενέται Λακεδαίμονα δῃ[ιώσαντες
Ἀρκάδες ἔστησαν μνῆμ᾽ ἐπιγινομένοις.

Attamen in Arcadia etsi genealogiam (non item fabulam) Hesiodeam publica auctoritate sancitam invenimus, non defuere qui nec patrem acciperent nec filiae nomen. '*Ariaethus* enim Tegeates, historiarum scriptor' — inquit Hyginus in Astron. II 1 (cf. supra p. 305) — 'non Calisto, sed Megisto dicit appellatam et non Lycaonis, sed Cetei filiam, Lycaonis neptem.' *Pherecydes* autem in Apoll. Bibl. III 8, 2, 2 et cum eo schol. Euripideus ad Or. 1646 [2]) Cetei filiam faciunt Callisto. Iam si,

1) Hesiodum e frgm. 70—72 ed. Rz. discimus commemorasse Pelasgum in Arcadia terra editum, Lycaonem eius filium, Lycaonis subolem, simul enumeratis quae quisque condidisset oppidis. Ibidem num etiam Callistus res narratae fuerint, incertum relinquitur: nam potuerunt illi in Catalogis, hae in Eoeis tractari.

2) Ne suspiceris stemmatis a scholiasta prolati auctorem esse Phere-



ut par est, ab eis proficiscimur, quae domesticus scriptor prodidit, primum apparet Pherecydem vel, si prior, scholiastae auctorem illam memoriam cum vulgata ita coniunxisse, ut ex hac retinerent, quod deserere minus facile licuit, nomen Callistus, ex illa assumerent patrem Ceteum; deinde animadvertimus Ariaethum sive eius auctorem receptam, i. e. Hesiodeam genealogiam secutum esse — satis enim habuit Megisto Ceteoque in vicem Callistus substitutis hanc correxisse —, at priores genealogos vel certe eum quem scholiasta exscripsit — de Pherecyde enim non constat — Hesiodum non respexisse, sed Callistus patrem posteriori, quae post Nyctimi mortem regnum suscepisset, genti inseruisse. Certa igitur in stemmatis sede Ceteus carebat; a reliquis vero genealogis ne commemoratur quidem. Sequitur, ut in fabulis nihil egerit, sed fictus sit cum aut ex filiae nomine [1]).

Tertiam de Arcadis matre opinionem servavit Stephanus Byzantius, qui in v. *Ἀρκαδία* haec habet: *Ἴστρος δέ φησιν, ὅτι Θεμιστοῦς καὶ Διὸς ὁ Ἀρκὰς ἐγένετο κτλ.* Mirum autem ni ad eundem redeunt quae in Recognit. Clementin. X 21 exstant: '(Iuppiter vitiat) — — Themisto Inachi, ex qua nascitur Arcas.' Quam genealogiam qui creavit Arcadum originem ex Argolide repetivit. Quod primus fecit Acusilaus (frg. 12), cum Pelasgum Argi diceret fratrem, Niobes ex Iove

cydem ipsum, moneo ea, quae praeterea sola comparari possunt, inter se discrepare; sunt haec:

Pherec. frg. 85	Schol. ad Eur. Or. 1646
Πελασγοῦ καὶ Δηιανείρας γίνεται Λυκάων. οὗτος γαμεῖ Κυλλήνην, Νηίδα νύμφην, ἀφ' ἧς τὸ ὄρος ἡ Κυλλήνη καλεῖται.	*Πελασγὸς ὁ Ἀργεῖος — γυναῖκα — ἀγαγόμενος ἐπιχωρίαν Κυλλήνην, ἀφ' ἧς τὸ ὄρος οὕτω καλεῖται, υἱὸν ἔσχε Λυκάονα, ὃς — παῖδα ἐσχηκὼς ἐξ Ὀρθωσίας Νύκτιμον τὴν ἀρχὴν αὐτῷ καταλείπει.*

Alter tamen quin alterius auctoritatem secutus sit, vix potest dubitari.

1) *Κητέα* cum Cecrope et Erechtheo composuit et cum *Κητείοις* illis Homericis nexuit Wilamowitz in Quaest. Hom. p. 152 adn. 12. Oblocutus ei est Thraemer, 'Pergamos' p. 157 adn. 1. Ego dubito, an ex se sibi *Μεγιστὼ* 'Immanem' patrem creaverit.

filium. Sed qui Arcadem ex Inachi, quem in capite stemmatis Argivi collocare solent, nexuit filia, is Arcadibus maiorem antiquitatem asseruit. Praeter genealogiam autem ille Istro videtur nihil praebuisse; certe hic ab eo nihil praeterea sumpsit; fabula enim, quam hic subiecit, ex carmine Callimacheo ad Themisto translata est. Veri igitur simile est Istrum Themistus nomen et originem genealogo nescio cui debere ἀργολίζοντι.

§ 3.

In haec nomina accuratius inquirere eius erit, qui iam ad id munus suscipiendum aggredietur, unde nunc manus abstinere placuit, explorandum dico fabulae ortum. De quo ita, ut plurimi ad eius sententiam accederent, disputavit Odofredus Müller in Doriens. I[2] p. 376 et in Proleg. p. 73 sqq. Ad huius autem argumentationem, qua Callisto esse Dianam efficere studuit, conferenda sunt quae ego supra p. 245 sqq. de ursae apud Arcades vi disserui. Ultra Müllerum in fabulae interpretatione progressus est Usener in Mus. Rhen. XXIII p. 325, cum in *Καλλιστοῦς* nomine Lunam agnosceret. Id tamen negavit Lippert in libro quem inscripsit 'Die Religionen der europ. Culturvölker' (p. 381 sq.). De Terra cogitavit Themistus nomine nixus Robert in Prelleri Myth. Gr. I[4] p. 304 adn.

Quae Bachofen in eo libello, quem de ursa in religionibus veterum a. 1863 Basileae emisit, et nuperrime Goerres in Stud. Berolin. X a. 1889 protulere ii cum voluptate perlegent, qui, cum quaerendo, unde sua quisque sumpserit aut quid quisque cur novaverit, tempus perdere nolint, ex quolibet cuiusvis poetae commento quamlibet vim priscamque memoriam pro arbitrio elicere sciant.

EPIMETRUM.

De Hesiodeo carmine astronomico quae adhuc prolata sunt iudicia cum inter se parum conspirent, et mota potius sit quaestio quam absoluta, iam quaecunque illuc aut diserte relata aut probabiliter referenda memoria nobis servaverit operae pretium est componi atque examinari, ut tandem, quibus aestimatio nitatur, certa subsint fundamenta.

Hesiodi sub nomine carmen astronomicum circumlatum esse testes sunt *Asclepiades* Myrleanus *ἐν τῷ περὶ τῆς Νεστορίδος* apud Athen. XI p. 491[c], *Plin.* N. H. XVIII 212, *Plut.* de Pyth. orac. p. 402 sq., *schol. Arat.* 254 (quem exscripsit Tzetzes ad Hes. Op. 382 et Chil. XII 169). Quod cum *ἀστρονομίαν* dicat Asclepiades, *ἀστρολογίαν* Plin. et Plut., *ἀστρικὴν βίβλον* schol. Arat., quaenam fuerit inscriptio, ignoramus. Ceterum vix est quod moneam — apparet enim ex utriusque loci nexu — astrologiae vocabulum ne apud Plinium quidem aut Plutarchum, cum pridem nova illa ars vana invasisset, propriam suam atque antiquam deseruisse vim, qua nihil differret ab astronomiae sensu.

Falso esse Hesiodo carmen ascriptum antiquissimus omnium indicavit testis Asclepiades verbis *ὁ τὴν εἰς Ἡσίοδον ἀναφερομένην ποιήσας Ἀστρονομίαν*; eadem videtur esse Plinii sententia, cum poeta nominato haec addat: ‘huius quoque nomine exstat Astrologia.’ Plutarcho ut de Thalete scrupuli moventur, ita de Hesiodo auctore constat. A scholiasta denique Arateo ad v. 254 aperte *Ἡσίοδος* laudatur *ἐν τῇ ἀστρικῇ αὐτοῦ βίβλῳ*, idem carmine non indicato ad v. 172. Haec veterum de auctore iudicia.

Inter infimae aetatis scriptores carminis prodit notitiam *Georgius Hamartolus*, cum in Chronico, unde excerpta non-

nulla edidit Cramer in Anecd. Oxon. IV p. 218 sqq., eis, quae ex Iosephi Antiqu. I 8', 2 de Abrahamo Aegyptios *ἀριθμητικὴν καὶ ἀστρονομίαν* docente sumpsit, haec addidit (p. 238): *παρὰ δὲ τῶν Ἑβραίων ἔλαβον Φοίνικες ἀφ' ὧν ὁ μὲν Κάδμος ταῦτα μετήγαγεν εἰς τοὺς Ἕλληνας· ὁ δὲ Ἡσίοδος μάλα συντάξας εὐφυῶς Ἕλλησιν* (= frg. 19 Rz.).

Res enarratas si non omnino, at certe longe maxima ex parte astronomicas fuisse inde efficitur, quod Plutarchus auctorem cum scriptoribus componit mere astronomicis. Quocum prorsus consentiunt et Hamartoli verba et quae Plinius ad siderum observationem pertinentia inde sumpsit quaeque ipsius carminis nominatim servata sunt frustula (frg. 9, 10, 11, 14 ed. Rzach.).

E quibus tria ad Pleiadum sidus spectant: unde colligendum, quemadmodum in Hesiodi Op. et d. tam agris colendis quam navigando magni sint momenti, sic eas etiam hic uberius tractatas fuisse. Ac primum quidem nomina earum commemorata erant; primo enim apud Athen. loco allatum est frg. 9:

τὰς δὲ βροτοὶ καλέουσι Πελειάδας.

Qui versiculus, si Marckscheffelii sequimur coniecturam admodum probabilem, tres versus, qui in schol. ad Pind. Nem. II 17 sine auctore traditi Pleiadum nomina more epico exhibent, excepit hos:

Τηϋγέτη τ' ἐρόεσσα καὶ Ἠλέκτρη κυανῶπις
Ἀλκυόνη τε καὶ Ἀστερόπη δίη τε Κελαινώ
Μαῖά τε καὶ Μερόπη, τὰς γείνατο φαίδιμος Ἄτλας.

Sed qui ibidem proxime de Maia affertur versus

Κυλλήνης ἐν ὄρεσσι θεῶν κήρυκα τέχ' Ἑρμῆν

cur eodem trahatur, non satis est causae.

Pleiadum VII stellas pro Atlantis filiabus haberi iam Hesiodus significat in Op. 383 (*Πληιάδων Ἀτλαγενέων*) et agnoscit Musaeus, cum V Hyadas ex eadem stirpe repetitas earum numero adiungit (cf. Erat. Cat. rel. ed. Rob. p. 43 et 110 sq.); nomina earum una cum progenie ex Hellanico deprompta exhibebant *Κατάλογοι* ab Eratosthene conscripti (cf. *Καταλ.* frg. 3 p. 43 et *Καταστ.* 23 p. 134 Rob.) et ex eodem fortasse hausta

fonte ad suum usum convertit Dionysius Scytobrachion apud Diod. Sic. III 60. Eadem tertium legimus in Arati Phaen. 262 sq. (= Apollod. Bibl. III 10, 1, 1). Ubique variato tantummodo ordine plane eadem proferuntur, nisi quod *Ἀστερόπη* plerumque cessit breviori nominis formae quae est *Στερόπη*. Nec tamen defuisse qui has VII stellas aliter interpretarentur et genere et nominibus commutatis exemplum docet Callimachi, cuius commenta singularia comperimus ex schol. ad Theocr. XIII 25. Illi igitur qui carmini Hesiodeo non temere tribuuntur versus, cum ab Atlante prognatas Pleiadas inducant, fabulam reddunt vetustam.

Qui secundo apud Athen. loco affertur versiculus (frg. 10)

χειμέριαι δύνουσι Πελειάδες

illustratur his Hesiodi versibus (Op. 619 sqq.):

εὖτ' ἂν Πληιάδες σθένος ὄβριμον Ὠαρίωνος
φεύγουσαι πίπτωσιν ἐς ἠεροειδέα πόντον,
δὴ τότε παντοίων ἀνέμων θύουσιν ἀῆται

et quasi fontem unde emanavit illam habet veterum opinionem, qua Vergiliarum occasu matutino hiems incipere putabatur (cf. Arati Phaen. 266, Plin. XVIII 69, alios). Simul periculum quamvis rude ac parum prosperum factum esse constituendi, quod in tempus res incideret, e Plinii verbis discimus his: 'occasum matutinum Vergiliarum Hesiodus — — tradidit fieri, cum aequinoctium autumni conficeretur.' Talis temporis definiendi conatus in Hesiodi Op. nondum reperitur.

At quod apud Athen. sequitur frustulum (frg. 11)

τῆμος ἀποκρύπτουσι Πελειάδες

rursus lucem accipit ex Hesiodi Op. 385 sq.

αἵ δ' ἤτοι νύκτας τε καὶ ἤματα τεσσαράκοντα
κεκρύφαται.

Iam vero ea, quae de Vergiliis modo prolata sunt, respicienti ac perpendenti apparet huius quidem signi descriptionem ita fuisse deductam, ut, postquam fabulae, quae de stellis vulgo ferretur, mentio facta esset, singulae earum per annum condiciones denotarentur additis quae secum ferrent indiciis et temporibus ratione quamvis imperfecta circumscriptis. Quod

autem Vergiliarum sideri contigisse discimus ex frustulis, quippe cuius memoriae prae ceteris fortuna faverit, idem de eis quoque, quae praeterea haberentur signa principalia, factum esse tuo iure conicias, quanquam quae de ceteris enarrata erant cum penitus interierint exceptis paucis de Hyadibus versiculis, inde sententiae fides fieri manifesta nequit.

At certe illi versus, qui tota ex hac parte ad nos soli pervenerunt, ab interitu servati diligenti testimonio schol. ad Arati Phaen. 254 et 172, cum Hyadas nymphas perhibeant et nominibus appellent, bene conveniunt cum initio descriptionis Pleiadum. Sunt autem hi (frg. 14):

νύμφαι Χαρίτεσσιν ὅμοιαι
Φαισύλη ἠδὲ Κόρωνις ἐυστέφανός τε Κλέεια
Φαιώ θ' ἱμερόεσσα ἰδ' Εὐδώρη τανύπεπλος,
ἃς Ὑάδας καλέουσιν ἐπὶ χθονὶ φῦλ' ἀνθρώπων.

De Hyadum et numero et fabula scriptores perquam variant: numerus enim a duabus usque ad septem ascendit (cf. schol. ad Arati Ph. 172); de quinque numero cum hoc loco consentiunt Musaeus in Eratosth. *Καταλ.* frg. 3 p. 43 (= *Καταστ.* 14 p. 110) Rob., Myrtilus Methymnaeus frg. 6 (FHG IV p. 458), Hyg. fab. 182, qui tamen de ceteris dissentiunt. Nomina autem quattuor eadem atque Hesiodus qui fertur, sed aliud pro *Κλεείας* nomine et duo alia insuper habet Pherecydes in Eratosth. *Καταλ.* frg. 3 p. 42 (= *Καταστ.* 14 p. 106) Rob. Quintum tamen illud quod Pherecydes non agnoscit nomen certe tangitur simili forma, quae est apud Diod. Sic. V 52, ubi ex Naxiorum memoria Liberi nutrices, quales alibi dicuntur Hyades, designantur *ἐγχώριοι νύμφαι Φιλία, Κορωνίς, Κλείδη.* Hesiodeum igitur carmen in hac fabula propria est auctoritate neque aliunde, quantum scimus, pendet.

Restat unum quod inter incerta adhuc numeratur fragm. 226 ed. Rz. me iudice huc trahendum. Servius enim ad Verg. Georg. I 244 sq.

maximus hic flexu sinuoso elabitur anguis
circum perque duas in morem fluminis arctos

adnotat: 'Hesiodus *ποταμῷ ῥε⟨ί⟩οντι ἐοικώς*'. Atqui

mehercule non opus erat testimonio confirmari longe repetito poetam non sine exemplo rem quandam cum flumine comparasse — nam quid in hoc miri? —, sed docta adnotatiuncula aut fine caret aut ita accipienda est, ut iam Hesiodus cum flumine comparaverit Anguem. Quod statuentem ne ita quidem me effugere possis, ut Hesiodi verba ad animal, non ad sidus referas. Nam ut mittam, quod tali interpretationi scholium minus convenit, incredibile est Hesiodum serpentem, qualem terra sustineret, unquam *ποταμῷ ῥέοντι* similem dixisse; nam tale quid, si cui, nulli nisi uni e poetis Romanis, in immensis bacchantibus, in mentem venire poterat. Sine ullo vero iure Nauck in Miscell. Graecorom. IV 397 spretis quae tradita sunt ac violenter mutatis verba ad Hom. *E* 87 rettulit. Anguis autem commemorandi ubinam occasio aut facultas Hesiodo data erat nisi in carmine astronomico? Ergo novum tenemus huius frustulum. Iam vero eandem comparationem reperimus in Arati Phaen. 45, nisi quod a poeta Alexandrino simplex illa imago subtilior reddita est verbis *οἵη ποταμοῖο ἀποῤῥώξ* [1]. Attamen Draconis cum flumine similitudo non sua sponte oculis se offert: consensum igitur, qui inter Hesiodum et Aratum est, non aliter expedias quam si alterum ab altero mutuatum esse statuas.

Novo hoc frustulo carminis notitia mirum in modum augetur. Ex eo enim addiscimus poetam siderum figuras descripsisse studio ductum mere astronomico, quandoquidem Dracone veteres nunquam utebantur neque ad cognoscendas caeli regiones, velut Ursis, neque ad anni tempora distinguenda, velut Vergiliis et Suculis, Orione et Arcturo.

Superest, quam haud facile solvas, quaestio, quemnam ambitum in carmine habuerint fabulae. Marckscheffelii nimiam largitatem, qua ille omnes, quibus in Eratosth. Catasterismis Hesiodi nomen adhaeret, fabulas huic carmini assignabat, merito Robert p. 240 reiecit; qui tamen huic non esse eripiendas censebat fabulas Callistus et Orionis uberrime enarratas.

1) Ab Arato eam accepit Vergilius et Seneca in Thyest. 870 ed. Leon.

Id quidem, ubi de Pleiadibus et Hyadibus sermo erat, iam vidimus, omnino exclusas fabulas non fuisse; at enim praeter nomina et originem nympharum num ea quoque, quae de earum fatis ferebantur, relata fuerint, citra dubitationem positum est; quin, si quid ex ea ratione, qua Asclepiades apud Athen. carmen ad consilium suum adhibet, colligere licet, puellarum fata videntur non fuisse memorata. Id utique certum est, tenuem fuisse et rerum astronomicarum copia obscuratam fabularum memoriam in eo carmine, cuius auctorem Plutarcho liceret severae artis scriptorum in aequo ponere. Exemplum si quaeres, vix a vero aberrabis, cum Hesiodum qui dicitur eandem fere tractandi viam ingressum esse statues atque Aratum, qui fabulas plerumque omittat aut leviter tantum attingat, sed semel etiam diutius narrando commoretur. Itaque et Callistus et Orionis res uberrime ab illo expositas fuisse num sit tenendum, iam nascitur dubitatio, sed diiudicari non prius poterit quam de illius aetate accuratius erit exploratum.

A falsario enim Alexandrino carmen profectum et per fraudem illustri Hesiodi nomine inscriptum esse opinatus est Odofr. Müller in Proleg. p. 193 et eodem inclinavit Marckscheffelii sententia in Hes. etc. fragm. p. 196. Antiquiorem carminis originem defenderunt Bergk in Hist. litt. Gr. I p. 1010 et Robert in Erat. Cat. rel. p. 240 et in Herm. XVIII p. 434.

Hesiodo qui carmen abiudicarent iam fuisse inter grammaticos Alexandrinos Asclepiadis quod supra commemoravi iudicium ostendit; nec sine magna probabilitate Bergk l. l. *Ἀστρονομίαν* illi appendici assignavit, quam Operibus adnexam fuisse testimonio Pausaniae (IX 31, 5 *καὶ ὅσα ἐπὶ Ἔργοις τε καὶ ἡμέραις*) constat et cui ab Apollonio Rhodio fidem derogatam esse Bergk ex schol. anon. ad Hes. Op. 828 (*τούτοις δὲ ἐπάγουσί τινες τὴν Ὀρνιθομαντείαν ⟨— — —⟩ ἅτινα Ἀπολλώνιος ὁ Ῥόδιος ἀθετεῖ*) iure collegit; Bergkii coniecturae quam maxime favet ratio loci Pausaniae, quo quae vulgo Hesiodi sub nomine ferantur carmina enumerantur, hoc autem cum aliis minoribus deest, favetque quae inter Opera et Astronomiam intercedit argumenti similitudo.

Hesiodi ipsius fuisse carmen hodie quoque qui contendat vix erit. Sed ne eis quidem, qui, Hesiodo aetate proximi, artem eius et ingenium sedulo sectabantur, hoc carmen licet sicut alia Hesiodea tribuere: obstat enim sermonis quaedam discrepantia. Namque et Homerus et Hesiodus, quorum vestigia premit Sappho frg. 52, Vergilias semper vocant *Πληιάδας*, *Πελειάδας* eadem constantia poeta astronomicus. Peropportune autem nobis id cecidit, quod Asclepiades *ἐν τῷ περὶ τῆς Νεστορίδος* (apud Ath. XI 488 sqq.), recentiorem hanc formam ut sat antiquam esse comprobaret, undique exempla collegit. Interpretatus enim *πελειάδας*, quas Homerus *Λ* 634 in Nestoris poculo effictas narrat, esse — mirum! — Pleiadas, demonstrare conatur ne Homero quidem non licuisse *κατὰ ποιητικὸν νόμον* longiorem nominis formam usurpare. Perlustrata quam conflavit nube exemplorum videmus testes formae *Πελειάδες* praeter hunc Astronomiae auctorem antiquissimos ab illo laudari Simonidem et Pindarum, Aeschylum et Lamproclem *τὸν διθυραμβοποιόν*, quorum aetas non multum supra a. 500 ascendit. Orta ea videtur esse e forma *Πλειάδες* a sermone heroico aliena, quae cum per se certo sensu careret, ipsa ut verbo *πελειάδες* aequaretur tanquam incitavit. Qua ratione, quid nomen sideris proprie significaret, quaerenti facillime erat satisfactum; sed multo demum post ad illam quae nomini illata erat vim explicandam fabula quoque accessit, qua *Πελειάδες* verae columbae factae sunt dei beneficio inter sidera collocatae, quam fabulam expressit Moero Byzantia apud Athen. XI 491[b]; antiquiores poetae in eo se continuerunt, ut stellis, quae Atlantis filiae a nonnullis haberentur, et avibus nomen columbarum commune esse dicerent; id quod elucet e Simonidis versibus (Ath. XI 490[f]) non minus quam ex Aeschyli verbis *ἄπτεροι πελειάδες* (491[a]) et Lamproclis *ποταναῖς ὁμώνυμοι πελειάσιν* (491[c]). Quanquam et Odofr. Müller in Script. min. II 121 et Welcker in Cyclo ep. p. 60 opinantur Hom. *μ* 62 sq.

τῇ μέν τ' οὐδὲ ποτητὰ παρέρχεται, οὐδὲ πέλειαι
τρήρωνες, ταί τ' ἀμβροσίην Διὶ πατρὶ φέρουσιν

a veteribus (sunt autem Moero Crates Asclepiades apud Ath. IX 490 e) iure ad Pleiadas esse relatos. At talia Homeri versibus mysteria inferre haud dubie non licet, vel propterea, quod Vergiliae in antiquis carminibus constanti usu Πληιάδες appellantur atque fabula de columbis narrata, cum quinto etiam saeculo aperte ignoraretur, Alexandrina demum aetate aut non multo ante ficta est. Ergo qui Astronomiam Hesiodo ascriptam condidit, cum iam recentiorem nominis formam haberet, aliquanto fuit post Hesiodum.

Ab altera parte aetatis poetae determinandae facultatem mihi suppeditat illud Plinii XVIII 212: 'Occasum matutinum Vergiliarum Hesiodus — — tradidit fieri, cum aequinoctium autumni conficeretur, Thales XXV die ab aequinoctio, Anaximander XXX, Euctemon XLIV, Eudoxus XLVIII.' Haec ad doctum fontem redire non negabis, ac vel ideo haud veri simile esse concedes auctoritatem Hesiodo tributam ex errore fluxisse. Quae quod a veritate plus quam mediocriter recedit, Pfaffio (De ortibus et occas. siderum p. 78 sq.) Hesiodi fidem ita defendere visum est: 'Plinium hic errasse liquet: qui error hac Petavii coniectura, sponte sese offerente, explicari potest: Ea nimirum aetate initium occasus heliaci Pleiadum in ipsam primam Arietis partem vel in aequinoctium incidit: unde credibile est Plinium occasum vespertinum commutasse cum occasu matutino. Qui error saepius iam deprehensus est et inde facile originem traxit, quod veteres auctores in rebus astronomicis sermonis rigorem vix observaverint nec satis distincte apparentiarum species expresserint.' Sed enim eius sententiae fundamenta quam caduca sint, facile videt qui meminit pristinis temporibus matutinos tantum observatos esse Vergiliarum ortus et occasus, quippe qui initium aestatis et hiemis indicarent[1]), ut nihil opus esset diserte illos distingui nec commutatio fieri posset. Quod tum quoque valet, si carmen minus antiquum sit. Nam consentaneum est auctorem, quaqua aetate scriberet, eas tantum res commemorasse,

1) Cf. Ideleri Chronol. enchir. I p. 241 sq. et schol. Arat. 264 sqq., quae tamen ex parte confusa sunt.

quas scire hominum interesset, non severi astronomi egisse partes. Ergo de Plinii errore non potest cogitari, sed tenendus est error auctoris Astronomiae. Nec vero hic levis: nam matutinum Vergiliarum occasum Ideler Chronologiae enchir. I p. 242 docet in Hesiodi patria c. a. 800 secundum fastos Gregorianos incidisse in VI cal. Nov.; unde apparet auctorem, quem quod illo anno aliquanto posteriorem fuisse statuimus hanc ad rem non multum differt, amplius XXX diebus sideris occasum maturius vel potius aequinoctium serius quam deberet posuisse. Quod tamen erratum non adeo incredibile aut inauditum est, ut ex rerum condicione explicari nequeat. Quam tarde ac paulatim per II saecula progressus factus sit, quo verior aequinoctii notitia impetraretur, comparet ex loco Pliniano. Hesiodus ut novit solstitium nec plus III dierum vitio eius tempus constituit, cum in Op. 564 pro LVII numero (cf. Ideler Chronol. enchir. I p. 246) rotundum ponat LX dierum, ita nusquam certe mentionem facit aequinoctiorum. Ac licet Schaubach Astron. Graec. hist. p. 31 Hesiodo aequinoctia ignota fuisse perperam ac frustra ex ipsis Operibus demonstrare conatus sit, id tamen patet, solstitium brumamque, cum quivis observata solis declinatione quando fere acciderent notare posset, prius inventa esse quam aequinoctia, quae ad investiganda simplex observatio minime sufficeret, sed opus esset instrumentis ac maiore scientia, ut consentaneum sit eos, qui instrumentis etiamtum destituti essent, in circumscribendo aequinoctii die a vero aberrasse. Neque igitur absurdum est credere eum, qui, nisi veterum memoriam prorsus abicimus, primus astronomiam carmine complecteretur ac primus fortasse periculum faceret aequinoctii computandi, id in idem tempus incidere voluisse atque insignem Vergiliarum occasum. Hoc igitur carminis antiquitatem confirmari arbitror quam maxime: ab antiquo enim scriptore nemo mirabitur aequinoctii tempus ita descriptum esse, ut cum noto sideris occasu, qui proxime abesse videretur, congrueret; at falsario Alexandrino placuisse Hesiodum tanta, quanta doctae ipsius aetati necesse erat viderentur, menda committentem inducere quis sibi persuadebit? An ho-

minum illius aevi mentes non multo magis eo inclinabant, ut suam doctrinam antiquis inferrent? Omnino postquam Robert ostendit fabularum illam copiam inconsulte ac temere carmini astronomico ascriptam esse, quid tandem superest, quod ullam fidei memoriae moveat suspicionem? Immo rudi omnia egregie conveniunt saeculo. Itaque censeo carmen conditum esse aliquanto post Hesiodi tempora, sed priusquam rerum caelestium ars atque cognitio a prioribus physicis Ionicis admodum aucta in vulgarem pervenisset notitiam.

Ad quintum tamen usque saeculum descendere per erroris illius naturam non licet; neque igitur quidquam ei tribuendum est, quod, ut schol. ad Arati Ph. 172 (cf. ad 254) tradit, *Ἡσίοδος ἐν τῇ ἀστρικῇ αὐτοῦ . . . βίβλῳ* Hyadas enumeravit quinque, at *Θαλῆς μὲν . . . β' αὐτὰς εἶπεν εἶναι, τὴν μὲν βόρειον τὴν δὲ νότιον, Εὐριπίδης δὲ ἐν τῷ Φαέθοντι γ', Ἀχαιὸς δὲ δ', Ἱππίας δὲ καὶ Φερεκύδης ζ'* (quarum nomina Eratosthenes Catal. frg. 3 servavit). Cum Hesiodo qui vocatur in numero consentit Musaeus in Erat. Catal. frg. 3; sed hunc mitto; nam incertus et ipse est. Sed sententiae a scholiasta enumeratae docent numerum non cum tempore iusto progressu auctum esse, sed eadem aetate ab his tres quattuorve, ab illis septem esse monstratas, ut aliquanto prius fuisse qui quinque stellas dispicerent nemo possit infitiari.

Iam huc referre ausim *Philippi Opuntii*, et ipsius astronomi, testimonium ceteris longe antiquius et, si nullum admitteret scrupulum, omnium gravissimum, sed ab omnibus hucusque neglectum: exstat in Epinom. p. 990a, ubi haec sunt: *ἀγνοεῖτε, ὅτι σοφώτατον ἀνάγκη τὸν ἀληθῶς ἀστρονόμον εἶναι, μὴ τὸν καθ' Ἡσίοδον ἀστρονομοῦντα καὶ πάντας τοὺς τοιούτους, οἷον δυσμάς τε καὶ ἀνατολὰς ἐπεσκεμμένον, ἀλλὰ τὸν τῶν ὀκτὼ περιόδων τὰς ἑπτὰ περιόδους* — —. Quae ad Opera spectare propterea non credam, quod in illis, etsi ortus et occasus paucorum siderum commemorati sunt, non tractantur astronomica, sed oblata tantummodo occasione tanguntur, ut non facile liceat ad illorum au-

ctorem tanquam exemplum ac principem eorum provocare, qui data opera, quamvis sine interiore qualem philosophus flagitat rerum cognitione, de sideribus scripserint. Qua de causa carmen astronomicum a Philippo designari mihi persuasi. Quod si recte feci, haud contemnenda inde evadit confirmatio eorum, quae adhuc de carminis disputavi et aetate et argumento.

Alterum inesse videtur testimonium in eo epigrammate, quo *Callimachus* Arati Phaenomena laudibus effert (Anthol. Pal. IX 507):

Ἡσιόδου τό τ᾽ ἄεισμα καὶ ὁ τρόπος· οὐ τὸν ἀοιδῶν
ἔσχατον, ἀλλ᾽ ὀκνέω μὴ τὸ μελιχρότατον
τῶν ἐπέων ὁ Σολεὺς ἀπεμάξατο· χαίρετε λεπταὶ
ῥήσιες Ἀρήτου σύμβολον ἀγρυπνίης.

Nam recte procul dubio Robert in Erat. C. r. p. 239 multo id aptius esse iudicat, si non ad Opera, sed ad carmen astronomicum referri possit. Nam tum demum *ἄεισμα* et *τρόπος* vocabula suam utrumque habent vim. Quae si concesseris, vix negabis ab Arato esse illud adhibitum; notabilis enim est in tam paucis reliquiis duplex cum Arato consensus: vidimus enim in Phaenomenis redire non solum eadem Pleiadum nomina, quod minoris momenti est, verum etiam Draconis cum flumine comparatio, quod gravissimum est.[1])

Rursus Astronomiae auctorem ad Hesiodi respexisse Opera cum per se est probabile tum comprobatur fragmentis, cf. potissimum frg. 11 cum v. 385 sq. At ille ultra Hesiodum progressus est, cum non solum aequinoctia induceret ac tempora eorum circumscribere conaretur, sed etiam signo-


---

1) Scholia ad Arati v. 45 haec habent: *παραβάλλει το πολυκαμπὲς τῶν ποταμίων ὑδάτων πρὸς το τοῦ Δράκοντος μέγεθος. καὶ ἐν τούτῳ δὲ Ἡσιόδου ζηλωτὴς φαίνεται· ἐκεῖνος γὰρ τὸν ποταμον εἴκασε δράκοντι, εἰπὼν ʻκαί τε διερχόμενος ἠπειγμένος ἐστὶ δράκων ὥς.ʼ οὗτος δὲ τοὐναντίον Δράκοντα ποταμὸν ὠνόμασε, μᾶλλον δὲ ἀπείκασε.* Ignoravitne qui haec scripsit versum Astronomiae, quem Aratus imitatus est, an non sunt verba eiusdem, sed alius prior, alius altera pars, illa ad Astronomiam referenda, haec a redactore assuta?

rum figuras adumbraret, velut Draconis, qui nobis hic primum occurrit.

Fabulis eum non multum spatii concessisse supra p. 352 ex compluribus indiciis comprobavi; quod nunc eis, quae de eius aetate exploravimus, confirmatur; nam fabulas quae ad sidera spectent plerasque serae esse originis hodie turpe est nescire. At duas saltem, si Robertum audimus, ei eripere non licet, eam quae de Callisto est et quae de Orione. De Callisto facile est respondere: tertio enim quaestionis capite demonstravi eam a Callimacho primo cum astris conexam esse. Non ita pronum est certum ferre iudicium de Orionis fabula. Quae alia sane ac singulari est natura. Neque enim a terra ad caelum translata videtur, sed ex ipsa caelestium contemplatione nata, Orionis dico occidentis et Scorpionis ex adverso orientis, de qua re egregie disputavit post Buttmannum (Diss. acad. Berol. 1826 p. 56) Robert in Erat. C. r. p. 238. Ab Hesiodo autem eam enarratam esse non solum Eratosthenes in Catast. XXXII, verum etiam Diodorus Siculus IV 85 testatur, nec quae hic tradidit pleniori Catasterismorum narrationi repugnant, sed supplent eam potius (cf. Robert p. 238 adn. 3). Sed quo eam carmine Hesiodus quem vocant protulerit, manet incertum. Licet cogitare tam de Astronomiae auctore, qui intextis Orionis fatis prolatae disciplinae siccitatem iucunde temperaverit, sicut etiam Aratus praeter consuetudinem semel in longiorem de Iustitia et III aetatibus narrationem exspatiatus est (100—136), quam de eo qui Eoeas composuit, quoniam Orionem non trium deorum opera genitum — qualis posterioribus, inter quos iam Pindarus, visus est —, sed ab Euryale, Minois filia, et Neptuno ortum refert. Certum igitur fabulae in Astronomia pertractatae exemplum deest. Atque ego quidem veri esse similius duco in Eoeis quam in Astronomia uberrimam illam de Orionis gestis et fatis narrationem exstitisse.

Historia fabulae
brevi in conspectu posita.



ADDENDUM

De fide fragmentorum, quae Hesiodo tribuuntur, nuperrime disputavit Sittl Stud. Vindob. XII (1890) p. 38—65, sed haud scio an nimius in damnando; certe non recte iudicavit de frg. 16 (ed. Rz.) p. 48 aut de frg. 15 p. 57; dubitare — id nunc concedo — licet de frg. 226, quod Nauckium secutus in suspicionem vocat p. 48, qua de causa velim quae p. 351 sq. et 358 inde effeci non pro certis invictisque habeantur, sed pro veri simillimis. De Georgii Hamartoli testimonio (frg. 19), quod ad Op., non ad Astronomiam refert p. 60, utrum statuas, non tantum interest.

INDEX RERUM

TABULA ARGUMENTI

DIE PARODOS DER ACHARNER

IN IHRER COMPOSITIONSFORM

ERLAEUTERT

VON

CURT WACHSMUTH

Die Parodos der Aristophanischen Acharner ist in neuerer Zeit wiederholt auf ihre Composition und Vortragsweise untersucht worden[1]) und wirklich erheischt sie, wie alle Kunstformen in dieser ältesten aller uns erhaltenen Komödien, in besonderem Grade eindringendes Studium. Freilich wenn man die neuerdings aufgestellten Erklärungen und Auslegungen unter einander vergleicht und fast in allen Einzelheiten der Auffassung weit auseinandergehende Meinungsverschiedenheiten erblickt, kann man leicht den Eindruck erhalten, als ob hier schliesslich doch Alles schwankend bleibe und ein über subjective Ueberzeugtheit hinausgehendes, auf unzweideutige sachliche Kriterien gegründetes Ergebniss nicht erreichbar sei. Ich theile diese Verzagtheit nicht, meine vielmehr, dass alle bisherigen Versuche gemeinschaftlich an einem Fehler leiden, nämlich an dem, dass sie nicht zuvor eine um die Gesammtdisposition gänzlich unbekümmerte kritische Einzelbehandlung der überlieferten Verse und ihres Zusammenhangs durchgeführt haben. Da hier in der That mancherlei in Ordnung zu bringen ist, konnte das gleich auf das Ganze gerichtete Bemühen nicht anders als das richtige Ziel ganz oder theilweise verfehlen oder

1) Arnoldt, *scenische Untersuchungen über den Chor bei Aristophanes* (Elbinger Gymn.-Prg. 1871) S. 1—10; im Wesentlichen wiederholt von dems. in seinem Buche *Die Chorpartien bei Aristophanes* (1873) S. 30 ff.; Muff, *über den Vortrag der chorischen Partieen bei Ar.* (1872) S. 7 f.; 82 ff.; 122 f.; 125 u. 134; Christ in Abh. der Bayer. Akad. philos.-philol. Cl. (1876) XIV. Bd., 2. Abth. (*Theilung des Chors im attischen Drama mit Bezug auf die metrische Form der Chorlieder*) S. 214 f.; Zielinski, *die Gliederung der altatt. Komödie* (1885) S. 128 ff., 352 f. Betreffs der trochäischen Scene (V. 303—334) vgl. auch Oeri (*die Responsion bei Ar.*) in Jahrb. f. Philol. 1870 S. 386 f.

musste mindestens für das richtige Erkannte der vollen Beweiskraft entbehren. Stellen wir dagegen erst fest, was die Einzelerwägung mit voller Bestimmtheit erkennen lässt, so ist jedenfalls das Fundament gesichert und wir können mit grösserer Zuversicht an die weitere Reconstructionsarbeit gehen, die ihrer Natur nach hypothetischer bleibt. In diesem Falle freilich liegt die Sache sehr klar. Denn überblicken wir nur das bereits Gewonnene, so ergiebt sich von selbst eine Gliederung, die in ihrer Einfachheit und augenfälligen Regelmässigkeit nur einer kurzen Erläuterung, aber gar keiner weiteren Empfehlung bedarf. Es sei jedoch gestattet, der Kürze und Uebersichtlichkeit halber den Text der gesammten in Frage stehenden Partie gleich hier in der Gestalt und in der Disposition vorauszuschicken, die in ihrer Richtigkeit zu erweisen die Aufgabe dieses Aufsatzes ist.

Einzugslied des Chores

Strophe

Erste Chorreihe (troch. Tetram.)

204 *Τῇδε πᾶς ἕπου, δίωκε καὶ τὸν ἄνδρα πυνθάνου*
205 *τῶν ὁδοιπόρων ἁπάντων· ‛τῇ πόλει γὰρ ἄξιον’*
206 *ξυλλαβεῖν τὸν ἄνδρα τοῦτον· ἀλλά μοι μηνύσατε,*
207 *εἴ τις οἶδ’, ὅποι τέτραπται γῆς ὁ τὰς σπονδὰς φέρων.*

Zweite Chorreihe (paeon. Kret.)

208—210 *Ἐκπέφευγ’, οἴχεται | φροῦδος· οἴμοι τάλας | τῶν ἐτῶν τῶν ἐμῶν.*
211—213 *οὐκ ἂν ἐπ’ ἐμῆς γε νεό | τητος, ὅτ’ ἐγὼ φέρων | ἀνθράκων φορτίον*
214 *ἠκολούθουν Φαΰλλῳ τρέχων, ὧδε φαύλως ἂν ὁ*
215. 216 *σπονδοφόρος οὗτος ὑπ’ ἐ | μοῦ τότε διωκόμενος*
217. 218 *ἐξέφυγεν οὐδ’ ἂν ἐλαφ | ρῶς ἂν ἀπεπλίξατο.*

Gegenstrophe

Dritte Chorreihe (troch. Tetram.)

219 *νῦν δ’ ἐπειδὴ στερρὸν ἤδη τοὐμὸν ἀντικνήμιον,*
220 *καὶ παλαιῷ Λακρατείδῃ τὸ σκέλος βαρύνεται,*

221 οἴχεται. διωκτέος δέ· μὴ γὰρ ἐγχάνοι ποτὲ
222 μηδέπερ γέροντας ὄντας ἐκφυγὼν Ἀχαρνέας,

Vierte Chorreihe (paeon. Kret.)

223—225 ὅστις — ὦ Ζεῦ πάτερ | καὶ θεοί — · τοῖσιν ἐχ | θροῖσιν ἐσπείσατο,
226—228 οἷσι παρ' ἐμοῦ πόλεμος | ἐχθοδοπὸς αὔξεται | τῶν ἐμῶν χωρίων.
229 κοὐκ ἀνήσω, πρὶν ἂν σχοῖνος αὐτοῖσιν ἀντεμπαγῶ
230. 231 ὀξὺς ὀδυνηρὸς ⟨ἀνι | αρὸς⟩ [1]) ἐπίκωπος, ἵνα
232. 233 μήποτε πατῶσιν ἔτι | τὰς ἐμὰς ἀμπέλους.

Chorführer

234 ἀλλὰ δεῖ ζητεῖν τὸν ἄνδρα καὶ βάλλειν Βαλλήναδε
235 καὶ διώκειν γῆν πρὸ γῆς, ἕως ἂν εὑρεθῇ ποτε,
236 ὡς ἐγὼ βάλλων ἐκεῖνον οὐκ ἂν ἐμπλήμην λίθοις.

Dikaiopolis

237 εὐφημεῖτε, εὐφημεῖτε.

Chorführer

238 σῖγα πᾶς! ἠκούσατ', ἄνδρες, ἆρα τῆς εὐφημίας;
239 οὗτος αὐτός ἐστιν, ὃν ζητοῦμεν· ἀλλὰ δεῦρο πᾶς
240 ἐκποδών! θύσων γὰρ ἁνὴρ ὡς ἔοικ' ἐξέρχεται.

Es folgt jetzt (V. 241—279) die Procession, welche Dikaiopolis mit Tochter und Sklaven zu Ehren des Dionysos begeht, er seinerseits unter Absingung des Phalesliedes, hierauf das mit Frau und Tochter dem Gott dargebrachte Opfer [2]) und die Schlussanrede an Phales. Der Chor, der sich auf Geheiss seines Führers während dieser heiligen Handlungen beiseits gehalten, stürzt nun auf Dikaiopolis los.

Chorführer

280 οὗτος αὐτός ἐστιν, οὗτος.

1) Ich habe, natürlich nur zur Exemplifikation, Blaydes' Ergänzung aufgenommen.

2) Die Umstellung der V. 244—246 nach V. 275 hat Haupt, *Opusc.* II p. 465 erwiesen, die Betheiligung der Frau am Opfer zuletzt Schneider in *Jahrb. f. Philol.* 1877 S. 301.

Gesammtchor

281 βάλλε, βάλλε, βάλλε, βάλλε.

Chorführer

282 παῖε πᾶς [1]) τὸν μιαρόν.

Gesammtchor

283 οὐ βαλεῖς; οὐ βαλεῖς;

Wechselgesang zwischen Dikaiopolis und Chor

(Dik. in troch. Tetram., Chor in päonischem Maass)

Strophe

Dikaiopolis

284 Ἡράκλεις, τουτὶ τί ἐστι; τὴν χύτραν συντρίψετε.

Erste Chorreihe

285 σὲ μὲν οὖν καταλεύσομεν, ὦ μιαρὰ κεφαλή.

Dikaiopolis

286 ἀντὶ ποίας αἰτίας, ὠχαρνέων γεραίτατοι;

Zweite Chorreihe

287. 288 τοῦτ᾽ ἐρωτᾷς; ἀναί | σχυντος εἶ καὶ βδελυρός,
289. 290 ὦ προδότα τῆς πατρίδος, | ὅστις ἡμῶν μόνος
291. 292 σπεισάμενος, εἶτα δύνα | σαι πρὸς ἔμ᾽ ἀποβλέπειν.

Dikaiopolis

293 ἀντὶ δ᾽ ὧν ἐσπεισάμην ἀκούσατ᾽ [2]), ἀλλ᾽ ἀκούσατε.

Dritte Chorreihe

294. 295 σοῦ γ᾽ ἀκούσωμεν; ἀπο | λεῖ· κατά σε χώσομεν τοῖς λίθοις.

Dikaiopolis

296 μηδαμῶς πρὶν ἄν γ᾽ [3]) ἀκούσετ᾽· ἀλλ᾽ ἀνάσχεσθ᾽, ὦγαθοί.

Vierte Chorreihe

297. 298 οὐκ ἀνασχήσομαι· | μηδὲ λέγε μοι σὺ λόγον·
299. 300 ὡς μεμίσηκά σε Κλέ | ωνος ἔτι μᾶλλον, ὃν
301. 302 κατατεμῶ τοῖσιν ἱπ | πεῦσι καττύματα [4]).

---

1) πᾶς Bergk für παῖε.

2) ἀκούσατ᾽ Hamaker und Bergk für οὐκ ἴσατ᾽ im Rav.

3) πρὶν ἄν γ᾽ für πρίν γ᾽ ἄν Bentley.

4) ὃν ἐγὼ κατατεμῶ τοῖσιν ἱππεῦσιν ποτ᾽ ἐς (εἰς) καττύματα Rav. und Paris. A.; ebenso Suid. u. d. W. καττύματα, nur lässt er ποτ᾽ weg; ποτ᾽ und ἐς hat Bergk getilgt.

Trochäische Mesodos in drei Absätzen

Erster Absatz[1])

Dikaiopolis

315 *τοῦτο τοὔπος δεινὸν· ἤδη καὶ ταραξικάρδιον.*

Erste Chorreihe

316 *ἦ*[2]) *σὺ τολμήσεις ὑπὲρ τῶν πολεμίων ἡμῖν λέγειν;*

Dikaiopolis

318 *ὑπὲρ ἐπιξήνου 'θελήσω τήνδε κεφαλὴν σχὼν*[3]) *λέγειν.*
317 *κἂν γε μὴ λέξω δίκαια μηδὲ τῷ πλήθει δοκῶ —*

Zweite Chorreihe

303 *σοῦ δ' ἐγὼ λόγους λέγοντος οὐκ ἀκούσομαι μακρούς,*
304 *ὅστις ἐσπείσω Λάκωσιν, ἀλλὰ τιμωρήσομαι.*

Dikaiopolis

305 *ὠγαθοί, τοὺς μὲν Λάκωνας ἐκποδὼν ἐάσατε·*
306 *τῶν δ' ἐμῶν σπονδῶν ἀκούσατ', εἰ καλῶς ἐσπεισάμην.*

Dritte Chorreihe

307 *πῶς δ' ἔτ' ἂν*[4]) *καλῶς λέγοις, ἐπείπερ*[5]) *ἐσπείσω γ' ἅπαξ,*
308 *οἷσιν οὔτε βωμὸς οὔτε πίστις οὔθ' ὅρκος μένει;*

Dikaiopolis

309 *οἶδ' ἐγὼ καὶ τοὺς Λάκωνας, οἷς ἄγαν ἐγκείμεθα,*
310 *οὐχ ἁπάντων ὄντας ἡμῖν αἰτίους τῶν πραγμάτων.*

Vierte Chorreihe

311 *οὐχ ἁπάντων, ὦ πανοῦργε; ταῦτα δὴ τολμᾷς λέγειν,*
312 *ἐμφανῶς ἤδη πρὸς ἡμᾶς; εἶτ' ἐγώ σου φείσομαι;*

Mittlerer Absatz

Dikaiopolis

313 *οὐχ ἁπάντων, οὐχ ἁπάντων· ἀλλ' ἐγὼ λέγων ὁδὶ*
314 *πόλλ' ἂν ἀποφήναιμ', ἐκείνους ἔσθ' ἃ κἀδικουμένους.*

Erste Chorreihe

319 *εἰπέ μοι, τί φειδόμεσθα τῶν λίθων, ὦ δημόται,*

1) Ueber die Umsetzung der Verse 315—318 und die Vertauschung von 317 und 318 s. unten S. 377 ff.

2) *ἦ* habe ich für *εἰ* geschrieben; s. unten S. 379.

3) *τήνδε κεφαλὴν σχὼν* Meineke für *τὴν κεφαλὴν ἔχων*.

4) *δ' ἔτ' ἂν* Elmsley für *δέ γ' ἄν*.

5) *ἐπείπερ* Cobet für *ἂν εἴπερ*.

320 *μὴ οὐ καταξαίνειν τὸν ἄνδρα τοῦτον ἐς φοινικίδα;*

Dikaiopolis

321 *οἷον αὖ μέλας τις ὑμῖν θυμάλωψ ἐπέζεσεν·*
322 *οὐκ ἀκούσεσθ', οὐκ ἀκούσεσθ' ἐτεόν, ὦχαρνηΐδαι;*

Zweite Chorreihe

323 *οὐκ ἀκουσόμεσθα δῆτα.*

Dritte Chorreihe

324 *μηδαμῶς, ὦχαρνικοί*[1]).

Vierte Chorreihe

324 *ἐξολοίμην, ἢν ἀκούσω.*

Dikaiopolis

323 *δεινά τἄρα πείσομαι*[1]).

Letzter Absatz

Erste Chorreihe

325 *ὡς τεθνήξων ἴσθι νυνί.*

Dikaiopolis

δήξομ' ἄρ' ὑμᾶς[2]) *ἐγώ.*
326 *ἀνταποκτενῶ γὰρ ὑμῶν τῶν φίλων τοὺς φιλτάτους·*
327 *ὡς ἔχω γ' ὑμῶν ὁμήρους, οὓς ἀποσφάξω λαβών.*

Zweite Chorreihe

328 *εἰπέ μοι, τί τοῦτ' ἀπειλεῖ τοὔπος, ἄνδρες δημόται,*
329 *τοῖς Ἀχαρνικοῖσιν ἡμῖν;*

Dritte Chorreihe

μῶν ἔχει του παιδίον
330 *τῶν παρόντων ἔνδον εἵρξας; ἢ 'πὶ τῷ θρασύνεται;*

Dikaiopolis

331 *βάλλετ', εἰ βούλεσθ'· ἐγὼ γὰρ τουτονὶ διαφθερῶ·*
332 *εἴσομαι δ' ὑμῶν τάχ' ὅστις ἀνθράκων τι κήδεται.*

Vierte Chorreihe

333 *ὡς ἀπολόμεσθ'· ὁ λάρκος δημότης ὅδ' ἐστ' ἐμός.*
334 *ἀλλὰ μὴ δράσῃς, ὃ μέλλεις, μηδαμῶς, ὦ μηδαμῶς.*

---

1) Ueber die von mir vorgenommene Umstellung dieser beiden Vershälften siehe unten S. 380 f.

2) So Dindorf für *δείξομαι ὑμᾶς ἄρ'* im Rav., *δήξομαι γὰρ ὑμᾶς* im Par. A.

Wechselgesang zwischen Dikaiopolis und Chor
(Dik. in troch. Tetram., Chor in päonischem Maass)

Gegenstrophe

Dikaiopolis

335 ὡς ἀποκτενῶ· κέκραχϑ᾽· ἐγὼ γὰρ οὐκ ἀκούσομαι.

Erste Chorreihe

336 ἀπολεῖς ἄρ᾽ ἀφήλικα [1]) τόνδε φιλανϑρακέα;

Dikaiopolis

337 οὐδ᾽ ἐμοῦ λέγοντος ὑμεῖς ἀρτίως ἠκούσατε.

Zweite Chorreihe

338 ἀλλὰ νυνὶ [2]) λέγ᾽, εἴ τοι δοκεῖ σοι, τὸ Λακε-
339 δαιμόνιον αὔϑ᾽, ὁποίῳ τρόπῳ σοὔστὶ φίλον [3]).
340 ὡς τόδε τὸ λαρκίδιον οὐ προδώσω ποτέ.

Dikaiopolis

341 τοὺς λίϑους νύν [4]) μοι χαμᾶζε πρῶτον ἐξεράσατε.

Dritte Chorreihe

342 οὑτοιί σοι χαμαί· καὶ σὺ κατάϑου πάλιν τὸ ξίφος.

Dikaiopolis

343 ἀλλ᾽ ὅπως μὴ τοῖς τρίβωσιν ἐγκάϑηνταί που λίϑοι.

Vierte Chorreihe

344 ἐκσέσεισται χαμᾶζ᾽. οὐχ ὁρᾷς σειόμενον;
345 ἀλλὰ μή μοι πρόφασιν, ἀλλὰ κατάϑου τὸ βέλος·
346 ὡς ὅδε γε σειστὸς [5]) ἅμα τῇ στροφῇ γίγνεται.

(Kordax des Chores)

---

1) ἄρ᾽ ἀφήλικα Bergk für ἄρα τὸν ἥλικα, auf den jugendlichen Kohlenkorb bezogen.

2) νυνὶ Brunck für νῦν.

3) Die Verbesserung stammt von Bergk; nur habe ich sein ὅτῳ τῷ τρόπῳ (was bei Aristoph. nicht zulässig ist) durch ὁποίῳ τρόπῳ ersetzt; εἴ τοι σοι δοκεῖ τὸν Λακεδαιμόνιον αὐτὸν ὅτι τῷ τρόπῳ σοὔστι φίλος Rav., εἴ σοι δοκεῖ τόν τε Λακεδαιμόνιον αὐτὸν ὅ, τι τῷ τρόπῳ σοὔστι φίλον Par. A.

4) λίϑους νύν μοι Brunck für νῦν μοι λίϑους.

5) σεισμὸς für das überlieferte σειστὸς mit Pökel in Jahrb. f. Philol. 1888 S. 245 zu schreiben, ist überflüssig: zu ὅδε ist natürlich, wie z. B. Blaydes erklärt, τρίβων zu ergänzen und σειστὸς γίγνεται ist gesagt, wie ἀνάρπαστον γεγονέναι bei Plato Phaedr. p. 229 *b* oder ἀνασπάστους γεγονέναι bei Xenoph. Memor. IV 2, 32.

Der Verlauf der Handlung in dieser Partie ist im Anfang ja ganz klar. Erst eilt der Chor alter Acharner (in Gruppen?) herbei, in hastiger Verfolgung des Dikaiopolis begriffen und singt, bewegt von Zorn über dessen Verrath und von Schmerz über seine Altersschwäche, die dessen Entwischen ermöglicht, das Einzugslied. Schon ist der Befehl den Verfolgten unermüdlich weiter zu suchen ertheilt, als dieser selbst erscheint, im Begriff dem Dionysos Procession und Opfer zu bringen, und andächtiges Schweigen erheischt. Kaum ist jedoch die heilige Handlung vorüber, so stürzt der Chor voll Erbitterung auf den eigenmächtigen Friedenschliesser los, ihn mit Steinen bewerfend. Und so erhebt sich der erste leidenschaftliche Wechselgesang (Strophe), bei dem die erregten Alten sich des stürmischen päonischen Maasses bedienen, jener den ruhigeren trochäischen Tetrameter anwendet.

Nun aber tritt ein plötzlicher Wechsel in der Stimmung ein; hatte bisher der Chor auch das geringste Wort der Vertheidigung von Dikaiopolis entrüstet zurückgewiesen, so erklärt er jetzt bloss, keine langen Reden anhören zu wollen (V. 303 f.). Wir sehen jedoch keinerlei Grund für diesen Wechsel: es müsste doch — sollte man denken — irgend etwas eingetreten sein, was denselben motivirte oder begreiflich machte, mindestens eine nochmalige Bitte um Gehör in einer allenfalls annehmbaren Form[1]). Allein in dem überlieferten Text fehlt jedes derartige Motiv: sollte es aber ursprünglich schon gefehlt haben? Sollte gar in einem Athem der Chor gesagt haben *μηδὲ λέγε μοι σὺ λόγον. . . . σοῦ δ' ἐγὼ λόγους λέγοντος οὐκ ἀκούσομαι μακρούς*? Das ist der erste Anstoss: zu diesem gesellt sich sofort ein zweiter. Die (wir wissen zunächst nicht auf

1) Zielinski S. 129 schreibt freilich einfach: 'nachdem sich die Wogen des ersten Zorns gelegt haben, ist er (der Chor) so weit, dass er mit sich reden lässt'. Es ist ja aber bisher von Seiten des Dik. gar nichts geschehen, um den Zorn zu beschwichtigen; er hat die guten Alten im Gegentheil durch seine Art der Behandlung nur weiter gereizt und es so dahin gebracht, dass die letzte Aeusserung des Chors (V. 297—302) die heftigste von allen ist.

welche Weise) eingeleitete, wenn auch noch immer erregte, Verhandlung macht einem neuen Sturm (*αὖ* V. 321) der Entrüstung Platz (V. 319 ff.) und zwar auffallender Weise, nachdem der Verräther soeben seine Bereitwilligkeit erklärt hat, seinen Kopf auf den Hackblock zu legen und so seine Vertheidigung zu führen. Vergeblich fragen wir, was in diesem Vorschlag so Aufregendes enthalten sein könne. Hatte nicht Dikaiopolis zuvor ganz anders starke Dinge gesagt: er habe *καλῶς* seinen Vertrag abgeschlossen, die Lakoner seien nicht an allen Verlegenheiten Athens schuld; ja, er könne beweisen, dass ihnen wiederholt Unrecht gethan sei? Das ist doch wahrlich eine Klimax, deren letztes Glied wenn irgend etwas ein Aufbrausen der kriegswüthigen Bauern hervorrufen musste. Hier gleich nach V. 314 würden wir also V. 319 sehr verständlich finden: aber die dazwischen geschobenen Verse 315 bis 318 bringen nicht, was wir brauchen, bringen dagegen eben jenen Vorschlag mit dem Hackblock, den wir hier gar nicht brauchen können.

Vielmehr enthält derselbe in der That ein Entgegenkommen des Dikaiopolis, sogar eine weitgehende Concession, die er der Erregung der biederen Landleute macht: er giebt sich im Vertrauen auf die Gerechtigkeit seiner Sache damit ja wehrlos in ihre Hände. Also war eben dieser Vorschlag sehr wohl geeignet, die Umstimmung der Acharner herbeizuführen, die bisher unmotivirt war.

Schon diese allgemeine Betrachtung muss die Vermuthung nahe legen, ob nicht jene vier Verse 315—318 an ihrer Stelle auszuscheiden und vor V. 303 einzuschalten und so mit ein und derselben kritischen Operation beide Anstösse gleichmässig zu heben seien.

Die Einzelbetrachtung der fraglichen vier Verse bestätigt diese Vermuthung auf's Völligste [1]). Bereits Brambach [2]) hat

1) Sollte es beiläufig Zufall sein, dass in dem Archetypus unserer Handschriften ein paar Verse oben (siehe S. 371 Anm. 2) 12 Zeilen, hier 2 $\times$ 12 Zeilen zu tief gerathen sind?

2) *Rhein. Mus.* XXI S. 149 ff.

treffend bemerkt, dass V. 315 und 316, die dem Chor zugetheilt zu werden pflegen, hier keinen irgend erträglichen Gedanken enthalten: mehr noch, sie stehen unter einander überhaupt in gar keinem Zusammenhang. Wenn wir sie nun aber mit demselben Gelehrten gleich nach V. 202 umstellen und sie zwischen Dikaiopolis und den Chor vertheilen, was ergiebt sich dann? Zunächst erwidert auf die heftige Aeusserung des Chores, er hasse ihn noch mehr als Kleon, den er zu Schuhsohlen für die Ritter zerschneiden wolle, Dikaiopolis durchaus passend: 'das ist ein fürchterliches und herzschreckendes Wort' (ταραξικάρδιον kommt erst so zu seiner vollen Bedeutung: vgl. ταράξιππος). Wir erhalten damit zugleich noch ein zweites sehr erwünschtes Ergebniss: der Anfang der trochäischen μεσῳδός, der in der bisherigen Textgestaltung gar nicht markirt war, indem der Chor zu reden fortfuhr, tritt nun scharf hervor: Dikaiopolis beginnt gleich wie die Strophe und die Antistrophe, so auch diese Mittelpartie und zwar mit einer Aeusserung, die einen Wendepunkt bezeichnet. Denn wenn er bisher sich so gestellt hat, als ob er den Zorn der erbosten Acharner gar nicht begreife, und sie mit überlegenem Hohn behandelt, ändert er, da er sieht, dass er so nicht zum Ziel kommt, die Taktik und äussert ernsthafte Besorgniss. Damit ist der erste Schritt zu einer neuen Entwickelung gethan, deren fernere Schritte durch V. 316—318 gegeben sind: zu ihrem Verständniss ist es nöthig, sich zuvor über die Stellung von V. 317 und 318 klar zu werden.

So wie sie in der Ueberlieferung auf einander folgen, stellt Dikaiopolis das Reden in der schon bezeichneten Situation (den Kopf auf den Hackblock gelegt) erst für den Fall in Aussicht, dass er mit seinen Ausführungen den Beifall seiner Gegner nicht erlange. Damit ist aber die Sachlage wesentlich verschoben: wie der weitere Gang der Komödie lehrt, will er ja vielmehr sofort in dieser gefährdeten Lage seine Apologie beginnen. Mithin muss nothwendig, wie schon Bakhuyzen-Saade sah [1]), V. 318 voranstehen. Damit ist aber zugleich

1) *De parodia in com. Aristoph.* (1876) p. 2—7.

das Urtheil über V. 316 entschieden; er muss die Frage des Chores enthalten, auf die V. 318 die Antwort giebt. Also muss anstatt des gänzlich unmöglichen εἰ im Anfang, wie es oben (S. 373) geschehen, das fragende ἦ gesetzt werden [1]).

Endlich V. 317, nach 318 gesprochen, schliesst sich zwar an sich ganz gut an, giebt aber freilich nur einen abgebrochenen Satz; denn der Nachsatz fehlt. Allein der Gedanke 'dann schlagt mir den Kopf ab' ergänzt sich leicht und war durch die entsprechende Geste ohne Worte klar zu machen [2]). Eben diese sehr begreifliche, aber nicht begriffene Aposiopese hat offenbar die Umstellung der beiden Verse hervorgerufen.

Jetzt zeigt sich auch deutlich, wie die trochäische Mesodos ihrem Inhalte nach in drei Abschnitte zerfällt. Auf das Anerbieten des Dikaiopolis fängt der Chor wirklich an, mit ihm zu verhandeln: doch erhitzt sich die unwirsche Stimmung der Kohlenbrenner bei jeder neuen Aeusserung des Friedenschliessers zusehends. Dieser Streit bildet den ersten Abschnitt (V. 315—318. 303—312). Mit der Behauptung aber, dass auch den Spartanern öfters Unrecht gethan sei, tritt eine neue Wendung ein: mit dem Verhandeln ist's zu Ende und die Alten, die nichts mehr hören wollen, dringen aufs Neue auf den kühnen Sprecher ein (V. 314. 315. 319—324). Das ist der zweite Abschnitt. In dem Moment, wo es um Dikaiopolis geschehen scheint, ergreift er einen Kohlenkorb, der den Acharnern gehört, und führt damit einen vollständigen Wandel der Dinge herbei: diesen Uebergang, die zuversichtliche Drohung des eben schwer Bedrohten, die aufkeimende Besorgniss der eben noch so erhitzten Gegner und ihre Verzweiflung, als

1) Brambach, der S. 150 über dies εἰ sonst richtig urtheilt, sucht es in dem Einzelvers, den er zuerst constituirt hat, vielmehr so zu erklären (S. 152), dass 'es an die frühere Abwehrung des Chores (V. 299 f.) anschliesse'; indessen gäbe auch das, selbst ganz abgesehen von der Unmöglichkeit, einen Satz aus der Gesangstrophe in diese Mittelpartie hinübergehen zu lassen, keinen logisch korrekten Gedanken.

2) Schon Albert Müller (1863) hat diese *reticentia* ganz richtig erkannt, nur nicht die nöthigen Folgerungen aus der Erkenntniss gezogen.

ihnen die Gefahr, in der der geliebte Genosse schwebt, klar wird, schildert der dritte Abschnitt (V. 325—334).

So bildet die Gegenstrophe des Wechselgesangs ein drastisches Gegenstück zur Strophe, indem nun die Rollen geradezu umgetauscht sind, der Chor der Bittende ist und Dikaiopolis die Friedensbedingungen vorschreibt.

Nur eine Stelle bietet noch Schwierigkeiten, nämlich der zweite Halbvers 324 *μηδαμῶς, ὠχαρνικοί*. An der Stelle, wo sie stehen, d. h. nach *ἐξολοίμην ἢν ἀκούσω,* geben diese Worte überhaupt keinen Sinn. Sie können nicht, wenn man die überlieferte Personenbezeichnung [1]) festhält, wie man wohl gemeint hat, eine 'letzte Warnung' im Munde des Dikaiopolis abgeben in dem allgemeinen Sinne 'thut's nicht', 'haltet ein': denn es fehlt durchaus in dem Vorhergehenden ein Zeitwort, das hier ergänzt werden könnte, wie z. B. V. 296 zu *μηδαμῶς* aus den Worten des vorhergehenden Verses *κατά σε χώσομεν τοῖς λίθοις* der nöthige Begriff zu entnehmen ist und ähnlich immer. Und aus demselben Grunde ist es unmöglich, sie mit Arnoldt in dem Sinne 'nichts da, ihr Acharner' dem Chore zuzutheilen. Eine Umstellung ist nöthig, wenn man das Ueberlieferte überhaupt halten und nicht zu dem verzweifelten und jeder Wahrscheinlichkeit entbehrenden Mittel des Herauswerfens greifen will. Zwei Umsetzungen sind bereits vorgeschlagen, die eine von Hamaker, die andere von Wold. Ribbeck, beide (bei sonstiger Verschiedenheit) darin übereinstimmend, dass dem Dikaiopolis die Worte belassen und nach der ersten Hälfte von V. 325 gestellt werden, so dass nun der nöthige Begriff aus *τεθνήξων* ergänzt werden kann: beide aber entschieden unglücklich, weil wesentliche Schönheiten der Stelle zerstört werden [2]). Nur Eins ist noch möglich: man kann die beiden

1) Es ist ja übrigens bekannt genug, dass die in unseren Handschriften beigeschriebenen *πρόσωπα* nicht einmal den Werth alter Ueberlieferung haben: auf alter Grammatikertradition wenigstens beruhen nur die *παράγραφοι* und Doppelpunkte, die sich mindestens theilweise in unseren Handschriften erhalten haben.

2) Das hat vortrefflich Arnoldt im Progr. p. 6, im Buch p. 36 ff. dargelegt.

zweiten Vershälften von V. 323 und 324 ihre Plätze mit einander vertauschen lassen: dann ergänzt sich aus dem vorhergehenden ἀκουσόμεσθα leicht ein ἀκούσησθε. Damit ist zugleich gesagt, dass nur von irgend welchem Theile des Chores die Worte gesprochen sein können, nicht von Dikaiopolis [1]. Aber ein solcher Zuruf von besonders Eifrigen an die Gaugenossen [2] gerichtet, ist ja hier auch durchaus an seinem Platz. Diese Umstellung ist also zulässig, ja als die einzig mögliche nöthig. Und nun beachte man, wie die ganze Stelle an Energie des Ausdrucks gewonnen hat. Als nach dem ersten zornigen Aufwallen des Chores (V. 319. 320) Dikaiopolis in übermüthiger Sicherheit (natürlich bereits seinen genialen Einfall mit dem Kohlenkorb im Sinn) die aufbrausenden Kohlenbrenner angeredet hat: 'wollt ihr wirklich nicht hören?', da schallt ihm von allen Seiten ein 'Nein' entgegen und zwar in dreifacher Steigerung, erstens *οὐκ ἀκουσόμεσθα δῆτα,* zweitens *μηδαμῶς (ἀκούσησθε) ὦχαρνικοί,* und drittens *ἐξολοίμην ἢν ἀκούσω.* Und das Ganze schliesst vortrefflich mit den Worten des Dikaiopolis, die aus dieser allgemeinen Erhitzung das Facit ziehen: *δεινὰ τἄρα πείσομαι.*

Nun drängt sich aber an dieser Stelle unvermeidbar noch die schwierige Frage auf, die wir absichtlich bisher nicht angerührt haben: in welcher Form hat man sich die Betheiligung des Chores zu denken? Genügt es, die Vertheilung zwischen Gesammtchor und Koryphaios vorzunehmen? [3] Oder sind

---

1) Die Argumentation von Christ S. 179: 'enthalten die Schlussworte (V. 334 *μηδαμῶς, ὦ μηδαμῶς*) nicht eine wirkungsvollste Anspielung auf den Schluss des Verses 324 *μηδαμῶς, ὠχαρνικοί,* so dass derselbe, welche Schwierigkeiten auch immer seine Stellung bereiten mag, jedenfalls dem Dikaiopolis zu belassen ist', bleibt mir in allen ihren Theilen unverständlich.

2) Auch das mag erwähnt werden, dass Dik. den Chor immer spöttisch mit *ὦγαθοί* (V. 305) oder *ὦχαρνέων γεραίτατοι* (V. 286) oder *ὦχαρνηίδαι* (V. 322) anredet, die Acharner selbst sich *Ἀχαρνικοί* (V. 329) oder *Ἀχαρνέας* (V. 222) nennen.

3) Wie Muff a. a. O. es thut; den Koryphaios lässt auch Christ S. 214 den Streit mit Dik. von 303—334 führen.

Halbchöre, sei es allein, sei es zusammen mit ihren Führern, thätig zu denken?[1]) Oder ist dasselbe für Chorviertel anzunehmen?[2]) Oder sind die Verse gar an die vierundzwanzig Einzelchoreuten zu vertheilen?[3]) Oder endlich reichen die Indicien überall nicht aus, um ein festes Urtheil zu gewinnen? Beginnen wir auch hier mit dem Sicheren.

Zunächst heben sich aus der ganzen Menge deutlich genug hervor die vom Koryphaios in befehlendem Tone ausgesprochenen Weisungen in trochäischen Tetrametern V. 234—236 (mit *ἀλλὰ* auch äusserlich abgesondert), V. 238—240, und ausserdem in V. 280 (vgl. V. 239) und V. 282. Fügen wir noch hinzu die in unmittelbarer Beziehung zu den letzterwähnten Worten des Koryphaios stehenden, tobenden, sich immer wiederholenden Rufe der Menge V. 281 und V. 283, die ja nicht wohl anders als vom Gesammtchor ausgehend gedacht werden können, so ist für die übrig bleibende Masse eine gemeinsame Behandlung nicht blos möglich, sondern geboten.

Denn alle diese Partien zeigen einen gemeinschaftlichen Zug: es geht durch sie alle hindurch die Eigenthümlichkeit, dass derselbe Gedanke, gar nicht oder nur wenig im Ausdruck variirt, an verschiedenen Stellen wiederkehrt. So in der eigentlichen Parodos: V. 204 *δίωκε*, V. 221 *διωκτέος*; V. 210 *οἴχεται*, V. 221 *οἴχεται*; V. 209 f. und V. 219 f. Klage über das langsam machende Alter, das das Entfliehen des Verfolgten ermöglicht; V. 207 und V. 215 Bezeichnung des Dikaiopolis als des Friedenbringers, nochmals energisch wiederholt V. 225 f. So ferner in dem Wechselgesang sowohl in der Strophe V. 285 *σὲ καταλεύσομεν* und V. 295 *κατά σε χώσομεν τοῖς λίθοις*; V. 295 *σοῦ γ' ἀκούσωμεν*; und V. 298 *μηδὲ λέγε μοι σὺ λόγον* als in der

1) Das hat für das Einzugslied V. 204—236 Christ a. a. O. angenommen und nach dieser Richtung gehen die Vorstellungen von Zielinski a. a. O. auch für die Partie S. 280—346.

2) Das hat wenigstens für den eigentlichen Wechselgesang 284—301 und 335—346, sowie für die vier Einzugsverse V. 280—283 Christ a. a. O. aufgestellt.

3) Das hat Arnoldt a. a. O. zu erweisen gesucht.

Gegenstrophe: V. 342 οὔτοι σοι χαμαί und V. 344 ἐκσέσει-σται χαμᾶζ'; V. 342 κατάθου πάλιν τὸ ξίφος und V. 345 κατάθου τὸ βέλος. So endlich auch in dem trochäischen Mittelstück V. 323 und 324 das (oben besprochene) dreimalige Nein.

Dieser gemeinsame Zug erfordert zu seiner Erklärung nothwendig die Annahme, dass in all diesen Partien nicht der Gesammtchor auftritt, sondern irgend welche Theile zur Handlung kommen, die neben einander wenn auch in wesentlicher Uebereinstimmung mit einander agiren. Die genauere Bestimmung der Art der Theilung kann dagegen nur die Einzelbetrachtung ergeben: sie allein kann auch lehren, ob — was ja von vornherein das wahrscheinlichere — durch diese ganze in engstem Verband zusammengehörende Partie auch dieselbe Art der Theilung durchgeht oder ob sichere Spuren auf verschiedene Gruppirungen in verschiedenen Abschnitten führen.

Beginnen wir mit dem eigentlichen Parodoslied, so zerfällt sowohl Strophe als Antistrophe in zwei metrisch geschiedene Partien, einerseits je vier trochäische Tetrameter, andererseits (kurz gesagt) ein päonisches Melos. Dieser metrische Wechsel harmonirt mit dem Personenwechsel, den anzusetzen die Wiederholungen nöthig machen, insofern durchaus, als solche Wiederholungen innerhalb einer Strophe nur in metrisch verschiedenen Theilen vorkommen. Dazu kommt drittens in der Strophe noch bestätigend hinzu, dass zwischen den metrisch geschiedenen Theilen das Verhältniss von Rede und Gegenrede besteht. Die Theilung jeder Strophe in zwei Partien ist also sicher erwiesen, trotzdem, dass in der Gegenstrophe der Gedanke von der einen Partie unmittelbar in die andere fortgeleitet wird: denn was in der Strophe unabweisbar ist, muss bei der gesetzmässigen Symmetrie auch für die Gegenstrophe gelten.

Dem Koryphaios schon im Liede eine Rolle zuzutheilen geht nun aber nicht an; denn es setzt die Aufforderung zur Verfolgung, die er in den angehängten drei trochäischen Tetrametern an seine Leute richtet, voraus, dass nicht er selbst es war (was sonst wohl angenommen werden könnte), der in der ersten

trochäischen Partie (V. 204—207), noch der, der in der zweiten trochäischen Partie (V. 219—222) gesprochen hat, da in beiden Partien derselbe Gedanke schon einmal ausgedrückt ist. Also bleibt nur eine doppelte Möglichkeit: entweder sind hier die Halbchöre oder die vier Reihen (*στοῖχοι*) aufgetreten. Beides ist an sich möglich. Für Halbchöre würde auf den ersten Blick zu sprechen scheinen, dass diese in den späteren Theilen der Komödie ja unzweifelhaft vorkommen, nicht bloss von V. 557 ff. an, sondern auch schon in den drei dochmischen Liedern V. 358—365, 385—392, 490—496 [1]). Andrerseits liegt gerade in der *πάροδος* der Gedanke an die vier *στοῖχοι* sehr nahe: denn *μέρη χοροῦ στοῖχος καὶ ζυγόν. καὶ τραγικοῦ μὲν χοροῦ ζυγὰ πέντε ἐκ τριῶν καὶ στοῖχοι τρεῖς ἐκ πέντε . . καὶ κατὰ τρεῖς μὲν εἰσῄεσαν, εἰ κατὰ ζυγὰ γίνοιτο ἡ πάροδος, εἰ δὲ κατὰ στοίχους, ἀνὰ πέντε εἰσῄεσαν . . ὁ δὲ κωμικὸς χορὸς τέτταρες καὶ εἴκοσιν ἦσαν οἱ χορευταί, ζυγὰ ἕξ, ἕκαστον δὲ ζυγὸν ἐκ τεττάρων, στοῖχοι δὲ τέτταρες, ἓξ ἄνδρας ἔχων ἕκαστος στοῖχος*, sagt Pollux IV 109. Und besser macht es sich ja auch jedenfalls, wenn in der Antistrophe zwei neue Gruppen erscheinen, als dass dieselben zwei nochmals auftreten mit Gedanken, die an das von ihnen bereits Gesagte mindestens sehr nahe anklingen. Doch könnte man hier zweifelhaft bleiben. Die Entscheidung bringt aber auch für diese Parodos ein vergleichender Blick auf den Wechselgesang und die trochäische Streitpartie.

Hier nämlich herrscht die Viertheilung durchweg und ausnahmlos: das heisst, jeder Schritt der Handlung erfolgt unter vierfacher Betheiligung des Chors. Für den Wechselgesang liegt das auf der Hand und ist ja auch nicht unbemerkt ge-

---

1) Im letzten haben die Handschriften zur zweiten Partie die Beischrift *ἩΜΙΧΟΡ* bewahrt. Bei den beiden ersten, die zusammen gehören, zeigt sich Wiederholung desselben Gedankens in der vorderen und hinteren Hälfte; nämlich in der Strophe V. 358 f. *τί οὐ λέγεις ἐπίξηνον ἐξενεγκὼν θύραζ'* und V. 365 *θεὶς δεῦρο τοὐπίξηνον ἐγχείρει λέγειν*, in der Gegenstrophe V. 386 *τί ταῦτα στρέφει τεχνάζεις τε* und V. 392 *σκῆψιν ἀγὼν οὗτος οὐκ ἐσδέξεται.*

blieben. Doch würde man auch hier noch nicht zu voller Gewissheit gelangen, da an sich die Viertheilung des Liedes doch sehr wohl auch durch zwiefaches Auftreten der beiden Halbchöre erklärt werden könnte und ganz durchschlagende Kriterien anderer Art fehlen. Vielmehr liesse sich — wenn man diesen Wechselgesang allein betrachtet — ungefähr ebensoviel zu Gunsten von Hemichoria als von Stoichoi sagen. Denn sicherlich treten diese passender in der Strophe in Handlung, da sonst der erste Halbchor (V. 285 und 295 sprechend) zwei Mal so ziemlich dasselbe sagen würde. Aber andererseits müsste man jene für geeigneter in der Gegenstrophe erachten (V. 336 erster Halbchor, V. 338—340 zweiter; V. 342 erster, V. 344—347 zweiter), da so der Chor wirklich in seiner Gesammtheit, nämlich durch seine beiden Hälften voll vertreten, die Forderung des Dikaiopolis die Steine wegzuwerfen acceptirt.

Gewissheit, volle und unwidersprechbare Gewissheit giebt erst die trochäische Scene. Auch in ihren drei — oben (S. 379) nachgewiesenen — Einzelsätzen ist die Viertheilung gleichmässig vorhanden; insbesondere wirkungsvoll in knappsten Raum zusammengedrängt beim Mittelstück. Und das kann nun in dieser Ausdehnung kein Zufall sein, lässt vielmehr nach allem, was schon feststeht, nur die Annahme zu, dass hier überall der Chor in seinen vier Reihen agirt hat. Ja, die Verse 323 und 324 würden bei Halbchören geradezu unmöglich sein und werden überhaupt erst voll verständlich, wenn hier alle vier Chorgruppen zu Worte kommen und alle in hellem Zorne, eine die andere überstürzend, jede weitere Verhandlung mit dem Frevler abbrechen.

Auch in dem letzten Abschnitt der Mesodos ergiebt sich nun die Viertheilung von selbst, indem V. 328—330 so zwischen zwei Gruppen getheilt werden, dass die eine V. 328 und den ersten Halbvers von 329 erhält, die zweite den zweiten Halbvers von 329 und V. 330. Das ist dem Sinne nach nicht bloss zulässig, sondern malt die Erregung noch drastischer.

Ueberblickt man jetzt die durch alle Einzelerwägungen festgestellte Gesammtdisposition und lässt sie ruhig auf sich

wirken, so wird Eins überhaupt klar werden: durch diese Spaltung des Chores in vier Gruppen, welche sich bei allen Schritten der Handlung gleichmässig betheiligen, hat das Ganze und namentlich die so lang hingezogene Partie des Wechselsgesanges und Streites zwischen Dikaiopolis und den Acharnern an Lebhaftigkeit merklich gewonnen; ja, jene auffallende Länge findet erst mit dieser Erkenntniss zugleich ihre Erklärung.

Bewähren sich die hier gegebenen Ausführungen, so werden Folgerungen nach verschiedenen Seiten gezogen werden können und müssen. Doch liegt mir daran, bevor ich weitere Schritte thue, zu erfahren, ob dieser erste Zustimmung findet.

Druck von J. B. Hirschfeld in Leipzig.

LEIPZIGER STUDIEN

ZUR

CLASSISCHEN PHILOLOGIE

HERAUSGEGEBEN

VON

O. RIBBECK H. LIPSIUS C. WACHSMUTH

DREIZEHNTER BAND

Erstes Heft.

LEIPZIG
VERLAG VON S. HIRZEL
1890.

DE MAGISTRATIBUS ATTICIS QUI SAECULO A. CHR. N. QUARTO PECUNIAS PUBLICAS CURABANT

PARS PRIOR.

SCRIPSIT

PAULUS PANSKE.

Doctrina de magistratibus, penes quos cura pecuniarum publicarum erat apud Athenienses, deque rationibus quae inter singulos intercesserunt, summo Boeckhio olim [1]) ex scriptorum praecipue locis repetenda dispersis iis plerumque ac reconditis itemque e lexicographorum tenuibus notis neglegenter saepe atque indistincte compilatis, per longe plurimas partes multo firmius hodie solidiusque fundamentum nacta est, postquam optimorum virorum coniunctis curis tamquam luci restituta est inscriptionum Atticarum memoria uberrima. Quibus largis copiis instructi, qui proximis annis in pecuniarum publicarum apud Athenienses administrationem inquisiverunt, Thomas Fellner et Iohannes Christ — hic in dissertatione 'De publicis populi Atheniensium rationibus saeculo a. Ch. quinto et quarto' (pars I: saec. V.) anno 1879 Gryphiswaldiae emissa, ille in commentatione quam inscripsit 'Zur Geschichte der attischen Finanzverwaltung im fünften und vierten Jahrhunderte' Actis acad. litt. Vindob. cl. phil.-hist. inserta (vol. XCV 1879 p. 383—444) — non uno nomine uterque rem et auxit et promovit bene imprimis discrimine inter usum quinti quartique saeculi statuto. Ac Christius quidem quae de prioris saeculi magistratibus disseruit in re summa ubivis fere probari poterunt; neque vero Fellnerus sua laude destituendus, ut qui ad utriusque saeculi administrationem cognoscendam satis contulerit, etiamsi sunt quae parum distincte, alia quae minus recte vel adeo perverse proposuerit. Quod noli mirari in argumento

1) cum conderet (1817) iterumque cum secundis curis ederet (1850) opus celeberrimum de Oeconomia publica Atheniensium.

omnibus prope numeris impedito consensuque virorum doctorum in paucis difficili [1]).

Nos quaestionem de quarto saeculo retractaturi sat multa superesse sentimus, quae etiamnunc cum fructu disceptari possint; rem omnem fore ut disputatione nostra absolvamus atque ad finem perducamus, spem pro exilium utcunque fontium sterilitate atque ambiguitate arduam mediusfidius ac paene inanem mens non concipit; contenti erimus, si pro virili parte primario nostro proposito satisfecisse iudicabimur: titulorum enim quotquot adhuc innotuere singula testimonia ut indagarem, perscrutarer, cum pulvisculo ut aiunt exspoliarem ac quoad eius fieri potest doctrinae in usum converterem, hoc erat in votis.

Materiam autem ipsam commodissime ita digeri existimo, ut priore capite eos tractemus magistratus, qui pristino rerum ordine Euclide archonte instaurato et ipsi in integrum restituti sunt, altero deinde de iis verba faciamus, qui per ipsum demum quartum saeculum novo usu recepti sunt, atque eo quidem ordine quo singula deinceps munera instituta esse nobis persuaserimus.

Pars prior.

De magistratibus pecunias publicas curantibus qui Euclide archonte redintegrati sunt.

Statu populari civitatis Atheniensium Euclide archonte (Ol. 94, 2 = 403/2) restituto prae ceteris de magistratibus pecunias publicas administrantibus complura novata esse [2]) consentaneum est.

---

1) Ut novissimum testem adferam, C. Schaefer in Actis hebd. philol. Berol. 1886 p. 1562 'Schon viele Leute' inquit 'hat es in Verlegenheit versetzt, die Kompetenzen der verschiedenen Finanzbeamten von einander abzugrenzen. Und in der That, es liegen Schwierigkeiten vor, deren man mit unserem zerstreuten Material nicht leicht Herr werden kann. Dieselben sind noch gewachsen' eqs.

2) Scriptorum testimoniis hac omni de re fere destituti sumus. Xenophon hist. Gr. II 4, 43 brevissime adnotat: *καὶ τότε μὲν ἀρχὰς καταστησάμενοι ἐπολιτεύοντο.*

Ac primum quidem Hellenotamias, cum societas nulla iam superesset, immo pleraeque civitates foederatae iam nonnullis annis ante ab Atheniensibus descivissent, tum creari desitos esse res ipsa docet.

Porro quaestores Minervae et reliquorum deorum certe ab Euclidis anno in unum collegium consociatos fuisse hodie fide constat tituli infra p. 14 n. 1 exscripti; fieri autem potest, ut coniunctio paulo superiore tempore facta sit: Lehnerus eam non sine veri specie ad annum Ol. 93, 3 ineuntem (406) dubitanter sane revocavit[1]). Utut est, adprime mutationem convenisse rerum condicioni nullo negotio adparebit reputanti, quae tum ac qualia negotia rerum sacrarum quaestoribus relicta fuerint. Summum illud rei publicae Atheniensium, vel ut accuratius loquar, imperii aerarium, a quaestoribus deae quamdiu exstaret administratum[2]), iampridem exhaustum; sa-

1) in diss. quam scripsit 'Ueber die athen. Schatzverzeichnisse des 4. Jahrh.' p. 17. Cuius libelli recens impressi (Bonnae 1890) inspiciendi copiam statim paravit I. H. Lipsii singularis humanitas.

2) Kirchhoffius, quem in omni quaestione de re aeraria Atheniensium instituta summis usque honoribus prosequi aequum est, ut cuius specioso acumini internoscere contigerit sacrum Minervae aerarium et alterum publicum, utrumque in arce conditum (splendida disquisitione quam scripsit 'Zur Geschichte des Athen. Staatsschatzes im 5. Jahrh.' Commentt. acad. Berol. anni 1876 inserta), nihilo secius in eo paululum infelicius rem videtur administrasse, quod publicum hoc aerarium adservatum quidem ac custoditum esse concessit a quaestoribus deae, curatum tamen atque in usum vocatum solorum Hellenotamiarum opera obtinuit (p. 33 sq.). Nimirum quae in tit. CIA I 32 B vs. 18 sqq. leguntur: ἐκ δὲ τῶν φόρω]ν κατατιθέναι κ[ατὰ τὸ]ν ἐνιαυτὸν τὰ ἑκά[στοτε γενόμενα παρὰ τ]οῖς ταμίασι τῶν [τῆς Ἀθ]ηναίας τοὺς Ἑλληνο[ταμίας, vir doctissimus de quibusvis pecuniis ad Hellenotamias redeuntibus interpretatus est: quae tamen verba longe commodius cum Koehlero ('Urkunden und Untersuchungen zur Gesch. des delisch-att. Bundes' in eiusdem acad. Commentt. anni 1869 I p. 104) ad solas eas referuntur, quae ex annua quaque administratione apud eos restitissent. Hellenotamiae igitur aerario praefuere, quod annuis sociorum tributis quotannis recens quodammodo conditum est, cum quaestores deae summum administrarent aerarium publicum, in quod opes ex singulis administrationibus annuis superfluae (si quae essent) redundarent. Cf. etiam Christ. p. 11 sqq.

crae quoque omnes tam Minervae quam reliquorum deorum pecuniae mutuae sumptae — quas quidem nunquam redditas etiamnunc debitas referunt titt. CIA I 179 sqq. cf. 273 [1]) —; quin etiam auctis in dies infortuniis calamitatibusque belli populus ne sacris quidem rebus manum abstinere sustinuerat: quae in Pronao adservarentur, eas ineunte anno Ol. 93, 3 (406) una ut videtur corona aurea relicta Hellenotamiis traditas esse in usus bellicos insumendas ex ultimo titulo CIA I 140 intellegimus; nec sine probabilitate Kirchhoffius simile quid etiam Parthenonis cimeliis accidisse suspicatur (in CIA I p. 77).

Utut est, ad sat exilem statum pecunias non minus quam res sacras illis temporibus redactas fuisse cognoscitur: quo propensior sum, ut coniuncto collegio mox nova quaedam officia demandata arbitrer. Nimirum in populiscito quod de honoribus est Posei Samio tribuendis quodque ad Euclidis annum pertinens tertium locum inter decreta Samiorum in gratiam facta obtinet (CIA II 1 b vs. 20 sqq. = Delt. arch. 1889 p. 27) [2]) quingentas drachmas Posei dono dandas *οἱ ταμίαι* (simpliciter

---

1) cf. Kirchhoff. l. s. p. 38 sqq., imprimis p. 41.

2) Primi populisciti, cuius in corpore ultimorum versuum exiguae agnoscuntur reliquiae, plenum exemplum nuper prodiit in Delt. arch. 1889 p. 25 sq. Lollingii opera editum; spectat autem ad annum Alexiae archontis (Ol. 93, 4 = 405/4). Cuius in fine (vs. 39 sq.) quae suppleta sunt: *μερισάτω δὲ] ὁ ταμίας [τὸ ἀργύριον· ἀναγραφῆναι δὲ καὶ ἐΣά]μῳ κατὰ ταὐτὰ τέ[λε]σι [τοῖς ἐκέ]νων,* compluribus nominibus offendunt. Primum parum adposite post solitos infinitivos qui praecedunt: *[ἀναγράψαι δὲ ... καὶ κατα]θεῖναι ἐς πόλι[ν* imperativus introducitur qui est *μερισάτω;* deinde hoc ipsum verbum ut a totius V. saec. usu prorsus alienum, ita de nullo unquam quaestore dictum est (unum si excipis longe posterioris aetatis quaestorem aerarii militaris); insuper quaestorem publicum singulari numero omnino nullum saec. V. novimus; denique etiam forma verbi quae proposita est *ἀναγραφῆναι* a simplici constantique sermone titulorum sanequam abhorret. Quibus omnibus de causis tenorem sententiae commodius mihi hunc in modum continuare videor: . . . *ἐς πόλι[ν· τὸς δὲ Ἑλλην]οταμίας [δõναι τὸ ἀργύριον* (cf. CIA I 59 vs. 35, 61 vs. 9)· *ἀναγράψαι δὲ ἐΣά]μῳ κατὰ ταὐτὰ τέ[λε]σι [τοῖς ἐκέ]νων;* pro *ἀναγράψαι δὲ* fortasse cuipiam *γράψαι δὲ καὶ* magis placebit: quo de verbo simplici sic posito cf. CIA I 31 A vs. 17, II 1 c vs. 27, Bull. de corr. Hell. 1888 p. 155 sq. vs. 29, CIA II 227 vs. 13.

dicti) erogare iubentur [1]), qui, quandoquidem alii quaestores publici quantum novimus eo tempore exstitere nulli, procul dubio coniuncti quaestores Minervae et ceterorum deorum intellegendi sunt; iam per additamentum iidem etiam pecunias ad incidendam pilam necessarias solvere iubentur [2]), deinde vero praemium duplo adaugetur (eo consilio, ut mille hisce drachmis corona comparetur Posei laudibus inscribenda): quae quidem ratio, si quid sentio, improbabile reddit, quod quidam sibi persuaserunt [3]), non agi nisi de pecunia in praesentia ex aerario sacro mutua sumpta [4]).

Adde quod colacretas, quos usque ad id tempus fere constanti usu sumptus decretorum lapidibus inscribendorum suppeditasse notum est (cf. Christ. p. 24), eadem ipsa aetate abrogatos esse veri longe videtur simillimum. Nusquam postea in titulis comparent [5]); pro certo autem adfirmes eos non iam

1) vs. 24 (60): *οἱ δὲ τα]μίαι δόντων τὸ ἀργύριον.*

2) vs. 31 (67) sq.: *οἱ δὲ ταμίαι παρασχόντων [τὸ ἀργύριον.*

3) praeter ceteros Fellnerus qui p. 415 'Wir haben hier' inquit 'entschieden an ein Leihgeschäft zu denken'; idem tamen facere non potest quin subiungat: 'Immerhin bleibt es merkwürdig, dass in dieser unglückseligen Zeit vom Volke aus Liberalität so bedeutende Summen gespendet wurden, die mit dem sonstigen Elend gar seltsam contrastiren'.

4) Ex verbo praebendi quod altero loco positum enotavimus (vide not. paenult.) in alterutram partem vix quidquam conligas. Altero exemplo idem verbum ratione admodum incerta suppletum est (vide p. sq. n. 4).

5) In inscriptionibus quae CIA II agmen ducunt 1 et 2 si post poletas qui pilas incidendas elocare iubentur deinde ex vetere consuetudine colacretae memorati fuerint, qui impensas decretorum insculpendorum erogarent — quamquam utique necessarium non est: locis p. sup. in not. 2 significatis Hellenotamias eorum locum occupare videmus — sed si memorati fuerint, utrumque titulum cum Christio p. 7 ad tempus Euclide archonte paulo antiquius referre eo minus dubitaverim, quod Koehlerus litteraturam Ionicam a V. saec. usu publico prorsus alienam fuisse nuper ipse negavit (apud Busolt. Hist. Graec. II p. 514 n. 2). Denique possit etiam cogitari decreta superiore tempore facta nescio qua de causa postea demum inscripta esse. (Notissimo exemplo utimur titulo CIA I 32, qui ut decreta retinet anno Ol. 86, 2 exeunte et ineunte 86, 3 facta, ita propter scripturae rationem lapidi incisus esse nequit ante annum Ol. 90, 1. Alia adscribere supersedeo.)

fuisse inde a quo tempore peculiares quaestores et senatus et populi crearentur, si quidem ab his IV. saec. haud pauca negotia olim colacretarum propria praestita esse intellegimus[1]). Atqui commodam rationem, cur veterem magistratum aboleri placuerit, nisi per ipsam liberae rei publicae formam Euclide archonte restitutam illud factum esse conceditur, ego vix perspicio. Illo autem tempore adeo tenuem eius provinciam adeoque exiguam fuisse putaverim[2]), ut proprio magistratu ad eam subeundam non iam opus esset.

Quod si recte iudicavimus, quid tu putas rerum naturae magis convenisse quam ut orba quodammodo munia saltem interim ei magistratui committerentur, qui tum unus vicibus fungeretur proprie quaestoriis, coniunctos dico quaestores Minervae et reliquorum deorum[3])? Quos ne colacretis posthaberet populus, pietas nimirum erga deos intercessit. — In rem tamen omnem quominus altius inquiramus, insigni fontium penuria prohibemur[4]).

1) Adcuratius singula nunc exponere non vacat: unumquidque suo loco diligenter indicandum erit.

2) Quam angustae etiam proximis ab Euclide annis Atheniensium opes fuerint, prae ceteris edocet locus Lysiacus XXX 22, ubi Lacedaemonios legimus vim minatos, ni debita ipsis centum talenta mitterentur, Boeotios autem spolia agentes, quia duo talenta deberet ipsis nec solvere valeret res publica, et quae praeterea orator conqueritur.

3) Etenim ad apodectas eo tempore colacretarum munia transiisse, quam vulgo hodie sententiam probari haud sum inscius, ut indicio confirmatur plane nullo, ita ne a se ipsa quidem commendationem habere videtur: interiorem enim, ut ita dicam, ac speciosiorem similitudinem inter colacretas V. saec. IV.que apodectas intercedentem frustra quaesiveris.

4) Praeter populiscitum de honoribus Posei supra laudatum sine dubio etiam tit. CIA II 43 in partem veniret, modo de supplementis eius paulo certius constaret. Nimirum Koehlerus versus de quibus agitur, ipse quidem dubitationem significans (vide Hermae vol. V p. 225), hunc in modum conformatos proposuit: [*στεφανῶσαι δὲ αὐτ*]*ὸγχ*[*ρυσῷ στεφάνῳ τρι*]*ακοσ*[*ίων δραχμῶν· οἱ δὲ τ*]*α*[*μ*]*ίαι* [*παρασχόντων τὸ ἀργ*]*ύριο*[*ν* — —. Quibus si fides esset, quaestores ea aetate etiam impensas coronarum faciendarum praestitisse dicendum foret (cf. quae ex decreti Poseani rogatione secundaria supra enotavimus; unico saec. V. exemplo quo coronam auream populiscito conlatam novimus, tit. dico CIA I 59, Hellenotamias

Restant ex numero magistratuum de quibus agimus tum apodectae tum practores et poletae, quorum opera rem publicam ea aetate minime carere potuisse nemo infitiabitur. — Quin etiam ad profligandam molem causarum fiscalium ex summa rerum omnium perturbatione ortam eisdem temporibus extraordinarii συνδίκων, συλλογέων, ζητητῶν magistratus instituti sunt: ac syndici quidem iuris dicundi potestate utebantur, συλλογεῦσιν autem publicorum inquisitorum et accusatorum partes obtigere. Eadem haec provincia cum alibi ζητηταῖς tribuatur, Rud. Schoell, cuius quidem nitidae disquisitioni huius omnis loci plenior certiorque notitia debetur, commode rem ita expedivit, ut statueret 'post instauratum imperium populare primum inquisitores fiscales (ζητητάς) ad quaestiones pecuniae publicae habendas sive semel sive identidem institutos esse, post aliquot annos demum eorum in locum ex lege sub-

---

sumptum facere videmus; est autem idem decretum, in quod lapidi quoque inscribendum hos praeter consuetudinem pecuniam necessariam erogasse significavimus). Sed enim sunt in supplementis Koehlerianis quae magnopere scrupulum moveant: corona trecentarum drachmum ut plane singularis foret in decreto Attico — unicam quam novimus ex praemiis trierarchis publice ad certamen evocatis propositis medium locum tenere sciendum est inter potiorem quingentarum drachmarum et deteriorem nescio cuius pretii (CIA II 809 col. a vs. 190 sqq.) — ita perquam soloece dictus esset στέφανος τριακοσίων δραχμῶν; constanti usu praepositionem ἀπὸ adhibitam observamus: στέφανος ἀπὸ X (aut 𐅅 etc.) δραχμῶν. Rem igitur omnem in dubio relinquere praestabit. — Porro frustum plebisciti adferendum est in Actis acad. Berol. 1888 p. 246 editum (V 26), quo scriba senatus nescio quos homines stelae lapideae ἐμπόλει inscribere iubetur προξένους καὶ εὐεργέτας αὐτοὺς καὶ ἐκγόνους τῆς πόλεως τῆς Ἀθηναίων; iam additur: τους δὲ ταμίας δοῦναι τὸ ἀνάλωμα. Aetatem satis antiquam titulo tam formula vindicat qua proxeniae et euergesiae honores tributi sunt quam quod vetustiore more dictum est ἐμπόλει, cuius in locum quod postea substitutum est ἐν ἀκροπόλει Foucartus inde ab anno Ol. 98, 2 (387/6) sine ulla exceptione in titulis reperiri animadvertit (in Bull. de corr. Hell. 1888 p. 166). Nihilo tamen secius si cui propter scripturae rationem — diphthongus ου pariter omnibus locis duabus litteris expressa est — ad paulo recentiora tempora descendendum videatur, per τοὺς ταμίας haud dubie quaestores deae intellegendi essent neglegenter dicti non secus atque in tit. CIA II 86 factum esse cognoscimus.

stituta collegia syndicorum et συλλογέων quotannis, quamdiu opus videretur, eligenda' (Quaestiones fiscales iuris Attici, Berol. 1873 p. 14).

Haec in universum. Transeundum iam ad ordinariorum magistratuum singula munera adcurata disputatione perquirenda.

§ 1. De poletis.

Poletae decem erant ex singulis tribubus singuli sorte procul dubio constituti; unus principis vices gerebat ὃς τὰ πωλούμενα βεβαιοῖ (Poll. VIII 99).

De muneribus eorum Harpocratio [1]) Hyperide et Aristotele auctoribus haec tradit: *διοικοῦσι δὲ τὰ πιπρασκόμενα ὑπὸ τῆς πόλεως πάντα, τέλη καὶ μέταλλα καὶ μισθώσεις, καὶ τὰ δημευόμενα.* Duo igitur quasi genera rerum ab ipsis curatarum discernuntur, *τὰ πιπρασκόμενα* et *τὰ δημευόμενα*; priora rursus distincta habes in *τέλη* et *μέταλλα* et *μισθώσεις*.

Ac vectigalia quidem publica publicanis elocata erant omnia, ut poletis una locandi vel, ut veterum more loquar, vendendi provincia relicta esset. Idem valet de metallis rei publicae. Quae quo melius curarentur, a poletis describebantur, descripta publice proponebantur: cuius officii per IV. saec. praestiti testes tenemus titulos CIA II 780—83. 782 b (in Add. et Corr. p. 513). Locationes porro angustiore sensu intellectae ex V. certe saec. item inscriptionibus comprobantur (cf. Christ. p. 7) [2]).

---

1) in vv. *πωληταὶ καὶ πωλητήριον.*

2) Nec dubium quin eodem spectet mentio poletarum in noto titulo murali CIA II 167 iuxta praefectum administrationis facta; agnoscitur enim vs. 36: *οἱ πωληταὶ καὶ ὁ ἐπὶ διοικήσει Ἅβρω[ν Λυκ]ούργου Βουτ[ά]δης.* — Titulum nunc vulgo ad annum 306 referunt (atque ad prius quidem huius anni dimidium, archonte etiamtum Anaxicrate: cf. Koehler. in Comm. inst. arch. Athen. vol. V p. 276), iniuria, ut opinor. Nam quem ex eo administrationis praefectum enotavimus Habronem Butadam Lycurgi f., anno proximo (arch. Coroebo Ol. 118, 3 = 306/5) quaestorem militarem fuisse certissimo testimonio constat tit. CIA II 737 B (vide Add.) vs. 31 sq. Neque igitur, nisi omnem tum ordinem in rationibus munerum gestorum reddendis neglectum putas ac posthabitum, ut superiore quoque anno magistratum gesserit, fieri potest; multoque id minus, si praefectum administrationis per sollemne quadriennium Panathenaicum, supra initium

Deinde bona ob qualemcunque causam publicanda a poletis vendebantur, divenditorum laterculi promulgabantur: cf. titulos CIA II 777 et 779. Prioris ex indiciis Koehlerus sagaciter evicit eponia quae V. saec. centesima pars pretii fuerant, IV. fuisse quinquagesimam; dicebantur autem eponia eae pecuniae quae praeter pretium constitutum ab emptoribus publico solvendae erant [1]).

Ad hanc bona damnatorum publicandi provinciam spectat etiam poletarum mentio in titulo navali CIA II 811 (col. c vs. 195) facta: *τοῦτο κατεβλήθη πρὸς πωλητὰς τοὺς ἐφ' Ἡγησίου ἄρχοντος* (Ol. 114, 1 = 324/3). Res ideo memorabilis, quoniam alias usquequaque in his titulis aes debitum sive a navalium curatoribus sive ab ipsis debitoribus ad apodectas solutum recensetur: quam tamen difficultatem Boeckhius acute ut solet vir optimus ita expedivit, ut Stesilidis heredes de quibus illo loco agitur solvisse statueret, postquam rem familiarem sub hasta venire decretum esset; publicationem quippe non ratam esse factam, quia illi antea aes debitum solvissent eorum loco quae venire iussa essent. Iam cum bona proscripta divendere poletarum esset, his pensionem praestandam horumque opera, si qua necessitas intercessisset, exigendam fuisse: ut in hoc quidem negotio tractando eodem poletae loco fuerint, quo ceteroqui navalium curatores essent (Documenta rei nav. Athen. p. 543 in adnot.).

Porro poletae vendebant, quorum corpora sub coronam mitterentur. Varia autem officia sua exsequebantur in *πωλητηρίῳ*, quod ad forum situm fuisse satis certo cognoscitur [2]).

Denique disquirendum, ecqua et cuiusmodi iurisdictio poletis vindicanda sit. Atque quemadmodum penes unumquemque magistratum Atticum iurisdictio esset in eiusmodi causis quae

---

igitur anni civilis in munere fuisse recte infra suspicati iudicabimur: scilicet quaestorem aerarii militaris ipso ineunte anno munus iniisse ex loco s. s. cum eiusdem tituli vs. 38 conlato manifesto efficitur.

1) cf. Fraenkel. adn. 536 ad Oec. publ.

2) Plut. (Alcib. 5) in foro vectigalia elocata esse testis est; cf. notam Fraenkelianam 542.

cum ipsius provincia quoquo modo coniunctae essent, ita poletis in litibus ex auctionibus locationibusve ortis, velut si quis aerario ob bona publicata litem intendisset, ius dicendum fuisse consentaneum est. Contra eos inquilinis quoque qui tributum (τὸ μετοίκιον) detrectassent ius dixisse veri non admodum videtur simile; neque enim facile perspicitur, quatenus his in rebus omnino lite atque iudicio opus fuerit: 'ii enim, qui testimonium de tributo soluto afferre non poterant, venditabantur; iis vero, qui a re publica sive immunitate sive isotelia donatos atque iniuria ad poletas abductos sese esse adfirmabant, e decretis sive lapidibus inscriptis sive inter chartas publicas adservatis re vera iniuriam sibi inlatam esse demonstrandum erat. restant igitur ii peregrini qui etsi ultra tempus lege constitutum in urbe mansissent, tamen ut ordini inquilinorum adscriberentur, non curabant ... sed ne ii quidem in iudicium vocabantur, cum testimoniis adlatis id unum esset diiudicandum, utrum contra leges peccassent necne' (H. Schenkl, De metoecis Atticis in Stud. Vindob. vol. II p. 185).

§ 2. De practoribus.

Exactores publicum gessisse magistratum sorte constitutum fidem facit lexicographus in Bekk. Anecd. p. 190: κληρωταὶ ἀρχαὶ πρακτόρων, ἐκλογέων καὶ ἀντιγραφή [1]). Decem fuisse etsi diserto testimonio non traditur, in tanta tamen denarii numeri apud Athenienses frequentia merito tibi persuadeas [2]).

Exigebant practores pecunias multaticias (ἐπιβολάς) tam a singulis magistratibus quam a senatu quingentorum eiusve prytanibus inrogatas [3]) itemque multarum iudiciis dictarum

1) Pollucis coniectura VIII 114: τάχα δ' ἂν καὶ πρακτῆρες εἴη ὄνομα ὑπηρεσίας nullius est auctoritatis.

2) cf. Fraenkelii adn. 240 ad Oec. publ.

3) has omnes in aerarium publicum fluxisse contra Siegfriedum, qui decimam partem thesauro Minervae vindicarat (De multa quae ἐπιβολή dicitur, diss. Berol. 1876 p. 72 sqq.), monuerunt R. Schoell in Diurn. litt. Jen. a. 1878 p. 41 et J. H. Lipsius in Bursiani annall. vol. XV p. 322.

quantum in publicum rediret[1]). Officia quo melius exsequerentur, per magistratus eos, qui aut causam apud iudices instruxerant aut ipsi poenam statuerant, certiores fiebant litteris (*ἐγγραφῇ*), in quibus et nomina noxiorum inscripta erant et quantam quisque pecuniam publico deberet.

Nomina deinde eorum qui poenam solvissent una cum senatu expungebant, eorum qui intra legitimum tempus officio non stetissent in albo consignata ad quaestores deae deferebant; cf. Lys. IX 6: *οἱ δὲ . . . παρὰ τὸν νόμον ζημιῶσαι ἠξίωσαν. ἐπιβαλόντες δὲ τὸ ἀργύριον πράξασθαι μὲν οὐκ ἐπεχείρησαν, ἐξιούσης δὲ τῆς ἀρχῆς γράψαντες εἰς λεύκωμα τοῖς ταμίαις παρέδοσαν*[2]). Ex iis autem quae paulo post (§ sq.) subiunguntur: *οἱ δὲ ταμίαι . . . τὸν παρ' ὑμῶν κίνδυνον ὑποστάντες ἄκυρον τὴν ζημίαν ἔκριναν,* haud dubie futtile Pollucis commentum de quaestoribus Minervae profluxit: *εἶχον δ' ἐξουσίαν καὶ ζημίαν ἀφελεῖν, εἰ ἀδίκως ὑπὸ τῶν ἀρχόντων ἐπιβληθείη* (VIII 97); at enim quaestores suo periculo poenam immerito inflictam remisisse verba ipsa produnt[3]).

§ 3. De quaestoribus Minervae et reliquorum deorum.

Saec. V. cum duplex fuisset collegium quaestorum rerum sacrarum, alterum Minervae iam inde a temporibus belli cum Xerxe gesti notum (Herod. VIII 51)[4]), alterum reliquorum deorum anno Ol. 86, 2 exeunte (434) institutum[5]), ea aetate

1) cf. Andoc. I 77 (Dem.) XLIII 71. LVIII 20. 48. XXV 28 (quem locum ut recte intellegas, consulas Siegfriedi diss. p. 68). — Etiam pecunias e tributis ex censu cessantes practoribus officii causa conligendas fuisse brevibus adnotat Lipsius in Fleckeiseni annall. vol. CXVII p. 298 n. 3.

2) quo de loco interpretando adeas Lipsium in Lit. Att. n. ed. p. 49 n. 23.

3) cf. Lipsius l. modo s. p. 49/50 cum n. 25.

4) ad antiquiorem etiam aetatem, VI. saec. tempora, redeunt tituli CIA IV (2) 1 b et qui editus est in Delt. arch. 1888 p. 55.

5) id quod invictis argumentis a Kirchhoffio demonstratum est duabus commentationibus, altera quae inscribitur: 'Bemerkungen zu den Urkunden

quae Euclidem archontem proxime subsecuta est deni quotannis in titulis comparent *ταμίαι τῶν ἱερῶν χρημάτων τῆς Ἀθηναίας καὶ τῶν ἄλλων θεῶν*. Ad ipsum vero Euclidis annum titulus pertinet ante hos paucos annos repertus et a Tsunta publici iuris factus in Ephem. arch. 1885 p. 129 [1]).

der Schatzmeister der anderen Götter' (in Comm. acad. Berol. anni 1864), altera supra p. 5 n. 2 laudata. Contra quae nihil proficiunt futtiles Belochii argutiae in n. mus. Rhen. vol. XLIII prolatae (inde a p. 113). Etenim qua tandem fronte negare ausus sit decreto Calliano ipso (CIA I 32 A vs. 13 sqq.) quaestores reliquorum deorum institutos esse, mehercle non percipio; neque intellego, quomodo quis sana ratione ex verbis quae leguntur: *ταμίας δὲ ἀποκυαμεύε[ν το]ύτων τῶν χρημάτων, ὅταμπερ τὰς ἄλλας ἀρχάς, καθάπερ τοὺς τῶν [ἱερῶ]ν τῶν τῆς Ἀθηναίας* sensum elicere possit eum quem Belochius indagavit (p. 119): id unum his praescribi, ut quaestores reliquorum deorum abhinc eadem ratione sorte constituantur qua quaestores Minervae, singuli ex singulis tribubus: scilicet miro admodum artificio vocula *καθάπερ* repente quantitatis quam dicunt grammatici notionem induit! Neque illud ullo modo concedi potest non fuisse numerum illorum quaestorum statim ab initio denarium constitutum. Nam quod in titulo CIA I 194/5, quem infra p. 22 exscriptum invenies, sola septem quaestorum nomina recensita erant — neque enim minorem numerum olim in lapide exstitisse spatiorum rationes evincunt — id ex eis quae statim disputaturi sumus adparebit. Tu vero denarium quaestorum numerum, licet 'nomina eorum non e solemni tribuum ordine recenseri manifestum sit', tituli CIA I 318 fide pariter per annos qui sunt Ol. 89, 4 (421/0), 90, 1 (420/19), 90, 3 (418/7) testatum intellegito vel invito Kirchhoffio: audiendus Koehlerus in Annali dell' inst. arch. 1865 p. 320 sq., conferendus etiam Dittenberger. in Syll. I. Gr. 14[7]. Nec denique concoquo, quo iure Belochius decreto Calliano constitui dixerit, ut pecuniae antea apud fana deorum per urbem dispersa mutuae sumptae ubi redderentur, non iam ad singula delubra deferrentur, verum cum thesauro reliquorum deorum dudum in arce condito consociarentur.

1) quem h. l. rescribere liceat:

[*Θ*   *ε*]   *ο*   *ι*.
[*Τάδε οἱ ταμίαι τῶ*]*ν ἱερῶν χρημάτων τῆς Ἀθηναίας*
[*καὶ τῶν ἄλλων θεῶ*]*ν οἱ ἐπὶ Εὐκλείδο ἄρχοντος Λυσικ-*
[— — — — —], *Θεογένης Θριάσιος, Ἀντιφάνης*
[— — —, *οἷς* — — —]*ας Κ*[*ο*]*λλυτεὺς ἐγ*(*ρ*)*αμμάτε-*
[*υε* — — — — — — — — *παρὰ τ*]*ῶν προτέρων* [*τα*]-
[*μιῶν* — — — — — — — — — — — — — *Δ*]*ρομοκλε*—

Singuli vss. nec *στοιχηδὸν* dispositi nec omnes eiusdem fuere ambitus.

In quo quod tres tantum quaestores Minervae et ceterorum deorum recensitos fuisse adparet, Graecus editor rem ita explanare studuit, ut per primum recuperatae libertatis annum, quo omnis etiamtum adflicta iaceret res publica nec mediocriter conturbata, populo satius visum esse diceret pro ordinario magistratu decem virorum, qui in futurum creandus esset, tres interim homines eligi — fortasse ἐξ Ἀθηναίων ἁπάντων [1]) — qui rebus deorum sacris strenue recognoscendis atque in ordinem redigendis operam navarent [2]).

At cum per se parum profecto credibile est composito vixdum statu rei publicae protinus recessum esse a norma recens stabilita, tum vero ab omni plane ordine iuris publici Atheniensium abhorret fuisse unquam magistratum sortito capi solitum ad tempus latione suffragii creatum.

Immo, si quid video, longe alia ratione difficultas tollenda erit. Constat Athenis si quis munus adfectaret sorti obnoxium, ei nomen profitendum fuisse apud illos qui sortitionis negotio praeerant [3]). Iam vero de magistratibus denarii numeri — iis saltem qui hoc ipso modo constituerentur [4]) — eam novimus legem firmam observatam esse, ut singuli ex singulis tribubus homines muneris participes fierent. Hinc facile intellegitur, quomodo fieri potuerit, ut ordinarius numerus interdum non expleretur: nempe ex hac illa tribu aut omnino aut idoneus tamen nemo nomen dederat: id quod ut turbulentis maxime temporibus usu venerit, ita prae ceteris nimirum ad eos magistratus pertinuerit, ad quos aditus ne pateret quidem nisi

1) nam haec quidem constans est ac sollemnis horum verborum conlocatio.

2) Similiter Fraenkelius ad Oec. publ. II³ p. 273 n. 1.

3) thesmothetas, ut Aeschines testatur III 13: quos tamen Gilbertus propter similitudinem ordinis in archaeresiis obtinentis de cuncto archontum collegio intellegi mavult (Antiqu. Graec. I p. 207 n. 4).

4) nam qui suffragiis populi eligerentur, eos non tam ex singulis tribubus, quam pro singulis singulos creatos esse Droysenus primus de praetorum magistratu docuit (in Herm. vol. IX p. 8), Loeschckius etiam ad Hellenotamias pertinuisse vidit (De titulis aliquot Atticis quaestiones historicae, diss. Bonn. 1876 p. 10 n.).

ditissimo cuique civium (de censu quaestorum Minervae cf. Pollux VIII 97, Suid. s. v. ταμίαι art. 1; eorum ad similitudinem ceterorum deorum quaestores instituti sunt).

Et sunt in inscriptionibus quae opinioni nostrae haud mediocrem fidem conciliare videantur: ut intra IV. saec. me contineam [1]), in traditione quaestorum deae CIA II 670 horum ipsorum octo tantum nomina perscripta fuerunt, quaestorum accipientium sola sex; eorundem rursus tradentium in titulo statim insequente item non amplius sex [2]); consimilem in modum in titulo proximo 672 qui ad traditionem quaestorum ceterorum deorum pertinet veterum quaestorum octo nomina, novorum sex, nisi fallit coniectura, exhibita fuere. Cf. etiam titt. 698. 701 cum Koehleri notis infra p. 41. 42 adscriptis.

1) Ad superiora tempora quod adtinet, quaestores Minervae omnino in censum venire nequeunt, quoniam, ubicunque memorantur, ὁ δεῖνα καὶ ξυνάρχοντες constantissimo consensu audiunt. In titulo tamen Delt. l. s. qui prodiit spatii deficientis ratione habita octo ad minimum quaestores inscriptos fuisse Kabbadias editor monet: sed nec plura nomina tabula integra videtur continuisse. Porro in tit. CIA I 194/5 qui praescripta retinet traditionis quaestorum reliquorum deorum qui fuere Epaminone archonte (Ol. 87, 4 = 429/8; vide p. 22) legitimo utique minorem numerum exhibitum fuisse supra p. 14 in not. monuimus.

2) Nimirum hoc exemplum certissimum est: nam de ceteris opponat quispiam, quaestores tradentes ubi aguntur, fieri posse ut huic illi aut humanum quid per annum acciderit aut munus tamen derogatum sit subsortito quidem nullo; accipientes ubi pauciores inveniuntur, ut, quo tempore traditio litteris mandaretur, novum collegium sive omnino sive ordinario tamen numero nondum constitutum fuerit. Quemadmodum sane in titulis CIA II 645 et qui editus est in Actis acad. Berol. 1887 p. 1201 (IV 45) — alter ad alteram eiusdem anni (Ol. 95, 2) traditionem spectat — nomina quaestorum anni subsequentis in lapide perscripta non sunt, sed utrobique loco conveniente spatium complurium versuum relictum est, ubi postea perscribi possent. Ratione haud ita absimili in traditionibus anni proximi Ol. 95, 3 CIA II 652 et 653 — hic quidem titulus fragmento in Bull. de corr. Hell. 1888 p. 150 publici iuris facto suppletur — laterculus novorum quaestorum mancus deprehenditur: desunt duo nomina, quibus reponendis itidem spatium vacuum relictum est (in tit. priore plus integro versu, in altero consimile ni fallor spatium). Neque aliter iudicandum de tituli 655 duobus primis versibus. Denique eodem etiam scribae mentio pertinet in tit. 660 praetermissa.

Iam vero Euclidis anno quid mirum si e maxima rerum omnium perturbatione pro tempore non inventi sint nisi ex tribus tribubus, qui nobilissimae quaesturae tam honores quam odia et adpeterent et adipiscerentur, cum praesertim ipsa locupletissimi cuiusque fortuna modo in summo discrimine versata esset [1])?

Sed satis hac de re dictum. Transeamus ad definiendam ordinariam coniuncti collegii provinciam. Cernebatur haec maxime in pecuniis rebusque deorum sacris administrandis; harum ternae quotannis traditiones fiebant: *ἐν τῷ νεῷ τῷ Ἑκατομπέδῳ, ἐκ τοῦ Παρθενῶνος, ἐκ τοῦ Ὀπισθοδόμου* [2]). In Pronao aedis magnae cimelia nulla iam aderant, quandoquidem quae ibi V. olim saec. deposita fuerant, haec quondam

1) cf. Xen. hist. Gr. II 3, 21. Etiam quo tempore magistratus novi constituti sunt, cives quibus largior res familiaris suppeditaret necdum omnes in urbem redierant — haud pauci etiamtum Eleusine apud triginta tyrannos remanebant — nec qui aderant protinus munera ambire periclitabantur: nimis adhuc animi concitati (cf. quae Xenophon 4, 40 sqq. Thrasybulum ad *τοὺς ἐκ τοῦ ἄστεως* contionantem facit), nondum sollemnia oblivionis sacramenta dicta, sola priora inter urbanos Piraeensesque pacta convenerant. — Ceterum ne proximis quidem ab Euclide annis quaesturae sacrae honores nimis cupide petitos esse locus Andocideus arguit I 132, ubi de inimicis oratori insidiantibus sermo est: *ἀλλὰ τοὐναντίον λῃτουργεῖν οὗτοι προὐβάλλοντο, πρῶτον μὲν γυμνασίαρχον Ἡφαιστίοις, ἔπειτα ἀρχεθέωρον εἰς Ἰσθμὸν καὶ Ὀλυμπίαζε, εἶτα δὲ ταμίαν ἐν πόλει τῶν ἱερῶν χρημάτων*: quaestura igitur rerum sacrarum quodammodo et ipsa leturgiis adnumeratur; verbum autem quod scriptum est *προὐβάλλοντο* aegre alio sensu intellegas ac fuisse tum — nimirum necessitate urgente — data occasione nominatim evocatos, qui eiusmodi munera bene suscipere possent; scilicet ipsi molestias eorum odiaque ultro petere supersedebant (praestare haec mihi videtur explicandi ratio Boeckhianae in Oec. publ. I³ p. 197 n. e propositae).

2) Huius quidem traditionis reliquias sagaciter detexit Lehnerus: vide eius diss. inde a p. 18. Tabulae publice propositae praemuniebantur sollemni formula hac: (*Θεοί.*) *Τάδε οἱ ταμίαι τῶν ἱερῶν χρημάτων τῆς Ἀθηνα(ί)ας καὶ τῶν ἄλλων θεῶν οἱ ἐπὶ τοῦ δεῖνος ἄρχοντος* (secuntur nomina quaestorum ex legitimo tribuum ordine perscripta), *οἷς ὁ δεῖνα ἐγραμμάτευε, παρέδοσαν ταμίαις τοῖς ἐπὶ τοῦ δεῖνος ἄρχοντος* (perhibentur nomina novorum quaestorum eadem ratione digesta), *οἷς ὁ δεῖνα ἐγραμμάτευε, παραδεξάμενοι παρὰ τῶν προτέρων ταμιῶν τῶν ἐπὶ τοῦ*

in usus bellicos absumpta neque unquam postea restituta sunt (vide supra p. 6 et Koehleri observationes in Comm. inst. arch. Athen. vol. V p. 99). 'Mirum etiam illud est, quod in traditionibus Parthenonis Euclide archonte recentioribus res sacrae *ἐκ τοῦ Παρθενῶνος* traditae esse dicuntur, pro eo quod exspectatur *ἐν τῷ Παρθενῶνι.* Casui hoc adtribui nequit, sed res sacrae, quae antea in cubiculo Parthenonis exstabant, saeculo quarto cum reliquis in Hecatompedo conservatae, a quaestoribus vero ex more antiquo separatim recensitae et traditae esse videntur' (Koehler. ad tit. 645; cf. Comm. l. c. p. 100). Idem nimirum de rebus *ἐκ τοῦ Ὀπισθοδόμου* traditis putandum est (cf. Lehner. p. 26).

Fuisse autem commune collegium etiamtum Ol. 97, 3 (390/89) atque adeo sequente anno Koehlerus qua est miranda sagacitate ex sola spatiorum ratione vs. 2 tituli 660 evicit. Idem cum titulus 667 ad annum Ol. 98, 4 (385/4) pertinens solorum quaestorum Minervae traditionem sistat ac proinde per Ol. 98 rem ad pristinum ordinem rediisse manifestum sit, ipso ultimo huius Ol. anno factum id esse coniecit eo fretus indicio, quod in illa ipsa traditione quaestorum anni antecedentis mentio non esset facta (ad hunc tit.).

Quamquam de huius indicii singulari ratione statim actum est, si respicimus, quod Koehlerus paulo infra adnotavit (ad vs. 5. 6). Nempe praeter hunc titulum duo exstant alii (670. 719) [1]), quos clarissimae statuae Minervae aureae a Phidia

---

δεῖνος ἄρχοντος, τοῦ δεῖνος καὶ ξυναρχόντων (haec quidem constans est hac in parte locutio), *οἷς ὁ δεῖνα ἐγραμμάτευε·*

{*ἐν τῷ νεῴ τῷ Ἑκατομπέδῳ* (cf. CIA II 642. 652).
ἐκ τοῦ Παρθενῶνος (645. 655).
ἐκ τοῦ Ὀπισθοδόμου (Acta acad. Berol. 1887 p. 1201, IV 45).

In tit. 660 designatio cubiculi excidit. Ibidem quaestores, a quibus acceperint tradentes, antepositos habes iis, quibus hi tradiderint. Item in traditionibus et quae ad Euclidis annum pertinet supra p. 14 n. 1 exhibita et quae ad Ol. 95, 1 CIA II 643 post quaestores tradentes continuo superiores recensitos fuisse cognoscitur (de posteriore cf. Boeckh. Oec. publ. II^{3} p. 269). Idem etiam de titt. 642 et 644 factum esse potest.

1) Quartus facile accederet CIA II 727, si de praescriptis eius certius constaret; unum scilicet pessimum apographum Pittacesianum editori

confectae memoriam referre v. d. ad tit. 667 suspicatur, ad 719 edocet[1]). Hi omnes pariter ad quartum aliquem Ol. annum spectant, in omnibus iuxta superioris anni quaestorum mentio desideratur. Nec mirum: si verum est quod Koehlerus probavit (Comm. l. c. p. 92) statuam illam primo ipso illo anno Ol. 98, 4 et inde quarto quoque Ol. anno recensitam et traditam esse, quaestores horum annorum acceptam sane testari non poterant a superioribus quaestoribus quam non acceperant statuam; hanc tamen in capite traditionis laterculorum ponere par fuit: itaque omnino quaestorum antecedentium mentionem praetermittere satius visum sit.

Utut est, redintegratam utriusque quaesturae formam plane eodem iure quo ad annum Ol. 98, 4 iam ad trium praecedentium unum aliquem revoces. Et nescio an praestet annus Ol. 98, 3, siquidem mutationem quamlibet in rerum sacrarum administratione nemo non concedet longe commodissime post peractum aliquod quadriennium Panathenaicum introductam esse. Sollemnis autem huius quadriennii per IV. quoque saec. observati[2]) diserta sane testimonia exstant nulla, at vestigia tamen agnosci videntur tenuia illa quidem ac quibus insistere dubites. Velut in decreto de recensendis rebus in chalcotheca adservatis CIA II 61 praeter ceteros magistratus etiam quaestores deae negotio adesse iubentur, quotquot fuerint inde a Molone archonte; quippe Molo anno Ol. 104, 3, primo aliquo Panathenaico, summum magistratum gesserat. Porro pecunias quae ex pellibus hostiarum redierant (*τὸ δερματικόν*) secundum quadriennium quod est ab Ol. 111, 3 ad 112, 2 dispositas prodit tituli CIA II 741 pars adversa (A): quas quidem rationes una cum ceteris quarum fragmenta exstant ib. 739—41

---

praesto fuit. Nec tamen, quantum quidem coniectura adsequi licet, a ratione trium superiorum recessisse iudicandus est.

1) cf. quae idem postea uberius exposuit in Comm. inst. arch. Athen. vol. V p. 89 sqq.

2) de administratione dico publica pecuniaria. Etiam penteterida *τοῦ ἐπὶ τῇ διοικήσει,* qui inde a medio fere saec. creari coeptus est, sollemnem mihi Panathenaicam fuisse videri adn. proxima exponam.

2*

a quaestoribus deae coniunctisque curatoribus conficiendis vasis pompalibus et mundo canephorico creatis redditas ac publice propositas esse sanequam probabilis est Koehleri coniectura.

Ceterum quod illas pecunias per singulos annos primo excepto [1]) ab ipso ineunte mense Hecatombaeone recensitas

1) Rationes primi anni cur a mense demum Posideone incipiant, ea de re certum iudicium ferri nequit; tamen temere rem factam nemo facile sibi persuadebit. Itaque probabilitatem circumspiciamus. Rationes de quibus agitur nunc omnes concedunt a collegio virorum redditas esse, cuius praeter annuos quaestores Minervae curatores participes essent ex legibus Lycurgi a populo rebus sacris in arce conditis recognoscendis reficiendisque creati. Ab eisdem ut dixi etiam rationes de vasis et victoriis conscriptae CIA II 739. 740 promulgatae sunt. Prioris tituli praescripta hunc in modum conformata fuere: *[Θεο]ί. [Λόγ]ο[ς τα]μιῶν τῆς [θεοῦ τῶν ἐπὶ Κτησικλέους ἄρχοντος* (? Ol. 111, 3, sequebantur nomina) *καὶ τῶν εἰρημένων [ἐπὶ τὰς νίκας καὶ τὰ πομπεῖα* (sunt haec supplementa Koehleriana) — — — — *ἀν]δρον Γαργηττίον* [— — —], alterius hunc: *ἐπὶ — — — ἄρχοντο]ς ταμίαι [— — — καὶ ο]ἱ ἐπὶ τὰ πομ[πεῖα — — — αἱρεθέν]τες Κηφισο[— — — — — κ]αὶ οἱ με[τ' αὐτοῦ;* ex vs. autem 10 tit. 739 cognoscitur rationes has a quinta prytanea exorsas esse, quae maximam partem in mensem Posideonem incidebat. Iam vero secundum ea quae in decreto Stratoclis (vitt. X orat. p. 852 B) de Lycurgo memoriae produntur: *ἔτι δὲ αἱρεθεὶς ὑπὸ τοῦ δήμου χρήματα πολλὰ συνήγαγεν εἰς τὴν ἀκρόπολιν καὶ παρασκευάσας τῇ θεῷ κόσμον Νίκας τε ὁλοχρύσους πομπεῖά τε χρυσᾶ καὶ ἀργυρᾶ καὶ κόσμον χρυσοῦν εἰς ἑκατὸν κανηφόρους* (de hoc cf. etiam CIA II 162 frg. c vs. 10) veri sane admodum videtur simile eum collegii illius si minus nomine, tamen re principem egisse atque auctorem. Eundem superiore quadriennio (ab Ol. 110, 3) summae administrationis praefectum fuisse inde ab ingeniosa argumentatione Sauppiana in Actis diurn. antiqu. scient. a. 1836 p. 419 proposita communis obtinet virorum doctorum sententia (contra quam quae C. Schaefer l. supra p. 4 n. 1 a. disputavit, stare nequeunt). Quocirca antea quam novam curationem ipsius auctoritate institutam, cuius eidem ipsi primarias partes committere populus animum induxerat, suscipere liceret, rationes muneris ad id tempus administrati reddendae erant; nec relationem detrectatam existimabimus ab eo, quem et in paucis acriter strenueque legibus rei publicae servandis institisse et ipsum saepenumero rationes reddentem *ἀνεξέλεγκτον καὶ ἀδωροδόκητον τὸν ἅπαντα χρόνον* praestitisse sese compertum habeamus (vide decretum Stratoclis apud Ps.-Plut. p. 852 D et CIA II 240 vs. 33 sqq.). Hinc autem explicandum censeo, cur a collegio illo sexto demum mense, prytanea quinta munus initum sit:

habes, noli inde citius conligere IV. saec. quaestores rerum sacrarum non iam ut superiore circa dies festos Panathenaeorum, verum una cum reliquis plerisque magistratibus rei publicae statim initio anni civilis munus suscepisse. Docuit hoc olim Boeckhius (vide eius Opusc. vol. VI p. 85) motus ni fallor eo, quod in tabulis traditionum Euclide archonte recentioribus usquequaque laudantur *οἱ ταμίαι . . . οἱ ἐπὶ τοῦ δεῖνος ἄρχοντος* [1]). Quod etsi fortasse non satis adcurate dictum est, haec eadem tamen significandi ratio ne V. quidem saec. plane ignota

nimirum usque ad hoc tempus Lycurgo officium productum est. Retardationis quid praecipue in causa fuerit, non est difficile ad cognoscendum: haud dubie non cessavere adversariorum machinae, quibus Lycurgum saepe postulatum nunquam causa cecidisse legitur in vita Ps.-Plut. p. 842 F. Quamquam etiam sic, si tenemus quod posuimus ei in negotio peragendo primarium utcunque locum destinatum fuisse, ut intervallo quoad eius fieri potest contrahendo succurramus atque imminuendo, ab ipsa re commendationem habet. Atqui totius fere mensis spatium eximitur, si Lycurgum usque ad magna Panathenaea anno Ol. 111, 3 celebrata munus *τοῦ ἐπὶ τῇ διοικήσει* continuasse statuimus. Etenim omnino praefectum administrationis a magnis Panathenaeis ad proxima magna in munere fuisse suspicor, ut quadriennium administrationis (*ἡ πενταετηρίς* sive *ἡ τετραετία*, cf. CIA II 162 frg. c vs. 17) cum sollemni quadriennio Panathenaico adcurate convenerit. Cui sententiae ab ordine maxime de rationibus magistratuum exigendis observato probabilitatem neque eam exiguam conciliari puto. Nimirum intra triginta dies post magistratum depositum logistis rationes officiorum recipiendas et excutiendas fuisse constat (vide Harpocr. in v. *λογισταί*, cf. etiam Pollux VIII 45): plerumque igitur de longe plurimis magistratibus annuis hoc negotium circa dies festos Panathenaeorum insequentis anni ad finem perductum fuerit. Iam vero de universa totius quadriennii administratione ultro patet opportune examen tum demum institui potuisse, cum singula uniuscuiusque anni (neque ultimo excepto) et accepta et expensa iam logistarum calculos experta essent. Itaque administrationis praefectum non ante magna quaeque Panathenaea munere sese abdicasse coniecerim. — Sententiae potior etiam fides parata erit, si continuo quaestoribus quoque rerum sacrarum ut superiore, ita illa aetate a Panathenaeis ad Panathenaea munus retentum comprobasse videbimur. Manifestum enim est etiam horum rationes ante generale universae administrationis examen exactas esse debuisse, praesertim cum quaestoribus certe Minervae haud raro etiam publica negotia commissa deprehendantur.

1) relegat certe ad titt. CIG 150. 151 = CIA II 652. 667.

erat: exstant praescripta traditionis a quaestoribus ceterorum deorum promulgatae haec:

Ταμία[ι] τῶν ἄλ[λων θεῶν ἐπὶ τῆς βουλ]-
ῆς, ἧ Κ[α]λλίστρατο[ς . . . .]
πρῶτος ἐγραμμάτευ[εν, ἐπὶ Ἐπαμεί]-
νονος ἄρχοντος, Ἀντι[. . . . . ι]-
ος, Ἀλκίφ[ρ]ων Ἀναφλύσ[τιος, ...]-
τιος, Χαρι[. . . . .]
Ἐλευσίνι[ος . . . .]
τάδε παρέδ[οσαν κτλ. (CIA I 194/5):

tamen hi quaestores et ipsi decreto Calliae *ἐκ Παναθηναίων ἐς Παναθήναια* rationes reddere iubentur *καθάπερ οἱ τὰ τῆς Ἀθηναίας ταμιεύοντες* (vs. 27 sqq.). — Quo vero modo *τὸ δερματικὸν* modo memoratum ex archontum nominibus dispositum cognoscimus, consimili V. saec. pecunias ex thesauris Minervae Poliadis et Victoriae mutuas sumptas adornari placuisse rationes ostendunt a quaestoribus publice propositae CIA I 177 sqq.[1])

Neque igitur quidquam video causae, cur de tempore ineundae quaesturae sacrae postea a vetere norma recessum esse existimemus. Id unum novatum est, ut quaestores deae traditionum tabulas non iam, ut superiore saeculo scimus factum esse, secundum sollemnia quadriennia digestas[2]) proponerent, verum suas quisque annuas rationes magistratus promulgandas curaret.

---

1) pervagata formula hac in fronte praefixa: *Ἀθηναῖοι ἀνήλωσαν ἐπὶ τοῦ δεῖνος ἄρχοντος καὶ ἐπὶ τῆς βουλῆς, ᾗ ὁ δεῖνα πρῶτος ἐγραμμάτευε. ταμίαι ἱερῶν χρημάτων τῆς Ἀθηναίας... παρέδοσαν κτλ.* Ceterum has rationes et ipsas saepenumero secundum quadriennia adornatas fuisse intellegimus (cf. titt. 180—83, 188 189).

2) cf. CIA I 117 sqq. Penteteridum singularum in capite formulam perscriptam reperimus hanc: *Τάδε παρέδοσαν αἱ τέτταρες ἀρχαί, αἳ ἐδίδοσαν τὸν λόγον ἐκ Παναθηναίων ἐς Παναθήναια· τοῖς ταμίασιν, οἷς ὁ δεῖνα ἐγραμμάτευε· οἱ δὲ ταμίαι, οἷς ὁ δεῖνα ἐγραμμάτευε, παρέδοσαν τοῖς ταμίασιν, οἷς ὁ δεῖνα ἐγραμμάτευε;* reliquorum deinceps annorum traditiones formula indicantur hac: *Τάδε οἱ ταμίαι τῶν ἱερῶν χρημάτων τῆς Ἀθηναίας, ὁ δεῖνα καὶ ξυνάρχοντες, οἷς ὁ δεῖνα ἐγραμμάτευε, παρέδοσαν τοῖς ταμίασιν, οἷς ὁ δεῖνα ἐγραμμάτευε, παραδεξάμενοι παρὰ τῶν προτέρων ταμιῶν, οἷς ὁ δεῖνα ἐγραμμάτευε.*

Et exstant traditiones horum quaestorum ad ipsum usque exiens IV. saec. permultae: quibus res sacrae — in Hecatompedo quidem etiamtum omnes adservatae (cf. Lehner. p. 45) — non iam diversis, sed eisdem quotannis tabulis consignatae produntur: quem morem Koehlerus recte sine dubio invaluisse existimat inde a quo tempore duo denuo quaestorum collegia creari coepta essent[1]).

Ceterum in nonnullis titulis (CIA II 678 B, 689, 715, 716 B, 720 B, 721 B col. II. vs. 1—20, 722 B, 723, 725 B, 733 B, 734) praeter res sacras aëneae recensentur haud dubie repositae illae quidem in armamentario (ἐν τῇ χαλκοθήκῃ). Consentaneum autem est eas a quaestoribus deae curatas atque una cum ceteris rebus quotannis successoribus traditas esse, siquidem vel titulus CIA II 61 supra laudatus artam quandam necessitudinem inter hos quaestores et res in chalcotheca adservatas intercessisse probat.

Rebus aëneis in titulo 721 continuo subiunguntur arma pensilia (σκεύη κρεμαστά, l. c. vs. 21 sqq.) [χαλκοθήκης ἐν τῷ ὀπ]ισθο(δ)ό(μ)ω[ι], ut videtur, recondita. Eadem redeunt in titt. 728 B, 729 B, 729 b B, 736 B. Et constat testimoniis titulorum navalium parte altera saec. IV. centum triremium arma pensilia in arce deposita fuisse. Quorum curam cum Ad. Michaelis (De Parthenone, Lips. 1871 p. 307) navalium curatoribus tribuisset, Koehlerus potius quaestoribus Minervae vindicavit (ad tit. 728). Enimvero quaecunque in arce praesto fuere, licet ea ne tenuissimo quidem vinculo ad usus sacros adtinerent, quaestorum tamen custodiae sine exceptione credita videntur

1) ad tit. CIA II 673; cf. Lehner. l. c. — Etiam in aliis rebus a veteribus normis (vide supra p. 17 n. 2) recessum est: quaestores a quibus tradentes accepissent, iam constanti usu praeponuntur iis, ad quos traditio fieret; eorundem inde etiam singula nomina perscribi placuit, cf. titt. 671, 698, 701, 703; vetustiore ratione et conlocati et ὁ δεῖνα καὶ συνάρχοντες dicti sunt in uno tit. 677; ibidem tamen — ut rursus in tit. 719 — praeter consuetudinem etiam insequentis anni quaestores eadem formula denotatos offendimus. In locum participii antehac usitati παραδεξάμενοι alterum hoc tempore substitutum est παραλαβόντες: quod reperitur in omnibus quinque titulis modo laudatis, duobus quidem primis de certa coniectura restitutum.

fuisse: in populiscito de foedere cum Thessalis faciendo (Comm. inst. arch. Athen. vol. II p. 197 sqq. = Dittenb. Syll. I. Gr. 85) ipsis negotium tollendae stelae iniungitur, in qua societas priore tempore cum Alexandro Pheraeo inita inscripta erat (vs. 39 sq.: τὴ]ν δὲ στ[ή]λ[ην τὴ]ν πρὸ[ς] Ἀλ[έξα]νδ[ρ]ον [κα]θελ[εῖ]ν τὸς [ταμία]ς τῆς θεõ [τὴν π]ερ[ὶ τῆ]ς [σ]υμμαχία[ς]); nimirum stela in arce erecta fuerat (cf. Koehler. Comm. vol. II p. 291).

Iam vero quae inter traditionum tabulas paenultimum locum obtinet atque aetate adeo novissima videtur esse CIA II 737 in parte aversa (quam auctam vide in Add. et Corr. p. 508/10) rationes continet pecuniarum anno Coroebi archontis (Ol. 118, 3 = 306/5) et insequente in arce adservatarum [1]), valde illas quidem mutilas, sed ut satis certo perspiciatur IV. quoque saec., si quando praeter ordinem aerarium rei publicae conditum esset, a quaestoribus deae id esse administratum. Praeter ordinem dixi: nam constat inter omnes inde fere a temporibus pugnae ad Aegos flumen commissae aerarium publicum quod proprie diceretur Athenis conligi non iam solitum esse [2]).

Et ad eum de quo dicimus titulum quod adtinet, in fragmento hodie superstite accepta recensentur primum (vs. 7 sqq.) [τ]ὰ πα[ρ' Ἀντι]γ[όνου, ἃ ἐκό]μισεν [Ξ]ενοκλῆς [Σφ]ήττ[ιος], pecunia igitur ab Antigono [3]) rege Macedonum Atheniensibus dono data; tum (vs. 33 sqq.) χρήματα quae secundum plebiscitum Democharis quinque Areopagitae una cum quaestore militari rettulerant [4]), καὶ ἕτερα [χρ]ήμ[ατα] ἃ ἐκό[μισ]ε Χιωνίδ[η]ς Θ[ριάσιος, — — Ἑρ]οιάδης ἐγ [Λ]ήμνου κα(ὶ) Ἴ[μβρ]ου.

1) Koehlerus in Comm. inst. arch. Athen. vol. V ubi tituli plenius propositi (hinc in Add. Corporis repetitus est) argumentum omne enarrat copiosoque commentario inlustrat (inde a p. 268), non sine veritatis specie tabulam integram accepta expensaque totius quadriennii Panathenaici quod ab illo Coroebi anno (Ol. 118, 3) incipit rettulisse opinatur (p. 280).

2) cf. Boeckh. in Oec. publ. I³ p. 532 cum nota 748 Fraenkeliana.

3) 'Etsi una modo littera exstat, suo iure supplementum certum esse iudicavit Koehler.' Dittenb. Syll. 130⁷.

4) ἀνεκόμισεν (singularis neglegenter positus ut alibi in hoc titulo): adparet igitur has quoque pecunias peregre advectas esse.

Haec posteriora num recte Koehlero ex annuis tum reditibus fuisse videantur (l. l. p. 279), equidem diiudicare non ausim; illud moneo fuisse et ipsa Areopagitarum opera exacta: neque enim dubium quin Chionides et Ἐροιάδης ille cuius nomen periit ex horum numero fuerint [1]), siquidem summa pecuniarum statim subducta disertis verbis notatur *σύμπαν [κε]φάλαι[ον τῶν χρημάτων ὧν] ἀνεκόμισαν Ἀρεοπα[γῖ]ται καὶ ὁ τα[μίας τῶν στρατιωτικῶν] κτλ.* (vs. 42 sqq.).

Ex opibus autem receptis quaestores secundum decreta partim populi partim senatus pecunias in sumptus publicos erogare videmus; quae vero pecuniae in usus destinatos absumptae non essent, eas ad ipsos renumerari oportuisse intellegitur (cf. vs. 22 sqq.).

Verissimum igitur Koehleri cognoscitur iudicium: 'Die Verwaltung des Schatzes haben nach Ausweis der Inschrift wie im 5. Jahrhundert die Schatzmeister der Göttin [2]), während Rath und Volk darüber verfügen und durch ihren täglich wechselnden Epistaten die Verwaltung fortwährend controlliren' (l. s. p. 282). Nimirum fidei faciendae causa et huius et servorum publicorum nomina singulis rationum capitibus adscripta sunt.

Ad eandem vero publici aerarii administrandi provinciam nescio an spectet etiam decretum equitum Atheniensium CIA II 612 anno Ol. 120, 2 (299/8) factum, quo quaestores Minervae laudibus efferuntur, quod *ἐπεμελήθησαν [μετὰ τ]ῶν ἱππάρχων ὅπως ἂν οἱ [ἱππ]ε[ῖ]ς τόν τε σῖτον κομίσων[ται π]αρὰ τοῦ δήμου τὸν ὀφειλ[όμενον] αὐτοῖ[ς] κτλ.* Ad quae Fraenkelius: 'Wir werden uns also als Anlass des Decretes vorzustellen haben, dass die Schatzmeister der Göttin auf Bitte der Hipp-

1) Paulo inconsideratius Koehlerus l. modo s. fieri etiam posse aiebat, ut inter quaestores Minervae fuerint: hos enim magistratum ultra initium sequentis anni continuasse (quod ipsi supra probavimus).

2) Minus recte Fraenkelius: 'Es ist also auf die Schatzmeister der Göttin die Competenz der früheren Hellenotamien übergegangen; ausser ihrem heiligen Schatze untersteht ihnen jetzt auch der profane Staatsschatz' (Commentt. hist. et phil. E. Curtio dedicat. p. 40).

archen entweder beim Volke die Ermächtigung nachgesucht hatten, die Rittergelder aus bereiten Beständen des Staatsschatzes zu decken, oder dass sie den nötigen Betrag aus dem heiligen Schatze dem Volke vorgeschossen hatten' (l. l. p. 47). Quae haud male videntur disputata esse, nec habeo quod opponam.

Nam quod altero loco positum est fieri etiam posse, ut quaestores pecunias necessarias in praesentia ex sacro aerario mutuas dederint, mihi quoque persuasum est Athenienses etiam IV. saec., si res ferebat, e deae thesauro pecunias mutuas sumpsisse. Quod si minus tam planis tamque manifestis discimus testimoniis quam de V. saec. titulis illis supra p. 6 laudatis, sunt tamen quae veterem consuetudinem etiam postea permansisse veri persimile reddant. Etenim in quattuor populiscitis quaestores Minervae sumptus pilarum incidendarum erogare iubentur *ἐκ τῶν δέκα ταλάντων* (CIA II 17. 44. 84. 86)[1]. Quae populiscita aetate haud ita multum inter se distare videntur atque circa Ol. fere 100 et 101 decreta esse omnia (cf. Fraenkel. l. s. p. 48). Eo autem tempore procul dubio iam fuit quaestor populi, quem quidem sollemni usu illas impensas *ἐκ τῶν (εἰς τὰ) κατὰ ψηφίσματα ἀναλισκομένων τῷ δήμῳ* sustinuisse nemo est qui nesciat. Quorsus igitur quaestorum deae hac in re negotium? Cuiusnam indolis decem illa talenta?

Koehlerus aliquando pecuniam expensis rei publicae facti-

1) In tit. CIA II 37 additamentum illud non reperitur; e contrario quodammodo in fragmento populisciti quod editum est in Actis acad. Berol. 1888 p. 246 (V 25) iuxta *τὰ δέκα τάλαντα* quaestorum mentio desideratur; legitur enim: *[ἀναγράψαι δὲ — — τό]δε τὸ [ψήφισμα κ]αὶ κατα[θε]ῖναι [ἐν ἀκροπ]όλει· τὸ δ[ὲ] ἀργύρι[ον δõν]αι εἰς τὴν [σ]τήλην τ[ριάκ]οντα δραχ[μὰ]ς ἐκ τῶν [δέκ]α ταλάντων· [κα]λέσαι δ[ὲ κτλ.*; continuo designatio eius vel eorum omissa est, qui ad epula hospitalia in prytaneum invitantur. Satis igitur neglegenter titulum exaratum esse adparet. Ceterum eum ad aetatem superiorum proxime accedere vel eo confirmatur, quod Callistratus is qui rogationem secundariam tulit haud dubie pro nobilissimo oratore habendus erit, quem tum summa in re publica gubernanda auctoritate fuisse nemo ignorat (cf. de eo A. Schaefer, De Demosth. eiusque aetate I[2] p. 11 sqq.).

tandis destinatam agnoscere sibi visus est (in Hermae vol. V p. 12)[1]). Contra quem disputans Hartelius ex titulo CIA II 270 quo Nicander et Polyzelus inquilini laudibus cumulantur, quia *διατετελέκασιν ἐν [π]αντὶ τῷ καιρῷ εὔνους ὄντες τῷ δήμῳ τῷ Ἀθηναίων καὶ κατοικοῦντες Ἀθήνησιν εἰς πολλὰ τῶ[ν συ]μφερόντων τῷ δήμῳ χρήσιμοι γεγόνασιν εἴς τ[ε] τὴν οἰκοδομίαν τῶν νεωσοίκων καὶ τῆς σκευοθή[κ]ης εἰσφέροντες τὰς εἰσφορὰς καθ' ἕκαστον τὸν ἐ[ν]ιαυτὸν τὰς εἰς τὰ δέκα τάλαντα καλῶς καὶ προθύ[μ]ως ἀπὸ Θεμιστοκλέους ἄρχοντος μέχρι Κηφισοδ[ώρ]ου κτλ.*, decem haec talenta potius reditum quendam apud Athenienses fuisse contendit annuis metoecorum *εἰσφοραῖς* sustentatum, Minervae sacrum, utpote cuius quaestores eum curasse quattuor illi tituli documento essent, atque idcirco hasce pecunias non tam publicis quam sacris sanctisque sive qui in his habiti essent usibus destinatas fuisse videri (Studien über att. Staatsrecht und Urkundenwesen p. 132).

Sed contendit hoc v. d., non demonstravit, neque omnino demonstrare adgressus est *τὰ δέκα τάλαντα* in hoce titulo obvia necessario eadem intellegenda esse, quae quattuor illis superioribus a quaestoribus deae curata perhibentur[2]).

Et vero, si dis placet, hoc vix unquam cuiquam certa ratione demonstrabitur. Statim ipse numerus denorum talen-

---

1) 'Die „zehn Talente" inquit 'erscheinen als ein Dispositionsfonds für die laufenden Ausgaben (*εἰς τὰ δέοντα*).' Similiter iam Meierus ea 'in sanctiore aerario Minervae impensis quibusdam faciundis reposita' fuisse dixerat (Comment. epigraphica II, Hal. 1854 p. 58).

2) Nihilo secius eum qui postea sententiam de decem talentis professi sunt secuntur ad unum omnes: Fellnerus (p. 415), nisi quod pecuniam ex publicis fuisse mavult (p. sq.); Schenkelius (Stud. Vindob. vol. II p. 188); Schubertus (De proxenia Attica, diss. Lips. 1881 p. 51 n. 2); Fabricius (Herm. vol. XVII p. 558 n. 3); Wilamowitzius (ibid. vol. XXII p. 218 n. 4), hic quidem pro peculiari sua de condicione metoecorum Atticorum opinione *τὰ δέκα τάλαντα* de contributione interpretatus, quam peregrini Athenis degentes quotannis, ni fallor, conferre lege tenerentur; tamen Nicandrum et Polyzelum reapse ex inquilinorum ordine fuisse nunc ipse, puto, perspectum habebit ex posteriore populisciti parte nuper in Delt. arch. 1889 p. 91 sq. publici iuris facta (praeter ceteros honores eis isoteliam atque enctesin pro se ac posteris concessam comperimus).

tum ea facile agnoscitur natura eaque condicione, ut vel de diversissimae indolis pecuniis potuerit atque oportuerit adeo frequentissimo in usu esse[1]: ut, nisi certissima praesto sint argumenta, frustra agas, cum duo quaedam *δέκα τάλαντα* protinus propter id ipsum pro eisdem habeas.

Iam vero conlocatio verborum in titulo 270 ea est, ut mea quidem sententia fieri nequeat, quin conexus isque artissimus statuatur inter navalis armamentariique aedificationem et *τὰς εἰσφορὰς τὰς εἰς τὰ δέκα τάλαντα*[2]).

Quibus de *εἰσφοραῖς* nihil constat nisi quod titulus ipse innuit congestas eas esse rei modo memoratae causa inde a Themistocle archonte (Ol. 108, 2 = 347/6) usque ad Cephisodorum (Ol. 114, 2 = 323/2). Et optime ad illum annum[3]) testimonium Demosthenis quadrat quo ipso Themistoclis anno comitia in Piraeo habita esse referuntur quibus deliberaretur *περὶ τῶν ἐν τοῖς νεωρίοις* (XIX 60); apteque ad posteriorem in comparationem vocantur quae de Lycurgo in decreto Stratoclis traduntur: *πρὸς δὲ τούτοις ἡμίεργα παραλαβὼν τούς τε νεωσοίκους καὶ τὴν σκευοθήκην καὶ τὸ θέατρον τὸ Διονυσιακὸν ἐξηργάσατο* (vitt. X orat. p. 852 A cf. CIA II 240 vs. 18): nempe ad finem haec aedificia perduxisse perhibetur; supre-

1) Decem talenta, si fides habenda Diyllo (apud Plut. de Herod. malign. 862 B = Moral. tom. IV p. 462 Wytt.), Herodoto dono data sunt, cum Atheniensibus libros suos legisset (cf. Euseb. chron. ad Ol. 83, 3/4 vol. II p. 106/7 ed. Schoen.); alia dena a Pericle unoquoque anno Spartam migrasse ferebantur (cf. Plut. vit. Per. 23). — Neque articulus praefixus amplius valet nisi ut unoquoque loco definita quaedam *δέκα τάλαντα* agi significet (inconsiderate Meierus l. s. de *εἰσφοραῖς* illis *εἰς τὰ δέκα τάλαντα* articulum *τὰ* probare 'de re nota agi' dixerat).

2) Eadem in sententia Thumserus est, haesitans etiamtum in diss. quam scripsit 'De civium Atheniensium muneribus' (Vindob. 1880) p. 17 n. 3; distinctius loquitur in Actis diurn. gymn. Austriac. a. 1883 p. 25.

3) In universum de tempore praeclare etiam concinit notus locus Aeschineus III 25, qui propter gratiam Eubulo habitam theoricorum praefectis praeter cetera navalis quoque armamentariique exstruendorum curam commissam esse nos certiores reddit. Singula testimonia adtulit omninoque non sine laude in enarrando argumento versatus est Foucart. in Bull. de corr. Hell. 1882 p. 552 sqq. Cf. Fabricius l. s. s. p. 557 sq.

mum autem diem anno 324 (exeunte Ol. 113) obiit[1]). Iam vero posteriorum annorum pensiones procul dubio eo consilio factae sunt, ut redderentur pecuniae antea operibus exstruendis aliunde mutuae sumptae[2]).

Itaque titulum reapse annos, intra quos tributa exacta sint, referre censeo neque vero per quos forsitan illi viri Athenis degentes tributi partem sustinuerint[3]), cum praesertim disertis verbis *καθ' ἕκαστον τὸν ἐνιαυτὸν* officio stetisse praedicentur, quae quidem vix singularis laus esset, si de tributo ageretur rite legitimeque unoquoque anno pensitando[4]).

Sed ut iam ad *τὰ δέκα τάλαντα* progrediar, in quae continua illa tributa ex censu congesta sunt[5]), hoc ipsum ni fallor satis comprobat, si non in militaribus, at certe in eis ipsa pe-

---

1) Fuit etiamtum, quo tempore de divinis honoribus agebatur Alexandro tribuendis (Ps.-Plut. p. 842 D); insignem tamen litem Harpalicam non iam vidit (ib. p. 848 F).

2) Foucart. l. c. p. 555; Dittenb. Syll. 352². — Alteram explicandi rationem a Foucarto propositam, quam Fabricius sequi maluit, per errorem Cephisodori nomen scriptum esse pro eo quod debuit Cephisophontis, archontis anni Ol. 112, 4 (329/8), non probo; etsi facile concedo iam anno antecedente et tectum armamentarii et navalia perfecta fuisse (cf. de his CIA II 807 col. b vs. 67 sqq., de illo ibid. vs. 88 sqq.).

3) id quod ex sententia Harteliana necessario statuendum foret: quamquam dubito an refragetur pars altera decreti (vide p. 27 n. 2 extr.), in qua etsi plana indubitataque temporum indicia desiderantur (vs. 30 Archippi archontis nomen nimis incerta ratione suppletum est), in universum tamen res ibi memoratas ad posteriorem aetatem referendas esse nemo non intelleget.

4) Scite hoc Thumserus observavit Stud. Vindob. l. statim excitando.

5) Non constat per se, quod tacite fere supponunt (prae ceteris Boeckh. Oec. publ. I³ p. 557, Schaefer. De Demosth. II² p. 307) tributa ipsa dena quotannis talenta explevisse; constaret hoc, modo in censum venirent *εἰσφοραὶ τὰ δέκα τάλαντα*. Immo per illum titulum id unum adsequimur fuisse per illud tempus in praefinita nescio quae decem talenta unoquoque anno tributa ex censu exacta: pecunias autem a solis inquilinis congestas esse interim adnotasse satis habeo. Ceterum nescio an de exactione hac quoque tributorum sollemnium quadrienniorum ratio habita sit: comitia illa Themistocle archonte habita extremo anno fiebant, mensis Scirophorionis *τῇ τετράδι φθίνοντος* (Dem. l. c.).

cuniis putata fuisse quae ab illis quam proximae abessent. Nimirum paululum, ut ita dicam, amplius patuisse horum tributorum rationem ipsius loci illius auctoritate nos discere puto, etsi nimium arbitror, quod Thumserus inde quasi alterum quoddam *εἰσφορῶν* genus fuisse statuit, quod interdum tranquillis quoque pacatisque temporibus, sicubi e re videretur esse, imperatum esset (De civium Athen. mun. p. 17 sq., cf. Stud. Vindob. vol. VII p. 56)[1]. Potius, ut dixi, de largiore quadam et notione et condicione tributorum ex censu cogitandum erit: quae tamen unquam in sacros quoque usus imperata esse mihi quidem non tam facili negotio persuadebitur[2].

At enim *τὰ δέκα τάλαντα* in quattuor illis superioribus titulis obvia ita unoquoque loco posita sunt, ut simul accedat mentio quaestorum Minervae, neque vice quodammodo versa hos unquam sumptus in columnas incidendas erogasse comperimus nisi ex ipsis illis decem talentis. Hinc prona profecto facilisque suspicio est adtinuisse ipsa ad sacras pecunias ab his quaestoribus administratas. Iam vero significavimus ne aetate quidem titulos longe inter se videri abesse: nimirum ad annum Nausinici archontis et tempora proxime subsecuta referendi videntur esse omnes. Eo autem ipso tempore opes civitatis non nimias fuisse indicio plane certo cognoscitur: est notus Androtioneae locus (Dem. XXII 44), ubi de damno agitur *παρὰ τὰς εἰσφορὰς τὰς ἀπὸ Ναυσινίκου*: quo de interpretando utut iudicabitur — est enim locus difficillimus[3] — ad *εἰσ-*

---

1) Additamentum, quo *εἰσφοραὶ* in titulo dictae sunt *αἱ εἰς τὰ δέκα τάλαντα*, v. d. supra modum premit; scilicet solis illis tributis adcuratius significandis destinatum est; eorum de specie nihil eo mutatur. (Ratione haud ita absimili l. statim adferendo *εἰσφορὰς* offendimus *τὰς ἀπὸ Ναυσινίκου*.)

2) Plane hac de re mihi convenit cum Fraenkelio (Comm. Curt. p. 48). Reliquam eius sententiam qua has ipsas continuas *εἰσφορὰς* exactas putat, quo aerario militari recens condito certus reditus procuraretur, perversam iudico nec rerum condicioni ullo modo adcommodatam.

3) Summum ut obiter stringam, *εἰσφοραὶ αἱ ἀπὸ Ναυσινίκου* mihi non videntur intellegi posse nisi 'die seit dem Jahr des Nausinikos fälligen Steuern', ut vertit Lipsius in Fleckeiseni annall. vol. CXVII p. 298/9.

φορὰς satis omnes scimus Athenienses fere non descendisse, nisi imperiosa urgeret necessitas.

Quid vero tu putas civibus tum magis probatum fuisse quam ut patrum avorumque exempla secuti pecuniarum publicarum angustiis miti deae beneficio opitularentur? Huius ex aerario, nisi coniectura fallit, decem illa talenta ad sustinendas impensas cotidianas mutua sumpta sunt ea ratione, non ut uno eodemque temporis momento pecunia erogaretur omnis, verum prout singulae deinceps pensiones suborturae essent, donec universa summa exhausta foret[1]).

Totus igitur hic locus eximendus erit, ubi de publicis pecuniis a quaestoribus deae curatis verba fiunt. Quo exoptatius accidit, quod hoc damnum aliquatenus certe resarcire in promptu est.

Traditioni enim curatorum navalium qui fuere anno Ol. 113, 4 (325/4) insertum est populiscitum de colonia ad fauces maris Adriatici deducenda (CIA II 809 col. a vs. 165 sqq.), in quo quaestores deae iudicibus de disceptationibus trierarchorum suffragia laturis mercedem numerare iubentur *κατὰ τὸν νόμον* (vs. 213 sqq.). Ad quae Boeckhius: 'Letztere Bestimmung ist wohl im Gesetz nur für gewisse Gerichte gemacht gewesen, wozu das in Rede stehende gehört: denn den Richtersold zahlte gewöhnlich, wenigstens in früheren Zeiten, eine andere Kasse. Der in Rede stehende Fall ist nämlich unter den Titel *εἰς φυλακὴν τῆς χώρας* gestellt worden[2]): für die dahin gehörigen Fälle waren aber besondere Bestimmungen gemacht, welche sich namentlich auf Geldzahlungen bezogen, und zwar nicht durch Volksbeschluss, sondern durch das Gesetz des Diphilos (N. XVI. *c.* 35)[3]): wahrscheinlich enthielt dieses Gesetz auch die Bestimmung, dass für die auf solche Fälle bezüglichen Gerichte der Richtersold von den Schatzmeistern der Göttin bezahlt werden solle, indem man, wenn auch damals kein

1) Cuius sententiae auctor laudandus est Fraenkelius l. s. p. 47/8.

2) decernitur videlicet extremo populiscito: *ταῦτα δ' εἶναι ἅπαντα εἰς φυλακὴν τῆς χώρας* (col. b vs. 38 sq.).

3) = CIA II 811 col. d vs. 35.

bleibender Staatsschatz mehr auf der Burg war, doch *εἰς φυλακὴν τῆς χώρας* einiges Geld daselbst mag niedergelegt haben, wie im Peloponnesischen Kriege zu ähnlichem Zweck dort 1000 Talente abgesondert lagen' (Docum. rei nav. p. 210 sq., cf. p. 467).

Summa igitur sententiae Boeckhianae in eo cernitur, ut singularem quandam huic loco indolem vindicet de decreto quippe *εἰς φυλακὴν τῆς χώρας* facto. Et vero in custodiam patriae exquisitiora nescio quae adornata fuisse nemo facile infitiabitur[1]). Quamquam ipsa lege Diphili, quae est opinio Boeckhii[2]), id factum esse stare iam nequit, postquam locus, unde opinio petita est, secundum ea quae Koehlerus in lapide residua dispexit speciem induit eam quae omnem prorsus mentionem defensionis terrae tollat[3]).

Nihilo secius fieri potest, ut patriae defendendae rationibus legum normis prospectum sit. Quibus tamen una de mercede iudicum nescio quid cautum fuisse equidem cur existimemus necessitatem video nullam. Per illud *κατὰ τὸν νόμον* secure de lege qualicunque cogites, quae de quaestoribus Minervae fuerit iudicibus mercedem persolventibus[4]). Neque adeo quod

---

1) In memoriam revocare iuvabit negotia huc pertinentia una cum ceteris gravissimis 'rebus rei publicae internis et ad maiestatem populi maxime pertinentibus' rite in contionibus ordinariis deliberanda fuisse; rem omnem ordine edisserit A. Reusch, De diebus contionum ordinariarum apud Athenienses, in Dissertt. philol. Argentorat. vol. III p. 71 sq.

2) Eandem in sententiam Droysenus disputat in n. mus. Rhen. vol. II p. 525/6.

3) Nimirum Boeckhius proposuerat (p. 549): *τούτων [δὲ παρέδο]μεν τα — — — ανε — — — [φυλακὴ]ν τῆς χ[ώρας κα]τὰ τὸν νό[μον] τὸν Διφίλου — — —*; contra apud Koehlerum leguntur: *τούτων [παρέδο]μεν τα[μίᾳ τῷ εἰς τ]ὰ νεώρ[ια ἐναν]τίον τῆς β[ουλῆς κα]τὰ τὸν νό[μον] τὸν Διφίλου — — —*. Praeter hunc autem locum legis Diphili in uno tit. 812 mentio fit hoc quidem tenore sententiae: *τετρήρεις καὶ τριήρεις καὶ σκεύη τοῖσδε παρελάβομεν δεδομένας κατὰ τὸν Διφίλου νόμον* (col. a vs. 16 sqq.). Adparet igitur legem utcunque ad res navales pertinuisse.

4) Peculiarem legem Schoellius sola auctoritate Boeckhii dixit, quam modo reppulimus. (Vide Acta acad. Monac. cl. philos.-philol. et hist. 1886 p. 103 cum n. 3.)

extremo populiscito disertis verbis constituitur: ταῦτα δ' εἶναι ἅπαντα εἰς φυλακὴν τῆς χώρας [1]) impedimento esse crediderim; namque etiam sic plane sufficere censeo, si haec verba ad omne tituli argumentum praecipuaque eius tamquam capita referantur, non referantur ad singula quaeque transeundo dumtaxat adtacta.

Nec diffido Boeckhium sua explicandi ratione destiturum fuisse, modo rescivisset magistratus colacretarum, cui superiore quidem tempore mercedis illius dispensationem competiisse bene perceptum haberet, per totum IV. saec. nullibi aut volam exstare aut vestigium [2]).

Enimvero ipse ille de quo agimus locus unus quod sciam memoriam refert mercedis iudicialis ita, ut simul accedat magistratus pendentis mentio. Iam pro unius loci ambiguitate importunum sane est neque ullo modo fieri potest, ut quaestoribus deae in commune eam tribuamus provinciam: etsi hoc non mediocriter adiuvaret superiorem nostram sententiam, qua aetate ab Euclide proxima consociatis rerum sacrarum quaestoribus per aliquot annos omnino omnem pecuniae publicae curam commissam fuisse suspicati sumus (supra p. 6 sqq.). Nimirum sic, quo tempore reliquae administrationis pecuniariae partes ad novos magistratus delatae sunt, hoc penes ipsos officium permansisse putandum esset, idemque redintegrata non ita multo post vetere utriusque quaesturae condicione ad nobiliorem, ut par erat, magistratum transiisse. Quamquam, ut monui, certum iudicium omnino ferri nequit: hoc dico, si non in universum, at certis tamen de causis quaestores Minervae IV. saec. negotio mercedis iudicibus numerandae occupatos fuisse hunc titulum testari [3]).

Utut singula sese habent, satis ampla horum quaestorum per IV. quoque saec. munera fuisse abunde adsecuti sumus.

---

1) cf. p. 31 n. 2; formula his vel consimilibus verbis concepta decretis populi potiorem dignitatis locum conciliari notum est; cf. Reusch. l. s.

2) cf. quae supra p. 7 sq. disputata sunt.

3) De laterculis debitorum aerarii, qui intra tempus lege praestitutum non solvissent, ad ipsos delatis vide supra p. 13.

Contra quaestores reliquorum deorum, inde a quo tempore suis denuo peculiaribus vicibus functi sunt, perraro iam in titulis commemorantur. Tenemus titulum ad traditionem eorum pertinentem CIA II 672. Iam vero Lehnerus talem etiam agnovit inscriptionem in Actis acad. Berol. 1888 p. 250 editam (V 35), huiusque ope illis titt. quoque CIA II 682, 682 b, 683 vindicavit (l. s. p. 71 sqq.); res sacras autem ceterorum deorum in Opisthodomo adservatas esse suspicatur (p. 77/8). Porro horum deorum quaestores in tit. CIA II 682 c magnam rerum copiam, quam a Leptine *ἐκ Κοί(λης)* acceperant, praefectis Eleusinii tradidisse perhibentur (vide Lehnerum p. 80—84). Denique etiam titt. 697. 702 traditiones eorum continent (Lehner. p. 84 sq.): posteriorem quidem Koehlerus extra ordinem vult factam esse.

Praeterea nulla eorum memoria servata est; nec certa ratione, usque ad quod tempus creati sint, definiri potest. Futtile Fellneri est argumentum, quo inde, quod in tit. CIA II 163 ad administrationem Lycurgeam pertinente iuxta quaestores deae quaestorum reliquorum deorum mentio non sit facta, hos tum non iam fuisse existimat (l. s. p. 412). At meritone horum mentio desideratur in titulo qui de Panathenaeis est sollemniter quotannis lauteque celebrandis? Credibilius Koehlerus, cum in traditione quaestorum Minervae anni Ol. 114, 4 = 321/0 (CIA II 719) hi simpliciter *ταμίαι* dicti essent, quaestores reliquorum deorum eo tempore non iam creatos esse suspicatus est, etsi sane nimis facile fieri potest, ut illud 'neglegentia magis quam consulto' delictum sit. Prorsus autem intolerabilem neque ullo modo adcommodatam ad persuadendum Fraenkelii rationem censeo, qua in unum denuo ambo collegia consociata esse opinatur ita quidem, ut propter commune aedis magnae Poliadis aerarium *ταμιῶν τῆς θεοῦ* iam sollemnis coniuncti collegii notio evaserit (adn. ad Oec. publ. 263). Eodem vero Lehneri opinio redit p. 119 sq. in medium prolata.

Quaestores Minervae ultimi quantum scio *οἱ ἐπὶ Ἡγεμά[χου ἄρχ]οντος* (Ol. 120, 1 = 300/299) in decreto illo equitum Atheniensium CIA II 612 supra laudato commemorantur. Nec multum eos initium III. saec. superasse putaverim, quatenus

quidem publici magistratus partes sustinerent. Namque legimus apud Pausaniam Lacharem tyrannum qui anno Ol. 120, 4 (297/6) rerum potitus est scuta ex arce abstulisse aurea atque ipsum adeo amictum statuae Minervae (I 25. 7), itemque quidquid olim — Lycurgo auctore — ex argento aurove confectum esset, etiam hoc eum esse furatum (ib. 29. 16). Non ita multo post, archonte Alcibiade [1]), recensum misellarum reliquiarum habitum esse Pollucis testimonio comperimus (X 126). Quaestorum iam nullibi memoria exstat.

Subiungimus hoc loco quotquot quaestorum Minervae et reliquorum deorum nomina ex IV. saec. tum perpaucis scriptorum locis tum titulorum largis copiis ad nostram notitiam pervenerunt, scribarum quidem additis nominibus [2]). Atque his indicibus, qui notis partim Koehlerianis ad intellegendum utilibus aucti sunt, fore spero, non solum ut inlustrentur nonnulla quae supra in disquisitionem vocanda censuimus (cf. imprimis p. 16 sqq.), verum etiam per se ac tamquam sua sponte in oculos incidant, quae ut nimis nota praetereunda duximus (veluti notionem praesidis in formula: ὁ δεῖνα καὶ συνάρχοντες). — Numeris autem adpositis sollemnis tribuum Atticarum indicatur ordo hic: I. Erechtheis, II. Aegeis, III. Pandionis, IV. Leontis, V. Acamantis, VI. Oeneis, VII. Cecropis, VIII. Hippothontis, IX. Aeantis, X. Antiochis.

Coniuncta igitur quaestura Minervae et reliquorum deorum functi sunt:

---

1) Huius nominis archontem residua eius aetatis monumenta non agnoscunt: itaque nomini corruptelam subesse concedendum erit (cf. Bergk. in n. mus. Rhen. vol. XXXIX p. 613 n. 2 extr.).

2) Prodiere nuper et quaestorum et scribarum pleni laterculi Lehneri opera compositi in adpendice II diss. compluriens laudatae (p. 130 sqq.). Tamen ne sic quidem indices ipsi typis mandare dubitamus: scilicet illi nec satis adcurata ubique ratione videbantur confecti nec, si rem spectas, apto quodam consilio. Ceterum hoc illud eorum ope in nostris corrigere licuisse grato equidem lubentique animo fateor.

ἐπὶ ἄρχοντος	ταμίαι τῶν ἱερῶν χρημάτων τῆς Ἀθηνα(ί)ας καὶ τῶν ἄλλων θεῶν	οἷς ἐγραμμάτευε	Testimonia
Εὐκλείδου Ol. 94, 2 403/2	Λυσικ- — Θεογένης Θριάσιος VI. Ἀντιφάνης —	-ας Κ[ο]λλυτεύς	Ephem. arch. 1885 p. 129[1].
Ol. 94, 3 aut 4 402/1 aut 401/0	— — — Τει]θράσιος II. — — —κ]λῆς Αἰξωνεύς VII. Ῥι— — —	Κλείσοφος Εὐων[υμεύς	CIA II 642
Λάχητος Ol. 95, 1 400/399	Μείδων Εὐωνυμεύς I. Σοφοκλῆς [ἐκ Κολωνοῦ[2]) II. Ἀλ]κίδημος Μυῤῥινούσιος III. Πε . . . . Δ]ερκύλο[ς] Πόριο[ς] V. Πολυ- — — Πιθεύς VII. Ἀρ[ιστ]ομήδης [Α- —Ῥαμνούσιος IX. [Ἡ]γέλ[ε]ως Ἀ[λωπεκῆθεν X.	Θερσί[λο]- χος Οἰναῖος	643 644 (vide Add. et Corr. p. 506)
	[Μείδων] Ε[ὐ]ωνυμεὺς (I.) καὶ ξυνάρχοντες		645[3]) Acta acad. Berol. 1887 p. 1201 (IV 45)
Ἀριστοκράτους Ol. 95, 2 399/8	Σωκράτ]η[ς Λαμ]πτρεύς I. Φιλιπ[π- — -δωρος [Ὄ]αθεν III. Θωρύκι[ος . . . . δ]ης Δίω[ν . . . . Λαμπροκλῆς Φλυεύς VII. Ἐπ[ικ]ράτη[ς . . . . Δημοκράτης Ῥ[αμνούσιος IX. . . . . Α]ἰγιλιεύς X.	Χαι[ρί]ων[5]) Ἐλευσίνιος	[4]) CIA II 644 645 Acta acad. Berol. 1887 p. 1201 (IV 45)
	Σωκράτης Λαμπτρεὺς (I.) καὶ συνάρ[χοντες		CIA II 652 Bull. de corr. Hell. 1888 p. 150

1) cf. supra p. 14 n. 1.

2) cf. de hoc δημοτικῷ Dittenberger. in Herm. vol. IX p. 404 sq. et Fraenkel. ad Oec. publ. II[2] p. 271 n. 2.

3) Midonis nomen recte olim a Boeckhio in lacuna huius inscriptionis repositum esse (cf. Oec. publ. II[2] p. 263) titulus Actt. l. s. editus confirmat (dubium significaverat A. Mommsen in Philol. vol. XLVII, nov. ser. I p. 454 nota). Iam vero quod et hoc et proximo anno ipse Erechtheidis quaestor praesidis vices gessit, id sane casu factum esse dicendum erit.

4) vide adpendicem p. 44 sqq.

5) Chaerioni, non Chaerephonti (quod Mylonas posuit) huic scribae nomen videtur fuisse: scilicet 6 id litterarum fuisse, non 7 spatiorum ra-

ἐπὶ ἄρχοντος	ταμίαι τῶν ἱερῶν χρημάτων τῆς Ἀθηνα(ί)ας καὶ τῶν ἄλλων θεῶν	οἷς ἐγραμμάτευε	Testimonia
Εὐθυκλέους Ol. 95, 3 398/7	Ἐπιχάρης Εὐωνυμεὺς I. Πρωτοκλέης Ἰκαριεὺς II. Κηφισοφῶν Παιανιεὺς III. Χαρίας Πήληξ IV. Δημοκλῆς Κεφαλῆθεν V. Διογείτων Ἀχαρνεὺς VI. . . ομήδης Φλυεὺς VII. Ἀριστοκλῆς Ἁμαξαντειεὺς VIII. Φιλοκράτης Ἀφι[δναῖος IX. Α[. . . μ . . . Ἀ]ναφλύστιος X.	Μνησίεργος Ἀθμονε[ύς	CIA II 652 Bull. de corr. Hell. 1888 p. 150 + CIA II 653
[1]) Σουνιάδου Ol. 95, 4 397/6	. . . . α]τος Εὐωνυμεὺς I. Χαρίας Ἀραφήνιος II. Δι . . . . ιεύς Εὔβιος Αἰθαλίδης IV. Εὔαθλος ἐκ Κερ[αμέων V. . . . . νεύς Φιλωτάδης Δεκελειεὺς VIII. Ξένος Ἀναφλύστιος X.	Μόρυχος Βουτάδης	
	ὁ δεῖνα [Κει]ριάδ[ης VIII. vel Χαι]ριάδ[ης κτλ.		654
Φορμίωνος Ol. 96, 1 396/5	Εὐρ]έτας Ἀλωπεκῆθεν (X.) κ[αὶ ξυνάρχοντες		655 [2])
Νικοτέλους Ol. 97, 2 391/0	— Ῥαμνούσιος (IX.) καὶ συνάρχοντες		660

---

tiones tam tituli CIA II 644 quam 652 evincunt (de illo cf. adpendicem). Eo minus dubium quin in titulo Bull. l. c. edito post verbum ἐγραμμάτευε cum Lehnero p. 20/1 restituendum sit ἐκ τõ Ὀπισθοδόμο: scilicet una sola littera hoc supplementum reliquorum versuum ambitum excedit.

1) Laterculum huius anni in utroque titulo nomina duorum quaestorum deficiunt; ac si quidem qui sexto loco positus fuit quaestor recte cum Hicksio (Inscr. Graec. mus. Brit. I p. 65) pro Ἀχαρ]νεῖ VI. tribus Oeneidis habetur, quaestores Cecropidis (VII.) et Aeantidis (IX.) desiderari manifestum est. Iam vero horum nominibus postmodo inscribendis utrobique post Philotadis Deceleensis nomen spatium idoneum relictum est (vide supra p. 16 n. 2). Solo autem eo, quod hoc spatium uno eodemque loco duobus simul nominibus reponendis relictum est, non duobus convenientibus locis singulis per se, a sollemni tribuum ordine quodammodo recessum est (cf. Fraenkel. in Oec. publ. II[2] p. 215 n. 1).

2) 'Vs. 1. 2 ad laterculum quaestorum anni Ol. 96, 3 pertinere videntur, qui laterculus non fuit plenus'.

ἐπὶ ἄρχοντος	ταμίαι τῶν ἱερῶν χρημάτων τῆς Ἀθηνα(ί)ας καὶ τῶν ἄλλων θεῶν	οἷς ἐγραμμάτευε	Testimonia
Δημοστράτου .... Ol. 97, 3 390/89	Παράλιος Ἀναγυράσιος I. Φιλοκράτης [ἐ]κ Κ[ολ]ωνοῦ II. Φιλόχ- — — — — Εἰρε]σίδη[ς V. Μένων Ὀῆθεν VI. Πάταικος Πιθεύς VII. Ἁγνόδημος Δεκελειεύς VIII. Καλ- — — —	-ρης Ἀφιδ-ναῖος	660 [1])
(Ἀντιπάτρου) Ol. 97, 4 389/8	Δωρόθεος Ἀναγυράσι(ος) I. Α- — — — — Ἁλιμ]ούσι(ος) IV. Πολύμνηστος Προσπάλ(τιος) V. Φανόκ[ριτος] Ἀχαρνεύς VI. Σάτυρος Δαιδ[αλίδης VII. — — — — Σμίκρος Ἀλωπεκῆ(θεν) X.		

Redintegrata autem utriusque quaesturae ratione rebus sacris Minervae operam navabant:

ἐπὶ ἄρχοντος	ταμίαι τῆς θεοῦ sive τῶν τῆς θεοῦ	οἷς ἐγραμμάτευε	Testimonia
Δεξιθέου Ol. 98, 4 385/4	(I.—IV.) -της Κεφαλῆθεν V. Νικόμαχος Ἀχαρνεύς VI. [Δι . . αλ- — (VIII.—X.)	— —	CIA II 667
Διειτρέφους Ol. 99, 1 384/3	(I.—V.) Θέρσιππος Κοθωκίδης VI. [Ἀφαρεὺς?] Πιθεύς VII. Δε[ξ]ίθε[ος — (IX. X.)	— —	

1) 'Quaestores anni novi (Ol. 97, 4) nec muneris nec archontis nomine designati sunt. Nomen scribae collegii novi in lapide non exaratum sed spatium relictum est, in quo postmodo inscribi posset.'

ἐπὶ ἄρχοντος	ταμίαι τῆς θεοῦ sive τῶν τῆς θεοῦ	οἷς ἐγραμμάτευε	Testimonia
Καλλέου Ol. 100, 4 377/6	Χαρίας Χαριάδου Συβρίδης I. Κλέων Θουδί[ππου Ἀραφ]ή- νιος II. Πα]τροκλῆς Πασικλέους — Ἀριστοφῶν Ναυκλέους Λα- κιάδης VI. Φιλῖνος Γνίφωνος Φλυεύς VII. — — -δ]ης Νικησίας Νικησιδίκου Φαλη- ρεύς IX. Τα- — —		670 [1]) 671
Χαρισάνδρου Ol. 101, 1 376/5	Τίμων Τιμοκράτους Κυθ[ήῤ- ῥιος III. — — -ε]ύς, — -ράτου Ἐροιάδης X. Ἀμειψίας Λυκομήδους Θορί- κιος V. -ης Τελεσάρχου Ἀφιδναῖος IX. Δ[- Δ]ορκέως Δεκελειεύς VIII.	Εὐθίας Πεισίου Κήττιος	
	— -δης καὶ συνάρχοντες		675
Πολυζήλου Ol. 103, 2 367/6	— — -κλείδ]ης Γαργή[ττι]ος II. Ἀλκίβ[ιο]ς Παιαν[ιεύς III. — — -σ]ίας Χολαργεύς V. Φ]ιλόφρων Θριάσιο[ς VI. — — — — -δ]ωρος Μαραθώνιος IX. Ἱερομνήμων Βησαιε[ύς X.	— —	677
Κηφισοδώρου Ol. 103, 3 366/5	Μ]όσ[χ]ος Κυδαθηναιεύς (III.) καὶ συνάρχοντες		

1) 'In laterculo quaestorum (anni puta Ol. 100, 4) omissa fuerunt nomina duorum quaestorum, ut omissum fuit et nomen scribae collegii. Quaestorum novorum non amplius sex nomina perscripta fuerunt, nec ea ex sollemni tribuum ordine disposita.' In tit. 671 Amipsiam tertio loco positum intellegimus; eum fieri potest ut Deceleensis exceperit, Eroeada autem ultimum locum obtinuerit: qua quidem ratione legitimus ordo restitutus foret.

ἐπὶ ἄρχοντος	ταμίαι τῆς θεοῦ sive τῶν τῆς θεοῦ	οἷς ἐγραμμάτευε	Testimonia
Νικοφήμου Ol. 104, 4 361/0	Ἡγήσανδρος (Ἡγησίου) Σουνιεύς IV.		Aesch. I 110[1])
c. Ol. 106 (356—52)	Γλαυκέτης		Dem. XXIV 129[2])
	— — —	— -ιεύς	CIA II 689
?	-Λ]έων sive ὁ δεῖνα -Λ]έοντος?		695
anno seq.	— Φυλάσ[ιος VI.		
anno post, nisi fallor	— -ωνος Λο[υσιεύς VI. vel Ἀθ[μονεύς VII. — — —ιτειτε— num Ε]ἰτε(ιτε)-[αῖος X.?		
'circa medium saec. IV., ut videtur'. K.	Κ]αλλίστρα[τος — — -αιεύς Σ[π]ο[υδ- — -λείδης Λ- — — -ω]ν Ἀχαρνε[ύς VI. — — — — -ων Ἀφιδ[ναῖος IX. — —	Ἀγν- —	696
anno post	— Ἀ]ρισ[τ—		

1) Miro consilio Bergkius (in n. mus. Rhen. vol. XXXIX p. 613) loco Aeschineo pro Nicophemi Theophili archontis nomen rescribi iussit, ut Ol. 108, 1 (348/7) et Timarchus senatorio munere et Hegesander quaestura sacra functus sit. Atqui haec ratio neque a corrigendi facilitate commendationem habet ullam et plane reicitur eo, quod Timarchum Themistocle archonte (Ol. 108, 2) senatoris vices gessisse constat (cf. Aesch. I 80, A. Schaefer, De Demosth. II² p. 335 sq.; de Hegesandro ibid. p. 331 cum n. 6). Nimirum frustra Bergkius (l. l. p. 615 n. 1) sententiam et Boeckhio (Oec. publ. II³ p. 515) et Boehneckio (Forschungen auf dem Gebiete der att. Redner I p. 48/9) probatam impugnat, secundum quam nemini per duos annos continuos senatori esse licuerit: immo inter quaevis duo munera a cive Atheniensi administrata, una ni fallor praetura interdum excepta, spatium intermittendum erat, tantum ad minimum, quantum sufficeret rationibus magistratus gesti reddendis. Cf. Schaefer. l. l. p. 339 n. 4 et p. 117 cum n. 1.

2) Non sine veri specie Lehnerus Glaucetae quaesturam ad annum Ol. 106, 3 (354/3) revocat (p. 93).

ἐπὶ ἄρχοντος	ταμίαι τῆς θεοῦ sive τῶν τῆς θεοῦ	οἷς ἐγραμμάτευε	Testimonia
Θεέλλου Ol. 107, 2 351/0	— — Ἀγρ]υλῆθ(εν) I. Ἀρισταῖος Ἀντικράτους Ἐρχιεύς II. Μνησίλοχος Μνησιμάχου Κονθυλι(-) III. Νι[κ- — — — — — -ης Οἰνοβίου Ἀχαρν(εύς) VI. Ἀντίθεος Ἀρχεπόλιδος Φλυε(ύς) VII. Λαμπροκλῆς Ἀρεσίο[υ — — — — — — -αιε(ύς)	Ἀγάθυμος Ἀδειμάντου Θυμαιτά(δης)	
Ἀπολλοδώρου Ol. 107, 3 350/49	Κτησίβιος Τλήσωνος Ἀναγυρά(σιος) I. Οἰνόφιλ[ος — — — — — — — — — -ειάδου Κεφαλῆθ(εν) V. Φιλήμων Λυκούργου Θριά-σι(ος) VI. Αὐτοκλῆς Τιμέου Αἰξωνε(ύς) VII. Ἀντιφάνης Κ- — — — — — Πα]μφίλου Βησαι(εύς) X.	'nomen scribae nunquam in lapide scriptum fuit'.	698 1)
Καλλιμάχου Ol. 107, 4 349/8	— — — — — — -υκλῆς Φορμίωνος Μυῤῥιν(ούσιος) III. Ἡγησίας Ἡγίου Σουνι(εύς) IV. Πλάτων Ἰσοτίμου Ἰφιστι(άδης) V. Δείνω[ν — — — — — —	Πιστίδης Θοραιεύς	
Θεμιστοκλέους Ol. 108, 2 347/6	Λεπτίνης καὶ συνάρχοντες		703 vs. 17 sq. cf. 701 col. II (III) vs. 67 sq.

1) 'Laterculus quaestorum anni novi (Ol. 107, 4) dubitari potest num in fine fuerit plenus.

ἐπὶ ἄρχοντος	ταμίαι τῆς θεοῦ sive τῶν τῆς θεοῦ	οἷς ἐγραμμάτευε	Testimonia
Εὐβούλου Ol. 108, 4 345/4	— -νίδου Λαμπτρε(ύς) I. Νικόλ[α]ος Νικοτ[έλους — — — — — -κρ]άτους Θριά(σιος) VI. Φαιδρίας Ῥόδ[ω]νος Φ[λυε(ύς) VII. — — — — — Φαλη]ρε(ύς) IX. Θεόφιλος Μενι..ου Ἀτη-ν[ε(ύς) X.	— — —	701[1])
Πυθοδότου Ol. 109, 2 343/2	Νίκανδρ[ος .... ν]ίκου Λα[μ-πτρε(ύς) I. — — — — — — ἐκ Κερ(αμέων) V. Εὐμ[η]λίδης Ἀρχέωνος Ἀ[χα]ρ-[ν(εύς) VI. — — — — —ν— Φιλῖνος Πυργίωνος Μ[αρα-θ(ώνιος) IX. — — —	— — —	
Σωσιγένους Ol. 109, 3 342/1	— — — — -ς Αἰσχίνου Περιθοίδης VI. Ἱεροφῶν Σφ- — — —	— — -ς	
Νικομάχου Ol. 109, 4 341/0	— — — — — -κράτους Φρεάῤῥιος IV. Δημόφιλος Δημοκλ[ε- — — —	— -ιμάχου Ἐλευσίν(ιος)	703
Θεοφράστου Ol. 110, 1 340/39	— — — — Νι]κόστρατος Νικιάδου Ἁλι-μούσιος IV. Μενα.ος — — — —	— -κράτους Τρικορύ-σι(ος)	
	Φιλοκλῆς καὶ [συνάρχοντες		708 vs. 21 715 vs. 20
? Κτησικλέους Ol. 111, 3 334/3	— — — Κολ]λυτεύς II. Ναυσίστρα[τος — — — — — — Ἀχαρνε]ύς VI. Μελησίας Ἁλ[αιεύς VII. — — — —		739

1) 'Quaestorum laterculi in hoc titulo non pleni fuisse videntur'.

ἐπὶ ἄρχοντος	ταμίαι τῆς θεοῦ sive τῶν τῆς θεοῦ	οἷς ἐγραμμάτευε	Testimonia
Ἀ[ρχίππου (?) Ol. 114, 4 321/0	— — -ας Κυδαθη(ναιεύς) III. Θ- — — — — Ἀφι]δναῖο(ς) IX. Φρασίας —		719[1])
[Νεαίχμου] ? Ol. 115, 1 320/19	— — καὶ συ]νάρχοντες		
Ἀναξικράτους Ol. 118, 2 307/6	— — Κ]αλλίου — — — Ἀ[ν]τιφ— — — — -ς Τιμο— — — — Νικο[τέλ— — — —	ὑπο[γ]ρ[αμ- ματεύς — — —?	730
Κοροίβου Ol. 118, 3 306/5	— — — Μελ]άν[ωπ]ος Στε[φάνου— — — -ο[κ]λ[ῆς] Ἀρίστ[ωνος — — — Π]ο[λύ]ζηλος Πολυαρ— — —		

Res autem sacras ceterorum deorum administrabant:

ἐπὶ ἄρχοντος	ταμίαι τῶν ἄλλων θεῶν	Testimonia
Χαρισάνδρου Ol. 101, 1 376/5	-ος Μειξικλέους Ἀναγυράσιος I. — — — — -οφί(λ)ους (?) Φρεάρριος IV. -φιλος [Ε- — -ς Μνησιστράτου . . . . . εύς Τιμ- — — -όβιος Σμικύθου Κειριάδης VIII. Ε- — —	CIA II 672[2])
Ἱπποδάμαντος Ol. 101, 2 375/4	— -υκλέους ἐκ Κ[η]δῶν I. Χαιρέφιλος — — — -ύφρονος ἐκ Κεραμέων V. Ἀρχέστ[ρατος — — -ος Ἀλεξιμάχου ἐκ Κοίλης VIII. Μετ[α- — —	
Χαρικλείδου Ol. 104, 2 363/2	Χαιρέστρατος Κολλυτεὺς (II.) καὶ συνάρχοντες	682 c

1) Praescripta tit. 726 tam mutila sunt, ut nihil omnino de eis facias. Iam vero in tit. 727 circa Ol. 115, 4 (317/6) aut 116, 4 (313/2) exarato 'vss. 5 et 8 nomina scribarum duorum collegiorum, eius qui magistratu abiit et collegii novi, perscripta fuerunt. Vs. 6 Ἀριστείδη[ι] Ἀρίστ[ω]νος fortasse in lapide fuit, sed nihil adfirmo'. K.

2) 'Quaestorum, qui titulum promulgarunt, non amplius octo, quaestorum novorum non amplius sex nomina perscripta fuisse videntur'.

Adpendix. Praescriptis titulorum CIA II 644. 645 et qui editus est in Actis acad. Berol. 1887 p. 1201 (IV 45) adcurate inter se excussis sat plenus laterculus quaestorum Minervae et reliquorum deorum qui anno Ol. 95, 2 (399/8) fuere proponi potest.

Ac tituli quidem CIA II 644 singulos versus 26 litterarum fuisse et alterum eius fragmentum docet in Add. et Corr. p. 506 publici iuris factum nec minus ipsius spatiorum rationibus evinci poterat [1]). Restituendus est hunc in modum:

[*Τάδε οἱ ταμίαι κτλ.* (cf. Add. l. c.)
[*παρέδοσαν ταμίαις τοῖς ἐπὶ Ἀρι*]-
[*στ*]*οκ*[*ράτος ἄρχοντος Σωκράτει Λ*]-
[*αμ*]*πτρε*[*ῖ, Φιλιππ* . . . .]-
. *δώρωι* [*Ὦαθεν, Θωρυκίωι* . . . .]-
[*δ*]*ηι, Δίω*[*νι* . . . ., *Λαμπροκλεῖ Φ*]-
[*λ*]*υεῖ, Ἐπ*[*ικράτηι* . . . ., *Δημοκ*]-
ράτηι Ῥ[*αμνοσίωι,* . . . . *Α*]-
ἰγιλιε[*ῖ, οἷς Χαιρίων Ἐλευσίνιο*]-
[*ς*] *ἐγραμ*[*μάτευε κτλ.*

Tituli autem insequentis 645 ut laterculi, ita praescripta 47 singulis versibus continuere litteras. Legebantur haec:

[*Τάδε παρέδοσαν οἱ ταμίαι τῶν ἱερῶν χρημάτων τῆς Ἀθηνάα*]*ς*
[*καὶ τῶν ἄλλων θεῶν οἱ ἐπὶ Ἀριστοκράτος ἄρχοντος Σωκράτ*]*η*-
[*ς Λαμπτρεύς, Φιλιππ* . . . . *δωρος Ὦαθεν, Θωρύ*]*κι*-
[*ος* . . . . *δης, Δίων* . . . ., *Λαμπροκλῆς Φλυεύς, Ἐπικ*]*ράτη*-
[*ς* . . . ., *Δημοκράτης Ῥαμνόσιος,* . . . . *Α*]*ἰγιλι*-
[*εύς, οἷς Χαιρίων Ἐλευσίνιος ἐγραμμάτευε·* iam spatium vacuum relictum erat complurium versuum; deinde pergebatur: [*παραδεξάμενοι παρὰ τῶν προτέρω*]*ν ταμιῶν κτλ.* (vide CI).

Ad eorundem quaestorum aliam traditionem spectat titulus Actt. acad. Berol. l. c. editus (rem supra p. 16 n. 2 adtigimus).

---

1) Koehlerus olim significaverat fieri posse, ut in hoc titulo tam quaestores quam scriba etiam *πατρόθεν* dicti essent: quem tamen morem non ante Nausinici tempora invaluisse cognoscimus.

Huius quidem restitutio impeditior fit eo, quod in ipso intervalla non solum inter singula quaestorum nomina, verum plerumque etiam inter praenomina eorum et demotica interposita fuisse videntur. Scriptum eum hac fere ratione fuisse conicias:

[Τάδε παρέδοσαν οἱ ταμίαι τῶν ἱ]ερῶγ χρημάτων
[τῆς Ἀθηνάας καὶ τῶν ἄλλων θεῶν] οἱ ἐπὶ Ἀριστοκ-
[ράτος ἄρχοντος Σωκράτης Λαμ]πτρεύς Φιλιπ-
[π— ———— ——δωρος Ὠ]αθε[ν] Θωρύκι[ο]-
[ς .... δης Δίων ....] Λαμπροκλῆς Φλ-
[υεύς Ἐπικράτης ....] * Δημοκράτης
[Ῥαμνόσιος .... Αἰγι]λιεύς οἷς (Χ)αι-
[ρίων Ἐλευσίνιος ἐγραμμάτευε·

item spatium vacuum; deinde subiungitur:

[παραδεξάμενοι παρὰ τῶν προτέρ]ω[ν] τα[μ]ιῶν τῶν
[ἐπὶ Λάχητος ἄρχοντος Μειδώνο]ς Ε[ὐ]ων υμέως κα-
[ὶ ξυναρχόντων οἷς Θερσίλοχο]ς Οἰναῖος ἐγρα-
[μμάτευε ἀριθμῶι καὶ σταθμῶι] ἐκ τõ Ὀπισθοδό-
[μο κτλ.

Unumquidque pro scripturae inconstanti ratione supra significata satis certo praestare nequeo. Prae ceteris vs. 6 si sede stellula insignita lineola ‾ (Σ) recte excepta est, in lacuna antecedente intervallum alterutro loco duarum litterarum relictum fuisse suspiceris. Eam tamen si unius litterae spatio transponere liceat, omnia quadrant praeclarissime: quaestor qui illo loco agitur — nomen ei Epicratis fuisse coniecimus — item atque is qui secundo positus fuit cuiusque nomen a litteris *Φιλιππ-* initium cepisse cognoscimus, eo putandus est demotico usus esse, quod primo quem grammatici ponunt casu tertium una littera superaret (valet hoc de demoticis frequentissimis in *-εύς* exeuntibus).

Sed utut haec se habent, illud dubitari nequit, quin eo anno soli novem quaestores fuerint. Et si recte vs. 4 demoticum quod est *Ὠ]αθεν* restituimus — aliter autem nescio quomodo conformari possint quae edita sunt ΛΘΕ///Κ[1]); atque

1) Signum ultimo loco enotatum (reliquiae litterae K?) sensu cassum est. Potius N litteram lacuna absorptam esse non possumus non statuere.

unum illud demoticum in -αθεν desinit — aut Leontidem tribum (IV.) aut Acamantidem (V.) aut Oeneidem (VI.) quaestore caruisse intellegitur. Simulque alia quaestio dirimitur haud ignobilis. Exscripsimus supra p. 17 n. 1 poster. locum Andocidis, quo munera recensentur, quorum ad odia oneraque sustinenda inimicorum machinae oratorem adigere molitae essent: in quibus enumerandis si temporum ordo servatus est — id quod sane probabile videtur (cf. Lipsius in praef. ed. n. 32) — in ipsum annum Ol. 95, 2 eum *ταμίαν ἐν πόλει τῶν ἱερῶν χρημάτων* propositum esse efficitur. Tamen hoc anno quaestorem Pandionidis *Ὦ]αθεν* fuisse hic titulus, nomen eius in *-δωρος* exiisse CIA II 643 probat; neque igitur Andocides contribulis (fuit pleno nomine *Ἀνδοκίδης Λεωγόρου Κυδαθηναιεύς*: cf. CIA II 553) potest quaesturam rerum sacrarum adeptus esse. Quod cum ita sit, orationem de mysteriis habitam ad hunc ipsum annum Ol. 95, 2, atque ad priorem quidem eius partem (= 399) referre non dubitabimus (cf. Lipsius l. l.). — Ceterum quod eo anno novem tantum quaestores fuisse cognovimus, haud mediocriter id favere sententiae in quam supra disputavimus, non videri eo tempore quaesturae sacrae honores nimis studiose ambitos esse, vix est quod moneam.

§ 4. De apodectis.

De instituto apodectarum collegio brevis exstat adnotatio apud Harpocrationem in v. *ἀποδέκται· ὅτι δὲ ἀντὶ τῶν κωλακρετῶν οἱ ἀποδέκται ὑπὸ Κλεισθένους ἀπεδείχθησαν, Ἀνδροτίων β'.*

Cui adnotationi cum praepropero consilio fides derogata esset [1]), haud ita multo post egregie restituta est titulo a Kumanude in Ephem. arch. 1884 p. 161 sqq. publici iuris facto, qui nunc exstat CIA IV (2) 53 a et ad annum Ol. 90, 3 (418/7) pertinet. Saepiri iubetur fanum (*τὸ ἱερόν*) Codro et Neleo et Basilae dicatum templumque (*τὸ τέμενος*) secundum pacta con-

1) auctore Christio p. 18 sq., 26 sq.

venta elocari; deinde vs. 14 sqq. constituitur: *ὀπ[ό]σην δ' ἂν ἄλφῃ μίσ[θ]ωσιν τὸ τέμενος κατὰ τὸν ἐνιαυτὸν ἕκαστον, καταβαλλέτω* (sc. *ὁ μισθωσάμενος*) *τὸ ἀργύριον ἐπὶ τῆς ἐνάτης πρυτανείας τοῖς ἀποδέκται[ς], οἱ δὲ ἀποδέκται τοῖς ταμίαισι τῶν ἄλλων θεῶν παραδιδόντων [κ]ατὰ τὸν νόμον.*

Luculentum hoc tenemus testimonium iam V. saec. apodectas fuisse, simulque exactorum eos, ut est in nomine, partes tuitos esse adparet. Atque hoc quidem loco de sacris pecuniis sermo est, cum alibi fere non agantur nisi publicae ab ipsis receptae [1]).

Iam vero apodectas a Clisthene institutos esse vel inde commendationem habet, quod Androtionem altero libro sane quidem Clisthenis tempora pertractasse etiamnunc ex fragmentis perspicitur (cf. Christ. p. 19). Colacretarum autem in locum quod substituti dicuntur, his olim commissam fuisse concedendum erit provinciam eam, quae deinde Clisthene auctore apodectis cessit [2]).

Hos autem ab initio reditibus rei publicae recipiendis operam navasse si nihil aliud, ipsum nomen prodere modo tetigimus. Ac priore quidem aetate hoc solo negotio praestando occupati fuisse videntur, ut non nimis miranda sit memoria magistratus paene exstincta. Iam fieri potest, ut Euclide archonte eorum munera in maius aucta sint. Quamquam potiores atque, ut ita dicam, primarias partes apodectae tum

---

1) Tamen uno saltem exemplo eis IV. quoque saec. cum sacris opibus rationem aliquam intercessisse cognoscitur: extrema tabula traditionis CIA II 675 grandioribus litteris exarata legimus haec: — — *τα]μίαις τῆς θεοῦ νομι[σμα— — — —]έδομεν ἱερὸν ἀργύριο[ν — — — —]δῃ καὶ συνάρχουσιν XX — — — — — αὐτὸ* vel *αὐτοῦ τοῖς ἀποδέκτ[αις — — — —] ἱεροῦ ἀργυρίου ὃ παρεδ— —.* Cf. Lehner. p. 66 sq.

2) Vides nos quodammodo Boeckhii sententiae addictos, qui in Oec. publ. I² p. 214 de colacretis disputans 'Kleisthenes' inquit 'setzte statt ihrer die Apodekten; sie waren nun nicht mehr Einnehmer der Abgaben, sondern bekamen einen andern Geschäftskreis'. Quamquam novam hanc colacretarum provinciam nimis ille angustis finibus circumscriptam proposuit, cf. Christ. p. 19 sqq.

demum [1]) nacti esse videntur, cum aliquot annis post efflorescentibus denuo opibus civitatis compluribusque inde novis magistratibus comparatis ipsis gravissimum pecunias receptas ad unamquamque administrationem dispensandi officium obtigisset.

Cuius tamen officii ad singulas rationes explicatius enarrandas priusquam transeam, antea, quae praeterea de apodectarum muneribus comperta habemus, proponenda videntur ac recensenda.

Ac primum quidem adferendum est Aristotelis testimonium ipsum quoque apud Harpocrationem servatum: *Ἀριστοτέλης δ' ἐν τῇ Ἀθηναίων πολιτείᾳ δεδήλωκεν ὡς δέκα τε εἴησαν, καὶ ὡς παραλαβόντες τὰ γραμματεῖα ἀπαλείφουσι τὰ καταβαλλόμενα χρήματα τῆς βουλῆς ἐναντίον ἐν τῷ βουλευτηρίῳ, καὶ πάλιν ἀποδιδόασι τὰ γραμματεῖα τῷ δημοσίῳ· καὶ ἁπλῶς ἃ πράττουσι διασαφεῖ.* Eiusdem Aristotelis vestigia, licet valde adtenuata, etiam in Bekk. Anecd. agnoscuntur p. 198, 1 sqq. in v. *ἀποδέκται· ἄρχοντες κληρωτοί, δέκα τὸν ἀριθμὸν κατὰ φυλήν εἰσιν, οἵτινες παρελάμβανον καὶ ἀπεδέχοντο τὰ γραμματεῖα τῶν ὀφειλόντων τῷ δημοσίῳ. διὰ τοῦτο γὰρ ἀποδέκται ἐκαλοῦντο. εἶτα ἐξήταζον τά τε ὀφειλόμενα καὶ τὰ ἀποδιδόμενα χρήματα σὺν τῇ βουλῇ καὶ ἐμέριζον εἰς ἃ χρὴ ἀναλίσκειν* [2]).

Decem igitur erant, singuli ex singulis tribubus sorte constituti. Recipiebant a servo publico libellos, in quibus nomina inscripta erant eorum, qui publico aliquid deberent: quorum ratione habita una cum senatu adcurate et debitas et solutas pecunias examinabant, solutas expungebant, cessantes in tabellis relinquebant, quas rursus servo publico adservandas reddebant.

1) Nimirum hinc factum est, quod ipsos hac in disputatione ultimum locum tenere iussimus; pro muneris ratione eos quaestores rerum sacrarum antecedere par erat.

2) Verba quae leguntur: *καὶ ἀπεδέχοντο* et paulo post: *διὰ τοῦτο γὰρ ἀποδέκται ἐκαλοῦντο* scioli nescio cuius pingui Minervae deberi manifestum est; nemo scilicet ei credet ex receptis libellis magistratui nomen inditum esse, verum enimvero ex pecuniis cunctis officii causa receptis.

Cum his Aristoteleae doctrinae frustulis optime conspirant testimonia titulorum navalium, quibus pecuniae debitae et a curatoribus navalium computatae sive ab his sive, id quod compluriens etiam usu veniebat, ab ipsis debitoribus ad apodectas solutae perhibentur. De re confecta crebrae usurpantur formulae: *τοῦτο κατεβάλομεν ἀποδέκταις τοῖς ἐπὶ τοῦ δεῖνος ἄρχοντος* (veluti CIA II 807 col. b vs. 15 sq. 28 sq. 33), *τὸ ἀργύριον κατεβλήθη πρὸς ἀποδέκτας τοὺς ἐ. τ. δ. ἄ.* (ex. gr. 808 col. d vs. 26. 184), similia. Nec differt quod in titulo 803 duobus locis (col. d vs. 93 sq., 138—40) scriptum est: *ὃ εἰς βουλευτήριον κατεβάλομεν*, siquidem apodectas in curia munera subiisse probabile est (cf. Aristot.).

Sed hactenus de solo aere publico debito verba fecimus. Verumtamen omnino omnes pecunias in aerarium redeuntes apodectis recipiendas fuisse Pollux fidem facit, quo loco ad ipsos *τοὺς φόρους καὶ τὰς εἰσφορὰς καὶ τὰ τέλη*, h. e. reditus rei publicae tam ordinarios (vectigalia) quam extraordinarios (tributa ex censu) atque sociorum tributa (de his cf. Boeckh. Oec. publ. I[3] p. 194/5), congesta esse docet (VIII 97).

Pergit autem: *καὶ τὰ περὶ τούτων ἀμφισβητούμενα ἐδίκαζον. εἰ δέ τι μεῖζον εἴη, εἰσῆγον εἰς δικαστήριον.* In recipiendis igitur pecuniis si quae contentiones obortae essent, apodectae aut ipsi rem decernebant[1]) aut, si maior esset causa quam quae facile componi posset, ad heliastas eam reiciebant ita tamen, ut ipsi litem instruerent iudicioque praesiderent.

Iam vero receptas pecunias adservabant, usque dum eas in singulas administrationis partes dispensandas curarent[2]). Attamen iustum eis aerarium fuisse Boeckhius negat: 'sie

1) Parum adcommodate verbum quod legitur *ἐδίκαζον* positum esse pro eo quod exspectatur *ἔκρινον* iure animadvertit Fraenkelius (adn. 249 ad Oec. publ.): nempe illud ex sollemni usu loquendi iuris dicundi notionem habet (cf. ex. gr. CIA I 61), cum tamen apud Pollucem non agatur nisi de meris dissensionibus componendis.

2) cf. Aristotelis doctrinam in politicis VII (VI) 8 = p. 1321 propositam: *ἄλλη δ' ἀρχή, πρὸς ἣν αἱ πρόσοδοι τῶν κοινῶν ἀναφέρονται, παρ' ὧν φυλαττόντων μερίζονται πρὸς ἑκάστην διοίκησιν· καλοῦσι δ' ἀποδέκτας τούτους καὶ ταμίας.*

hatten keine Kasse, auf welche besondere Zweige der Staatskosten angewiesen waren ... sie überschrieben nur das eingekommene Geld den Kassen, und inwiefern die Austheilung der Gelder an die verschiedenen Kassen nicht immer beim Empfang selber geschehen konnte, musste bei ihnen, wir wissen nicht wo, vielleicht im Rathhause, vorübergehend Geld liegen bleiben' (Oec. publ. I³ p. 194).

Nimirum movit virum summum, hanc ut sibi sententiam persuaderet, ne apodectarum aerarium officeret aerario *τοῦ ἐπὶ τῇ διοικήσει*, quod fingit[1]) — quod tamen, nisi egregie fallor, nullum fuit, quoad apodectae erant. Nihilo secius mira inde inter vv. dd. dissensio orta est, sintne apodectae aerario praefuisse putandi necne: hoc, ut in recentissimis auctoribus subsistam, Loeschckio[2]), Fellnero[3]), Droegio[4]), Spangenbergio[5]) probatum, illud Christio[6]) et Gilberto[7]). Verum, ut

1) Scite hoc observavit Christius p. 16: cuius tamen ipsius opinionem de 'uno ac summo aerario publico' ab apodectis IV. saec. curato (p. 17 n. 1) rursus nimiam esse statim expositurus sum.

2) in diss. supra p. 15 n. 4 laudata p. 7: 'Nam apodectis quoque, quos nunquam ipsos aerario praefuisse viri docti consentiunt, interdum ut lapicidis solverent mandatum est'. (?)

3) p. 400: 'sie hatten keine eigene Cassa, sondern führten die eingegangenen Summen an die vom Volke bestimmten Cassen ab'. Verum idem obiter strinxit p. 404: 'Aus den angeführten Belegen kann weiter gefolgert werden, dass es nicht thunlich ist, die Stellung der Generaleinnehmer so aufzufassen, als ob dieselben niemals Staatsgelder, selbst nicht einige Tage in Verwahrung gehabt hätten. Regel war wohl, dass sie die Gelder sogleich in Empfang nahmen und nur den einzelnen Cassen überschrieben. Dabei aber ist anzunehmen, dass bei den Apodekten, oder besser gesagt im Buleuterion Gelder liegen geblieben sind, für welche im Augenblick noch keine Verwendung bestimmt war, wie die während des Jahres eingegangenen Summen'.

4) De Lycurgo Atheniensi pecuniarum publicarum administratore, diss. Bonn. 1880 p. 25: 'neque apodectae, quos pecunias quidem in manibus habuisse et accepisse et dispensavisse, sed numquam aerarium custodivisse certum est, umquam *ταμίαι* vocati sunt'. Cf. tamen locum ex Aristotelis politicis a Droegio ipso p. 26 n. 4 laudatum extremum: *καλοῦσι δ' ἀποδέκτας τούτους καὶ ταμίας*.

5) De Atheniensium publicis institutis aetate Macedonum commutatis, diss. Hal. 1884 p. 40. 6) l. s. 7) Antiqu. Graec. I p. 226.

adsolet, in medio situm: praefuerunt generali quod nuncupes civitatis aerario, quamdiu pecuniae undecunque coactae apud ipsos remanebant necdum singulis magistratibus distributae erant — quod tum sat longum, tum perbreve temporis spatium explevisse consentaneum est, prout reditus modo ampliores modo tenuiores adfluxerant singulaque aeraria antea largius secusve instructa erant [1]).

Neque enim recte Boeckhius (l. s.) certo quodam temporis momento distributionem pecuniarum legibus adsignatarum factitatam esse ex tituli CIA II 38 verbis extremis eliciebat hisce: *με[ρ]ίσαι δὲ [τ]ὸ ἀργύριον τὸ εἰρημένον τοὺς ἀποδέκτας ἐκ τῶν καταβαλλομένων χρημά[τ]ων, ἐπειδὰν τὰ ἐκ τῶν νόμων μερ[ίσωσι]*.

Primus hic locus [2]) ut ex IV. saec. apodectarum, ita omnino dispensatae ab ipsis pecuniae memoriam tenet. Mirum autem in modum eum vexabant vv. dd. Hartelius Boeckhio oblocutus 'Vielmehr' inquit 'werden hier die Apodekten angewiesen, die Zahlung, nachdem oder für den Fall, dass sie die gesetzlich bewilligten Summen aufgebraucht haben, *ἐκ τῶν καταβαλλομένων χρημάτων* zu leisten' (Stud. über att. Staatsrecht und Urkundenw. p. 134). Ad haec autem *καταβαλλόμενα χρήματα* Athenienses iniquis temporibus confugisse ei veri esse simile videtur ex Dem. XXIV 96 sq.: *ἔστιν ὑμῖν κύριος νόμος — — τοὺς ἔχοντας τά θ' ἱερὰ καὶ τὰ ὅσια χρήματα καταβάλλειν εἰς τὸ βουλευτήριον. — — διὰ τοίνυν τοῦ νόμου τούτου διοικεῖται τὰ κοινά· τὰ γὰρ εἰς τὰς ἐκκλησίας καὶ τὰς θυσίας καὶ τὴν βουλὴν καὶ τοὺς ἱππέας καὶ τἆλλα χρήματ' ἀναλισκόμεν' οὗτός ἐσθ' ὁ νόμος ὁ ποιῶν*

1) Eis autem temporibus quibus pecuniae ex administratione superfluae (*τὰ περιόντα χρήματα τῆς διοικήσεως*: (Dem.) LIX 4) in theorica dabantur omnes, apodectarum aerarium sat crebro nullum fuisse adparet.

2) Populiscitum circa idem tempus factum est, quo pax inter regem Persarum civitatesque Graecas convenit Antalcidae nomine insignis (in tit. CIA II 51 vs. 22 sq. audit *ἡ βασιλέως εἰρήνη*); iam vero hanc posteriori parti anni Ol. 98, 2 (ineunti 386 a. Chr. n.) tribuendam esse certis argumentis comprobavit H. Swoboda in Comm. inst. arch. Athen. vol. VII p. 182 sqq.

προσευπορεῖσθαι. οὐ γὰρ ὄντων ἱκανῶν τῶν ἐκ τῶν τελῶν χρημάτων τῇ διοικήσει, τὰ προσκαταβλήματ' ὀνομαζόμενα διὰ τὸν τοῦ νόμου τούτου φόβον καταβάλλεται.

Locus in paucis difficilis — quo magis dolendum Hartelium opinionem suam tantum in medium protulisse, nec vero exhausisse omnique ex parte absolvisse [1]). Utut est, summopere cavendum erit, ne *τὰ καταβαλλόμενα χρήματα* in titulo obvia confundamus cum *τοῖς προσκαταβλήμασιν* in loco Timocrateae quae audiunt. De quibus omnem controversiam inter vv. dd. motam [2]) exponere longum est; verumtamen ut paucis, quae mihi probetur sententia, significem, unice nobis sequendus videtur Lelyveldius (De infamia, Amstelod. 1835), qui *προσκαταβλήματα* illa intellegenda esse docet 'quasi supplementa, accessiones ad eas pecunias quae ex vectigalibus conficiebantur'; denotatos autem illo loco eos esse omnes, qui 'vel populi iussu pecunias quasdam publicas, praeter vectigalia, recepissent, vel in quorum potestatem, quocunque tandem modo, venissent' (p. 199) [3]). Contra verba *τὰ καταβαλλόμενα χρήματα* sine dubio intellegenda sunt simpliciter de pecuniis quae solvuntur aut redeunt: nam latissime patere vim verbi illius si omnino opus esset testimonio, sescenta statim titulorum, prae ceteris navalium, praesto essent.

Hac de re prorsus mihi convenit cum Fellnero (p. 401); cuius tamen in disputatione miro quodam infortunio accidit, ut pro eo quod Hartelius posuit 'aufgebraucht' vocabulo 'aufgebracht' substituto [4]) verba quae ipsa in censum veniunt *ἐπειδὰν τὰ ἐκ τῶν νόμων μερ[ίσωσι]* verti iubeantur: 'sobald sie die gesetzlich bewilligten Summen aufgebracht haben'

---

1) l. l. p. 135: 'Einwendungen, welche gegen diese Verwerthung und Auffassung der demosthenischen Stelle vorgebracht werden könnten, hoffe ich bei anderer Gelegenheit zu erledigen'.

2) cf. imprimis Boeckh. Oec. publ. I³ p. 412 sqq. et Schaefer. De Demosth. I² p. 379 n. 1.

3) quae quidem explicandi ratio § 98 in comparationem vocata summam acquirit probabilitatem (cf. Lipsius in Lit. Att.² p. 135 n. 304).

4) de typothetae errore cogitari nequit: vitiosa vox duobus locis diversis (p. 401 et 402) reperitur.

(p. 402). Interpretatio cum manifesto ex mero errore profecta sit, merito silentio praetereunda erit.

Revertimur igitur ad Hartelii versionem: 'nachdem oder für den Fall, dass sie die gesetzlich bewilligten Summen aufgebraucht haben'. Quam et ipsam nullo pacto stare posse in propatulo est: neque enim aut illud 'für den Fall' inest in particula temporali ἐπειδάν, aut verbum quod est μερίζειν usquam notionem consumendi prae se fert: recte utrumque monitum est a Dittenbergero Syll. 58[8].

Idem verba de quibus agitur sic explicat: 'primum ex illis pecuniis (ἐκ τῶν καταβαλλομένων χρημάτων) ea quae ex legibus solvenda sint erogare iubentur (sc. apodectae), tum demum cum haec numerata sint, praemium Phanocrito concessum'. Rectissime. Attamen de intellegendis istis καταβαλλομένοις χρήμασι virum doctum (cf. notam eius praec.) cum Hartelio facere video: quod quamvis bene sentiam non facile aliam ob causam fieri, nisi quo additamento propria quaedam vis concilietur, probare tamen ne sic quidem rationem possum; audienda sunt verba, quae tamen alium sensum omnino non admittunt nisi quem significavimus: ex pecuniis redeuntibus argentum Phanocrito destinatum dispensabitur primum ubi τὰ ἐκ τῶν νόμων dispensata erunt.

Sequitur hinc unum id quod suapte natura evincitur, impensis legibus praestitutis posthabitas esse ceteras (videlicet κατὰ ψηφίσματα imperatas); non sequitur, quod Boeckhius voluit, uno eodemque temporis momento illas pensiones factas esse simul omnes. Potius quemadmodum pretia pro conductis vectigalibus rei publicae κατὰ πρυτανείαν numerata esse constat[1]), ita rursus dispensationem redituum secundum prytaneas curatam esse consentaneum est[2]).

1) loco (Dem.) LIX 27, ubi de Xenoclide qui quinquagesimam frumenti conduxisset legitur: δέον αὐτὸν καταβάλλειν τὰς καταβολὰς εἰς τὸ βουλευτήριον κατὰ πρυτανείαν. — Eadem ratione pecunias domuum publice elocatarum solvendas fuisse Boeckhius opinatur Oec. publ. I[3] p. 178.

2) Sententiae summa probabilitas eo quoque conciliatur, quod in universum καθ' ἑκάστην πρυτανείαν contrascriptori rationes et accepto-

Iam dispensationem ipsam ea ratione institui solitam comperimus, ut nonnulla expensa ex diutina consuetudine, quantum fieri posset, certis quibusdam redituum generibus sustinerentur: veluti quaequae in universam administrationem (*εἰς τὰς ἐκκλησίας καὶ τὰς θυσίας καὶ τὴν βουλὴν καὶ τοὺς ἱππέας* reliqua, vide Demosthenis locum supra p. 51 excitatum) impendebantur, plerumque sustinebantur iis quae ex elocatis vectigalibus redibant[1]),

---

rum et expensorum conficiendas populoque proponendas fuisse legimus (Aesch. III 25). Nec minus rationes magistratuum publice propositas plerumque secundum prytaneas digestas cognoscimus; nec raro in ipsis hanc illam mercedem per prytaneam numeratam esse disertis verbis notatur: veluti in rationibus delubri Eleusinii (Ephem. arch. 1883 p. 109 sqq.) et praefecto servorum et electo qui impensa contrasignaret identidem *μισθὸς τῆς πρυτανείας* datus recensetur (*A* vs. 5 sq., 43 sq., *B* vs. 6 sq. *a* vs. 41 sq.); item architecto per prytaneam mercedem solutam esse ex *A* vs. 11 sq. intellegitur. Consimili exemplo in rationibus curatorum operis Erechthei (CIA I 328) architecti et subscribae merces ut singularum prytanearum in expensis fertur (cf. frg. a col. I vs. 56 sqq., frg. c col. II vs. 8 sqq.), ita haud dubie numerata est. Denique cives pauperiores, qui propter corporis infirmitatem quaestum facere non poterant, a senatu probatos stipem de publico adsignatam singulis prytaneis rettulisse Aeschines testis est I 104. Cf. Boeckh. Oec. publ. I[3] p. 308 sqq.

1) In sacrificia patria adparanda pecunias ex sacrorum praediorum locatione redeuntes insumptas esse Isocrates testis est VII 29: *ἐν δὲ τοῖς ἁγιωτάτοις τῶν ἱερῶν ἀπὸ μισθωμάτων ἔθυον,* quo de loco interpretando consulendus Didymus apud Harpocr. in v. *ἀπὸ μισθωμάτων· ἀντὶ τοῦ ἐκ τῶν τεμενικῶν προσόδων. ἑκάστῳ γὰρ θεῷ πλέθρα γῆς ἀπένεμον, ἐξ ὧν μισθουμένων αἱ εἰς τὰς θυσίας ἐγίνοντο δαπάναι.* Nec tamen sola praedia in partem veniebant: in sacra sollemnia Apollinis Cynei in honorem apud pagum Halaeensium perpetrata ab Atheniensibus largum reditum e venatu thynnorum ibidem elocato provenientem segregatum esse Demetrius Phalereus auctor est (v. Phot. in v. *Κύνειος*). Utrumque locum Boeckhius adtulit (Oec. publ. I[3] p. 267 n. a). Idem de eiusmodi sacrificiis *ἀπὸ μισθωμάτων* haud male etiam decretum pagi Plothensium conferri iussit, quod nunc exstat CIA II 570 (cf. maxime vs. 22 sqq.). — Non nimis dissimile esse puto, quod in titulo ad aetatem administrationis Lycurgeae pertinente CIA II 163, qui de Panathenaeorum diebus festis est laute concelebrandis (vide supra p. 34), de ducenda hecatomba constituitur, ut boves emantur pretio *τῶν τε[τταρ]άκοντα μνῶν καὶ τῆς μι[ᾶς τῶν ἐκ τῆς μ]ισθώσεως τῆς νέας.*

merces iudicialis πρυτανείοις quae deponenda erant litigantibus consimilibusque pecuniis (cf. (Xen.) de republ. Athen. I 16. Poll. VIII 38) itemque poenis damnatis inflictis (Aristoph. eq. vs. 1358 sq. Lys. XXVII 1). Neque inepte h. l. Aristophanis Byzantii de vectigali inquilinorum testimonium adferas hoc: μέτοικος δέ ἐστιν, ὁπόταν τις ἀπὸ ξένης ἐλθὼν ἐνοικῇ τῇ πόλει τέλος τελῶν εἰς ἀποτεταγμένας τινὰς χρείας τῆς πόλεως (fr. 38 ed. Nauck.); quamvis, quaenam fuerint definitae hae necessitates, hodie ignorari fatendum sit.

Singulis autem rationibus perquisitis ad ipsam denique notionem dispensandi adcurate constituendam progrediamur. Ac discrimen quidem quod intercedit inter verba quae sunt μερίσαι et δοῦναι, Boeckhio illud etiam tum incompertum (vide Oec. publ. I[3] p. 210 n. a), titulorum ope penitus hodie cognitum habemus: hoc de quaestoribus usurpatur peculiaribus aerariis praepositis tam Minervae quam populi aut senatus, illud de apodectis et postmodum de praefecto administrationis non magis quam de quaestore aerarii militaris; enimvero dandi verbo, ut Droegius docet (in diss. supra p. 50 n. 4 laudata), 'pecuniae summam semper definitam quaestores de pecuniis mandatis expendere iubentur', cum eo quod est μερίσαι 'liberior quaedam potestas dispensandi' significata sit, utpote quod legitimum verbum fuerit 'de pecuniis publicis certis magistratibus vel curatoribus dispensandis' (l. s. p. 23 n. 3).

Quamquam etiam sic verbi notio facile angustioribus finibus circumscripta deprehenditur. Neque enim solum in titulo modo tractato CIA II 38 apodectas ipsos pecuniam constitutam erogasse, non alii magistratui erogandam praestitisse vidimus, verum etiam in decreto illo de colonia ad oram maris Adriatici deducenda (vide supra p. 31 et 9 not.) eosdem impensas trium coronarum parandarum facere cognoscimus (vs. 199 sqq.).

Proinde ampliore quadam notione verbum μερίσαι de cunctis pensionibus in usu fuisse dicendum erit, quae e generali civitatis aerario provenirent, sive eae ad singulos fiscos fiebant cotidianorum sumptuum rite legitimeque sustinendorum

causa sive ab apodectis ipsis pecuniae necessariae in usus destinatos erogabantur [1]).

Comprobat hoc etiam titulus CIA II 181, in quo apodectae archetheoris in posterum ad Nemea mittendis viatica praebere iubentur: *τοὺς δὲ ἀποδέκτας μερί[σαι τῷ ἀρχε]θεώρ[ῳ] ὃς ἂν ἀεὶ ἀρχ[ε]θ[εωρήσῃ τὸ] ἀργύριον* [2]). Insuper luce clarius haec verba de populiscito sublata commonstrant stetisse per populum Atheniensium, per simplex scitum suum apodectis non solum singulas pensiones ac quasi subitarias — quo de pensionum genere decreta duo superiora sunt — verum etiam perennes nec tempore definitas imperare. Quod vero Fraenkelius ex tituli CIA II 115 b parte extrema contrariam quodam modo sententiam adsequi sibi visus est, ut aerario eiusmodi expensa inrogari non licuerit, nisi decretum populi deinceps nomothetarum scito ratum factum esset (Die att. Geschworenengerichte, Berol. 1877 p. 24) [3]), hanc opinionem ex illo loco ulla probabilitate, nedum necessitate repetitam esse iure meritoque negavit Lipsius libri Fraenkeliani censuram agens in Bursiani annall. vol. XV p. 312. Nimirum perperam v. d. verbum quod vs. 43 scriptum est *προσνομοθετῆ[σαι* de probatione legitima interpretatur nomothetarum praesens populiscitum confirmatura: quod tamen intellegendum est de nova hac causa accedente ad eas, quarum deliberandarum gratia hi quidem constituti essent (cf.

1) Nimirum etiam sic ab initio iustam dispensationem actam esse adparet; ac posteriore demum aetate vim insitam verbi paululum obscuratam inflexamque deprehendemus.

2) In schol. ad Aristoph. av. vs. 1541 ex Androtione lex vel populiscitum transcribitur, quo colacretas theoris ad Pythia proficiscentibus *ἐκ τῶν ναυκληρικῶν* (de quibus cf. Christ. p. 22 sqq.) viatica aliumque sumptum pendere constituitur: in hoc igitur officio praestando — eoque uno, quod hodie quidem adsequi licet — plana habetur plenaque responsio inter V. saec. colacretas IV.que apodectas.

3) Postea virum doctum parum sibi constitisse patet, cum (in adn. 454 ad Oec. publ.) institutionem eam, qua infirmi cives debilesque apud Athenienses a senatu probati singulis prytaneis sumptu publico alerentur (Lys. XXIV impr. § 22 sq., Aesch. I 104, cf. supra p. 54 not. extr.), Rauchensteinio concederet omnem — nimirum in perpetuum — populiscito sancitam fuisse.

Lipsius l. s.). — Ceterum et quatenus hac de causa nomothetarum scito opus fuerit et quae praeterea explicatione egere videbuntur, aptius commodiusque ibi aperientur, ubi de fisco quaestoris populi deque omni ratione atque indole *τῶν* (*εἰς τὰ*) *κατὰ ψηφίσματα ἀναλισκομένων τῷ δήμῳ* verba facienda erunt. H. l. adnotasse satis erit, quod lege caveri iubetur *τὸ ἀργ]ύριον τοῦτο μερίζειν τ[οὺς ἀποδ]έκτας τῷ ταμίᾳ τοῦ δήμ[ου εἰς τὸν] ἐνιαυτὸν ἕκαστον* (vs. 44 sqq.), nullo modo hoc pugnare cum superiore nostra sententia, qua per prytaneas apodectas dispensationem redituum factitasse veri esse simillimum statuimus. Etenim hoc quidem loco de una et sola agitur pecuniae summa in singulos annos firmiter praestituenda; continuo pergitur: *ὁ δὲ τ[αμίας ἀπ]οδότω Πει[σι]θείδει κατὰ [τὴν πρυτ]α[ν]είαν ἑκάστην*: procul dubio igitur sufficiet, si quaestor et ipse per singulas prytaneas argentum conveniens acceperit.

Et scrupulus, si qui residere posset, protinus eo quoque minueretur, quod in rationibus magistratuum delubri Eleusinii ad annum Cephisophontis archontis Ol. 112, 4 (329/8) pertinentibus, quae cum ex parte iam in Addendis CIA II 834 b (p. 516 sqq.) publici iuris factae essent, mox plenae prodiere Chr. Tsuntae opera in Ephem. arch. 1883 (inde a p. 109), duobus locis pecuniae ab apodectis praefectis fani dispensatae recensentur ita quidem, ut alterum nomen ad quintam prytaneam spectet (*α* vs. 39: *τὸ μερισθὲν παρ' ἀποδεκτῶν ἐπιστάταις*), alterum ad sextam (*B* vs. 3: *τὸ μερισθὲν εἰς τὰ ἔργα παρ' ἀποδεκτῶν ἐπιστάταις Ἐλευσινόθεν*). — Iam vero in rationibus decimae prytaneae apodectae bis officium deseruisse perhibentur (*β* vs. 29 et 34: *οὐ μερισάντων τῶν ἀποδεκτῶν*): unde factum est, ut quaestoribus *τοῖν θεοῖν* pecuniae ad magna mysteria adparanda necessariae ab aliis — nisi fallor, iis, ad quos fundi sacri elocati essent — traderentur. Per alteram vero prytaneam ab apodectis non secus atque a quaestore militari et a trapezita pecunia mutua sumpta est, si quidem recensetur *A* vs. 39 sq. *τὸ προσδανεισθὲν εἰς τὸ διατείχισμα τὸ Ἐλευσῖνι παρὰ ταμίου [σ]τρατιωτικῶν καὶ παρ' ἀποδεκτῶν*

καὶ τοῦ τραπεζίτου: quod optime quadrat ad ea quae de generali apodectarum aerario supra disputata sunt. Scilicet pecuniae nescio quae ab apodectis receptae necdum peculiari fisco adsignatae in tempus magistratibus Eleusinii ad munimentum struendum concessae sunt reddendae, ubi primum commode fieri posset.

Exemplum haud ita dissimile populiscitum praebet anno Ol. 108, 2 (346) filiorum Leuconis gratia factum (Ditt. Syll. 101)[1]:

---

1) Androtionem eum quo auctore populiscitum factum est cognominis Atthidographi avum fuisse probabile est. — In decreto ipso haud pauca reperiuntur, quae difficultatibus laborent non mediocribus et ab usitato titulorum usu loquendi fere recedant: quae h. l. tamquam *ἐν παρέργῳ* paucis persequi liceat. Utique a consueta dictione abhorret, quod vs. 24 scriptum fuit: *καὶ στεφ[ανοῦν] χρυσῶι στεφάνωι κτλ.* (de supplementi veritate dubitatio nequit esse): usquequaque constantissimo usu aoristus ponitur *στεφανῶσαι* (cf. huius ipsius tit. vs. 67). In sequentibus praeter continuata tempora praesentia (vs. 26 *ποιεῖσθαι*, 29 sq. *ἀναγορεύειν*, 35 *ἀνατιθέναι*, unumquodque praeter consuetudinem positum) offendit quod permiro, ut videtur quidem, consilio is ipse qui agitur annus (Themistoclis archontis) denotatus est *τὸ πρότερον ἔτος Παναθηναίων τῶν μεγ[άλ]ων* (scil. proximi anni Ol. 108, 3: cf. Ditt. n. 7). Rursus ubi pecuniae constituuntur in coronas insumendae, infinitivo praesentis praecipitur: *τὸ δὲ ἀργύριον διδόναι — — τὸν τοῦ δήμου ταμίαν ἐκ τῶν εἰς τὰ κατὰ ψηφίσματα τῶι δήμωι μερι[ζ]ομένων* (haec et ipsa insolentiore ratione dicta nunc sciens praetermitto), deinde aoristus introducitur: *τὸ δὲ νῦ[ν] εἶναι παραδοῦναι κτλ.* (vide n. sq.; Fellnerus quae p. 403 de mutatione temporum h. l. adhibita in veri similibus ponit, non flocci sunt), iamque pergitur solitis aoristis usque ad finem (vs. 44 sqq.: *ἀναγ[ρ]άψαι . . . καὶ στῆσαι . . . ἐς δὲ τὴν ἀν[α]γραφὴν δοῦναι κτλ.*).

Difficultates motae quomodo tollendae sint, haud ita facile est ad cognoscendum. Procul dubio tamen quaestioni lux adfulgeret, modo praesto esset *τὸ ψήφισμα τοῦ δήμου τὸ πρότερον ἐψηφισμένον Λεύκωνι*, secundum quod coronae parari iubentur *τῶι προτέρωι ἔτει Παναθηναίων τῶν μεγ[άλ]ων* (vs. 27 sqq.). Quid? eo si quid forte cautum fuerit de coronae honoribus repetendis, non id quidem simpliciter magnis quibusque Panathenaeis — nam hoc necessario certiore ratione denotandum fuit — at identidem tamen, haud dubie certis de condicionibus? Protinus sic omnia plana ac dilucida fiunt, quae modo mira videbantur: sua iam vi utuntur et tempora illa praesentia, et promptum facilemque explicatum habet *τὸ πρότερον ἔτος Π. τ. μ.* Sane quidem iteratae eiusmodi coronationis exem-

quo et ipso de argento agitur in praesentia ab apodectis suppeditando, nisi quod hoc ex opibus militaribus proveniet (vs. 42 sqq.: *τὸ δὲ νῦ[ν] εἶναι παραδοῦναι τοὺς ἀποδέκτας τὸ εἰς [τ]οὺς στεφ[ά]νους ἐκ τῶν στ[ρ](α)τιωτικῶν χρ[η]μάτων*)[1]. Hinc tuo iure tibi persuadeas harum pecuniarum curam eo tempore penes apodectas fuisse: qua in sententia primus fuit Loeschckius (apud Arn. Schaefer in n. mus. Rhen. vol. XXXIII p. 431). Nec quidquam contra profecerunt argutiae a Fraenkelio in medium prolatae (in Commentt. Curt. inde a p. 41), quas quidem examinandi locus erit, ubi de aetate institutae quaesturae militaris verba facturi erimus[2].

Restat ut profiteamur, quonam fere tempore apodectarum magistratum abrogatum esse existimemus. Rationibus Eleusinii ad annum Ol. 112, 4 deducti sumus. Abhinc apodectae in titulis navalibus etiam tum obvii sunt usque ad annum Ol. 114, 2 = 323/2 (cf. CIA II 811 B col. c vs. 78 sq.). Neque ita multo post munus sublatum esse statuendum erit, 'sive Athenienses

---

plum gemellum non novimus: tamen quemadmodum senatum quingentorum, sicubi officio stetisset debitasque naves longas aedificasset, unoquoque anno coronam auream *δωρεὰν* ex lege rettulisse scimus (cf. Dem. XXII 5. 8), ita inter *δωρειὰς* a populo Atheniensi Leuconi decretas (vide tit. vs. 23, cf. Dem. XX 29 sqq.) illud fuisse conicio, ut, dum promissis fidem servasset, diebus festis magnorum Panathenaeorum per singula quadriennia iterum iterumque coronis honoraretur: quod praemium singulare atque extraordinarium non nimis mirabimur conlatum ei, quem inter omnes fautores rei publicae Atheniensium longe principem Demosthenes continuo civitatem invisse praedicat, atque eis quidem de rebus, quarum maxime egeret res publica (§ 30).

1) *τὸ δὲ νῦ[ν] εἶναι* quod scriptum est nescio quodnam oppositum admittat aliud nisi *τὸ δὲ ἄλλοτε εἶναι*: ut hinc quoque sententiae modo pro veri simili positae non minimum paretur praesidii.

2) Interim brevissimis adnoto populiscitum quod modo tractavimus octava prytanea factum esse, cum comitia in Piraeo *περὶ τῶν ἐν τοῖς νεωρίοις* ultimis anni diebus (*Σκιροφοριῶνος τῇ τετράδι φθίνοντος*) habita esse supra monuerimus (p. 29 n. 5 extr.): ut ne a temporum quidem ratione mirus conexus, quem Fraenkelius statuit inter illas *εἰσφορὰς τὰς εἰς τὰ δέκα τάλαντα*, de quibus supra satis superque dictum est, et aerarium militare, quod ex ipsius sententia tum ipsum recens institutum est, intercessisse, quidquam habeat commendationis.

eo careri posse censebant sive viri ad publicos magistratus subeundos idonei non satis multi aderant.... Fortasse etiam Demetrius Phalereus, qui paucis viris summa negotia deferre studebat, apodectarum munus sustulit' (Spangenberg. in diss. supra p. 50 n. 5 laudata p. 43). — Eadem aetate negotium dispensandi ad τὸν ἐπὶ τῇ διοικήσει videtur transiisse.

TABULA ARGUMENTI.

INDEX RERUM.

INDEX TITULORUM ET LOCORUM QUI TRACTANTUR.

DE ATHENIENSIUM MORE


EXTEROS CORONIS PUBLICE ORNANDI

QUAESTIONES EPIGRAPHICAE

SCRIPSIT

ARMINUS DITTMAR

THURINGUS.



Praeter ceteras Graecorum civitates Athenienses profundebant honores, varios variis temporibus, id quod non ignoravit Demosthenes in *Leptinea: αἱ μέντοι τιμαὶ καὶ τἄλλα πάντα τὰ μὲν τότ' ἦν ἐπὶ τοῖς τότ' ἔθεσι, τὰ δὲ νῦν ἐπὶ τοῖς νῦν.* Insignem autem locum omnibus fere temporibus obtinuit coronae praemium, sive aurea fuit, sive de sacris olivis decerpta. Quod si quis hunc in coronandi morem, qualis fuerit progressus quae genera quae frequentia, accuratius inquisiturus est, tituli imprimis ei erunt adeundi, parum suppeditabunt rerum scriptores. Nam eius aetatis auctores qua mos ille laetissime floruit invidia temporum fere omnes periere. Nos quidem in epigraphica tantum incumbere studia maluimus.

Sed tanta est lapidum qui ad has res pertinent copia et in dies augetur, ut artioribus finibus materiem tractandam coercere pronum et aptum videatur. Ergo ea decreta selegimus quibus exteri homines huius praemii participes facti sunt, prorsus negleximus Atheniensium cives.

Hanc autem commentationis viam ingrediendam esse censuimus, ut primum disputaremus de coronis quae cum proxenia et euergesia coniunguntur, deinde de eis quae inveniuntur in civitatis decretis, tertio denique capite comprehenderemus reliquas omnes.

Caput primum.

De coronis cum proxenia et euergesia coniunctis.

§ 1.

Primum decretum cuius tempus accurate novimus publici iuris factum est in annalibus Graecis, qui inscribuntur *Ἀθήναιον*; exstat enim in vol. VI p. 131 populi scitum XIX. die mensis Elaphebolionis a. Ol. 112, 1 = 332/1 ratum factum, quo Amphis quidam laude, corona aurea sive oleaginea, proxenia, euergesia, fortasse aliis quoque honoribus ornatur [1]).

Inveniuntur sane in *Corpore Inscriptionum Atticarum* duo tituli quos Koehlerus Rangaben [2]) secutus ante annum Ol. 112, 1 = 332/1 exaratos esse coniecit. Agitur enim de Tyriis quibusdam, patre et filio [3]), et Sidonio [4]), qui cum Athenienses et aliis rebus et commeatu adiuverint a populo honoribus adficiuntur. Iam cum Tyrum urbem Hecatombaeone mense anni Ol. 112, 1 = mense Iulio a. 332 ab Alexandro Magno dirutam esse tradatur [5]), ante hunc annum decreta illa confecta esse concluserunt viri illi doctissimi. Sed vereor ne dubitationi conclusio illa sit obnoxia. Etenim quoniam constat eos quoque peregrinos, qui metoecorum condicione usi Athenis sive Piraei negotiandi causa vitam degebant, proxeniae et euergesiae honore esse ornatos [6]), nihil impediet, si rem ipsam spectabimus, quominus Tyrios illos et Sidonium ipsos quoque Athenis mercaturae causa habitasse arbitremur.

---

1) Proxenia et euergesia ad posteros quoque pertinet, si quidem ultimum versum sic explere licebit:

καί]
[ε ἶ ν α ι α ὐ τ ὸ ν π ρ] ό ξ ε ν ο ν [κ α ὶ ε]
[ὐ ε ρ γ έ τ η ν τ ο ῦ] δ ή μ ο υ τ [ο ῦ Ἀ θ η]
[ν α ί ω ν κ α ὶ ἐ κ γ ό] ν ο [υ ς α ὐ τ ο ῦ]

2) *Antiquités helléniques* II p. 88.

3) CIA II 170.

4) CIA II 171.

5) Arrian. *Anab.* II 24 extr.

6) Qua de re exposuit Schubertus in dissertatione quae inscribitur *De Proxenia Attica,* Lipsiae 1881 p. 10 seqq. et nos ipsi infra complura dicemus.

Et si quis obiecerit, mercatores illos cum frumento apportando Athenienses adiuvissent[1]), necessario Tyri et Sidone sedem habuisse, ei decretum porrigam quo Heraclidi, Chariclidis filio, Salamine ex Cypri oppido oriundo, qui et ipse de re frumentaria optime meritus erat, anno Ol. 113, 4 = 325/4 proxenia euergesia alii honores conferuntur[2]).

Heraclidem enim Athenis sedem collocasse ex ea re colligitur, quod ei conceditur ut stipendia faciat tributaque pendat aeque atque ipsi cives Athenienses[3]), quae privilegia Heraclidi nisi Athenis metoecus versatus esset nulli fuissent emolumento atque hoc loco omni sensu carerent[4]).

Quae cum ita sint certe fieri potuit, ut mercatores de quibus CIA II 170 et 171 agitur Athenis habitantes proxeniae euergesiaeque honore adficerentur, etsi Tyrus urbs iam diu diruta erat et solo aequata.

Itaque, si argumenta adferentur — et adferemus[5]) infra — quibus decreta illa post annum Ol. 112, 1 rata esse facta comprobetur, ne illud quidem obstabit quominus Rangaben falsam posuisse sententiam putemus, quod Koehlero etiam litterarum species ac forma indicare visa est aetatem clade illa Tyriorum paullo antiquiorem.

Etenim argumenta ex litteratura deprompta admodum esse debilia, et ipse Koehlerus optime cognitum habet[6]), et saepius

1) Id quod elucet e verbis hisce (CIA II 170): [*καὶ εἰς τὸν λοιπ*]*ὸν χρόνον ἐπα*[*γγέλλεται σιτηγήσει*]*ν Ἀθήναζε.*

2) MDAI VIII p. 218 v. 9: [*κ*]*αὶ πρότερόν τε ἐπέδωκεν ἐν τῇ σ|πανοσιτίᾳ XXX μεδίμνους πυρῶν π*[*εντε*]*δράχμου|ς πρῶτος τῶν καταπλευσάντων ἐνπόρων καὶ πάλιν | ὅτε αἱ ἐπιδόσεις ἦσαν ἐπέδωκε XXX δραχμὰς εἰ|ς σιτωνίαν.*

3) l. l. v. 20: *καὶ στρατεύεσθαι αὐτοὺς τὰς στρατείας καὶ εἰσφέρειν τὰς εἰσφορὰς μετὰ Ἀθηναίων.*

4) Cf. quae Koehlerus exposuit l. l. p. 212: 'Der Geehrte gehörte zu den zahlreichen fremden Grosshändlern und Rhedern, welche als attische Schutzverwandte in Piraeus oder Athen ihre Geschäfte trieben.'

5) p. 80 et alio loco posteriore.

6) Cf. praef. ad CIA II 1: 'Titulos in sua quosque classe litteraturae maxime specie fretus ex temporis ordine digessi. Haec operis mei pars ardua illa quidem et erroribus obnoxia, quomodo cesserit, alii

nostris diebus eo demonstratum est, quod viri docti gravioribus argumentis nisi titulorum tempus aliter definiebant atque antea solam spectantibus litteraturam visum erat[1]).

Quarto loco posui titulum CIA II 176. Laudatur autem hoc decreto anno Ol. 112, 3 = 330/29 facto, corona oleaginea, euergesia, aliis praemiis ornatur Eudemus Philurgi filius Plataeensis.

Sequitur titulus iam supra[2]) laudatus, quo Heraclidi Salaminio a. Ol. 113, 4 = 325/4 Athenis honores conferuntur[3]).

Procul autem habendum esse censeo decretum vel potius decreta tituli CIA II 186. Quod ut demonstrem paullo altius repetam. Notum enim est, hoc maxime titulo usum esse Guilelmum Hartel ad comprobandam illam sententiam quam sibi conformavit de duplici quae fuisset in ecclesia Atheniensi lectione sive rogatione[4]). Persuasit enim sibi vir doctissimus, priore tituli parte contineri decretum probuleumaticum, quod, cum *primum* de rogatione illa ageretur, populo comprobatum posteaque in pila solito more esset incisum. Ut vero probuleumaticum illud decretum ratum fieret, opus fuisse altera contione, cuius commentarii scripti exstarent in posteriore tituli parte. Fieri enim non potuisse ut, si priore contione decretum ratum factum esset, posteriore ei additamentum adiceretur.

---

iudicabunt et tempus monstrabit.' — Cf. etiam Larfeldi praef. ad *Syllogen Inscriptionum Boeoticarum* conscriptam p. IV et quos ibi laudat editor auctores.

1) Cf. CIA II 92, qui hodie ab ipso Koehlero quinto attribuitur saeculo: in Busolti *Historiae Graecae* vol. II p. 514^2. CIA II 120. Is titulus quem Koehlerus a. Ol. 110, 1 = 340/39 exaratum esse voluit, a Reuschio in dissertatione quae inscribitur *De diebus contionum ordinariarum apud Athenienses*, Diss. Argent. III p. 6 adscriptus est anno Ol. 116, 4 = 313/2. Bene etiam adfertur tit. CIA II 167 add. nov. p. 411 et Hermae vol. XXIV p. 109 seq.

2) p. 67.

3) MDAI VIII p. 216 et 218.

4) *Studien über attisches Staatsrecht und Urkundenwesen*, Vindobon. 1878 p. 215 seqq.

Neque obstare huic sententiae verba additamenti[1]): [*ἐπ*]*ειδὴ δὲ Εὐήνωρ Εὐηπίου δι' εὐεργεσίαν πρόξεν*|[*ο*]*ς ἐγένετο τοῦ δήμου τοῦ Ἀθηναίων*, quibus Euenorem iam antequam additamentum ratum esset factum, proxenum re vera fuisse cognoscatur. Quam obiectionem ut removeat, *δέ* particula v. 6 a Koehlero uncis conclusa eo nos perduci contendit, ut post *δέ* verba quaedam veluti *ὁ δῆμος ἐψηφίσατο* lapicidae errore omissa esse putemus. Euenorem igitur cum priore quodam tempore [ante a. 321] proxenus sit factus, tum ut nova sibi privilegia et honores deferantur postulare.

Hanc tamen sententiam concidere intellexit Otto Miller[2]), qui *καί* particulam procul dubio ante *αὐτῷ* ponendam fuisse, si recte se haberet Hartelii sententia, rectissime contendit. Nam quis tandem intellegeret verbis sic scriptis[3]): *εἶναι δὲ αὐτὸν* ⟨*ὁ δῆμος ἐψηφίσατο*⟩ *πρόξενο*[*ν*] | *καὶ εὐεργέτην τοῦ δήμου τοῦ Ἀθηναίων κα*|*ὶ αὐτὸν καὶ ἐκγόνους, καὶ εἶναι αὐτῷ καθ*|*άπερ τοῖς ἄλλοις εὐεργέταις* post verba *καὶ ἐκγόνους* incipere apodosin quam dicunt grammatici, quae ipsa penderet ab antecedentibus verbis *ὅτι δοκεῖ τῇ βου*[*λῇ*]|[*ι*]? [4])

Sed idem Millerus qui modo redarguit Hartelium, ipse paullo post exstitit eius defensor — nempe ad suam ipsius opinionem stabiliendam. Non offendere enim adfirmat quod in additamento legatur: *ἐπειδὴ Εὐήνωρ πρόξενος ἐγένετο* — etsi haec verba Hartelio tanti momenti fuisse vidimus, ut prius decretum lapicidae culpa satis mutilatum esse contenderet! Namque verba illa eadem ratione minus accurate esse dicta atque legitima illa verba: *ἀναγράψαι τόδε τὸ ψήφισμα* — quibus neminem adhuc esse perductum, ut crederet, primum priorem rogationis partem a populo ratam esse factam, deinde rogatorem suasisse, ut quod modo decretum esset lapide publicaretur.

Sed ut hoc quod ultimum posuit Millerus concedamus,

---

1) v. 23 seqq.

2) In dissertatione qua proponuntur *de decretis Atticis quaestiones epigraphicae*, Vratislaviae 1885 p. 45.

3) v. 6 seqq.

4) v. 3.

tamen nunquam concedam, licere comparare haec verba: *ἀναγράψαι τόδε τὸ ψήφισμα* cum illis quae sunt: *ἐπειδὴ Εὐήνωρ πρόξενος ἐγένετο.* Namque *ψήφισμα* vocabulum procul dubio ita intellegendum est, ut breviter dictum sit pro: *τόδε τὸ ψήφισμα, ἐὰν ψήφισμα γένηται* — verba autem *ἐπειδὴ Εὐήνωρ πρόξενος ἐγένετο* nihil significant nisi: quoniam factus est Euenor proxenus. An aliter Millerus censebit verba esse intellegenda in titulis hisce:

Ol. 95, 2 = 399/8: CIA II 1ᶜ v. 8 sqq.: *[Πυθοφάνει τῷ Καρυ]‖[σ]τίῳ, ἐπειδὴ πρό[ξενός ἐστι Ἀθηναίω]‖ν καὶ εὐεργέτης κ[αὶ* + 14]*αι τὴν πόλιν τὴν Ἀ[θηναίων τε καὶ* [1]) *Καρυ]‖στίων, τὸ ψήφισμα τ[ὸ καὶ πρότερον ὂν α]‖ὐτῷ ἀναγράψαι ἐν [στήλῃ λιθίνῃ* eqs.

Ol. 100, 4 = 377/6: CIA II 21 v. 5 sqq.: *ἐπειδ[ὴ] | Εὐρυ[τ]ίων καὶ ὁ πατὴ[ρ] αὐτοῦ Ποτ[αμ]όδωρος [κ]αὶ οἱ [π]‖ρόγονοι αὐτῶν πρόξ[εν]οί τε εἰσὶν Ἀθηναίων κ[αὶ] | [εὐεργ]έ[τ]αι* eqs.

Ol. 104, 2 = 363/2: CIA II 55 v. 21 sqq.: *[ἐπει]δὴ [δ]ὲ καὶ οἱ πρόγονοι οἱ [Μενελάου εὐεργ]‖[έται ἦσαν] τοῦ δήμου τοῦ Ἀθη[ναίων, εἶναι καὶ] | [Μενέλαον εὐεργέ]τη[ν* — — —

Guilelmus igitur Hartel recte videtur verba intellexisse, ita quidem ut respiciant ad decretum quoddam priore tempore factum, quo proxenia delata erat Euenori. Nec tamen rationem eum perspexisse censeo inter duas tituli CIA II 186 partes intercedentem.

Nam primum particulam *δέ*, quae nunc quidem perverse legitur in priore decreti parte, neque delendam esse censeo, neque eundem in modum explicandam quo voluit Hartelius. Hanc potius ingrediar viam. Videmus enim in omnibus decretis Atticis quibus honores alicui deferuntur, inde ab anno fere Ol. 110, 4 = 337/6 [2]) constanti usu ipsi honori praemissam esse laudem publicam, his fere verbis conceptam: *ἐπαινέσαι*

1) Ex coniectura nostra.

2) Ultimum exemplum quo desideratur laus publica est CIA II 124; cf. infra.

τὸν δεῖνα ἀρετῆς ἕνεκα καὶ εὐνοίας τῆς εἰς τὸν δῆμον τὸν Ἀθηναίων. Nullus igitur dubito, quin illo quoque titulo inseri debeant ante *εἶναι δὲ αὐτὸν* verba illa legitima: *ἐπαινέσαι μὲν Εὐήνορα Εὐηπίου Ἀργεῖον ἀρετῆς ἕνεκα καὶ ἐπιμελείας*[1]) *τῆς εἰς τὸν δῆμον τὸν Ἀθηναίων.* Namque verisimilius profecto statuitur lapicidae culpa factum esse ut aliquid omitteretur quam adderetur.

Ex his quae adhuc disputavimus elucet necessario separandas esse tituli partes. Namque verbis *ἐπειδὴ δὲ πρόξενος ἐγένετο* et Hartelii redarguitur argumentatio et Milleri sententia satis implicata, quam exposuit l. l. p. 45 et quam hic repetere longum est.

Iam quaenam fuit ratio inter duo illa decreta? Rem sic explicaverim: Ante annum 321 Euenor, quod bene meritus erat de Atheniensium re publica et laude et proxenia euergesiaque hereditaria honoratus est; decretum in pila incidendum scriba senatus curavit[2]). Quo anno hoc factum sit, accurate dici non potest. Verisimilem tamen esse infra[3]) exponemus eam sententiam, qua priorem tituli partem ante annum 332 lapidi incisam esse arbitremur.

Anni autem 321 mense Thargelione iterum res quaedam quae pertinebat aliquo modo ad Euenorem in contione Atheniensium agebatur. Quae fuerit res, sane est incertum, sed fingere licet, petiisse Euenorem, quem publici medici munere functum esse cognoscimus e decreto posteriore[4]), ut aedificium quoddam publicum sibi daretur, ubi aegroti curarentur vel ut pecuniae sibi adsignarentur vel tale quid. Quod petiit Euenor senatus populusque Atheniensis concessit.

Diophantus autem, Phrasiclidis filius, senatus probuleumati additamentum adiecit[5]), quo ut Euenor novis honoribus de-

---

1) Is enim est terminus qui dicitur technicus de medicorum maxime cura adhibitus; cf. CIA II 186 v. 28; 256[b] v. 23.

2) CIA II 186 v. 1—15.

3) p. 80.

4) v. 24 seqq.: *ἅπαντα ὅσ|[α] προσέταξεν αὐτῷ ὁ δῆμος ὁ Ἀθηναίων καὶ ἰδίᾳ | καὶ κοινεῖ ἐπιμέλεται.*

5) v. 22: *τὰ μὲν ἄλλα καθάπερ τῇ βουλεῖ.*

coraretur proposuit. Qui cum et ipsi concessi essent Euenori, in eodem lapide incisi sunt atque decretum illud probuleumaticum compluribus annis ante ratum factum. Quod vero ipsum illud probuleuma posterioris decreti, quo Euenori aliquid datum vel traditum esse supra sumpsimus, in pila non incisum est, non est mirum. Nam primum pertinuit probuleuma non ad honores Euenori deferendos, deinde a probabilitate non abhorret ea opinio qua omissum esse id putaverim eam ob causam, quod spatium lapidis non sufficeret. Atque id inde concludo, quod decretum alterum litteris exaratum est paullo artius dispositis. Hoc nimirum non factum esset, si decreta ambo uno tempore concepta lapidique essent incisa [1]).

Quae cum ita sint, non pertinet titulus CIA II 186 ad catalogum de quo agimus, quo ea exempla conferre constituimus, quibus viri bene de Atheniensium re publica meriti eodem tempore et proxenia euergesiaque et corona ornati sunt.

Proximus titulus est CIA II 208, qui Koehlero iudice paullo ante annum Ol. 115, 1 = 320/19 in lapide incisus est. Laudatur autem, ornatur corona aurea mille drachmis constanti, proxenia euergesiaque et enctesi legitima donatur Thyionis cuiusdam filius, cuius nomen et patria non iam exstant in titulo.

Sequitur decretum in *Commentationibus Academiae Berolinensis* publici iuris factum [2]), deinde ab Adolpho Wilhelm feliciter restitutum [3]). Eodem fere tempore hunc titulum exaratum esse atque CIA II 208 propter formularum totiusque tenoris similitudinem, praesertim propter verba [4]): [*εἶναι δ*]||[*ὲ αὐτῷ καὶ γῆ*]*ς καὶ* [*οἰ*]*κί*[*ας ἔγκτησιν Ἀθ*]||[*ήνησιν κατὰ τ*]*ὸν νόμον* admodum probabile est. Diophanti enim vel Diophanis Histiaeensis filius laude publica, corona aurea sive

1) Cf. CIA II 54. 55. 73. 86. 119. 168. Contra CIA II 17 v. 91 Aristotelis rogatio, quam compluribus annis post Ol. 100, 3 latam esse inde perspicitur, quod Parios (v. 89) a. Ol. 101, 1 = 376 societati maritimae accessisse verisimile est, ipsa quoque litteris artius dispositis est exarata; cf. Dittenbergeri *Syllogen Inscriptionum Graecarum* p. 114 ad. 31.

2) *Comm. Berol.* 1887 p. 1191. 19.

3) *Hermae* vol. XXIV p. 328.

4) v. 12 seqq.

oleaginea, proxenia, euergesia decoratur, quibus honoribus accedit ius domus et agros possidendi et acquirendi.

Sub finem quarti saeculi proxeni duo ornantur coronis aureis legitimis decreto quod exstat in CIA II sub numero 282 [1]). Virorum nomina mutilata sunt.

Ex tituli CIA II 286, qui et ipse sub finem quarti saeculi exaratus est, verbis *[χ]ρυσῷ στεφάν[ῳ]* v. 8 et *[Ἀθην]αίων προ[ξ]ενία[ν]* v. 10 concludere licet, proxenia et corona aurea viros quosdam honoratos esse. Atque cum ex versibus 11—16 nanciscamur versus quadragenarum litterarum, sic fortasse versus illi vacui [7—11] explendi sunt:

[τὰσυμ]
7 *[φ]έροντατῶιδ[ήμωιστεφανῶσαιδ᾽ἑκάτερον αὐτῶνχ]* 7
[ρ]υσῶιστεφάν[ωιἀπὸπεντακοσίωνδραχμῶνδεδόσθ]
[α]ιδὲαὐτ[ο]ῖςκα[ὶτοῖςἄλλοιςεὐεργέταιςτὴνἈθην]
10 *[α]ίωνπρ[οξ]ενία[νκαλέσαιδὲ . . . . καὶτοὺςπρ]* 10
[έ]σβειςκαὶἐπὶξ[ένιαεἰςτὸπρυτανεῖονεἰςαὔριο]
[ν]

Quamquam ipse, quam dubia sint haec supplementa, praesertim versus noni haud nescio. Erit autem fortasse, qui inserenda esse censeat pro verbis *καὶ τοῖς ἄλλοις εὐεργέταις τήν,* quae satis videntur esse supervacanea, verba *καὶ γῆς καὶ οἰκίας ἔγκτησιν καί*, ut spatium vacuum gravioribus verbis magisque necessariis expleatur. Sed cum ius domus agrosque possidendi in decretis Atticis semper locum habeat post verba quibus proxenia decernitur, illud profecto statui nequit [2]). Nec magis licebit post *Ἀθηναίων προξενίαν* inferre formulam *κατὰ τὸν νόμον,* cum nunquam haec verba occurrant cum proxenia ipsa coniuncta [3]).

Sequuntur duo tituli quibus tempus fuisse cognoscimus, cum Athenis iis qui enctesi donarentur, examen — *δοκιμασία* — esset subeundum. Ac prior [4]) quidem sagaciter restitutus

1) Cf. de hoc titulo quae infra dicemus.
2) Cf. Excursum I.
3) Cf. quae infra uberius exponemus de hac formula.
4) Ἀθ. VI p. 136.

est ab Adolpho Wilhelm[1]) ita ut hoc quidem loco nihil sit addendum. Uberius autem disputandum est de titulo altero[2]).

Ac primum quidem si inspexeris[3]) versum 7 id maxime offendet, quod verba *τὸν ταμίαν*, quae necessario locum habuerunt inter *μερίσαι* et *τῶν στρατιωτικῶν*, propter spatii angustias in lapide qualis nunc quidem est exarata esse omnino non possunt. Multo etiam difficilius erit versu 4 — ut aliud exemplum adferam — post *μέχρι τρισχι[λ]ίων* verba sollemnia inserere: *το[ὺς δὲ] θ[εσμοθέτας εἰσαγαγεῖν αὖ]*.

Quid igitur faciemus? Ac mea quidem sententia statuendum est dexteram lapidis partem, qualis antea erat, de industria decisam marginemque denuo politum esse atque levigatum. Titulus ergo iis adnumerandus est quos editor aedificando absumptos esse dicit[4]).

Sed non solum dextera lapidis pars, sed etiam laeva hoc modo mutilata est, cum in altero decreto eidem lapidi inciso spatium ante vocem ΑΡΧΟΝΤΟΣ vacuum artius sit, quam ut capiat verba *ἐπὶ τοῦ δεῖνος*. Ergo spatium sex vel septem fere litterarum laeva parte addatur oportet.

Aliud deinde non minus memorabile videtur esse. Deprehenduntur enim tot lapicidae errores, ut titulum qui possit comparari unum ego quidem in promptu habeam: CIA II 108. Primum enim v. 2 ultimae litterae ΑΥ. Ο haud dubie corrigantur necesse est. Ex legitimorum enim substantivorum numero nullum aptum est sive scribes *εὐνοίας ἕνεκεν καὶ φιλοτιμίας* sive *ἀρετῆς* sive *δικαιοσύνης* sive *ἐπιμελείας* sive *ἀνδραγαθίας* sive *φιλίας*[5]).

Tum versus 3 ultima littera Δ quin falso posita sit non dubito, cum titulorum sermo postulet supplementum *πρόξενον*

1) H XXIV p. 335.

2) CB 1887 p. 1068. 6.

3) Cf. tituli imaginem in tabula adfixa.

4) CB 1887 p. 1066 II: 'Bei dem im Juni 1887 erfolgten Abbruch der 'Tholos' (nordöstlich vom Erechtheion) in dieselbe verbaut oder unmittelbar neben ihr gefunden.'

5) Cf. Stud. Vindob. VI p. 42: Kunz, *Ueber die Echtheit zweier Psephismen in der Pseudo-Plutarchischen Schrift 'Leben der zehn Redner'*.

Ἀθηναίων αὐ[τὸν κ]Α[ὶ ἐκγόνους]. Deinde eiusdem versus littera altera I male scripta est pro N; desideratur enim *[τὸν δῆμον τὸν Ἀθηναί]ων*. Praeterea versus 4 prima littera Y mutari debet in X: *[γῆς μὲν μέ]χρι ταλάντου*. In quinto versu iterum ultimae litterae offendunt, cum non conveniant cum verbis solitis *ὅταν πρῶτον ὁ [ἐκ τοῦ] νό*Μ*[ου χρόνος ἐξήκῃ]*[1]. Nec magis in fine versus sexti verba sollemnia *[εἰς στή]*-*λ*Η*ν [λιθί]*Ν*[ην]* cum litteris in lapide conspicuis consentiunt. Aperte deinde erravit lapicida in fine versus septimi, cum pro H littera incideret O: *καὶ τὴν ἀνάθεσιν [τῆς στήλ]*Η*ς με-ρίσα[ι τὸν]*.

Quae cum ita sint quinti quoque versus initio sola lapicidae socordia factum esse censeo, ut omitteretur post ΤΩ littera iota: *[εἰςαγαγεῖν αὐ]τῶ(ι) τὴν δοκιμασίαν*. Ergo non necesse videtur esse ut cum Wilhelmo decretum illud arbitremur ratum factum esse altero demum a. Chr. saeculo[2]. Etenim praeter iota illud causam non video, cur prius decretum alteri saeculo sit attribuendum. Atque hoc nunc quidem obiter moneam, cum infra uberius disserendum sit de tituli aetate.

His fundamentis positis facile in restituendo titulo progrediemur, etsi non per ordines dispositae sunt litterae. Ita enim tituli lacunas explendas esse censeo ut factum est in tabula adfixa.

Comprehendere deinde licet tria decreta quae, etsi ius domus agrosque acquirendi condicionibus quibusdam circumscriptum est, tamen carent docimasia. Quorum primum exstat in CB 1887 p. 1069. 8 et a Wilhelmo restitutum est in Hermae vol. XXIV p. 331 seqq. Respicit titulus ad Aristocreonta, Nausicratis filium, quem Chrysippi cognatum fuisse oriundum-

1) Cf. CIA II 309: *[ὅταν αἱ ἡμέραι ἐξήκωσ]ιν [α]ἱ ἐκ τοῦ νόμου*; II 318: *[ὅταν ἐξήκ]ωσιν αἱ ἐκ τοῦ ν[όμου ἡμέραι]*; II 331; 382; *Ἀθ.* VI 135, 10; VI 136, 11: *ὅ]ταν ἐξήκει ὁ ἐκ τοῦ νόμου χ[ρόνος]*; cf. de his Reusch. *de dierum* p. 59.

2) H XXIV p. 333: ‘Ich werde auf die Inschrift, welche dem zweiten Jahrhundert angehört, vielleicht bei anderer Gelegenheit zurückkommen.’

que Solis, admodum probabilis sane est Wilamovitzii coniectura. Vir — praeter ius illud modo commemoratum — laude publica, corona oleaginea, proxenia hereditaria ornatur.

Sequitur titulus in *Deltio Archaeologico* (DA) 1888 p. 184 publici iuris factus, quo honores sollemnes — laus publica, corona oleaginea, proxenia euergesiaque, enctesis — conferuntur Dionysio cuidam.

Falso inlata est huic titulo corona aurea ab editore, cum illa quidem aetate — medio vel exeunte III. saeculo (cf. hui. diss. part. postr.) — fere nunquam ornamentum illud peregrinis quidem hominibus datum sit. Ergo legendum: v. 5: [*θαλλοῦ σ*]*τεφάνῳ*. Deinde cum vv. 2 et 3 singulos versus fuisse 53 vel 54 litterarum discamus, vix recte se habere censeo quae Lollingus scripta fuisse coniecit in v. 4: *ἐπαινέσαι Διονύσιον Σιμι*[. . . . . . *καὶ στεφανῶσαι*] | [*αὐτὸν*]. Spatia enim vix apta erunt recipiendo patriae nomini, quod etsi non semper patris nomini additur, tamen raro illa quidem aetate neglegitur. Ergo eiecto pronomine *αὐτόν* scribamus: *ἐπαινέσαι Διονύσιον Σιμι*[. . . . . *καὶ στεφ*]|[*ανῶσαι θαλλοῦ σ*]*τεφάνῳ*. Porro quinti quoque versus supplementa, cum denuo legitimus litterarum numerus laedatur, ferri nequeunt (sunt enim 58 litterae). Quod si quis hoc quoque loco pronomen *αὐτόν* (ante *πρόξενον*) eiciendum esse statuerit, ne sic quidem apte damno medebitur. Rarissime enim unum substantivum abstractum (*εὐνοίας* sive *φιλοτιμίας*) cum verbis *χρυσῷ* sive *θαλλοῦ στεφάνῳ* coniungitur. Altera ex parte saepius inde a saeculo tertio pro longiore illa formula *τῆς εἰς τὸν δῆμον τὸν Ἀθηναίων* brevior invenitur haec: *τῆς εἰς τὸν δῆμον* (CIA II 311 v. 36; 318; 413) sive *τῆς πρὸς Ἀθηναίους* (CIA II 414; 423). Itaque eo in titulo quem tractamus supplendum est: *εὐνοίας ἕνεκεν* [*καὶ φιλοτιμίας τῆς εἰς τὸ*]|[*ν δῆμον· εἶναι δὲ πρό*]*ξενον*. Deinde in eis quae sequuntur collocatio displicet verborum. Melius enim cum sermone publico consentire videtur haec positio: [*πρό*]*ξενον καὶ εὐεργέτην* [*τοῦ δήμου τοῦ Ἀθηναίων αὐ*]|[*τὸν καὶ ἐκγόνους αὐτοῦ*]. De versu 7 restituendo desperavit vir doctissimus. Ei autem qui supplementum proponet, spatium

inter verba *αὐτῶ[ι]* et *[δρα]χμῶν* 36 fere litteras capere tenendum erit. Deinde cum altero demum loco commemorentur drachmae, fundi pretium fuerit talentum vel potius semitalentum, cum nimis distaret, si scriberemus *γῆς μὲν μέχρι ταλάντου*, agri pretium a domo. Itaque certa ratione ac via eo perducti sumus, ut iam titulo inferamus verba: *ὑπάρχειν δὲ αὐτῶ[ι καὶ ἔγκτησιν γῆς μὲν ἡμ]||[ιταλάντου οἰκίας δὲ δρα]χμῶν . X.*

Ac ne 8 et 9 quidem versuum restitutionem comprobari posse censeam. Nam primum litterarum numerus (61) nimis recedit a solito. Deinde in eiusmodi formulis semper de futuro tempore agitur. Itaque proponam haec: *εἶναι δὲ [αὐτῷ εἰς τὸν λοιπὸν χρόν]||[ον φιλοτιμουμένῳ εὑρέσθ]αι κ[αὶ] ἄλλο ἀγα[θὸν οὗ ἂν δοκῇ ἄξιος εἶν]||[αι ἀναγράψαι δὲ τόδε τὸ κτλ.*, de quibus conferas, quaeso, titulum MDAI V p. 327, 12 infra delineatum. — Fuit igitur tituli species ea quam in tabula expressimus adfixa; inde autem admodum esse probabilia nostra supplementa elucet.

Eadem fere aetate lapidi incisum est decretum CIA II 380. Homo honoribus ornatus, est Apollas quidam sive Apollagoras.

Agmen claudant tituli tres postremi aevi, in quibus neque docimasia neque condiciones illae encteseos propriae inveniuntur: CIA II 414. 423. 438.

§ 2.

Quibus exemplis examinatis quaerendum est, quatenus Athenienses constiterint sibi in eo more quo proxenos et euergetas coronis aureis atque oleagineis exornabant. Nec difficile est diudicare hanc quaestionem. Namque ante annum Ol. 112, 1 = 332/1 unus invenitur titulus, CIA II 142, cuius etsi nihil traditum est, nisi disiecta quaedam membra ac dissipata, et coronam alicui conlatam esse et proxeniam censeo. Sic autem progressus sum in titulo restituendo:

Primum enim litteras vv. 10 et 11: [Ψ]ΗΦΙΣΜΑ et [Α]ΙΣΤΗΣ ita inter se coniungendas esse conieci, ut evaderet enuntiatum

hoc: *ἀναγράψαι δὲ τόδε τὸ ψήφισμα τὸν γραμματέα τὸν κατὰ πρυτανείαν ἐν στήλῃ λιθίνῃ καὶ στῆσαι ἐν ἀκροπόλει.* Fuerunt igitur huius versus litterae quinquaginta. Quae ratio confirmata est versibus 7 et 8 quorum litteras ΑΡΕΤΗΣ et ΤΟΝ ΑΘΗΝΑΙΩΝ sic suppleo: *ἀρετῆς ἕνεκα καὶ φιλοτιμίας τῆς εἰς τὴν βουλὴν καὶ τὸν δῆμον τὸν Ἀθηναίων.* Iam via certa erat atque tuta. Namque talem versuum duorum consensum fortuito esse factum vix sumendum erat. Evasit igitur hoc versuum 5—7 supplementum: [*ἐπαινέσαι* ......]*να Διονυσίο*[*υ* ....*καὶ στεφανῶσαι αὐτὸν χρυσῷ* sive *θαλλοῦ στεφάνω*]*ι ἀρετῆς ἕνεκα* etqs. Lacuna deinde quae hiat in vv. 8 et 9 propter verba ΓΗΣ ΚΑΙ ΟΙΚ hunc in modum potuit expleri ac debuit: *εἶναι δ' αὐτὸν καὶ πρόξενον Ἀθηναίων καὶ εἶναι αὐτῷ γῆς καὶ οἰκίας ἔγκτησιν οἰκοῦντι Ἀθήνησιν.*

Quibus versibus restitutis priore decreti parte propter verba *δεδόχθαι* [v. 2] — — *δῆμον* [v. 4] — — *βουλῆς* [v. 5] contineri formulam probuleumaticam quae dicitur, pro certo habui. Sed hic orta est difficultas. Namque cum formula illa hunc exhibeat tenorem sollemnem: *δεδόχθαι τῇ βουλῇ τοὺς προέδρους οἳ*[1]) vel *οἵτινες*[2]) vel etiam *ὅσοι ἂν*[3]) *λάχωσι προεδρεύειν εἰς τὴν πρώτην* vel *εἰς τὴν ἐπιοῦσαν ἐκκλησίαν* littera Β versus 3 huic supplemento resistere videbatur. Attamen cum quartus quoque et quintus versus optime sic restituerentur: *καὶ χρηματίσαι περὶ τούτων γνώμην δὲ ξυμβάλλεσθαι τῆς βουλῆς εἰς τὸν δῆμον ὅτι δοκεῖ τῇ βουλῇ* tantum abfuit ut de restituendo titulo desperarem, ut mutandam esse censerem litteram Β in Γ aut Ε. Legendum igitur erat: *εἰς τὴν πρώτην ἐκκλησίαν προσαγαγεῖν* + 12 *πρὸς τὸν δῆμον καὶ χρηματίσαι* aut: *εἰς τὴν ἐπιοῦσαν ἐκκλησίαν προσαγαγεῖν* + 10 *πρὸς τὸν δῆμον.* Ut vero eligerem litteram Γ, duabus causis permotus sum. Primum enim titulus necessario attribuendus est saeculo quarto: atqui verba *εἰς τὴν ἐπιοῦσαν* non inveniri

1) Cf. CIA II 52^c.
2) Cf. Ἀθήν. VI 272.
3) Cf. Ἀθήν. VI 136.

nisi inde ab initio saeculi tertii satis notum est. Deinde admodum esset difficile lacunam X litterarum explere quae exsisteret post *προςαγαγεῖν*. Nec enim fieri potest ut scribatur *προςαγαγεῖν μὲν . . . . . . να εἰς τὸν δῆμον,* cum hoc quidem loco nunquam inveniatur particula *μέν*. Contra lacunam XII litterarum quae exsistet si scripserimus *πρώτην* bene licebit explere verbis *τοὺς πρέσβεις,* ita quidem ut evadat haec sententia: *προεδρεύειν εἰς τὴν πρώτην ἐκκλησίαν, προςαγαγεῖν τοὺς πρέσβεις πρὸς δῆμον καὶ χρηματίσαι περὶ τούτων* [1]).

Quid fuerit in ultimis versibus adhuc me fugit. De sollemnibus enim verbis: *εἰς δὲ τὴν ἀναγραφὴν* etqs. non est cogitandum, cum spatia non conveniant. Eandem ob causam, num recte se habeat Koehleri coniectura, valde dubito.

Titulum exaratum esse inter annos Ol. 106—111 = 356—336 ex litteratura conclusit idem vir doctissimus. Quod propter genetivum *Ἀθηναίων* verbo *πρόξενος* additum ita accipiemus, ut ad priorem huius spatii partem referamus lapidem.

Celeriter autem inveteravit mos proxenos et euergetas coronis exornandi. Nam post annum Ol. 112, 1 = 332/1 nullus titulus invenitur, quo non una cum proxenia deferatur corona.

Quae lex non laeditur titulo CIA II 186[a], quo Euenori

1) Cf. H XXIV p. 118[1]: 'Es ist meines Wissens bisher nicht bemerkt worden, dass die probuleumatische Formel auch in den beiden Decreten CIA II 142 Z. 2—5 und 304 Z. 18 ff. herzustellen ist. Sie in dem ersten zu erkennen hat bisher die Lesung Z. 3 ΝΕΙΣΤΗΝΒ gehindert, allein ich glaube die Vermutung wagen zu dürfen, dass Β verschrieben oder verlesen ist für Γ' — His verbis, cum viderem admodum me gavisum esse non miraberis! —

Novum autem huius formulae exemplum exstat in CB 1887 p. 1192. 20:

Ŀ
ΕΝΩ
[. . . . .] ν δ ε δ ό[χ θ α ι τ ῆ ι β ο υ λ ῆ ι τ ο υ ς]
[π ρ ο έ δ ρ ο υ] ς ο ἳ α ν (λ)[ά χ ω σ ι ν π ρ ο ε δ ρ ε ύ ε ι ν]
[ἐ ν τ ῶ ι δ ή] μ ω ι ε ἰ ς τ[ὴ ν π ρ ώ τ η ν ἐ κ κ λ η σ ί α ν]
[χ ρ η μ α τ ί] σ α ι π ε[ρ ὶ τ ο ύ τ ω ν γ ν ώ μ η ν δ ὲ ξ υ μ]
[β ά λ λ ε σ θ] α ι (τ)[ῆ ς β ο υ λ ῆ ς ε ἰ ς τ ὸ ν δ ῆ μ ο ν ὅ τ]
[ι δ ο κ ε ῖ τ ῆ ι β ο υ λ ῆ ι]

medico proxeniam solam oblatam esse vidimus. Nihil enim obstare supra[1]) demonstratum est, quominus priorem tituli partem aliquanto ante annum 321, ergo etiam ante a. 332 compositam esse censeamus.

Titulus deinde CIA II 210 ipse quoque ante annum 332 vel certe ipso illo anno confectus est. Primum enim Koehlerus eum ante Ol. 115 et ante bellum Lamiacum posuit[2]). Deinde post annum 332 non invenitur inscriptio, qua non una cum proxenia coniuncta sit ius domus atque agros possidendi[3]) paucis exceptis titulis de quibus infra disputabitur. Tertium vero idque gravissimum est, quod illo in lapide idem decretum exaratum fuisse mihi persuasum est quod exstat in tituli CIA II 183 priore parte.

At, inquies, nonne legimus tit. 183 v. 13 seqq.: *ἀναγράψαι [δὲ τὸ ψήφισμα τόδε τὸν] | [γραμ]ματέα τὸν κα[τὰ πρυτανείαν καὶ στῆσ]|[αι ἐν] ἀκροπόλει,* cum in tit. 210 v. 5 seqq. scriptum sit: *ἀναγράψαι [δὲ τὸ ψήφισμα] α[ὐ]τῷ τὸν γραμμ[ατέα τὸν κατ]ὰ πρυτανείαν κα[ὶ στῆσαι ἐν ἀ]κροπόλει?* Sed unde scis, verba tit. 183 recte esse suppleta? Nonne unius litterulae spatium vacuum remansit, cum legitimus litterarum numerus sit triginta trium? Num etiamnunc dubitabis quin scribendum sit: *ἀναγράψαι [δὲ τὸ ψήφισμα αὐτῷ]*? 'At perfacile fieri potuit, ut iisdem verbis iidem honores tribuerentur diversis hominibus!' Atqui hoc etsi in universum fortasse concedendum erit, illo tamen in titulo statui nequit. Nam primum verba *ἐπαινέσαι αὐτὸν καὶ εἶναι αὐτὸν* in his solis titulis — quantum memini — occurrunt. Quod sane in tanto consimilis argumenti titulorum numero satis memorabile videtur esse. Deinde illud notatu dignum est, quod proxenia atque euergesia non pertinet ad posteros, id quod rarissime illa quidem aetate non factum esse infra demonstrabitur. Tertium ne illius quidem formulae exemplum adferre potui quae est *ἀναγράψαι δὲ τὸ ψήφισμα αὐτῷ.*

1) p. 71.
2) ad CIA II 197.
3) Cf. infra.

Sed omnes dubitationes tollentur, si totum decretum tit. 183 ita descripseris, ut singuli versus vicenas ternas exhibeant litteras, qui litterarum numerus est versuum decreti 210. Quod iam faciamus:

Προξενία Θεοφάντου . . . . . .
. . . ἐπὶ Νικήτου ἄρχοντος ἐπ
ὶ τῆς . . . ντίδος δευτέρας πρ
υτανείας ἧι Ἀριστόνους Ἀρι
στόνου Ἀναγυράσιος ἐγραμμ
άτευεν Βοηδρομιῶνος ἐνάτε
ι ἱσταμένου δευτέραι καὶ τρ
ιακοστῆι τῆς πρυτανείας ἐκ
κλησία κυρία τῶν προέδρων ἐ
πεψήφιζεν . . . .
Πολύευκτος Σωστράτου . . . .
. . . . . εἶπεν ἐπειδὴ Θεόφαντ
ος . . . .
ς ἐνδείκνυται Ι[Τ]ΗΝ εὔνοιαν π
ρὸς ἈΘΗΝΑίοΥ[Σ]ΕΠΑινέσαι αὐ
τὸν κΑΙΕἶ[Ν]ΑΙΑΥΤΟΝ πρόξενο
ν καὶ [Ε]ΥΕ[Ρ]ΓΕΤΗΝΤΟΥ[Δ]ήμου το
ῦ Ἀθην ΑΙΩΝΑΝΑΓΡΑΨΑΙ δὲ τὸ ψ
ήφισμα ΑὐΤΩΙΤΟΝΓΡΑΜΜατέα
τὸν κατ ΑΠΡΥΤΑΝΕΙΑΝΚΑ ιστῆ
σαι ἐν ἀΚΡΟΠΟΛΕΙΕΙΣΔΕ τὴν ἀ
ναγρ Αφ[Η]ΝΤΗΣΣΤΗΛΗΣΔΟ[Υ]ναι
τὸν ΤΑμΙΑΝΤΟΥΔΗΜΟΥΔΔΔ δρα
χμὰΣΕκΤΩΝΚΑΤΑΨΗΦΙΣΜατα ἀ
ναλιΣΚΟΜ[ΕΝΩ]ν τῶι δήμωι

Qua delineatione multa lucrati sumus. Primum adparet, decretum tituli 210 etsi non idem fuisset atque id quod exstat in tit. 183[a], tamen eodem fere litterarum numero conceptum esse. Namque si quattuor tantum litteris brevius

fuisset, tum nimirum littera T verbi *ταμίαν*[1]) et Σ vocabuli *δραχμὰς*[2]) in aere non in lapide penderent.

Deinde — id quod multo gravius est — etiam frustula tit. 210 v. 1 praeclare restituuntur. Iam nemo erit qui reiciat nostram sententiam. Namque et rationes decreti honoribus praemissas et ipsos honores iisdem verbis expressos esse in diversis decretis ab omni probabilitate abhorret.

Tertium autem id nancti sumus ut de anno Ol. 112, 1 = 332/1 dubitatio remanere non possit. Koehlerus enim — ideo nimirum quod II 183 v. 3 litterarum numerus non plane convenit deque scribae nomine aliquis poterit dubitare[3]) — non ab omni parte esse certum adnotavit, num haec tituli pars anno 332/1 sit attribuenda. Quae dubitatio iam concidit, cum lapicidam tit. 183 errasse sit in propatulo.

Quae omnia si comprehenderimus drachmarum diversitatem ea re excusabimus quam Hartelius[4]) indicavit: lapicidae nimirum incuria, quippe qui compluribus litteris Δ se excipientibus sit deceptus.

Iam accedamus ad tit. CIA II 289, quo primo obtutu vix quisquam coronam esse conlatam concedet. Nam cum v. 3 ex Koehleri coniectura scriptum sit *[α]ὐτὸν π[ρόξενον]* et cum constanti usu corona ante verba quibus proxenia confertur locum habeat, in versu altero certe exspectabimus scriptum fuisse: *καὶ στεφανῶσαι αὐτὸν χρυσῷ* sive *θαλλοῦ στεφάνῳ*. Haec tamen inferre non licet, cum singuli versus exhibeant vicenas septenas litteras.

Accedit autem alia difficultas. Namque etsi fortasse v. 3 sic licebit componere cum sequenti ut scribatur: *π[ρόξενον καὶ εὐεργέτην Ἀθη]ναίων*, tamen vix quisquam inveniet supple-

---

1) CIA II 210 v. 10.

2) l. l. v. 11.

3) Sunt enim litt. 32.

4) Hartel, *Studien* p. 141: 'Auch das bleibt zu bedenken, dass in scriptura continua eines der Δ von ΔΔ oder ΔΔΔ oder ΔΔΔΔ vor dem Δ des unmittelbar folgenden Wortes *δραχμάς* leicht dem Steinschreiber im Meissel bleiben konnte.'

mentum post *Ἀθηναίων* et ante litteras v. 5, ex quibus recte videtur elicuisse Koehlerus verbum *ἐκγόνους*. Atqui hoc vocabulum necessario coniungendum videtur esse cum ea formula, qua proxenia defertur.

Quae difficultates ut removerentur possentque restitui sollemnes formulae usitatusque tenor, ad eam inclinavi opinionem, ut nomen *πρόξενον* non recte hoc quidem loco a Koehlero insertum esse censerem. Atque haud ita difficile fieri potuisse ratus, ut is qui exscripsit titulum litteram Ο sumeret pro Γ, hunc in modum supplevi vv. 3—5: [*καὶ στεφανῶσαι α*]*ὐτὸν* [*θαλλοῦ στε*]‖[*φάνῳ εἶναι δ' Ἀθη*]*ναίων* [*πρόξενον*] | [*καὶ αὐτὸν καὶ ἐκ*]*γόνους α*[*ὐτοῦ*]. Iam secuta esse puto verba haec: [*καὶ*] | [*ἄλλο εὑρέσθαι ἐ*]*άν του δέη*[*ται ἀγαθ*]‖[*ὸν καὶ πρόσοδον*] *αὐτῷ* [*ε*]*ἶνα*[*ι*]. Exhibet sane verbum *ἀγαθόν* sex litteras, cum post *δέηται* et ante verba *καὶ πρόσοδον* solum quinque litterarum spatium praesto sit. Sed consideranti mihi diu multumque de versuum horum supplemento nihil se obtulit, quod sine omni difficultate posset inseri. Itaque litteram iota verbi *δέηται* aut plane neglectam aut ita arte coniunctam esse censeo a lapicida cum littera *α*, ut diphthongus *αι* unius expleret litterae spatium. Adiuvatur autem haec opinio versu 17, ubi a lapicida omissam esse videmus unam litterulam syllabae *ται* in verbo *ἐπίσταται*.

Restant versus tituli primus et secundus, quorum hunc quidem nomine proprio quod dicitur explendum esse certum est. Iam cum inter litteras ΑΙΛΙΕΙ et verba quae supplevimus *καὶ στεφανῶσαι αὐτὸν* relinquatur octo litterarum spatium, scripsisse coniecerim lapicidam: *ἐπαινέσαι τὸν δεῖνα* ΔΑΥΛΙΕΑ ΕΚ ΦΩΚΕΩΝ [1]) *καὶ στεφανῶσαι*. Quid vero significent primi versus litterae ΤΛΙΛ erui vix poterit.

Satis autem habeo demonstrasse etiam hoc in titulo coronam coniunctam fuisse cum proxenia.

Ut vero ratio qua restituendum esse censeam titulum melius cognoscatur, verba eius hic adscribam:

1) Aesch. *Choeph.*: v. 655 (K.) '*ξένος μέν εἰμι Δαυλιεὺς ἐκ Φωκέων*'. Cf. de hac dicendi ratione H XXIV p. 326 seq. et 327 adn. 1.

. . . . ΤΑΙΛ . . . ἐπαινέ
σαι . . . . ΔΑ[Υ]ΛΙΕ[Α]ἰ κΦωκέων
καὶ στεφανῶσαι α[Υ]ΤΟΝ θαλλοῦ στε
φάνωι εἶναι δ' Ἀθη[Ν]ΑΙωΝ πρόξενον
καὶ αὐτὸν καὶ ἐκ[ΓΟΝ]ΟΥΣΑὐτοῦ καὶ
ἄλλο εὑρέσθαι ἐΑΝΤΟΥΔΕΗται ἀγαθ
ὸν καὶ πρόσοδο[Ν]ΑΥΤ[Ω]Ι εΙΝΑι πρὸς
τὴν βουλὴν καὶ ΤΟΝΔΗΜΟΝΜΕΤὰ τὰ ἱ
ερὰ ἐπιμελεῖ σΘΑΙΔΕΑΥΤΟΥΕ[Α]ν το
υδέηται παρὰ τΟΥΔΗΜΟΥΤΗΝ τ[Ε]βου
λὴν τὴν ἀεὶ βοΥΛΕΥΟΥΣΑΝ κτλ.

§ 3.

Proximum est ut eos titulos enumerem, quibus, etsi ne frustulis quidem ac reliquiis litterarum coronae mentionem factam esse conicere licet, tamen propter ipsam aetatem qua confecti sunt, coronae necessario inferri debent.

Quorum aetate primus exstat in DA 1889 p. 14. Miror autem quod Lollingus, vir doctissimus, quemadmodum versus primus restituendus esset, non intellexit. Scribendum enim haud dubie: [φ]|[ιλ]οτι[μία]ς ἕ[νεκα καὶ εὐνοίας τῆς εἰς τὸν δῆμ]|ον τὸν Ἀθηναίων. Atque cum sub finem saeculi quarti exaratum esse titulum ex litteratura concluserit Lollingus[1]), necessario coronae mentio antecessit. Legebatur ergo olim in titulo: [ἐπαινέσαι τὸν δεῖνα καὶ στεφανῶσαι αὐτὸν χρυσῷ sive θαλλοῦ στεφάνῳ φιλ]οτι[μία]ς ἕ[νεκα κτλ.].

Unum statim addam. Quod enim editor a quaestore populi pecunias dispensatas esse voluit[2]), non est verisimile. Namque verbum μερίσαι nunquam coniungere licere cum quaestore illo, scribendumque esse τὸν ταμίαν τῶν στρατιωτικῶν Paulus Panske, amicus meus harum rerum peritissimus, me

1) Aliud argumentum aetatis ex verbis v. 5 κατὰ τὸν νόμον depromptum infra commemorabitur.

2) v. 7: [εἰς δὲ τὴν ἀν]|[αγ]ραφὴν μερίσαι [τὸν ταμίαν τοῦ δήμου — — δραχμάς] κτλ.

docuit. Idem aliud exemplum alterius quarti saeculi partis suppeditavit, ubi quaestor aerarii militaris sumptus in pilam incidendam erogare iubetur [1]).

CIA II 198: Huius decreti proxenos etiam coronis ornatos esse vel inde adparere videtur, quod 'anaglypho repraesentantur tres homines armati, quorum primus coronatur a Minerva a dextra adstante'.

CIA II 199 et 200.

Ἀϑ. VI p. 137: In hoc titulo coronae vestigia cognovisse sibi videtur editor, cum haec adnotaret: *ἐν τῷ σωζομένῳ μέρει τοῦ τυμπάνου τοῦ ἀετωματίου ὑπολείπεται μικρόν τι ταινιόσχημον γλύμμα, ἴσως ἄκρα στεφάνου.*

Similiter in CIA II 327 coronae vestigia inveniuntur [2]).

His quos adhuc enumeravimus titulis addatur decretum CIA II 362, quod quominus restituatur hunc in modum nihil obstare videtur:

ἐ π α ι ν έ σ α ι — — τ ὸ ν δ ε ῖ ν α — — — κ
α ὶ σ τ ε φ α ν ῶ σ α ι α ὐ τ ὸ ν ϑ α λ λ ο ῦ σ τ ε φ ά ν ω ι
ἀ ρ ε τ ῆ ς ἕ ν ε κ α κ α ὶ φ ι λ ο τ ι μ ί α ς τ ῆ ς ε ἰ ς τ
ὸ ν δ ῆ ΜΟΝΤΟ ν Ἀϑ η ν α ί ω ν ε ἶ ν α ι δ ὲ κ α ὶ π ρ ό
ξ ε[Ν]ΟΝΑΥΤΟΝ κ α ὶ ε ὐ ε ρ γ έ τ η ν κ α ὶ ἐ κ γ ό ν ο
ν ΣΑΥΤΟΥΤΟΥΔΗΜ[Ο]ν τ ο ῦ Ἀϑ η ν α ί ω ν ὅ π ω ς ἂ
ν ΚΑΙΟΙΑΛΛΟΙΦΙΛΟ τ ι μ ῶ ν τ α ι ε ἰ ς τ ὸ ν δ ῆ
ΜΟΝ κτλ.

Titulis deinde CIA II 369 et 370 et proxeniam et coronam oleagineam conlatam esse ex titulis quos supra composuimus colligere licebit [3]).

---

1) CIA II 835 circa Ol. 115 = 320/16 exar.: [*εἰς δὲ τὴν ἀναγραφὴν — μερίσαι τὸ ἀνάλωμ]α τὸν ταμίαν τῶν στρ[α]τιωτικ[ῶν]* (v. 15).

2) Dubium non est quin versui 1 antecesserit haec formula vel similis: [*εὐνοίας ἕνεκα καὶ φιλοτιμίας τῆς εἰς τὸν δῆμον τὸν Ἀϑη]ναίων.*

3) Sciens neglexi titulum CB 1888 p. 253 VI 1, cum et qua aetate exstructus sit et quomodo sit restituendus, plane me adhuc fugit. Unum tamen certum est: Abydenum quendam (v. 9) et publice laudatum (v. 8) et corona aurea ornatum (v. 10) et proxenum nominatum esse (v. 12). Quominus autem lacunas probabiliter expleamus, illud maxime impedit

Feliciter restituit hos titulos Wilhelmus in H XXIV p. 336. Nec tamen rem absolvit. Iam cum saepius inveniatur in titulis formula *κατὰ τὸν νόμον* coniuncta cum iis verbis quibus thesmothetae docimasiam instituere iubentur — qua de re infra paullo accuratius disputabimus — tituli CIA II 369 versui 4 inferre verba *κ α τ ὰ τ ὸ ν ν ό μ ο ν* non dubito, quibus et spatium optime explebitur et sententiarum conexus facile restituetur. Cf. CIA II 300: [*τοὺς δὲ θεσ*]*μοθέτας εἰσαγαγεῖν* | [*αὐτῷ τὴν δοκιμ*]*ασίαν τῆς πολιτείας* | [*καὶ . τῆς δωρεᾶς*] *εἰς τὸ δικαστήριον κα*||[*τ ὰ τ ὸ ν ν ό μ ο ν ὅτ*]*αν π ρ ῶ τ ο ν δ ι κ α σ τ ή ρ ι α* | [*ἀ ν α π λ η ρ ῶ σ ι ν*]. Nec vero ea res offendit, quod statim post *κατὰ τὸν νόμον* legimus *ὅταν ἀναπληρωθῶσιν αἱ ἐκ τοῦ ν*[*όμου ἡμέραι*. Verba enim *κατὰ τὸν νόμον* non tam cum enuntiato insequenti quam cum antecedenti *τοὺς δὲ* ᴾ *τοὺς — τῆς δωρεᾶς*

---

quod ne de longitudine quidem versuum constat. V. enim 8 est litterarum 26: *ἀγαθεῖ*[*τ*]||[*ύχει δεδόχθαι τῷ δή*]*μῳ ἐπαι*[*νέ*]||[*σαι*], cum v. 10 haud dubie exhibeat litt. 28: *Ἀβυδη*[*νὸ*]||[*ν καὶ στεφανῶσαι αὐτὸν χ*]*ρυσῷ* [*στε*]||[*φάνῳ*]. Ergo quae proponam ne ipse quidem pro certis vendo:

] τ α ἀ γ α θ ε ῖ [τ]
[ύ χ ε ι δ ε δ ό χ θ α ι τ ῶ ι δ ή] μ ω ι ἐ π α ι [ν έ]
[σ α ι . . . .] ο υ Ἀ β υ δ η [ν ὸ]
[ν κ α ὶ σ τ ε φ α ν ῶ σ α ι α ὐ τ ὸ ν χ] ρ υ σ ῶ ι [σ τ ε]
[φ ά ν ω ι ἀ π ὸ χ ι λ ί ω ν δ ρ α χ μ ῶ ν] κ α ὶ ε ἶ [ν α]
[ι α ὐ τ ὸ ν κ α ὶ τ ο ὺ ς ἐ κ γ ό ν ο υ ς π ρ] ό ξ ε ν ο ν
[κ α ὶ ε ὐ ε ρ γ έ τ η ν τ ο ῦ δ ή μ ο υ ε ἶ ν] α ι δ ὲ

V. 8: fortasse *ἐψηφίσθαι* pro *δεδόχθαι*. V. 9: fortasse pertinebat titulus ad eum qui corona ornatus est CB 1887 p. 1202. 48: *Κη . ι . . . . . Δημητ*[*ρίου*] *Ἀβυδην*[*όν*]. V. 11: legi etiam poterit [*χ*]*ρυσῷ* [*στε*]||[*φάνῳ φιλοτιμίας ἕνεκεν*] *καὶ ἐπ*[*ιμ*]||[*ελείας εἶναι δ' αὐτὸν καὶ πρ*]*όξενον* | [*καὶ εὐεργέτην τοῦ δήμου εἶν*]*αι δέ*. V. 13: pro *τοῦ δήμου* scribi licet *Ἀθηναίων*. Totus autem versus hanc quoque speciem induere potest: [*πρ*]*όξενον* | [*τοῦ δήμου τοῦ Ἀθηναίων· καλέσ*]*αι δὲ*.

Neglexi titulum quoque DA 1889 p. 131, cum perverse ei inlata esse mihi quidem persuasum sit verba haece: *εἶν*]*αι δὲ αὐτοὺ*[*ς καὶ προξένους καὶ εὐεργέ*]*τας τοῦ* [*δήμου τοῦ Ἀθηναίων κ α τ ὰ τ ὸ ν ν*]*ό μ ο ν*. Nam primum in nullo alio titulo ea inveniuntur. Deinde ex vv. 5 seqq.: *προσαγαγεῖν τοὺς*] *ἱ π π ά ρ χ ο υ ς κα*[*ὶ χρηματίσαι περὶ ὧν λ*]*έγουσιν* omnino non de peregrinis, sed de civibus Atheniensibus honorandis sermonem esse cognoscitur. Cives autem nunquam fiunt proxeni.

coniungenda esse infra demonstrabitur. Ac ne illud quidem iure obici poterit, quod in hoc uno proxeniae titulo formula quam restituimus respicit ad encteseos docimasiam. Perpauci enim tituli exstant quibus tempus fuisse Athenis evincitur, cum eis qui encteseos privilegio donati essent examen esset subeundum.

Porro in v. 3 necessario requiritur verbum *εἰσαγαγεῖν*; ergo legendum est: [*τοὺς*] | *δὲ* ᴾ *τοὺς δ*[*ικαστὰς εἰσαγαγεῖν αὐτῷ* sive . . . . *τὴν δοκι*]|*μασίαν τῆς δωρ*[*εᾶς*. Versus 1 autem reliquias ita intellegendas esse censeo, ut de posteris alicuius hominis (ΕΓΓΟΝΟΙ) sermonem fuisse in illo versu dicamus. Ergo proponam: *ἐγγ*[*όνους αὐτοῦ εἶναι δ' αὐτῷ καὶ γῆς καὶ οἰκίας ἔγ*]*κτησι*[*ν οἰκίας μέν κτλ.* Unde de proxeno et euergeta agi in decreto elucet. Haec igitur in titulo olim legebantur post laudem publicam et coronam auream sive oleagineam:

[ε ἶ ν α ι δ]
[ἐ κ α ὶ π ρ ό ξ ε ν ο ν κ α ὶ ε ὐ ε ρ γ έ τ η ν τ ο ῦ δ ή μ ο υ α ὐ τ ὸ ν κ α ὶ] = 40 litt.
ἐ γ γ [ό ν ο υ ς α ὐ τ ο ῦ, ε ἶ ν α ι δ' α ὐ τ ῶ ι κ α ὶ γ ῆ ς κ α ὶ ο ἰ κ ί α ς ἔ γ] = 41 „
κ τ η σ ι [ν ο ἰ κ ί α ς μ ὲ ν ἐ ν τ ὸ ς XXX γ ῆ ς δ ὲ ἐ ν τ ὸ ς TT, τ ο ὺ ς = 39 „
δ ὲ ᴾ τ ο ὺ ς δ [ι κ α σ τ ὰ ς ε ἰ ς α γ α γ ε ῖ ν . . . . τ ὴ ν δ ο κ ι = 40 „
μ α σ ί α ν τ ῆ ς δ ω ρ [ε ᾶ ς κ α τ ὰ τ ὸ ν ν ό μ ο ν ὅ τ α ν ἀ ν α π λ η ρ ω = 39 „
θ ῶ σ ι ν

Sed anno Ol. 112, 1 = 332/1 is quoque terminus definitur, ante quem proxenos coronis ornare nondum in usu fuit. Fieri igitur poterit, ut eorum titulorum aetas, qui quando confecti sint ab editoribus aut in universum tantum aut omnino non dictum est, paullo certius definiatur.

Quorum in numero est titulus a Cumanude editus EA[1]) 1886 col. 111, 22. Hoc decretum, cum proxenus aliquis nominetur nec tamen ornetur corona, ante annum Ol. 112, 1 = 332/1 factum esse probabile est.

Nec obstant quae praeterea inveniuntur in decreto. Nam primum illud notatu est dignum, quod post *δεδόχθαι τῷ δήμῳ*

1) *Ἐφημερὶς Ἀρχαιολογικὴ Περίοδος τρίτη.*

non statim sequuntur verba *ἐπαινέσαι τὸν δεῖνα*. Haec enim est titulorum post annum 332/1 exaratorum ratio, ut honorum quasi prooemium sit collaudatio. Nec tamen prorsus deesse censeo hanc laudem. Nam conferas hos locos:

CIA II 69 v. 18 seqq. (Ol. 106, 2 = 355/4): [εἰς] | δὲ τὴν ἀναγραφὴν [δοῦναι τὸν ταμίαν τ]|οῦ δήμου ΔΔ δραχ-[μὰς ἐκ τῶν κατὰ ψηφίσ]|ματα ἀναλισκ[ο]μ[ένων· ἐ π α ι ν έ σ α ι δὲ Φι]|λίσκον καὶ καλέσα[ι ἐπὶ ξένια εἰς τὸ π]|ρυτανεῖο[ν] εἰς αὔ[ρ]ι[ον].

CIA II 95 v. 9 seqq. (ante Ol. 106): [καὶ ἀναγράψαι τὸ ψή-φισμα τ]ὸγ[γρα]μ[μα] [τέα τῆς βουλῆς καὶ κ]ατα[θεῖ]να[ι ἐ]|[ν ἀκροπόλει. ἐ π α ι ν] έ σ α ι δὲ κ[αὶ] | [καλέσαι.....ον] ἐς τὸ πρυτα[ν]|[εῖον ἐς αὔριον].

DA 1888 p. 185 v. 1 seqq. (eadem fere aetate): [εἰς δὲ τὴν ἀναγραφὴν τ] [ῆς στή]λης δο[ῦναι τὸν ταμίαν τοῦ δή]-[μου ΔΔ] δραχμὰ[ς ἐκ τῶν εἰς τὰ κατὰ ψη]|[φίσμα]τα ἀναλισ[κομένων τῷ δήμῳ·] | [ἐ π α ι ν] έ σ α ι δὲ Ἀρχ[..... καὶ καλέσ]|[αι ἐπὶ] ξένια εἰς τὸ πρ[υτανεῖον εἰς]|[αὔριο]ν.

BdCH[1]) III p. 473 v. 13 seqq. (Ol. 102, 4 = 369/8): ἐ[π]αι-ν έ σ α ι δὲ Πυθόδω|ρον τὸν Δήλιον καὶ κ[α]λέσ[α]ι ἐ[πὶ] ξένια εἰς τὸ πρυτα|νεῖον εἰς τρίτην ἡμέραν.

H XXIII p. 472 v. 35 seqq. (Ol. 107, 4 = 349/8): ἐ(πα)[ι-ν έ σ α ι δὲ Θεογένη]|[ν κ](α)ὶ [κα]λέ[σ](αι) [ἐπὶ ξένια εἰς τὸ πρυτ]|[ανεῖον εἰς αὔριον].

MDAI V p. 320, 8 v. 1 seqq. (eadem fere aetate):

. . . . δ ρ α χ μ ὰ ς ἐ ΚΤΩ[Ν] ε ἰ ς τ ὰ κ α
τ ὰ ψ η φ ί σ μ α τ' ἀ ν α λ ι σ ΚΟΜΕ ν ω ν τ ῶ ι δ
ή μ ω ι ἐ π α ι ν έ σ α ι δ ὲ π ΟΙΜΕΝΙΔΑΝ κ α
ὶ τ ὸ ν π α τ έ ρ α α ὐ τ ο ῦ κ ΑΙΚΑΛΕΣΑ ι α ὐ
τ ο ὺ ς ἐ π ὶ ξ έ ν ι α ἐ ς τ ὸ ΠΡΥΤΑΝΕΙΟ ν ἐ
ς α ὔ ρ ι ο ν[2]).

---

1) *Bulletin de Correspondance Hellénique.*

2) Hanc frustulorum restitutionem esse paullo probabiliorem quam Koehleri facile concedes.

His ergo collatis locis etiam ei de quo agimus titulo verba illa legitima inserenda esse censeam, ita ut legamus inde a versu 15: [*ἀναλισκομέ*[*νω*]*ν τῷ δή*[*μῳ· ἐπαινέσαι δὲ αὐτοὺ*]|*ς καὶ κα*[*λέσαι ἐπὶ ξένια εἰς τὸ πρ*]|*υτα*[*ν*]*ε*[*ῖον εἰς αὔριον*].

Aliud deinde indicium temporis anno 332/1 antecedentis illud est, quod imperativus *δότω* [1]) hoc quidem verborum conexu ultimum invenitur in titulo quodam a. Ol. 110, 4 = 337/6 exarato: CIA II 124. v. 24.

Illud ad postremum memorabile videtur esse, quod vv. 5—7 ea leguntur — meam scilicet si sequeris supplendi rationem — quae et ipsa cum aetatis post a. 332/1 consuetudine non congruunt. Ita enim suppleverim illos versus: [*εἶναι δ' αὐτοῖς καθά*]|*πε*[*ρ*] *τοῖς ἄλλ*[*οις προξένοις καὶ ε*]|*ὐε*[*ρ*]*γέταις* [*πρὸς τὸν πολέμαρχον*]. Quae verba duobus tantum in titulis occurrunt ante Ol. 112 exaratis: CIA II 42: ante Ol. 101 = ante a. 376/5 et CIA II 131: inter Ol. 106 et 111 = 352 et 336 [2]).

Haec omnia si collegeris decretum EA 1886 col. 111, 22 ante a. 332/1 ratum factum esse concedes.

§ 4.

Haec igitur sunt decreta, quibus viri peregrini de Atheniensium republica bene meriti et proxenia euergesiaque et corona ornati sunt.

Sed profecto minime sufficiunt quae adhuc disputavimus ad morem illum illustrandum. Demonstretur enim necesse est, quo statu fuerit et quorsum fuerit progressus proxeniae euergesiaeque honor eo tempore, cum viri illi coronarentur. Nec enim mos proxenos coronis exornandi, ut Pallas quondam ex Iovis capite, subito et praeter omnium opinionem natus est et ortus in Atheniensium republica, sed labentibus annis proxeniae honor atque euergesiae adeo cum aliis honoribus

1) v. 13.
2) Cf. excursum II.

ac privilegiis coniunctus est, ut minime sit mirandum quod corona denique quasi honoris fastigium accessit. Immo necessitate quadam in ipsis rebus posita factum videtur esse, ut summus civium Atheniensium honos — corona — etiam ad proxenos deferretur.

Deinde ne illud quidem adhuc demonstratum est, qui factum sit, ut tota illa proxeniae institutio paullatim obsolesceret evanesceretque. Neque enim hercle satis est dicere, ut fit in commentationibus de proxenia Attica vel Graeca conscriptis, quo anno vel quo tempore non iam inveniatur proxenia apud Athenienses, neque illud videtur sufficere, quod post saeculum quartum euergesiam ac proxeniam minus minusque occurrere in titulis Atticis dicunt, sed alia praeterea argumenta et indicia repetenda sunt ex titulis et ex Atheniensium rei publicae historia, quibus eluceat, quomodo factum sit, ut proxeniae vis et euergesiae honor debilitaretur atque imminueretur.

Accedit aliud. Namque etiam post Schuberti curas[1]) complura restant, quae, cum et ipse vir doctus saepius non satis recte iudicaverit et cum post annum 1880 titulorum numerus admodum sit auctus, accuratius definiri meliusque perspici posse mihi quidem persuasum est. Qua in re imprimis pugnandum erit contra virum doctum P. Monceaux, Francogallum, qui in libro qui inscribitur: '*Les proxenies grecques*' plane perversam sibi conformavit de his Graecorum institutis sententiam, quique melius fecisset si Schuberti libellum quam attentissime inspexisset eiusque argumenta diligentissime examinasset, quam se nihil novi ex illo libro didicisse incaute exclamasset[2]). Melius enim est, ea quae in universum quidem iam cognita sunt, accurate et ita ut singula quaeque respiciantur atque exhauriantur denuo pertractare, quam prorsus falsa proferre aut quae infirmo nitantur fundamento.

Usque ad quintum ergo saeculum ascendamus oportet, ut

---

1) Ioannes Georgius Schubert: *De Proxenia Attica.* Lipsiae 1881.

2) Préf. p. VII: Nous n'y avons trouvé rien de nouveau.

quae fuerint prima moris initia adpareat. Quod ut fieri possit, proxenorum et euergetarum tituli, qui post annum 1880 inventi sunt, recensendi et per temporum rationem sunt enumerandi:

1. Titulus haud multo post Euclidis annum exaratus et fortasse ad tempora quae sunt post Atheniensium in Siciliam expeditionem referendus: CB 1888 p. 246, 24 = BdCH XII p. 133, 3. cf. CB 1887 p. 1192, 21 et H XXIV p. 110, II.

2. Titulus anno Ol. 93, 1 = 408/7 confectus: BdCH XIII p. 152 = DA 1888 p. 206, 2.

Huius tituli rationem non satis recte perspexisse videntur viri docti, qui eum tractavere, Mylonas et Lollingus. Quaeritur autem quomodo fieri potuerit, ut in titulo anno Euctemonis archontis (Ol. 93, 1 = 408/7) confecto adhiberetur litteratura ionica. Quod ut explicarent, paullo post Euclidis annum veteris decreti apographum factum esse sibi persuaserunt. Ac Mylonas quidem ex Anticharis additamento sententiae argumentum repetere voluit: *ἡ προςθήκη* (vs. 25) *ἀναφέρει νὰ μεταγραφῇ Παλαισκιάθιος ἀντὶ Σκιάθιος· ἐὰν εἴχομεν τὸ πρωτότυπον, θὰ ἐβλέπομεν ἐπὶ τοῦ λίθου ἀπεξεσμένην τὴν λέξιν Σκιάθιος καὶ ἐγκεκολαμμένην ὑπὲρ αὐτὴν τὴν Παλαισκιάθιος, ἡ διόρθωσις ὅμως αὕτη δὲν ὑπάρχει ἐπὶ τοῦ ἡμετέρου λίθου.* Quae quo iure statuerit vir doctus non video. Censet enim vel potius censere cogitur, Anticharis additamentum compluribus annis post ipsum decretum esse adiectum. Verbis autem: *Ἀντιχάρης εἶπε· τὰ μὲ[ν] ἄλλα καθάπερ τῇ βολῇ* haud dubie et ipsam Diitrephis rogationem et Anticharis additamentum eadem in populi contione ratum factum esse indicatur. Rogavit igitur Diitrephes apud senatum ut Oeniadi Sciathio proxenia et euergesia conferretur. Iam in illa ipsa contione qua haec rogatio rata facta est Antichares exstitit, falso rogatum esse Sciathium pro Palaesciathio contendens. Scriba vero senatus antequam decretum lapidi incidendum curaret, errorem illum Diitrephis, ut par erat, correxit, nec tamen Anticharis additamentum neglegere voluit aut potuit. Oeniades igitur Palaesciathi in oppido natus esse et civis fuisse,

Sciathi autem habitasse videtur, quo facillime fieri potuit, ut Diitrephes in errorem illum incideret. Quae si recte se habent, nulla iam est causa, qua de *μεταχαρακτηρισμῷ* cogitare iubeamur. Immo vero hoc ipso titulo luculentissime demonstrari videtur, iam ante Euclidis annum saepius adhibitam esse Athenis a scribis publicis litteraturam ionicam.

3. Dubitanter restitui proxeniam in titulo CIA I 82. Atque Kirchhoffius quidem de redintegrando titulo desperavit, cum vv. 8 et 9 haec fere censeret scripta fuisse: [*περὶ τὸν δῆμον τὸν Ἀθηναίων* — — — *ποιεῖν ὅ*]*τι δύναται ἀγαθ*[*όν*]. Similiter vv. 11 et 12 satis longos fuisse statuit cum scriberet: *ἀναγράψα*[*ι δὲ τόδε τὸ ψήφισμα* — — — *τὸν γραμματέα τῆς βουλῆ*]*ς καὶ κ*[*αταθεῖναι ἐμπόλει.* Atque hoc quidem ferri non poterit. Nunquam enim ante Euclidis aetatem, vel potius in titulis Ol. 91 antiquioribus [1]) invenitur formula: *ἀναγράψαι δὲ τόδε τὸ ψήφισμα,* cum semper formula illa incipiat a verbis: *τὸ δὲ ψήφισμα τόδε* — — —. Ergo cum haec verba titulo inferri non possint [2]), adparet vocabulum *ἀναγράψαι* in ea formula locum habuisse, qua proxeni nominabantur [3]). Tum vero vv. 11 et 12 non tanta fuisse longitudine necesse est, quanta statuit Kirchhoffius. Accedit aliud. In fine enim v. 7 cum litteras *ἐπα* — ita supplendas esse verisimile sit, ut scribatur *ἐπα*[*ινέσαι*], magnam lacunam inter *ἐπα*[*ινέσαι*] et [*ὡς ὄν*]*τι* statui non necesse est. Nam cum totum decretum ita conformatum fuisse suspicari liceat, ut inciperet a particula *ἐπειδή*

1) Unus qui huic usui videtur obstare, perverse suppletus est a Kirchhoffio. Is enim vir doctissimus in tit. CIA I 20 haec scripta fuisse censuit: [*ἀναγράψαι δὲ τὸ ψή*]*φισμα τόδε καὶ τὸν* [*ὅρκ*]*ο*[*ν ἐ*]*ν* [*στήλῃ λι*]||[*θίνῃ καὶ στῆσαι ἐμπ*]*όλει τὸν γραμματέα τῆς βο*[*λ*]*ῆς.* Sed cum et *στῆσαι* verbum prorsus abhorreat a pristinorum illorum temporum usu ac sermone — antiquissimum enim illius verbi exemplum exstat in titulo demum CIA II 38 — et collocatio illa verborum: *ἀναγράψαι δὲ τὸ ψήφισμα τόδε* maxime offendat, sic decreti lacunas suppleo: [*τὸ δὲ ψή*]*φισμα τόδε καὶ τὸν* [*ὅρκ*]*ο*[*ν ἀ*]*ν*[*αγράφσαι*] | [*ἐστήληι λιθίνηι ἐμπ*]*όλει τὸν γραμματέα τῆς βολῆς.*

2) Propter litteras ON (v. 11).

3) *τὸν δεῖνα πρόξενον ἀναγράψαι.*

et nomine viri eiusque patriae, post *ἐπαινέσαι* infinitivum patria potuit omitti. Sed quid plura? En habes titulum:

*ινέσαι . . . . ὅςὅν*ΤΙΑΝΔΡΙΑΛΛΑΘΟΙ
*καὶπροθύμοιποιε̃ν ὅ*ΤΙΔΥΝΑΤΑΙΑΛΛΑΘ
ὸνκαὶἀντ' ὅνεὖπεπολε[Κ]ΕΝΤΕΝΤΕΠΟLΙΝ
*καὶτὸνδε̃μοντὸν Ἀθεναί*ΟΝΑΝΑΛΡΑΦΣ[Α]
ιπρόξενοναὐτὸνκαὶἐκγόνο[Σ]ΚΑΙ[Κ]*ατα*
θε̃ναιἐμπόλει[1]).

Quae omnia optime consentiunt cum Loeschkii coniectura, qua titulum referendum esse censuit ad Archelaum, Macedonum regem[2]). Eius enim nomine spatium v. 8 adhuc vacuum bene explebitur: *Ἀρχελάωι*.

4. Titulus ante Euclidis annum confectus: CB 1888 p. 242, 16 cf. H XXIV p. 114 III. Hoc titulo proxeniam alicui conlatam esse suspicatur Adolphus Wilhelm. Miror, quod hoc paene certum esse non vidit vir doctissimus. Etenim quin versui alteri *πρόξενον* vocabulum inserendum sit ei non dubium erit, qui antiquissimam proxeniae formulam in memoriam revocaverit quae est: *τὸν δεῖνα ἀναγράψαι πρόξενον ἐν στήλῃ λιθίνῃ* sive *ἐμπόλει*.

5. Titulus quinto saeculo exaratus: CB 1887 p. 1185, 2.

6. Titulus anno 403/2 antiquior: CIA IV b 116 x.

7. Dubitanter addo titulum CIA IV b 116 t.

Pauca deinde dicenda sunt de titulo CB 1888 p. 242 n. 15. Nam cum v. 4 legantur etiamnunc in titulo litterae ΠΡΟΧΣ,

1) v. 10 pro *[ἀντ' ὅν εὖ πεπολε]κεν* scribere licet: *[ἀντὶ ὅν εὖ πεπόε]κεν*. De verbis autem *εὐεργετεῖν* et *εὖ ποιεῖν* cf. quae infra dicturi sumus. — Porro ne cui scrupulus iniciatur ea re quod *πρόξενον* nomen v. 12 caret genetivo *Ἀθηναίων* sive *τῆς πόλεως τῆς Ἀθηναίων* sive *τοῦ δήμου τοῦ Ἀθηναίων* hoc statim addam, saepius in titulis Ol. 100 antiquioribus tale additamentum omitti: BdCH XII p. 162 v. 11: Ol. 95, 2 = 399/8; XII p. 165 v. 7: Ol. 98, 2 = 387/6; XII p. 170 v. 8: eodem fere tempore. H XXIV p. 114 III v. 2 ex coniectura mea, cf. decretum proximum; MDAI VIII 223[a] ante Ol. 100, cf. infra p. 97 seqq. CIA II 29 ex coniectura nostra, cf. infra p. 98 seq., II 38.

2) Cf. CIA IV a p. 21, 82.

de proxenia conferenda in titulo actum fuisse aliquis conicere potuerit. Quod negandum est. Etenim ex verbis v. 6 ὡς ὅσι de compluribus hominibus, quorum nomina vv. 4—6 scripta exstabant, sermonem fuisse discimus. Ergo cum ex v. 1 nanciscamur versus litterarum 34, haec fere fuisse in titulo censeo:

ἔ δ ο χ σ ε ν τ ε̃ ι β ο λ ε̃ ι κ α ὶ τ õ ι δ ή μ ο ι Ἀ Ν Τ Ι Ο Χ Ι Σ
ἐ π ρ υ τ ά ν ε υ ε ν . . . . ἐ γ ρ Α Μ Μ Α Τ Ε Υ Ε
ὁδεῖνα ἐπεστάτε ὁδεῖνα — ε ἶ π ε ἐ π Α Ι Ν Ε Σ Α Ι Ε
. . . . Τ Ο Ι Γ Ρ Ο Χ Σ
. . . . Ρ Α Β Ο Ι Κ Α
. . . . Ο Σ Ο Σ Ι Α Ι
ε ὶ ἀ ν δ ρ ά σ ι ἀ γ α ϑ ο ῖ ς κ α ὶ π ρ ο ϑ ύ μ ο ι Σ Γ Ο Ι Ε Ν Ο
τ ι δ ύ ν α ν τ α ι ἀ γ α ϑ ὸ ν τ ὸ ν δ ε̃ μ ο ν τ ὸ ν Α Θ Ε Ν Α Ι Ο
ν.

8. Tit. Euclidis anno confectus: EA 1886 col. 215, 1 cf. H XXIV, p. 109 I. Ultimum huius decreti versum sic suppleverim: *περὶ Ἀϑηνα||[ίος καὶ συμμάχος κ]α[ὶ] ποι||[εῖ ὅτι δύναται ἀγαϑόν]* [1]).

Voluit Kumanudes huius decreti versui 10 patris nomen inferre atque patriae ita quidem, ut scribendum esse propo-

1) Occasione data complures tit. CIA I 70 lacunas expleamus. Littera enim v. 5 ultima non gamma — plane inaudita enim esset haec ionica forma (Γ) in titulo Euclidis anno multo antiquiore — sed Ρ intellegenda est. Ergo scriptum fuisse conicere licet hoc: [*καὶ νῦν καὶ*] *ἐν τῷ π||[ρόσϑεν χρόνῳ*. Quae coniectura confirmatur eis quae antecedunt. Namque si legerimus v. 4: [*ἐπαινέσαι* — — — —]*ος ὅτι ἐσ||[τὶν ἀνὴρ ἀγαϑὸς περὶ Ἀϑηναίος καὶ νῦν καὶ*] *ἐν τῷ π||[ρόσϑεν χρόνῳ*] versum nanciscemur litterarum 40, qui numerus optime cum v. 2 reliquiis consentit. Sed ne nunc quidem lacuna recte suppleta est. Nam cum pagina 95 demonstraturi simus, antiquissimis temporibus post *ἐπαινέσαι* nunquam locum habere patris nomen, de compluribus hominibus hoc in titulo sermonem esse, litteris ΟΣ [*τοὺς . . . . ούς*] evincitur. Iam oritur difficultas nova. Nam si statuerimus scripta fuisse haec (v. 4): *ὁ δεῖνα εἶπε· ἐπαινέσαι τὸν δεῖνα καὶ τὸν δεῖνα τὺς . . .*]*ος ὅτι ἐσ||[ίν*] sedecim fere litterae praesto erunt quattuor nominibus propriis inserendis, quod sumere omnino non licet. Haec tamen difficultas statim versu 9 facillime e medio tolletur, unde de theoria quadam in titulo agi comperimus. Ad-

neret *Ἄριστον Σίμωνος Κωπέα,* sed recte obiecit Wilhelmus hoc propter inauditam ethnici nominis formam fieri non posse. Quae conclusio certa fit ea observatione, quod nunquam in titulis proxeniae et euergesiae antiquioribus p a t r i s nomen commemoratur: CIA I 27, 45: *Ἀστέαν τὸν Ἀλεόν*; H XXIV p. 110 *Λύκωνα τὸν Ἀχαιόν*; CIA I 61^{a}; 65; BdCH XIII p. 152 v. 6: *Οἰνιάδης ὁ Παλαισκιάθιος*; CIA II 1^{c}: [*Πυθοφάνει τῷ Καρυ*]||[*σ*]*τίῳ*; II 9 (cf. H XXIV p. 115) [......]*ην τὸρ Ῥόδιον*; II 25 (cf. Foucart mélang. epigr. p. 49); 26; 27; 29 (cf. inf. p. 98); 30; 46; 50; 55; 67; 68; 76; 82^{b}; 85; 86; 89; BdCH XII p. 142. 155; III p. 475. — Quarto demum saeculo patris nomen addere incipiunt scribae publici: CIA II 13 (cf. H XXIV p. 114) Ol. 98, 1 = 388/7: *-οδώρου τὸν Χῖον*; CIA II 28; 39: [*Μελάνθιον Κ*]*αλλίου Ἀρ*[..|......]; 87. H XXIV p. 120; MDAI 223^{a} et ^{b}.

9. Tit. Ol. 95, 2 = 399/8 exaratus: CB 1887 p. 1187, 6 = BdCH XII 162. Inde a v. 10 legam: [*ἐπαινέσαι δὲ*] *αὐτὸ̃ τὸν ὑ*[*ὸν κ*]||[*αὶ ἀδελφὸν ἐπ*]*ειδή εἰσ*[*ιν ἄνδ*]||[*ρες ἀγαθοὶ πε*]*ρὶ τὴ*[*ν πόλιν τ*]||[*ὴν Ἀθηναίων.* Litterae enim non semper accurate per ordines dispositae sunt, id quod melius elucet e Lollingi quam e Foucarti apographo. Quae voluit Foucartus, ferri nequeunt, cum quid sit: [*ἀναγράψαι δὲ*] *αὐτὸ̃ τὸν ὑ*[*όν*] nemo poterit explicare. De duobus autem hominibus sermonem fuisse ex numero plurali *εἰσιν* luculenter adparet. Neque abhorret ab Atticorum titulorum usu, quod in fine decreti alius collaudatur, atque ipse proxenus [1]).

10. Tit. a. Ol. 96, 3 = 394/3 exaratus: CIA II 9. Restitutio decreti a Koehlero incohata ab Wilhelmo paene ad finem perducta est: H XXIV p. 115 IV. Lacuna v. 4 haud scio an

---

modum igitur est verisimile, v. 4 laudatos esse civitatis cuiusdam [*θεωρ*]*ούς* ut supplementa efficiantur haece:

[*ἔ δ ο χ σ ε ν τ ε̃ ι β ο λ ε̃ ι κ α ὶ τ ὸ̃ ι δ έ μ ο ι . . . .*] *ἐ π ρ υ τ ά*
[*ν ε υ ε — ὁ δ ε ῖ ν α — ἐ γ ρ α μ μ ά τ ε υ ε – ὁ δ ε ῖ ν α ἐ*] *π ε σ τ ά τ ε*
[*ὁ δ ε ῖ ν u ε ἶ π ε ἐ π α ι ν έ σ α ι . . . . . ο ν τ ὸ ς θ ε ο ρ*] *ὸ ς ὅ τ ι ἐ σ*
[*ὶ ἄ ν δ ρ ε ς ἀ γ α θ ο ὶ π ε ρ ὶ Ἀ θ ε ν α ί ο ς κ α ὶ ν ῦ ν κ α ὶ*] *ἐ ν τ ο̃ ι π*
[*ρ ό σ θ ε ν χ ρ ό ν ο ι*].

1) CIA II 47.

sic possit expleri: *ἐψηφίσθαι [δὲ τῇ βολῇ προθε͂ναι τῷ δήμῳ περὶ αὐτ]ο͂, ἀναγράψαι κτλ.*[1])

11. Tit. circa Ol. 96, 3 = 394/3 exaratus: BdCH XII p. 155 (Euergesiae decretum).

12. Tit. anno Ol. 97, 4 = 389/8 exaratus: *Ἀθ.* VI p. 270, 2 = MDAI VII p. 317. Hoc esse proxeniae decretum verisimile est.

13. Decretum a. Ol. 98, 1 = 388/7 ratum factum: CIA II 13 + EA 1883 col. 171 seq. cf. H XXIV p. 114 IV.

14. Decretum a. Ol. 98, 2 = 387/6 ratum factum: CB 1888 p. 246, 26 = BdCH XII p. 137, 5[2]).

15. Decretum ante a. Ol. 98, 2 ratum factum: CB 1888 p. 244, 20 = BdCH XII p. 142 cf. H XXIV p. 113 adn. 2[3]).

16. Decretum ante a. Ol. 98, 2 ratum factum: BdCH XII p. 169 IV. Hoc decreto proxenia ornatum esse Archonidem adparet ex v. 14 seqq.: *ἐπαινέσαι δὲ καὶ Δήμωνα τὸν ἀδελφὸν τὸν Ἀρχωνίδο καὶ ἀναγράψαι καὶ τοῦτον καὶ τὸς*

---

1) Ceterum Wilhelmi coniectura (v. 7): *[πρόξενον κα]ὶ εὐεργέτη[ν τ]|[ο͂ δήμο το͂ Ἀθηναίων ἐστήλῃι λιθίνῃι]* ferri nequit, cum nunquam ante a. 387/6 occurrat in proxeniae titulis formula *τοῦ δήμου τοῦ Ἀθηναίων.* Kirchhoffii enim supplementa (CIA IV 116[a]) facile ita licet corrigere, ut scribamus: *[καὶ οἱ πρόγονοι α]ὐτο͂, πρόξενο[ν καὶ εὐεργέτην Ἀθηναίων ἀναγράψαι αὐ]τὸν καὶ τοὺς ἐκ[γόνους].* In tit. autem II 9 legendum est: *πρόξενον καὶ εὐεργέτη[ν Ἀ]|[θηναίων ἐμπόλει ἐν στήλῃι λιθίνῃι].* Offendit praeterea forma *ἐπιμελεῖσθαι,* quae satis recedit ab illius aetatis sermone publico. Ergo scribatur oportet aut: *καὶ ἐπιμέλεσθαι αὐτοῦ καὶ τῶν ἐκγόνων* aut: *ἐπιμέλεσθαι δέ αὐτο͂ τε καὶ τῶν ἐκγόνων.* — De verbo *προθε͂ναι* cf. tit. CIA II 47 et 76.

2) Memorabilis est titulus propter additamentum *τῆς πόλεως τῆς Ἀθηναίων,* quae verba in solis his titulis inveniuntur: CIA II 25 et 37.

3) Hic inserendus est tit. CB 1888 p. 322, 3 quem sic restituendum esse nunc video:

[ἀ ν α γ ρ ά ψ α ι τ ὸ ν δ ε ῖ ν α κ α ὶ τ ὸ]
ς] ἐ γ γ ό ν ο [ς π ρ ό ξ ε ν ο ν κ α ὶ ε ὐ ε]
ρ γ έ τ η ν τ [ὸ ν γ ρ α μ μ α τ έ α τ ῆ ς β]
ο λ ῆ ς ἐ ν [σ τ ή λ η ι λ ι θ ί ν η ι κ α ὶ]
ἀ ν α θ ε͂ ν [α ι ἐ μ π ό λ ε ι τ ὸ ς δ ὲ τ α]
μ ί α ς δ ο͂ [ν α ι τ ὸ ἀ ν ά λ ω μ α]

Notatu dignum videtur esse verbum *ἀναθε͂ναι* quod hoc solo loco — quantum memini — pro sollemnibus verbis *θε͂ναι* sive *καταθε͂ναι* invenitur.

ἐκγόνος τὸς Ἀρχωνίδο καὶ Δήμωνος προξένος καὶ εὐεργέτας. Quae cum ita sint vv. 1—3 necessario sic supplendi sunt: [Ἀρχωνίδην πρόξενον καὶ εὐεργέτ]η[ν] Ἀθ[ηναί]ων [ἀναγράψαι ἐμπόλει ἐ]στ[ήλη]ι λιθίνηι [τὸγ γραμματ]έα τῆς β[ουλ]ῆς.

17. Decretum a. Ol. 98, 2 = 387/6 ratum factum: CB 1887 p. 1060, 2 = BdCH XII p. 164 [1]).

18. Decretum ante a. Ol. 98, 2 ratum factum: MDAI VIII p. 223[a]. De hoc titulo paullo uberius disputandum est cum Udalricum Koehler virum sagacissimum interpretandi munere non satis feliciter functum esse mihi quidem persuasum sit.

Atque ipsa quidem fundamenta quibus explicatio nititur cadunt in cassum. Quod enim dicit dubitari non posse quin decreta illa unius sint anni, id ipsum falsum est [2]).

Nam verba ἀναγράψαι τὸν δεῖνα πρόξενον καὶ εὐεργέτην nunquam ita explicare licet ut concedi eis putemus proxeno, ut lapidi honorem sibi delatum incidendum curet, sed semper eam habent vim ut vir aliquis de Atheniensium re publica bene meritus proxenus atque euergetes nominetur. Quod si expressis verbis honorem lapidi esse incidendum decernitur, tum legitur in decretis aut: ἀναγράψαι δὲ τὴν προξενίαν αὐτῷ aut ἀναγράψαι δὲ τόδε τὸ ψήφισμα κτλ. — Quae res etsi videtur esse simplicissima tamen usque ad hunc diem non satis accurate a viris doctissimis est perspecta. Nam vix tot tamque variae sententiae de titulo CIA II 29 explicando positae fuissent si formulae illae semper bene essent distinctae [3]).

---

1) Foucartus qui titulum edidit, Heraclidem decreti illius eundem esse coniecit atque eum quem commemorat Demosthenes in *Leptinea*. Quae coniectura satis infringitur ea re quod tum patris nomen addere Atheniensium scribae nondum consueverant — quamquam pauca illius aetatis exempla ipsi supra adtulimus. Accedit quod patris nomen quinque tantum litterarum spatia explevisse statuendum esset. Ergo legebatur fortasse olim: Ἡρακλείδη[ν τὸν Μυτιληναῖον] vel tale quid, quod magis convenire videtur cum temporum illorum dicendi usu.

2) 'Zweierlei lässt sich von diesen beiden Rathspsephismen unbedenklich aussagen: erstens dass sie aus demselben Jahre herrühren, zweitens dass b einer früheren Prytanie angehört als a.'

3) Cf. Schubert l. l. p. 18 seqq.

Primum ergo de titulo CIA II 29 disserendum est qui non recte ab editore est suppletus. Admodum enim mira videtur esse ratio quam Hartelius et qui eum sequitur Schubertus inierunt in explicandis tituli verbis. Nam unquam dixisse vel potuisse dicere Atheniensium publicum scribam: *ἀναγράψαι τὸν γραμματέα τῆς βουλῆς τὸν δεῖνα εἶναι Ἀθηναίων πρόξενον* ita ut penderet infinitivus *εἶναι* ab infinitivo *ἀναγράψαι* plane absolute posito, id prorsus nego. Primum enim talis sententiarum conformatio plane esset singularis et inaudita. Ac ne titulus quidem CIA II 11 quem laudat Hartelius [1]) recte conferri poterit, cum non solum particula illa *ὅτι* desideretur in tit. II 29 sed etiam gravissima verba *τὸ ψήφισμα* et ipsum nomen *τοῖς Φασηλίταις* [2]). Ergo si legeremus II 29: *Ἐχεμβρότῳ ἀναγράψαι τὸ ψήφισμα τὸν γραμματέα τῆς βουλῆς ὅτι ἐστὶ πρόξενος* vel *γεγένηται* vel etiam *εἶναι,* tum nimirum et recte vel rectius compararetur tit. II 11 et melius omnino conformata esset sententia, quamquam ne sic quidem unquam scripsit senatus scriba qui proxeniae decretum conficiebat.

Sed accedit aliud. Nunquam alias occurrit verborum coniunctio haec: *Ἀθηναίων πρόξενον* uno excepto fortasse titulo CIA II 289 si quidem recte a nobis restitutus est [3]). Sed cum is titulus iis adnumerandus sit qui compluribus rebus differunt ab omnibus aliis, de qua re conferas quae infra disputaturi sumus, comparari eum cum tit. II 29 non licet. Quidquid autem statuemus de tit. II 289, initio quarti a. Chr. n. saeculi necessario dicendum erat aut *πρόξενος Ἀθηναίων* aut *πρόξενος τοῦ Ἀθηναίων δήμου* aut *πρόξενος τοῦ δήμου τοῦ*

---

1) 'Nach unserer Auffassung beginnt mit *Ἐχέμβροτον εἶναι Ἀθηναίων πρόξενον* der Volksbeschluss, welchen der Rath aufzuschreiben beschlossen, der Nummer 11 Z. 6 nur durch das anführende *ὅτι* deutlicher abgesondert wird.'

2) vv. 5 seqq. '*[τοῖ]ς Φασηλίταις τὸ ψ[ήφ]ι||[σμα ἀν]αγράψαι, ὅτι ἄμμε[ν] Ἀθ||[ήνησι συμβό]λαιον γένηται | [πρὸς Φ]ασηλι[τ]ῶν τινα, Ἀθή[νη]||[σι τὰς δ]ίκας γίγνεσθαι π[αρ]||[ὰ τῷ πολ]εμάρχῳ.*'

3) p. 82 seqq.

Ἀθηναίων aut *πρόξενος τῆς πόλεως τῆς Ἀθηναίων* aut *πρόξενος* sine ullo additamento.

Tertium autem id offendit contraque illius aetatis est consuetudinem quod post *Ἐχέμβροτον* non commemoratur eius patria.

Quae cum ita sint legendum est in tit. II 29 v. 7 seqq.: *ἀναγράψαι [τὸ]||[ν γραμματέα τῆς] βολῆς Ἐχέμ[βρ]||[οτον τὸν Κλεωναῖο]ν πρόξε[νον]|[καὶ εὐεργέτην καθ]άπε[ρ] ὁ π[ατὴ]||[ρ αὐτõ* ... Qua in re non curo quod versus 9 litteram primam fuisse Ω, non O testatur Koehlerus. Etenim aut lapicidam aut ipsum Koehlerum errasse censeo, praesertim cum littera illa Ω eo ipso loco exstet ubi lapis fractus est.

Iam habemus duo senatus decreta quibus proxenia confertur[1]). Atqui decernendae proxeniae et euergesiae ius potestatemque penes ipsum populum fuisse nemo nescit. Quid ergo faciendum? Nam lapicidam aut scribam publicum errasse nullo modo statui licebit. Immo res mea quidem sententia facillime alia ratione explicabitur, ita nimirum ut senatus probuleumata simplicissimi atque antiquissimi generis decretis illis contineri sumamus.

Etenim eo tempore cum nondum formula probuleumatica quae dicitur in usu esset, fuisse iam senatus probuleumata consentaneum ac manifestum est. Illa autem probuleumata sola ea re diversa erant ab ipsis populiscitis quod initio decreti legebatur *ἔδοξεν τῇ βουλῇ*. Cum vero probuleuma in ipsa contione a populo ratum factum erat, tum probuleuma aut simpliciter lapidi ita incidebatur ut nihil mutaretur, ne verba quidem *ἔδοξεν τῇ βουλῇ* — nam ea ipsa re quod lapidi incisum erat probuleuma, a populo id ratum factum esse omnes cognoverunt qui lapidem in arce positum conspexerunt — aut verba addebantur *καὶ τῷ δήμῳ* aut pro *ἔδοξεν τῇ βουλῇ* scriptum est *ἔδοξεν τῷ δήμῳ*.

Quam si sequaris explicationem optime intelleges rationem

1) MDAI VIII p. 223 v. 1: *[ἔδ]||οξεν [τῆ]ι βουλῇ κατὰ τὸ τ[οῦ δήμου ψήφισμα]*; v. 9: *ἔδοξεν τῇ βουλῇ κατὰ τὸ τ[οῦ δήμου ψήφι]||σμα*; CIA II 29: *[ἔδο]ξεν τῇ βολῇ*.

tit. II 29, MDAI VIII 223ª et ᵇ, facile etiam comprehendes tit. CIA II 3. Namque etsi dicunt viri docti tam simplicem fuisse rem lapidis incisionem ut senatus auctoritas sufficeret praesertim cum onus aerario publico non imponeretur [1]), hoc tamen a nullo virorum doctorum explicatum ne verbo quidem commemoratum est, quomodo fieri potuerit ut *ἐπὶ ξένια* vocaretur Eurypylus senatus auctoritate in prytaneum [2]).

Praeclarum denique exemplum quo sententia nostra admodum stabiliatur exstat in titulo CIA II 73. Priore enim huius tituli decreto quod paullo post Euclidis annum compositum esse manifestum est, conspicimus verba *ἔδοξεν τῇ βουλῇ* [3]), contra in altero titulo multo postea exarato quo de iisdem fere rebus agitur, et pleniorem formulam initio decreti videmus exstantem: *ἔδοξεν τῇ βουλῇ καὶ τῷ δήμῳ* et in medio decreto formulam probuleumaticam [4]).

Sed haec hactenus. Redeamus necesse est ad titulum MDAI VIII 223. Atque in priore huius tituli decreto Comaeum Theodori filium proxenum et euergeten nominatum esse modo demonstratum est. Ergo non ita inter se coniungenda sunt decreta illa ut altero (b) proxenus nominetur Comaeus, altero scriba decretum lapidi incidere iubeatur, sed ea necessario fuit decretorum ratio ut duos homines proxenia euergesiaque ornatos esse statuamus. Ergo Comaeus prioris decreti alius est ac posterioris. Cui difficultati simplicissime ita medebimur ut priorem Comaeum fuisse censeamus avum posterioris.

Iam omnia optime intellegentur: Diu ante aetatem qua ipsum titulum exaratum esse testatur Koehlerus, populus Athe-

1) Cf. cum alios tum Heydemanni dissertationem *De Senatu Atheniensium* conscriptam. Dissert. Argentorat. IV 1881 p. 164.

2) Cf. Aristoph. *Acharn.* v. 124.

3) Etenim quominus legamus *ἔδοξεν τῷ δήμῳ* spatiis versus impedimur.

4) Ex his sequitur ut etiam ei qui titulum CIA II 8 explicare studeat cogitare liceat de populiscito, etsi conspiciuntur verba *ἔδοξεν τῇ βουλῇ*. Cf. de his MDAI I p. 4 seqq.

niensis Comaeum quendam Theodori filium qui optime de re publica meritus erat praemio ornare constituit. Decrevit igitur ut senatus conficeret probuleuma. Atque hoc decretum illud est quod commemoratur v. 2: *κατὰ τὸ το[ῦ δήμου ψήφισμα]* et v. 7: *[κατὰ τὸ ψήφισ]‖μα ὃ ἐνίκησε περὶ αὐτοῦ πρό[τερον]*. Commemorantur autem eiusmodi *ψηφίσματα* etiam in Heraclidis decretis MDAI VIII p. 212 v. 47 seqq.: *Τηλέμαχος Θεαγγέλου Ἀχαρ(νεὺς) εἶπεν· ἐψηφίσθαι τῷ | δήμῳ, τὴν βουλὴν προβουλεύσασαν ἐξενεγκεῖν ε|ἰς τὴν πρώτην ἐκκλησίαν περὶ Ἡρακλείδου, καθότ|ι εὑρήσεται ἄν τι δύνηται ἀγαθὸν παρὰ τοῦ δήμου | τοῦ Ἀθηναίων* et p. 216 v. 69 seqq.: *καὶ διὰ ταῦτα ὁ δῆμος ἐψηφίσατο αὐτῷ τὴν βουλὴν προβου|λεύσασαν ἐξενεγκεῖν εἰς τὸν δῆμον καθότι εὑρήσεται ἄν τι δύνηται ἀγαθὸν παρὰ | τοῦ δήμου τοῦ Ἀθηναίων κτλ.* Deinde in titt.:

CIA II 76 v. 8: *ἐπειδὴ ὁ δῆμ[ος ἐψήφι]‖[σται π]ρ[οβου]λεύσασαν τὴμ [βουλὴν] | [ἐξενεγκεῖν ἐ]ς τὸν δῆμον [περὶ προξενία]ς Τι... φενίδᾳ τῷ Αἰν[ίῳ] κτλ.* CIA II 82^{b}: similiter [1]).

CIA II 126 v. 7: *[περὶ ὧ]‖ν Καλιτέλης λέγ[ει ὅτι ὁ δῆμος ἐψηφί]‖σατο προβ[ούλευμα, ἐψηφίσθαι] | τῇ βουλεῖ κτλ.*

CIA II 175^{b} v. 10: *[π]ερὶ ὧν ὁ δῆμος πρ[ότερον ἐψήφισται ἐπὶ] | [τῆς ..... ίδο]ς πρυτανείας, [τοὺς προέδρους οἳ ἂν λάχ][ωσιν ἐν τῷ δήμω]ι προ[εδρεύειν κτλ.* [2])

Probuleuma autem senatus postquam ratum factum est a populo lapidi est incisum, ut etiam verba retinerentur *ἔδοξεν τῇ βουλῇ*.

Similiter res gestae sunt medio fere quarto saeculo [3]). Sed tum vir quem populus decorare constituerat erat nepos Co-

---

1) Cf. infra p. 104.

2) Cf. Hartel. *Studien* p. 183 seqq. — Ceterum eadem formula deprehenditur in tit. DA 1889 p. 88. Sic enim scribendum est v. 7 seqq.:

ἐ π ε ι δ ὴ ὁ δ ῆ [μ ο ς ἐ ψ ή φ ι σ τ α ι τ ὴ ν β]
ο υ. λ ὴ ν π [ρ ο β ο υ λ ε ύ σ α σ α ν ἐ σ ε ν ε γ]
κ ε ῖ ν ε ἰ ς τ ὸ [ν δ ῆ μ ο ν π ε ρ ὶ Κ η φ ι σ ο(?)]
δ ώ ρ ο υ Κ α λ λ ι [. . . . .]

3) Inter annos fere 368 et 350 titulum exstructum esse dicit Koehlerus.

maei prioris. Ornabatur autem maioribus quam avus honoribus, cum proxenia et euergesia ad posteros quoque pertinerent et curae senatus ducumque mandaretur Comaeus. Iam Comaeus nepos, cum suos ipsius honores lapidi incidi non satis haberet, addidit avi honorem iterumque eum pilae incidendum curavit. Hoc enim non publice factum esse sed sumptibus et curis ipsius Comaei nepotis compluribus argumentis comprobatur. Primum enim in altero decreto (b) scriba senatus neque in praescriptis commemoratur neque in fine decretum vel decreta lapidi incidere iubetur. Tum in eiusdem decreti praescriptis nomen desideratur praesidis contionis. Deinde formulae supra commemoratae *κατὰ τὸ τοῦ δήμου ψήφισμα, κατὰ τὸ ψήφισμα ὃ ἐνίκησε περὶ αὐτοῦ πρότερον* satis recedere videntur a titulorum publice exstructorum sermone et usu. Denique a gravitate publici sermonis plane abhorret quod litterae verborum finales tam saepe assimilantur initialibus litteris verborum insequentium v. 7: *πρόξενογ καὶ εὐεργέτην*; v. 12: *πρόθυμός ἐστιμ περί*; v. 14: *πρόσθεγ χρόνω[ι]*; v. 15: *αὐτὸγ καὶ τοὺς ἐκγόνους*; v. 17: *τὴμ βουλήν*. Talia profecto satis sapiunt sermonem vulgarem.

His omnibus de causis quarum quae sit gravissima nescio, decreta de quibus sermo est non a scriba senatus, sed ab ipso Comaeo nepote lapidi inscripta esse adparet. Habemus igitur, ut quae exposui comprehendam, duplex decretum, duplex probuleuma senatus, duplicem Comaeum Theodori filium.

19. Sequitur decretum ante a. Ol. 101, 1 = 376/5 [1]) ratum factum: MDAI XII p. 85, in quo de proxeno sermonem fuisse paene certum est.

20. Decretum ante a. Ol. 101, 1 = 376/5 ratum factum: BdCH XII p. 135 = CB 1888 p. 245, 22.

21. Decretum eadem aetate lapidi incisum CIA II 41. Sic enim huius tituli versus primos restituendos esse censeo:

---

1) Propter praescriptorum nimirum simplicissimam formam. Cf. Hartel. *Studien* p 11.

ἀ ν α γ ρ ά ψ α ι
— τ ὸ ν δ ε ῖ ν α - ἐ π ε ι δ ὴ ἀ ν ὴ ρ ἀ γ α θ ό ς
ἐ σ τ ι π ε ρ ὶ τ ὴ ν π ό λ ι ν[Τ]ΗΝἈ θ η ν α ί ω ν
κ α ὶ ν ῦ ν κ α ὶ ἐ ν τ ῶ ι π[Ρ]ΟΣΘΕ ν χ ρ ό ν ω ι
π ρ ό ξ ε ν ο ν κ α ὶ ε ὐ ε ΡΓΕΤΗΝΑ ὐ τ ὸ ν κ α ὶ
ἐ κ γ ό ν ο ς τ ο ῦ δ ή[ΜΟ]τ ο ῦ ΑΘΗΝΑΙΩ ν
κ α ὶ ἀ ν α γ ΡΑΨΑΙΑΥΤΩΙΤΗΜΠΡΟ ξ ε ν ί α ν

Formulam antiquam *ἀναγράψαι τὸν δεῖνα* propterea poni necesse fuit quod post verba [*καὶ ἐν τῷ πρ*]*όσθε*[*ν χρόνῳ*] non tantum spatii in lapide reliquum videtur fuisse ut verbum *εἶναι* addi posset. Supplementa vero nostra ea re maxime commendari comprobarique videntur quod scribam eam rationem secutum esse adparet, ut unoquoque versu aut plenum absolutumque colum contineretur aut certe in fine singulorum versuum plenum verbum exararetur.

22. Titulus ante Ol. 101, 1 = 376/5 exaratus: EA 1886 col. 115 = H XXIV p. 120. Decreti aetas in universum praescriptorum ratione definitur [1]). Accedit modus quo diphthongi exprimuntur et verba sollemnia *πρόξενος Ἀθηναίων*. Quibuscum rebus bene consentit *ἐπιμέλεσθαι* verbi forma quae post annum 376 nunquam in decretis Atticis occurrit tribus titulis exceptis [2]). Unum addam. Etenim quomodo intellegenda sint ea quae coniecit scripta fuisse Cumanudis v. 15 et 16: *καθάπερ τῷ πατρὶ καὶ ἐκγόνοις* ego quidem nescio. Attamen quid in versibus illis olim exstiterit admodum difficile est dictu. Namque ne illud quidem quod posuit Wilhelmus auctore Wilamovitzio recte se habere censeo, propter illa ipsa verba quae statim sequuntur *καθάπερ τῷ* |[*πατρὶ καὶ ἐκγό*]*νοις*. Ergo aut prorsus abstinendum erit coniecturis aut mendum latere in titulo qualis nunc quidem est statuendum. Neque ab omni probabilitate videtur recedere sententia ea qua corrigendam esse litteram Ω censuerim ita ut legamus: *καθάπερ τοῖ*|[*ς ἄλλοις προξέ*]*νοις*.

---

1) Cf. Wilhelm. H XXIV p. 121 extr.
2) Cf. Meisterhansii *Gramm. Att. Dial.* p. 139 [1220].

23. Titulus anno Ol. 102, 4 = 369/8 exaratus: BdCH III p. 475.

24. Titulus anno Ol. 104, 3 = 362/1 exaratus quo Dinoni proxeniam conlatam esse satis est verisimile: CB 1887 p. 1060, 1 + CIA II 56. Cf. H XXIV p. 119 VI.

25. Titulus anno Ol. 106, 3 = 354/3 exaratus: BdCH XII p. 173. Cf. H XXIV p. 123 IX.

26. Titulum CIA II 82ᵇ ante Ol. 106 exaratum uncis seclusit Schubertus[1]), cum hoc titulo proxeniam alicui conlatam esse non esset certum. Fortasse iis quae proponam revera id factum esse ei persuadebitur[2]). Ipse enim tituli editor in comparationem vocari iussit titulos CIA II 76 et 126, cum e formula quae procul dubio recte restituta est a viro doctissimo: [ἐπε]ιδὴ ὁ δ[ῆ-μο]|[ς ἐψήφισται τὴν] βουλὴ[ν πρ]|[οβουλεύσασαν ἐς]ενεγκ[εῖ]|[ν] de senatus probuleumate sermonem fuisse luce clarius evadat. Quae cum ita sint facile lacuna inter verba [ἐς]ενεγκ[εῖν] et προξ[εν] vocem explebitur scribendo [ἐς]ενεγκ[εῖ]|[ν εἰς τὸν δῆ-μον περ]ὶ προξ[εν]|[ίας]. Iam litterae -αραντ- (v. 16) quid aliud significabunt quam de Tarentino quodam agi in titulo? Ergo nomini eius servabuntur novem litterae, cum τῷ quoque articulo spatium reservetur necesse sit. Deinde quae inserenda sint ante ἐκκλησίαν haud difficile invenientur. Scribendum enim est: [τοὺς προέδρους τ]οὺς λ[α]|[χόντας εἰς τὴν πρώτην] ἐκκλ|[ησίαν προσαγαγεῖν Τι]μόξε|[νον sive Δα]μόξε|[νον, γνώμην δὲ ξυμβάλλε]σθα|[ι τῆς βουλῆς εἰς τὸν δῆμο]ν [ὅ]|[τι δοκεῖ τῇ βουλῇ.

Ac profecto nomen et patriam recte esse constituta confirmatur quodammodo primum dorica forma patris: [Φι]λοδά-μο[υ] (v. 1) et litterarum reliquiis quas scriptas videmus in ipso decreti initio. Optime enim litteras verborum [Τιμόξενος Φι]λοδάμο[υ] et [Ταραντῖ]νος ita disponere licet, ut ratio

1) *De proxenia Attica* p. 2.

2) Eundem fere in modum tractavit titulum hunc Wilhelmus H XXIV p. 122. Quod ultimo versu scriptum fuisse ego censeo magis convenire videtur cum sermone sollemni. In versu autem 2 unum nomen Ταραντῖνος cum spatiis conveniet.

qualem fuisse videmus ex ipsis reliquiis non turbetur. Adnotandum deinde est v. 12 lapicidam errasse, cum pro legitimo litterarum numero (22) efficiantur tantum viginti una. Nec illud omittendum est formulam *τοὺς προέδρους τοὺς λαχόντας εἰς τὴν πρώτην ἐκκλησίαν* nusquam alias occurrere. Nec tamen falsum esse supplementum inde concludi licet. Ea enim fuit huius formulae ut omnium ceterarum ratio ac via, ut primis temporibus non tam artis vinculis esset circumscripta, sed paullo liberius ea uterentur Atheniensium scribae. Sic legimus pro *χρηματίσαι* verbo sollemni *προθεῖναι* CIA II 47 et 76 [1]). Singulare etiam est quod legitur CIA II 51 v. 12: *προσαγαγεῖν δὲ τ[οὺς] πρέσβε[ις· εἰ]|[ς τὸν] δῆμον εἰ[ς] τὴν πρώτ[ην] ἐκκλ[ησίαν π]|[ροσκαλ[έσ]αντ[α]ς τοὺς [συμμά]χ[ο]υς [τοὺς π]|[ροέδ]ρους [κ]αὶ χρ[η]ματ[ί]ζ[ει]ν [π]ερὶ ὧν [λέγου]|[σιν].* Nec minus abhorret a posteriorum titulorum severo sermone, quod legitur CIA II 87 v. 5: *προσαγαγ[εῖν Πρωτόμαχον καὶ χρ]|ηματίσαι αὐτῶ[ι].*

Bene tamen distinguenda est formula quae exstitit in titulo CIA II 82ᵇ ab ea quae in titulis posterioris aetatis usu recepta est: *τοὺς λαχόντας προέδρους εἰς τὴν πρώτην ἐκκλησίαν.*

27. Sequitur titulus a Cumanude in EA 1886 col. 99, 5 editus. Haud ita difficile supplevi totum titulum singulos versus vicenarum quaternarum litterarum fuisse ratus:

. . . . . . ε ἰ ς δ ὲ τ ὴ ν ἀ ν α γ ρ α φ ὴ ν τ
ῆ ς σ τ ή λ η ς δ ο ῦ ν α ι τ ὸ ν τ α μ ί α ν τ ο ῦ
δ ή μ Ο(Δ)Δ δ ρ α χ μ ὰ ς ἐ κ τ ῶ ν κ α τ ὰ ψ η
φ Ι Σ Μ Α Τ α ἀ ν α λ ι σ κ ο μ έ ν ω ν τ ῶ ι δ
Η Μ Ω Ι Ε Π ι μ ε λ ε ῖ σ θ α ι δ ὲ α ὐ τ ο ῦ τ ὴ
Ν Β Ο Λ Η Ν τ ὴ ν ἀ ε ὶ β ο λ ε ύ ο σ α ν κ α ὶ
τ Ο Σ Σ Τ Ρ Α τ·η γ ὸ ς κ α ὶ ε ἶ ν α ι α ὐ τ ῶ
ι π Ρ Ο Σ Ο Δ ο ν κ α ὶ π ρ ὸ ς τ ὴ ν β ο λ ὴ ν
κ α ὶ Τ Ο Ν Δ ῆ μ ο ν π ρ ώ τ ω ι μ ε τ ὰ τ ὰ ἱ
ε ρ Α Κ Α Λ έ σ α ι δ ὲ κ α ὶ ἐ π ὶ ξ έ ν ι α ἐ
ς τ ὸ Π Ρ[Υ]τ α ν ε ῖ ο ν ἐ ς α ὔ ρ ι ο ν

1) Et in tit. CIA II 13 si quidem recte supplevimus v. 6 supra p. 96

Cum diphthongus *ου* non plene scribatur cumque forma *ἐπιμελεῖσθαι* satis certo videatur esse restituta, titulum exaratum esse colligere licet ea aetate quae est inter annos 380 et 360.

28. Consimilis argumenti sed aetatis paullo provectioris est titulus in *Ἀθ*. X p. 72 n. 3 editus. Ac primum quidem v. 3—7 quae editor supplevit corrigantur litteraeque per ordines disponantur necesse est:

.τοὺς ἀεὶ στρ[ατηγοῦντας καλέσαι δὲ α]
ὐτὸν ἐπὶ ξένι[α εἰς τὸ πρυτανεῖον εἰς α]
ὔρι]ον ἀναγρά[ψαι δὲ τόδε τὸ ψήφισμα ἐν]
στήλ]ηι λιθίν[ηι καὶ στῆσαι ἐν ἀκροπόλ]
ει εἰς δὲ]τὴ[ν ἀναγραφὴν κτλ.

Litterae deinde quae in altero versu etiamnunc conspiciuntur IΣOI optime sic coniungentur cum insequentibus ut scribamus: [ἐ]||[πιμελε]IΣOA[ι δὲ αὐτοῦ τοὺς στρατηγοὺ]||[ς] τοὺς ἀεὶ στρ. Ac ne primus quidem versus supplemento carebit si scripseris [καὶ εἶναι αὐτῷ πρόσοδον πρὸς τὴν]||[ν βουλὴν] KA[ὶ τὸν δῆμον ἐάν του δέηται].

En habes totum titulum:

. . . . καὶ εἶναι αὐτῶι πρόσοδον πρὸς τὴ
ν βουλὴν KAὶ τὸν δῆμον ἐάν του δέηται ἐ
πιμελεIΣOAι δὲ αὐτοῦ τοὺς στρατηγοὺ
ς TOYΣAEIΣTPατηγοῦντας καλέσαι δὲ α
YTONEΠIΞENIαεὶς τὸ πρυτανεῖον εἰς α
ὔριONANAΓPAψαι δὲ τόδε τὸ ψήφισμα ἐν
στήλHIΛIΘINηι καὶ στῆσαι ἐν ἀκροπόλ
ει εἰς δETHν ἀναγραφὴν κτλ.

29. Titulus 28 atque is qui proxime praecedit quin ad proxenos sive euergetas pertineant dubium non est. Meliore iure dubitare licet de titulo qui publici iuris factus est in CB 1887 p. 1066 II n. 4. Servatae autem sunt litterae haece:

I Ꮭ
‿ T P A T I
O Φ A Σ ⊏ I
Ψ A I Δ E T O
T O N K A T A
I K A I Σ T H
P A Φ H N T ⊢
Y Δ H M O Y
A Ψ H Φ · I Σ M

Quae litterae sane primo obtutu haud facile quemquam ad eam sententiam adduxerint ut de isotelia sermonem fuisse in titulo sibi persuadeat. Sed sequaris me quaeso in publicorum Atheniensium lapicidarum officinam: iam brevi totius tituli imago qualem fuisse censeo ante oculos tibi versabitur. Primum igitur restituamus vv. 5—7:

τ ὸ ν κ α τ ὰ [π ϱ υ τ α ν ε ί α ν ἐ ν σ τ ή λ η ι λ ι ϑ ί ν η] = 31 litt.
ι κ α ὶ σ τ ῆ [σ α ι ἐ ν ἀ κ ϱ ο π ό λ ε ι ἐ ς δ ὲ τ ὴ ν ἀ ν α] = 31 „
[γ] ϱ α φ ὴ ν τ ῆ [ς σ τ ή λ η ς δ ο ῦ ν α ι τ ὸ ν τ α μ ί α ν τ] = 31 „
[ο] ῦ δ ή μ ο υ

Vides unoquoque versu contineri litteras tricenas singulas. Ex versu autem quarto, quem sic restituendum esse nemo dubitabit:

[ἀναγϱά]ψαι δὲ τό[δε τὸ ψήφισμα τὸν γϱαμματέα]

litterarum numerum sibi non plane constitisse elucet. Iam quid faciendum est de obscuris illis litteris quae cognoscuntur in v. 3: OΦAΣ⊏I? Atque de Phaselita quodam agi minime est credibile primum quod littera quinta certissime non erat H sed E, deinde quod ne tum quidem quisquam elicere poterit quid significet littera prima O, ut omittam omnino illam difficultatem quae nascetur ex ultima littera illius versus. Si vero quis proposuerit [πϱ]οφάσει ne tum quidem quicquam profecerit.

Ergo alia via ingredienda est. Ex versus enim alterius litteris ‿TPAT de expeditionibus στϱατ[ιάς] sive στϱατ[είας] sermonem fuisse suspicari licet. Facile igitur ad eam senten-

tiam inclinabimus ut scriptum fuisse censeamus: [*τὰς σ*]*τρατ*[*ιὰς στρατεύεσθαι*. Cum hac autem formula saepius coniunctam fuisse alteram quae est: *καὶ τὰς εἰσφορὰς εἰσφέρειν μετὰ Ἀθηναίων* ex compluribus titulis compertum habemus veluti:

CIA II 176 v. 29 seqq.: *καὶ* | *στρατεύεσθαι αὐτὸν τὰς* | *στρατιὰς καὶ τὰς εἰσφορὰς* | *εἰσφέρειν μετὰ Ἀθηναίων*.

DA 1888 p. 224 v. 5 seqq.: [*κ*]*αὶ τ*[*ὰς*] *εἰσφορὰς εἰσφ*|*έρειν καὶ τὰ τέλη τελεῖν καθάπ*|*ερ Ἀθηναῖοι καὶ τὰς στρατείας στρατ*[*εύ*]*εσθαι μετὰ Ἀθηναίων*.

MDAI VIII p. 218 v. 20 seqq.: *καὶ σ*|*τρατεύεσθαι αὐτοὺς τὰς στρατείας καὶ εἰσφέρε*|*ιν τὰς εἰσφορὰς μετὰ Ἀθηναίων*.

Ergo faciamus periculum suppleamusque:

σ τ ρ α τ[*ι ὰ ς σ τ ρ α τ ε ύ ε σ θ α ι κ α ὶ τ ὰ ς ε ἰ σ φ*] = 30 litt.
ο Φ *ὰ ς ε ἰ*[*σ φ έ ρ ε ι ν μ ε τ ὰ Ἀ θ η ν α ί ω ν ἀ ν α γ ρ ά*]
ψ α ι δ ὲ τ ό [*δ ε*]

Optime hercle omnia procedunt — una excepta litterula Φ quae me quidem certe non impediet quominus recte esse suppletos versus arbitrer. Perfacile enim potuit seduci lapicida ut post litteram Φ alterius syllabae (*εἰσφο-*) repeteret hanc pro P.

Ac ne primi quidem versus frustula intacta relinquam sed scribi iubeam: [*ε*] [*ἵνα*]| Δ[*ὲ αὐτῶι* sive *αὐτοῖς καὶ ἰσοτέλειαν καὶ τὰς*]| = 30 sive 31 litt.

Si vero quis proponet: [*ε*]|[*ἵνα*]| Δ[*ὲ αὐτοῖς τὴν προξενίαν καὶ τὰς*] | [*σ*]*τρατ*[*ιάς*] ita ut evadant litterae triginta duabus de causis refellendus est. Primum enim si peregrinus tam gravibus privilegiis ornabatur quae continentur verbis *τὰς στρατιὰς στρατεύεσθαι καὶ τὰς εἰσφορὰς εἰσφέρειν*, is haud dubie non simplici proxenia sed etiam euergesia honorabatur ita quidem, ut etiam ad posteros pertinerent ornamenta. Deinde formula *εἶναι τῷ δεῖνα τὴν προξενίαν* tam raro occurrit in titulis Atticis ut sine gravibus causis eam restituere non liceat. Illud tamen minime negem in parte tituli temporis iniquitate amissa proxeniam esse conlatam sive euergesiam. Immo hoc admodum esse verisimile comparatis illis ipsis titulis quos modo enumeravi quivis concedet.

Priusquam autem totum titulum adscribam unum praemonendum videtur. Diximus enim supra dubitari non posse quin v. 4 restituendus sit hunc in modum: [ἀναγρά]|ψαι δὲ τό[δε τὸ ψήφισμα τὸν γραμματέα]|. Iam ipse dubitationem proferam. Facile enim fieri potest ut omnibus in reliquis versibus restituantur litterae 31 [1]). Ergo cum propter αὐτοῖς (v. 1) non liceat ita corrigere v. 4 ut evadat: [ἀναγρά]|ψαι δὲ τὸ [ψήφισμα αὐτῷ] [2]) iterum aliquid peccasse lapicidam verisimile est. Ipsum tamen mendum latebit.

Iam proponam titulum:

. . . . εἶναI[Δ]ὲ αὐτοῖς καὶ ἰσοτέλ
ειαν καὶ τὰς[Σ]ΤΡΑΤ[Ε]ίας στρατεύεσθαι
καὶ τὰς εἰσφΟ(Ρ)ΑΣ[Ε]Ι σφέρειν μετ' Ἀθην
αίων ἀναγράΨΑΙ ΔΕΤΟ δὲ τὸ ψήφισμα(α)τὸ
ν γραμματέαΤΟΝ ΚΑΤ[Α]πρυτανείαν ἐν στ
ήλῃ λιθίνῃ ΙΚΑΙ ΣΤΗσαι ἐν ἀκροπόλει
ἐς δὲ τὴν ἀναγΡΑΦΗΝ Τ[Η]ς στήλης δοῦναι
τὸν ταμίαν τοΥ ΔΗΜΟΥ : ΔΔΔ : δραχμὰς ἐκ
τῶν εἰς τὰ κατΑΨΗΦΙΣΜατα ἀναλισκομέ
των τῶι δήμωι.

30. Sequitur titulus in DA 1888 p. 224 publici iuris factus. Quae scripta fuisse coniecit editor v. 2 aperte falsa sunt [3]). Nam in hac formula verbum εἶναι nunquam locum habet post voces πρόξενον καὶ εὐεργέτην Ἀθηναίων. Ergo necessario corrigendum est:

[εἶναι τὸν δεῖνα πρόξενον καὶ εὐ]
[ερ]γέτην Ἀθ[ηναίων τοῦ δήμου αὐ]
τὸν καὶ ἐκγόνους καὶ δ[εδόσθαι]

Iam de aetate tituli coniecturam proferre licet. Nam primum quia commemoratur ὁ γραμματεὺς τῆς βουλῆς certe ante

1) Modo scribas v. 1: αὐτοῖς pro αὐτῷ et v. 2: στρατείας pro στρατιάς.

2) Quae formula deprehenditur in tit. CIA II 183 = 210 cf. supra p. 80 seqq.

3) [πρόξενον καὶ εὐε]ργέτην Ἀ[θηναίων εἶναι καὶ αὐτόν].

annum 323 exaratus est titulus [1]). Deinde cum *γῆς καὶ οἰκίας ἔγκτησις* conferatur omissis verbis *κατὰ τὸν νόμον* non post annum 325 titulum ponere licebit [2]). Denique cum formula *Ἀθηναίων τοῦ δήμου* sive *τοῦ Ἀθηναίων δήμου* post annum 355 non iam inveniatur [3]), circa medium fere saeculum quartum decretum illud ratum factum esse probabile est.

31. Titulus CB 1888 p. 244 n. 21 = BdCH XII p. 144; a Wilhelmo egregie restitutus in H XXIII p. 472 seqq. — Decretum ratum factum est a. Ol. 107, 4 = 349/8.

32. His titulis ante annum 350 vel paullo post exaratis addatur tit. CIA II 510, quo proxeniae decretum contineri haud facile quisquam suspicabitur. Conspiciuntur enim litterae haece:

Ο Γ Ο Ι
‾ Η Σ Α Ι Ε Ν
Η Σ Δ Ο Υ Ν Α Ι Ι
Σ Μ Α Τ Α Ν Α Λ Ι

Ac versum quidem alterum restituendum esse ita ut legamus: *καὶ σ]τῆσαι ἐν [ἀκροπόλει, εἰς δὲ τὴν ἀναγραφὴν τῆς στήλ]||ης δοῦναι* omnes consentient. Versum igitur nancti sumus 40 litterarum. Eundem numerum dare licet versui tertio, modo ne scribamus cum Koehlero *ἐκ τῶν εἰς τὰ κατὰ* sed breviorem ponamus formulam *ἐκ τῶν κατά*:

....[*στήλ*]||*ηςδοῦναιτ*[*ὸνταμίαν* ... *δραχμὰςἐκτῶν*]
[*κατὰψηφί*]||*σματ' ἀναλι*[*σκομένωντῶιδήμωι*]

Restat versus primus. Qui cum non recte expleatur verbis sollemnibus *ἀναγράψαι δὲ τόδε τὸ ψήφισμα* | *τὸν γραμματέα*

1) Ultimum enim exemplum non iam est tit. CIA II 186 1 sed II 181 cf. supra p. 69 seqq.

2) Cf. quae infra de hac formula dicemus.

3) Paullo enim post annum 386 formulas invenimus *πρόξενον τοῦ Ἀθηναίων δήμου* vel *Ἀθηναίων τοῦ δήμου* sive *τοῦ δήμου τοῦ Ἀθηναίων*, quarum ultima inde ab Ol. fere 107 usque Ol. 116 sola in usu est; exempla autem usque ad Olymp. 106 haec sunt: CIA II 44: [*τοῦ Ἀθηναίων δήμου*] sive [*Ἀθηναίων τοῦ δήμου*]; II 46: *τοῦ δ*[*ήμου τοῦ Ἀθηναίων*]; II 41: *τ. δ. τ. Ἀ.* (ex coniectura nostra; cf. supra p. 107 n. 21); II 50: *τ. Ἀ. δ.*; II 68: *τ. δ. τ. Ἀ.*; II 69: *τ. Ἀ. δ.* sive *Ἀ. τ. δ.*; BdCH III p. 475: *τ. δ. τ. Ἀ.*

τῆς βουλῆς ἐν στήλῃι λιθίνῃι καὶ σ|τῆσαι verbis *τὸν γραμματέα τῆς βουλῆς* et *λιθίνῃ* eiectis hunc in modum a me suppletus est:

OΓOI|[.*ἀναγράψαιδὲτόδετὸψήφισμαἐστήληικαὶσ*]|

Ex primis autem litteris elicio: *ἐκγ*]ONOY[ς]. Quod si verum est vix aliud quicquam antecessit nisi verba quibus proxenia sive euergesia conferebatur: [*εἶναι τὸν δεῖνα πρόξενον τοῦ δήμου τοῦ Ἀθηναίων αὐτὸν καὶ ἐκγ*]*όνου*[ς].

Haec igitur tituli species fuit:

................................*αὐτὸνκαὶἐκγ*
O(ν)OYς*ἀναγράψαιδὲτόδετὸψήφισμαἐστήληικαὶσ*
THΣAIEN*ἀκροπόλειεἰςδὲτὴνἀναγραφὴντῆςστήλ*
HΣΔOYNAIT*ὸνταμίαν*...*δραχμὰςἐκτῶνκατὰψηφί*
ΣMATANAΛI*σκομένωντῶιδήμωι.*

De aetate adnotandum est, in iis tantum titulis scribae nomen saepius omissum esse, qui altera quarti saeculi parte sunt vetustiores.

Restant complures tituli quos inter Ol. 106 et 111 exaratos esse verisimile est:

33. Titulus CIA II 138, 2. Nec enim dubito quin hunc titulum ita restitui oporteat:

ἀναγράψαιεὐεργέ
*τ*AΣAΘ*ηναί*ΩNEX*έ*ΔAMON*κ*AIA......................*αὐ*
*τοὺςκαὶἐκ*ΓONOYΣEΠEIΔHEIΣ*ινἄνδρεςἀγαθοὶπερὶἈθη*
*ναίουςἐνστή*ΛHIENAKPOΠOΛHI*τὸνγραμματέατῆςβολῆς*
*ἐςδὲτὴνἀναγ ρ*AΦHNTHΣΣTHΛHΣ*δοῦναι κτλ.*

34. Titulus CIA II 141 + MDAI X p. 57.

35. Titulus CIA II 146, 1 quem sic fortasse emendare licebit [1]):

IOΣΣ
*εἶναιδὲαὐτὸνε*YEPΓET
*ηνκαὶαὐτὸνκαὶἐκγόνου*ΣTOYΔH
*μουτοῦἈθηναίωνεἶναι*ΔEAYTΩI
*ἔγκτησινγῆςκαὶοἰκία*Σ

1) Titulum restituit etiam Wilhelmus H XXIV p. 133. Ego v. 3 Koehlerum quam Rangaben sequi malui. V. 1 haud scio an haec olim extiterint: [*ἐπαινέσαι τὸν δεῖνα ἐπειδὴ ἀνὴρ ἀγαθός ἐστι περὶ τὸν δῆμον τὸν Ἀθηναίων καὶ*] *τὸς σ*[*υμμάχος, εἶναι δέ κτλ.*

36. Paullo lentior processit tituli CIA II 156 restitutio. Ac primum quidem ex vv. 4—6 versus singulos fuisse tricenarum litterarum cognoscimus:

τὸδ[εψήφισματόδεἀναγράψαιτὸνγρα]
μμα[τέατῆςβουλῆςκαὶστῆσαιἐνάκρο]
πόλ[ει]

Eandem longitudinem facile nanciscemur in vv. 1—3:

[αὐτ]οὺ[ςκαὶἐκγόνουςἐπιμελεῖσθαιδ]
[ἐαὐτ]ῶνκ[αὶτοὺςστρατηγοὺςτοὺςἀεὶ]
[στρ]ατηγο[ῦντας]

et in vv. 6—9:

πόλ[ειδοῦναιδὲτῶιγραμματεῖἐςἀνα]
γρα[φὴνΔδραχμὰςτὸνταμίαντοῦδήμο]
υἐκτ[ῶνκατὰψηφίσματαἀναλισκομέν]
[ωντῶιδήμωι]

Solus versus 3 numero triginta litterarum resistet:

στρ]ατηγο[ῦνταςκαὶτὴνβουλὴντὴνἀεὶβουλεύ] = 37 litt.
ου]σαντόδ[ε

Ergo ad eam suspicionem delapsus sum ut lapicidae oculos aberrasse statuerem a primo articulo *τήν* ad insequentem. Quod eo facilius excusabitur, si verba *στρατηγοῦντας καὶ τή-* in fine versus locum habuisse statuerimus. Ac sic quidem scribam totum titulum:

...............αὐτΟΥςκαὶἐκγόνουςἐ
πιμελεῖσθαιδὲαὐτΩΝΚαὶτοὺςστρατ
ηγοὺςτοὺςἀεὶστρ[Α]ΤΗΓΟῦνταςκαὶτὴ[νβουλὴν]
τὴνἀεὶβουλεύουΣΑΝΤΟΔἐψήφισματό
δεἀναγράψαιτὸΝΓΡΑΜΜΑτέατῆςβουλ
ῆςκαὶστῆσαιἐν[Α]ΚΡΟΓΟΛειδοῦναιδὲ
τῶιγραμματεῖἐςΑΝΑΓΡΑ[Φ]ὴνΔδραχμὰ
ςτὸνταμίαντοῦδήμοΥΕΚΤῶνκατὰψηφ
ίσματαἀναλισκομένωντῶιδήμωι

De proxenia autem dubitatio oriri non poterit (v. 1).

§ 5.

Quoniam enumerati sunt tituli antiquiores omnes qui quidem pertineant ad proxeniam euergesiamque, et quoad fieri potuit emendati, via praemunita est ad enarrandam horum honorum historiam.

Atque antiquissimis quidem temporibus proxeniam solam, omnibus aliis honoribus praemiis privilegiis carentem esse conlatam et per se probabile est et demonstratur titulo CIA I 61[a] ubi legimus v. 37 seqq. . . . . . . *μ]αχον δὲ τὸν Σηλυμβριανὸν ἀναγράψαι ἐν τῇ αὐτῇ στήλῃ πρόξενον Ἀθηναίων.* Nihil ergo dicitur de viri posteris, nihil audimus de laude de enctesi aut de ceteris eiusmodi privilegiis, ac ne euergetae quidem nomine honoratur Selymbrianus ille.

De euergesiae autem honore saepissime cum proxeni nomine coniuncto nunc paullo uberius disputandum est. Ac diversum fuisse accurateque separandum euergetae nomen a proxeni est consentaneum, cum saepius de sola euergesia conferenda et de sola proxenia sermo sit et in titulis et apud scriptores. Attamen cum in permultis proxeniae decretis addita reperiatur euergesia, huius rei ratio iam est investiganda. Qua de re Schubertus quidem plane desperavit, negans et causam certam se intellegere et temporum hac in re discrimen statui licere [1]). Monceaux autem de rationibus ac causis ne cogitavit quidem, sed in universum tantum ut solet saepius coniunctos esse dicit duos illos honores [2]).

Ut vero ratione ac via proficiscamur, titulos quibus proxeno non confertur euergesia componamus:

1. Ante Ol. 84 = ante a. 444: CIA I 21.
2. Ante Euclidis annum: CIA I 82 cf. supra p. 92 seq.
3. Ol. 92,4/93,1 = 408: CIA I 61[a] bis.

---

1) l. l. p. 27 seq.

2) l. l. p. 96 'Un très grand nombre de décrets athéniens donnent au proxène le titre de bienfaiteur public. Dans beaucoup d'inscriptions les deux termes sont même joints si intimement qu'ils semblent former une expression consacrée.'

4. Ante Eucl. annum: H XXIV p. 114 III cf. supra p. 93 n. 4.

5. Ante a. Ol. 101, 1 = 376/5: H XXIV p. 120 = EA 1886 col. 115 cf. supra p. 103 n. 22.

6. Ol. 101/104 = 376/360: CIA II 86.

7. Ol. 106, 2 = 355/4: CIA II 68.

8. Ol. 106, 2 = 355/4: CIA II 70.

9. Ol. 106/111 = 356/32: CIA II 142 cf. supra p. 78 seq.

Post Ol. 106 — nam quominus tit. CIA II 142 ipsa Olympiade 106 vel paullo post exaratum esse censeamus nihil impedit — hiat lacuna, cuius amplitudo etsi certo anno definiri nequit, tamen ita potest circumscribi ut usque ad Ol. fere 115 non inveniri dicamus proxeniae titulum qui euergesia careat.

Qua in re non curo titulos illos quorum initia ac praescripta tantum aetatem tulerunt exhibentia solum verbum *προξενία*[1]; etenim in titulo BdCH III 475 anno 369/8 confecto videmus in decreto ipso verba *πρόξενος καὶ εὐεργέτης* esse exarata, cum in decreti initio exstet tantum *προξενία*.

Inde a fine saeculi IV. ad pristinum fere rerum statum reicimur. Invenitur enim posterioribus temporibus non semel proxenia sine euergesia. En habes exempla:

1. fine saec. IV.: CIA II 282.

2. fine saec. IV.: CIA II 286 cf. supra p. 73.

3. fine saec. IV.: CIA II 289 cf. supra p. 83.

4. priore III. saec. parte: CB 1887 p. 1068, 6 cf. supra p. 74 seq.

5. posteriore III. saec. parte: CB 1887 p. 1069, 8 = H XXIV p. 331 seq.

6. eodem tempore: CIA II 380.

7. altero saeculo: CIA II 423.

8. altero saeculo: CIA II 438.

Exstat contra euergesia cum proxenia coniuncta in titulis hisce:

---

1) veluti CIA II 133; 169; 198; BdCH XII 173.

1. Priore saec. III. parte: CIA II 327.
2. ante bellum Chremonideum: CIA II 362 cf. supra p. 85.
3. priore III. saec. parte: Ἀϑ. VI p. 136.
4. posteriore III. saec. parte: DA 1888 p. 184.
5. fine tertii saec.: CIA II 414.

Iam nemo puto erit, qui temporum hac in re discrimen statui licere neget.

Harum commutationum causas facile inveniemus, si ea quae Monceaux p. 97 exponit accurate examinaverimus. Is enim cum dicit euergesiam esse saepissime conlatam solam, praecipue post tempora quae dicuntur Macedonica, duas res plane permiscere videtur [1]). Nam bene distinguendi sunt εὐεργέται illi, qui posterioribus temporibus ab Atheniensibus nominati sunt, ab iis, qui saeculo quarto exornati sunt euergesia. Illi enim erant reges exteri ducesque praeclari qui optime de Atheniensium republica meriti esse viderentur, veluti Antigonus et Demetrius [2]), Ptolemaeus Philadelphus [3]), Diogenes mercennariorum dux [4]), Attalus I. [5]), Eumenes II. [6]) alii multi.

Miram igitur habemus euergetae nominis fortunam. Nam is honor quem antiquissimis temporibus, ut proxeniam, permagni aestimatum esse consentaneum est, quarto saeculo tam saepe conferebatur ut vilis haberetur nisi alia cum eo coniungerentur privilegia. Sed novo splendore euergetae nomen, ut vidimus, effulgebat posterioribus temporibus, cum denuo ne reges quidem hoc titulo ornari aspernarentur. Ergo non casu factum esse censeo quod inde a fine quarti saeculi in proxeniae decretis saepe desideratur euergesia; is nimirum honor illa aetate tantam acceperat vim atque auctoritatem, ut

1) l. l. p. 97 'L'εὐεργεσία était un titre distinct, fort souvent conféré à part, surtout après l'époque macédonienne.'

2) Cf. C. Wachsmuthii librum *De Urbe Atheniensium* conscriptum I p. 612: 'So begannen Antigonus und Demetrius die lange Reihe auswärtiger „Wohlthäter" von Athen.'

3) l. l. p. 624.

4) l. l. p. 630.

5) l. l. p. 636.

6) l. l. p. 641.

non quivis qui aliquo modo de re publica meritus esset eo nomine ornaretur.

Sed redeamus ad Monceaux virum doctum, qui ut quanti aestimatum sit euergetae nomen demonstret Lysiae laudat locum ex quo 'permultos homines pecunia data honorem illum adeptos esse' eluceat [1]). Sed cum Lysias de certis quibusdam, tribus quattuorve, hominibus verba faciat, quos in lacuna post verba *Ἀθηναῖον πεποιημένον* commemoratos esse diu viderunt viri docti, quam leviter versatus sit Monceaux in interpretandis scriptoribus luculenter demonstratur. Nec minus falsa sunt quae deinde ille exponit. Quaerens enim quomodo explicandum sit quod tam saepe in inscriptionibus proxeni et euergetae nomina coniungantur, tam raro a rerum scriptoribus, hanc profert *λύσιν* ut dicat euergesiam fuisse titulum honorificum, munus proxeniam, eamque ob causam ab oratoribus et historicis proxenos dici illos homines, contra in ipsis decretis publice exaratis enumerandos fuisse omnes virorum illorum titulos atque honores. Sed vereor ne tota haec argumentatio cadat in cassum. Monceaux autem ipsum si scriptorum testimonia accuratius examinasset aliter fuisse iudicaturum arbitror. Primum enim omnino haud ita multa sunt, cum quindecim fere locis proxeni commemorentur [2]). Deinde fere omnes hos eo tempore vixisse comperimus quo euergesiae titulus nondum tam arcte cum proxeniae coaluisset. Concludamus igitur necesse est omnes hos viros ab Atheniensibus non proxenia et euergesia, sed sola proxenia esse ornatos. Nam nisi ita esset, cur Herodotus Alexandrum illum duplici titulo nominasset [3]), cur Demosthenes exclamasset [4]): *ὧν* [5]) *μετὰ ταῦτ᾽ ἐκπεσόντων ἐψηφίσασθε, ἅπερ οἶμαι φεύγουσιν εὐεργέταις δι᾽ ὑμᾶς προσῆκε, προξενίαν, εὐεργε-*

1) *Contra Agorat.* 72.

2) Cf. Monceaux l. l. p. 321 seqq.

3) VIII 136: *ἅμα δὲ ὁ Μαρδόνιος πυθόμενος, ὅτι πρόξεινός τε εἴη καὶ εὐεργέτης ὁ Ἀλέξανδρος, ἔπεμπε κτλ.*

4) *Lept.* 60.

5) *Ἀρχεβίου καὶ Ἡρακλείδου Βυζαντίων.*

σίαν, ἀτέλειαν ἁπάντων? Cur omnino scriptores commemorassent euergesiam, si tam inane fuisset huius honoris pondus ut silentio eum possent praeterire? Nonne inde quod raro commemoratur a scriptoribus euergesia, etiam raro — antiquioribus sane temporibus — eam esse conlatam colligendum? Nonne inde quod Demosthenes sic enumerat: προξενία, εὐεργεσία, ἀτέλεια euergetae nomen etiam Demosthenis temporibus pluris esse aestimatum quam proxeni putandum est? Qua cum re optime consentit quod in populiscitis Atticis euergetae tituli et proxeni ita sese excipiunt, ut ille quippe qui fuerit splendidior et gravioris auctoritatis sequatur hunc.

§ 6.

Antiquissimis iam titulis proxenia non solum ei ipsi qui bene meritus erat de re publica, sed etiam posteris eius conlata est. Nec tamen omnibus titulis id factum esse videmus.

Quaeritur ergo num discrimen sive temporum sive rerum liceat statuere. Ac Schubertus quidem [1]) utrumque negat. Neque Monceaux [2]) num fortasse aliis temporibus aliam secuti essent rationem Athenienses inquisivit. Nos ea re freti quod in euergesia cum proxenia coniungenda temporum discrimen statuendum esse vidimus, de hereditaria proxeniae atque euergesiae vi simile aliquid sperabimus nos esse inventuros. Id autem non mirabimur immo consentaneum esse censebimus si iterum inde a fine fere IV. saeculi mutationem factam esse invenerimus.

Examinemus ergo primum titulos usque ad Ol. 116 exaratos. Desideratur autem hereditaria vis in titulis hisce:

I. Ante Euclidis annum:

CIA I 21 [3]); 45; 61ª (bis); 59; H XXIV p. 110 n. II; p. 114 n. III.

---

1) l. l. p. 82.

2) l. l. p. 104.

3) Huius tituli vv. 5—7 non recte sunt suppleti in CIA. Nam quid sibi velit duplex illa fratrum commemoratio non video. Etenim cum de uno patre sermo esset satis sane erat semel etiam commemorari filios

II. Usque ad Ol. 100:

CIA II 44; 45; BdCH XII p. 165 = CB 1887 p. 1060, 2; MDAI VIII 223[a]; CIA II 55 (euergesia Menelai maioribus conlata.)

III. Usque ad Ol. 116:

CIA II 150; 142; 183 = 210 (cf. supra p. 80 seq.).

Pertinet contra proxenia et euergesia etiam ad posteros in his decretis:

I. Ante Euclidis annum:

CIA I 27 (cf. IV a); 65; 76[a]; 82; 116[a] 1)); BdCH XIII p. 152.

II. Usque ad Olymp. 100:

CIA II 9; 37; 38; 39; 40; 41; 46; 47; 48; BdCH XII p. 135 = CB 1888 p. 245, 22; XII p. 137 = CB 1888 p. 246, 26;

---

vel fratres. Ergo cum ne Φ quidem littera certa sit (cf. var. lect. v. 7) et cum patriae nomen necessario sit inferendum, sic titulum restituendum censeo:

χ ο ς ε ἶ π ε· Ν[. . . . . κ α ὶ τ ὸ]
ς ἀ δ ε λ φ ὸ ς [α ὐ τ ō τ ὸ ς . patriae nomen]
(ρ) ο ς κ α ὶ τ ὸ μ [π α τ έ ρ α α ὐ τ ῶ ν ἀ ν α]

1) Consulto omisi titulum CIA I 94 (cf. IV a p. 22) quamquam haec vv. 11 et 12 scripta fuisse censet Schubertus l. l. p. 82 adn.: *εἶνα[ι δὲ αὐτοῖς καὶ ἐκ]||[γόνοις προ]ξε[νίαν]*. In ceteris enim titulis (CIA I 61[a] et II 38), ubi pro sollemnibus verbis *εἶναι τὸν δεῖνα πρόξενον* sive *τὸν δεῖνα ἀναγράψαι πρόξενον* tertia formula adhibita est: *εἶναι τῷ δεῖνα τὴν προξενίαν*, variationis causa eam usurpatam esse adparet, cum paullo ante scripta esset prima aut secunda. In tit. autem I 94 neque novus inducitur vir (I 61[a]) neque verbis *ἀντὶ τούτων* vel similibus ad antecedentia remittimur (II 38). Accedit aliud. Admodum enim esset mirum si post formulas sollemnes quibus decretum lapidi incidi iubetur, ipse ille ad quem totum decretum pertinet proxenus demum nominaretur. Omnia enim quae in priore tituli parte, qualis nunc quidem est, scripta exstant ita comparata sunt, ut in parte amissa proxeniam conlatam esse sit statuendum. Novum est argumentum ex sermone repetitum. In titulis enim I 61[a] et II 38 articulus additur nomini *προξενίας* et *εὐεργεσίας* ea nimirum vi, ut respiciatur ad eam proxeniam de qua antea sermo fuit. Similiter semper additur articulus in postscriptis: *ἀναγράψαι τῷ δεῖνα τὴν προξενίαν* scil. eam quae modo ei collata est: CIA II 119; 124; 150; 289; II 3: *ἐπειδὴ καθῃρέθη | ἡ στήλη ἐ[π]ὶ τῶν τριάκον[τ|α] ἐν ᾗ ἦ[ν α]ὐτοῖς ἡ προξεν|ί[α.* — His de causis Schuberti supplementum ferri nequit. Fortasse legebatur in titulo: *εἶνα[ι δὲ καὶ . . . . τὴν προ]ξε[νίαν]*.

XII p. 142 = CB 1888 p. 244, 20; XII p. 155; XII p. 162 = CB 1887 p. 1187, 6; XII p. 169; Ἀθ. VI p. 481; H XXIV p. 120.

III. Usque ad Ol. 116:

CIA II 50; 66[c]; 68; 69; 70; 76; 86; 87; 89; 95; 119; 124; 138; 140; 141 + MDAI X 57; 145; 156; 170; 171; 176; 186; 208; 209; 510; BdCH III p. 475; MDAI VIII p. 218; VIII p. 223[b]; EA 1886 col. 111; Ἀθ. VI p. 131; 136; CB 1887 p. 1191 n. 19; DA 1888 p. 224; 1889 p. 14; H XXIII p. 472; XXIV p. 328.

Ut autem ratio facilius perspiciatur numeris eam exprimam:

	ante Eucl.	usque ad Ol. 100	usque ad Ol. 116
honor pert. ad post.	6 t.	17 t.	34 t.
honor non pert. ad post. . .	6 t.	5 t.	3 t.

Quam rationem si inspexeris ad eam te mecum inclinaturum esse sententiam spero, ut necessitate quadam in titulis CIA II 142. 150. 183 posteros exclusos esse censeas. Nam mirum ne dicam incredibile esset, si tricies et quater honores ad posteros pertinerent et ter tantum sine gravissima causa posteri excluderentur. Causa autem illa procul dubio erat quod tres illi viri seniores erant, quam ut genus ab iis propagatum iri esset exspectandum.

Usque ad Ol. 100 igitur Athenienses proxeniam et euergesiam voluerunt modo esse hereditariam modo non id quod pendebat nimirum a meritorum gravitate et hominum dignitate; sed inde ab Ol. fere 100 uniuscuiusque proxeni et euergetae posteri eodem honore donati sunt.

Quae res mutata est inde ab exeunte saeculo quarto. Desideratur enim sexies vis hereditaria: CIA II 282; 286; 327; 414; 423; 438; septies posteri includuntur: CIA II 289; 362;

380; DA 1888 p. 184; H XXIV p. 331; CB 1887 p. 1068, 6; Ἀϑ. VI p. 136.

Nemo vero sibi persuadebit omnes illos sex homines progenie caruisse: immo eandem commutationem agnoscemus quam deprehendimus supra. Athenienses nimirum posterioribus temporibus ad simplicem antiquissimorum temporum usum redierunt.

§ 7.

Transeamus iam ad eum morem quo proxeni et euergetae decreto publico ad prytaneum vocati sunt. Ac primum num recte se habeant quae protulerunt viri docti examinemus.

Et Schubertum quidem qui Koehlerum maxime secutus ad cenam quoque vocatos esse nonnunquam proxenos sibi persuasit errasse infra demonstrabitur[1]). Maiores gravioresque errores commisit Monceaux. Ut enim est vir testimoniorum satis neglegens haec quoque profert[2]): 'A moins de circonstances particulières, tout acte du peuple athénien ayant pour objet de conférer la proxénie ou quelque récompense à un proxène, était suivi d'une invitation officielle à un repas du Prytanée'. Ergo quod in titulis quales tum quidem erant bis factum est[3]), hunc fuisse usum constantem sumit. Quae cum ita sint non mirum est, quod plane inter se commutavit Monceaux invitationem illam proxenorum semel factam cum victu cotidiano in prytaneo, qui honos — ut Ciceronis verbis utar a Monceaux adlatis — apud Graeos maximus habebatur. Sed accedunt alia. Monceaux enim explicaturus quomodo factum sit, ut nonnullis in titulis proxenus non vocaretur in prytaneum, tum tantum hoc omissum esse contendit si proxeni Athenis non adfuissent[4]). Testem autem adfert Euenoris medici titulum, sed tam obiter inspexit decretum ut ipsa prima

1) Cf. Excursum II.

2) l. l. p. 93.

3) CIA II 131. 414.

4) 'Les exceptions sont fort rares et s'expliquent par un fait très simple: le personnage n'était pas à Athènes.'

eius verba gravissima plane neglegeret: [*προσαγαγ*]*εῖν Εὐήνορα πρὸς τὸν δῆμον*. Ac ne illud quidem consentit cum testimoniis quod rarissime invitationem dicit neglegi in titulis. Nam ut Schuberti numeros adferam in 14 titulis occurrit invitatio, in 15 certo omittitur. Ad postremum malam istam interpretationem commemorem tituli in *Ἀϑ*. VI p. 272 publici iuris facti, quem sic intellegi vult Monceaux ut omnia quae lege illa constituuntur etiam ad proxenos pertineant[1]).

Sed ad graviora revertamur examinemusque quonam iure Schubertus crediderit omnes proxenos qui eo tempore cum honor eis deferretur Athenis adessent, in curiam esse vocatos. Atque unum exemplum — Euenoris — huic sententiae obstare modo demonstratum est. Is enim quamquam Athenis adfuit tamen non invitatus est in prytaneum. Sed fortasse dixerit quispiam hoc uno titulo regulam non laedi, cum scribae neglegentia fieri potuerit, ut invitatio omitteretur. Alia tamen exempla iam adferam quae tale quid statui necessario vetent. Ac primum provocabo ad Heraclidis illa decreta memorabilia, quibus quemadmodum res Athenis apud senatum et populum gestae sint accuratissime cognoscitur[2]). Iam in quinta illius tituli parte[3]), qua probuleuma senatus contineri cognovit Koehlerus populisciti initio tituli exarati, iterum formulam illam sollemnem deprehendimus qua Heraclides ad populi contionem duci iubetur[4]); ergo Heraclides eo tempore cum honor ei a populo concederetur Athenis adfuit: nec tamen in prytaneum vocatus est neque in senatus probuleumate neque in populiscito. Similiter res se habet in titulo CIA II 380, quo Apollas quidam sive Apollagoras Atheniensium proxenus nominatus est. Hunc enim virum, quamquam Athenis eum vixisse ipse Schubertus[5]) ex rebus in decreto enarratis conclusit, Athenienses non ad dona hospitalia vocavere.

1) Cf. infra p. 144 adn.
2) MDAI VIII p. 211 seqq.
3) p. 216 v. 67 seqq.
4) v. 73: *προσαγαγεῖν Ἡρακλείδην πρὸς τὸν δῆμον καὶ χρηματίσαι*.
5) l. l. p. 11.

His tribus exemplis Schuberti legem valde concuti et paene dirui quivis concedet. Nec minus quid verum sit ex eis elucet. Nam cum tres illos quos enumeravi homines Athenis metoecorum condicione usos vixisse, ex iis quae in titulis narrantur et consentaneum sit et diu a viris doctis cognitum, prona est ea sententia ut omnes metoecos qui in proxenorum et euergetarum numerum reciperentur, non in curiam vocatos esse censeamus. Neque id mirum. Nam ut dona hospitalia procul dubio memoriae causa dari solebant, ut peregrini illi qui Athenis paullulum commorati domum reverterunt grato animo itineris illius recordarentur, ita cum rerum natura convenire videtur, quod metoeci illi qui Athenis ipsis versabantur tali memoriae stimulatione carebant.

Quid autem hinc sequitur? Primum ut inter eos qui re vera ad dona hospitalia vocabantur, nullum fuisse metoecum concludamus. Quod pertinet ad viros populiscitis CIA II 42 et 131 honoratos, quos in metoecorum numerum recepit Schubertus[1]) eo argumento nisus, quod *πρόσοδος πρὸς τὸν πολέμαρχον* non posset ullius cuiquam pretii esse, nisi proxeno Athenis ipsis vitam degenti. Quod quo iure statuerit non satis intellego. Constat enim saepius peregrinos qui non Athenis viverent, ab Atheniensibus in ius vocatos esse, aut ipsos lites intendisse illis.

Sed aliud quoque ex lege quam supra constituimus sequitur. Etenim si forte aliis indiciis virum proxenia euergesiaque donatum metoecum fuisse suspicio est, admodum videtur firmari haec coniectura tum cum invitatio quoque desideratur in prytaneum. Sic autem res se habet in titulo CIA II 170, quem ad metoecum pertinere iam supra[2]) suspicati sumus. Idem statuamus necesse est de plurimis posterioris aevi proxenorum titulis. Athenienses enim cum exeunte saeculo quarto potentia maritima paullatim destituerentur, cum urbs eorum non iam esset regni magni imperatrix sed oppidum litteris tantum

1) l. l. p. 11.
2) p. 66 seq.

et artibus florens, tum profecto non tam saepe ut prioribus temporibus invenerunt in externis ac remotis oppidis viros sibi deditos et qui rempublicam Atheniensium opera et consilio adiuvarent augerentque.

Ergo plurimos posterioris aetatis proxenorum titulos referam ad metoecos. Confirmatur autem haec sententia eo quod in nullo illius aevi titulo, uno excepto [1]), proxeni ad prytaneum vocantur, in hisce autem titulis certo desideratur invitatio: CIA II 327; 369; 370; 380; 423; 438; H XXIV p. 331; CB 1887 p. 1068, 6; p. 1069, 8.

Quae cum ita sint admodum debilitatur Koehleri coniectura qua titulum CIA II 423 rettulit ad Lucium Hortensium, quem anno fere 170 Romanorum classi in litore Graeco praefuisse testis est Livius. Nam per se patet non futurum fuisse ut praetor ille ab Atheniensibus ornaretur, nisi Athenis adfuisset. Atqui si adfuisset, procul dubio in prytaneum esset vocatus [2]). Accedit autem aliud. Dudum enim id me offendit satisque mirum fuisse duxi futurum, si praetor Romanus, illustris magistratus eius populi quem potentissimum omnium esse et fore bene cognitum habebant Athenienses, simplici proxeniae honore esset ornatus. Quod ab Atheniensium moribus quales tum erant prorsus videtur abhorrere. Censeo igitur Romanum illum ab Atheniensibus ornatum non fuisse magistratum nobilem atque illustrem sed privatum hominem Athenis vitam degentem.

Unum denique habeo quod addam de titulis in quibus proxeni et euergetae invitantur *ἐπὶ ξένια εἰς τὸ πρυτανεῖον.* In omnibus enim fere eiusmodi decretis invitatio illa in ultima titulorum parte ita exarata est ut etiam post illas formulas locum habeat, quibus ut decretum lapidi incidatur, ut pecunias dent quaestores, praescribitur. Exempla sunt: CIA II 42 v. 5 seqq.: *τὸ δὲ ψήφι|σ[μα τ]ό[δε ἀνα]γράψαι τὸγ γραμματέα τῆς βουλ|[ῆ]ς [ἐν στήλῃ λι]θίνῃ καὶ στῆσαι ἐμ πόλῃ, ἐς | δὲ τὴν στήλην δοῦναι τὸ[ν] ταμίαν ΔΔ δραχμὰς | [τῶ]ι*

1) CIA II 414.

2) Cf. CIA II 414 qui titulus consimilis est argumenti.

[γ]ρ[αμματεῖ] τῆς βουλῆς· κα[λέσ]αι δὲ καὶ ἐπ|[ὶ ξένια] Φ[ί-λιπ]ον [ἐ]ς τὸ πρυτ[ανεῖον] ἐς αὔριον. CIA II 44; 68; 69; 86; 95; 209; BdCH XIII p. 152; XII p. 141 = CB 1888 p. 246, 25; Ἀθ. VI p. 270; MDAI VII 317; EA 1886 col. 99 n. V; col. 111; H XXIII p. 472.

Rarior ante formulas 'postscriptas' invenitur invitatio: CIA II 150; 414; Ἀθ. X p. 72.

Quaeritur iam, cur scriba qui decretum fecit tam saepe invitationem ab ipso decreto plane separatam esse voluerit. Nec difficile erit hanc rem satis miram explicare. Namque cum verba καλέσαι τὸν δεῖνα ἐπὶ ξένια εἰς τὸ πρυτανεῖον εἰς αὔριον nunquam significent: vocare aliquem ad dona hospitalia in posterum diem, sed semper: in crastinum diem, fieri omnino non posse quivis intelleget, ut in ipso senatus probuleumate uno vel compluribus diebus ante populi contionem confecto verba illa locum habeant. Ergo in ipsa contione invitatio adderetur necesse fuit. Pauci vero illi tituli ubi ante postscripta invitatio invenitur aut mera populiscita sunt, aut probuleumata a scriba post ipsam contionem retractata. Sed haec hactenus.

§ 8.

Proximum est ut de laudis honore agamus in quem nemo adhuc accurate inquisivit. Nec quicquam ex tali inquisitione fortasse nos profecturos esse censebis, cum laus is honor sit qui omnium saepissime sit conlatus. Paucis igitur verbis viri docti laudem publicam tractare solent. Ac Westermannus quidem cum dicit[1]), laudationem, quam quisque facile consequi potuerit, quamvis fuerit honorifica, magis tamen publicam civitatis gratiarum actionem quodammodo ex lege debitam fuisse videri, ad illum praecipue morem respicit, quo legati cum mandata senatus populique bene ac feliciter perpetrassent laude publica ornabantur. Sed cum laudationibus his legatorum minima tantum moris pars contineatur, de toto more in

1) *De publicis Ath. hon. ac praem.* § 6.

universum ex hoc uno genere iudicium facere non licebit. Ceterum laus non magis quodammodo ex lege debita quam reliqui fuerunt omnes honores: is nimirum qui laude dignus fuit, vel potius videbatur esse, publice collaudatus est. Schubertus[1]) autem etsi omnes proxenorum titulos, quibus proxeni collaudantur, enumerat, tamen ne ipse quidem qualis fuerit temporum ratio morisque progressus cognovit. Monceaux[2]) denique nihil novi adfert, omnibus fere in titulis honorificis commemorari dicens laudem atque exordium fuisse necessario paene exspectandum.

Attamen etiam laus proxenorum habuit sua fata. Ac primum quidem ii lapides enumerandi sunt, in quibus proxeni et euergetae certo non laudati sunt:

I. Usque ad Euclidis annum.

1. medio V. saeculo: CIA I 27 (cf. IV a.).
2. Ol. 92, 3 = 410/9: CIA I 59 v. 25.
3. Ol. 92,4/93,1 = 408: CIA I 61ª.
4. ante Eucl. annum: H XXIV p. 110 n. II.
5. ante Eucl. annum: H XXIV p. 114 n. III.

II. Usque ad Ol. 101.

6. ca. Ol. 95 = 400: CIA II 1[3]).
7. eadem aetate: CIA II 3.
8. Ol. 95, 2 = 399/8: CB 1887 p. 1187 n. 6 = BdCH XII p. 162.
9. Ol. 96, 3 = 394/3: BdCH XII p. 155.
10. ante Ol. 98, 3 = ante a. 386/5: CB 1888 p. 246 n. 26 = BdCH XII p. 137.
11. eadem aetate: Ἀϑ. VI p. 481.
12. Ol. 98, 3 = 386/5: CB 1887 p. 1060 n. 2 = BdCH XII p. 165.

1) l. l. p. 9 adn. 1.

2) l. l. p. 97 'L'éloge, mentionné dans la plupart des décrets honorifiques, c'en était le préambule naturel.'

3) Laudatio in titulo non fuisse videtur, cum obiectum certum (non αὐτόν) in ipsa formula exstet, qua proxenia confertur.

13. ante Ol. 101 = ante a. 376/5: CIA 29.
14. eadem aetate: CIA II 40.
15. eadem aetate: MDAI VIII p. 223[a].
16. eadem aetate: CIA II 44.
17. eadem aetate: CIA II 46.
18. eadem aetate: CIA II 48.

III. Usque ad Ol. 111.

19. Ol. 103, 1 = 368/7: CIA II 50.
20. ca. Ol. 104 = ca. 364/60: CIA II 87.
21. Ol. 110, 4 = a. 337/6: CIA II 124.

Contra in eis quos nunc enumerabo titulis proxeni atque euergetae collaudantur:

I. Ante Euclidis annum.

1. Ol. 98, 4 = 421/20: CIA I 45.
2. Ol. 92,4/93,1 = a. 408: CIA I 61[a] (Apollodorus).
3. Ol. 93, 1 = 408/7: BdCH XIII p. 152.
4. ante Euclidem: CIA I 82.
5. anno Euclidis: H XXIV p. 109 n. I.

II. Usque ad Ol. 101.

6. Ol. 96, 3 = 394/3: CIA II 9 cf. H XXIV p. 115.
7. Ol. 98, 1 = 388/7: CIA II 13 cf. H XXIV p. 114.
8. ante Ol. 98, 3 = ante a. 386/5: BdCH XII p. 169.
9. ante Ol. 101 = ante a. 376/5: CIA II 37.
10. eadem aetate: CIA II 39.
11. eadem aetate: CIA II 47.
12. eadem aetate: MDAI XII p. 85.
13. eadem aetate: H XXIV p. 120.

III. Usque ad Ol. 111.

14. Ol. 102, 4 = 369/8: BdCH III p. 475.
15. Ol. 104, 2 = 363/2: CIA II 55.
16. Ol. 106, 2 = 355/4: CIA II 68.
17. eodem anno: CIA II 69.
18. eodem anno: CIA II 70.

19. medio fere saeculo: MDAI VIII 223[b].
20. eadem fere aetate: EA 1886 col. 111.
21. ca. Ol. 106 = ca. 356/2: CIA II 89.
22. Ol. 101/106 = 376/52: CIA II 95.
23. Ol. 106/111 = 356/32: CIA II 141 + MDAI X 57.
24. eadem aetate: CIA II 142.
25. Ol. 107, 4 = a. 349/8: H XXIII p. 472.
26. ante Ol. 111 = ante a. 336: CIA II 145.
27. eadem aetate: CIA II 150.

Ex his elucet usque ad Ol. 101 plures inveniri titulos in quibus desideratur laus (18:13). Inde autem ab illo tempore usque ad Ol. 111 ratio in contrarium vertitur, ut paucis in titulis collaudatio non inveniatur. Post vero Ol. 111 omnes proxeni laude ornantur.

At non solum inde quod prorsus desideratur formula *ἐπαινέσαι τὸν δεῖνα* prioribus temporibus laudationi maiorem vim fuisse cognoscimus, sed aliud quoque indicium in promptu habemus: illud, quod saepius rogatione additiva proxenum sive euergetam collaudatum esse cognoscimus. Sic in tituli H XXIII p. 472 rogatione primaria — hoc est in senatus probuleumate — postscripta, laus, invitatio desunt, sequuntur autem in additamento. Collocandi deinde hic sunt illi tituli ubi rogatio additiva non dilucidis verbis indicatur, titulos dico: CIA II 69: Ol. 106, 2; CIA II 95: Ol. 101/06; EA 1886 col. 111: Ol. 106/111. Accedunt tituli ubi occulto illo additamento non ipse proxenus, sed pater eius sive filius collaudatur: CIA II 47; BdCH XII 162 = CB 1887 p. 1187, 6.

Omnia haec decreta Olympiade 111 sunt vetustiora. Post enim hanc aetatem cum laudis vis atque honor satis esset debilitatus, ipse iam senatus in probuleumate proxenum curavit laudandum, ita ut in contione addi verba sollemnia *ἐπαινέσαι δὲ καὶ τὸν δεῖνα* non iam necesse esset.

§ 9.

De privilegio ἐπιμελείας non recte iudicavit Monceaux, omnibus proxenis id contigisse statuens [1]). Argumenta enim quibus nititur haec sententia facile refellentur. Ac primum quidem *Aristocrateae* locum laudat, ubi decreta quaedam orator recitari iubet, quibus mortem peregrinorum nonnullorum de re publica optime meritorum gravissimis poenis persequendam esse censuit senatus populusque Atheniensium [2]). Sed toto hoc loco non de proxenis sermo est, sed de eis qui 're vera' beneficiis adfecerant rempublicam [3]).

Paullo post ut demonstret quam longe pertinuerit tale Atheniensium praesidium Monceaux ad argumentum Libanii provocat ubi legitur: *ἐάν τις ἀποκτείνῃ Χαρίδημον ἀγώγιμος ἔστω ἐξ ἁπάσης τῆς Ἀθηναίων συμμαχίδος· ἐὰν δέ τις τὸν ἀγόμενον ἀφέληται ἢ πόλις ἢ ἰδιώτης ἔκσπονδος ἔστω.* Sed ne haec quidem ad proxenum pertinent, cum Charidemum civem Atheniensem fuisse apertis verbis dicatur in illo ipso argumento [4]). Nihil deinde efficitur Lysiae loco [5]) ad comprobandam eam sententiam qua arbitratur ille, eodem periculo implicari eum qui proxeno atque eum qui Atheniensi civi iniurias intulerit. Ibi enim et alia scelera commemorantur et

---

1) l. l. p. 94 'Le peuple promettait à tous ses proxènes l'*ἀσφάλεια* .... il les défendait envers et contre tous ... il était aussi dangereux de faire tort à un proxène qu'à un citoyen.'

2) § 89: *ἔστω ὑπὲρ αὐτοῦ ἡ αὐτὴ τιμωρία καθάπερ ἄν τις Ἀθηναῖον ἀποκτείνῃ.*

3) § 88: *βούλομαι τοίνυν ὑμῖν καὶ ἓν ἢ δύο ψηφίσματα δεῖξαι τῶν γεγραμμένων τοῖς ὡς ἀληθῶς εὐεργέταις τῆς πόλεως κτλ.*

4) *Χαρίδημον τὸν Ὠρείτην, ἡγούμενον ξενικοῦ καὶ στρατηγοῦντα παρὰ Κερσοβλέπτῃ τῷ Θρᾴκης βασιλεῖ, πολίτην σφῶν αὐτῶν Ἀθηναῖοι ἐποιήσαντο.* Cf. ipsum quoque Demosthenem § 151.

5) XXVIII 1: *Τὰ μὲν κατηγορημένα οὕτως ἐστὶ πολλὰ καὶ δεινά, ὦ ἄ. Ἀθ., ὥστ' οὐκ ἄν μοι δοκεῖ δύνασθαι Ἐργοκλῆς ὑπὲρ ἑνὸς ἑκάστου τῶν πεπραγμένων αὐτῷ πολλάκις ἀποθανὼν δοῦναι δίκην ἀξίαν τῷ ὑμετέρῳ πλήθει. Καὶ γὰρ πόλεις προδεδωκὼς φαίνεται, καὶ προξένους καὶ πολίτας ὑμετέρους ἠδικηκώς, καὶ ἐκ πένητος ἐκ τῶν ὑμετέρων πλούσιος γεγενημένος.*

iniuriae proxenis civibusque Atheniensium illatae. Quid? quod deinde Heraclidem Salaminium anno 329/8, cum de iniuria illa ab Heracleensibus accepta in senatu Atheniensium sermo esset, proxenum fuisse dicit Monceaux. Nonne a Koehlero optime rerum conexum ita enodatum esse sciebat ut compluribus demum annis post Heraclides nominaretur proxenus et euergetes?

Restant igitur pauci tituli scriptorumque loci quibus illud promittitur nonnullis proxenis, quod omnibus contigisse contendit Monceaux: CIA II 116[a]; MDAI II p. 143; CIA II 1[c]; Dem. *Hal.* 38. Sed etsi fortasse alii praeterea invenientur tituli in quibus praesidium tale accuratissime definitum proxenis Atheniensium praebetur [1]), tamen nunquam recte se habebit quod initio capitis illius Monceaux posuit: ipsi proxeniae inhaesisse *ἀσφάλειαν*. Nam primum etiam aliis viris de re publica bene meritis Athenienses auxilium ac praesidium praebuisse scimus; nec tamen quisquam inde concludet, omnibus qui bene meriti essent de re publica Athenienses promisisse *ἀσφάλειαν*. Deinde videmus e Charidemi exemplo ne iis quidem omnibus qui cives facti essent ab Atheniensibus, praesidium illud auxiliumque esse praebitum. Concedendum tamen est in universum Athenienses eis qui proxenia euergesiaque ornati erant celerius ac libentius auxilio venisse, quam eis quibuscum non coniuncti erant artis illis amicitiae vinculis.

Deinde non probaverim, quod dicit Monceaux factum esse saepius, quo efficacius esset auxilium proxenis promissum ut populus deferret potestatem suam aut ad senatum aut ad praetores [2]). Populus enim non potestate sua ipse se quasi privavit, sed quippe qui fuerit totius rei publicae *κύριος* senatui vel praetoribus mandavit, ut curam haberent proxenorum hoc privilegio exornatorum.

1) Cf. H XXIV p. 116 adn. 1. Plurimi autem horum titulorum non pertinent ad proxenos.

2) l. l. p. 95 'Pour que la protection accordée aux proxènes fût plus efficace, la vigilance plus active et la décision plus prompte, le peuple remettait souvent ses pouvoirs au conseil des Cinq-Cents etc.'

Ipsa autem haec ἐπιμελείας forma qua magistratuum vel senatus curae commendabantur proxeni atque euergetae non plus sed minus valuisse videtur, quam uberior illa forma quam invenimus in CIA I 116ᵃ ceterisque eiusmodi decretis. Plenior enim forma non iam invenitur post prius quarti saeculi dimidium. Ac valebat sane aliquid prioribus temporibus si Athenienses vetabant alicui inferri iniurias ὅσης Ἀθηναῖοι κρατοῦσι vel si edicebant: ἐάν τις ἀποκτείνῃ τὸν δεῖνα φεύγειν τὴν πόλιν τὴν Ἀθηναίων καὶ τὰς ἄλλας πόλεις ὁπόσαι Ἀθηναίων εἰσὶ σύμμαχοι [1]. Cum vero Atheniensium potestas post bellum alterum sociale quod dicitur imminuta esset, haud ita multum curassent eiusmodi Atheniensium decreta ceterae Graecorum civitates. Ergo inde a medio fere quarto saeculo sola invenitur simplicior illa tutelae curaeque forma qua commendabantur homines peregrini senatus sive magistratuum praesidio. Ac ne id quidem curae genus diu mansit. Raro enim post Ol. 115 occurrit, cum in duobus tantum illius temporis inveniatur titulis: CIA II 289 et 362, quibus addere liceat tit. CIA II 270 + DA 1889 p. 91 ubi epimelia non ad proxenum sed ad isotelen pertinet.

Novum igitur nancti sumus indicium, neque id parvi momenti, quo posterioris aetatis proxeniae decreta diversa esse videmus a titulis prioris aevi.

His in universum contra Monceaux dictis ipsi nonnulla addemus. Primum nunquam fuisse tempus vel aetatem cum proxeni et euergetae ad unum omnes epimeliae privilegio ornarentur. Deinde id nolui praeterire silentio saepius factum esse ut epimeliae privilegium occulta illa quam diximus rogatione additiva deferretur: CIA II 69; 115ᵇ; 136 v. 30 seqq.; EA 1886 col. 99 n. 5, cf. supra p. 105 n. 27.

Restat ut adferam titulos nonnullos, quorum eam maxime partem restituisse mihi videor quae pertinet ad epimeliam. Ac primum quidem evolvas quaeso titulum CIA I 36. Versum enim 13 recte esse suppletum negaverim cum n u n q u a m

---

1) MDAI VII 317.

occurrat in verbis legitimis quibus in prytaneum vocantur peregrini infinitivus praesentis. Ergo scribendum est necessario: [*καὶ τὴν βολὴ*]*ν τὴν βολεύσαν κα*|[*ὶ τὸς πρυτάνες καὶ*] *πρόσοδον κτλ.* Versum 11 deinde ita supplevit Maximilianus Goldstaub [1]) ut scriberet *τοὺς στρατηγούς;* sed cum restet trium litterarum spatium — *ου* enim pro *ο* scriptum esse in titulo ante Euclidis annum confecto statui nequit — addatur necesse est articulus *τός*, ut legamus: [*ἐπιμέλ*]*εσθαι δὲ αὐτῷ καὶ* | [*τὸς στρατηγὸς τὸς*] *α ἰ ε ὶ ὄ ν τ α ς, ὅτο ἂν δ*|[*έηται*]. Miror autem quod Goldstaubius non vidit in forma quae exstat v. 11: ΕΟΝΤΑΣ latere vitium. Lapicida enim litteras verborum ΑΙΕΙΟΝΤΑΣ [2]) ita inter se confudisse videtur ut lapidi incideret ineptas litteras ΑΕΙΕΟΝΤΑΣ. Tum num recte scribi iusserit vir doctissimus v. 8: *τὸς δὲ στρατηγ ο ὺ ς προεπιμέλεσθαι* admodum dubito quoniam ne hoc quidem in versu diphthongus *ου* admittitur; sed tamen quid scribendum sit ne ego quidem video.

Nec minus dubito de versu quinto. Nam vocabulum *ἄδειαν* huic inferre ab omni probabilitate abhorret. Primum enim nusquam alias in his titulis *ἄδειαν* nomen legimus. Deinde verba v. 18: [*εἶναι δὲ ταῦτα κα*]*ὶ τοῖς ἐκγόνοι*|[*ς*] haud dubie, quidquid dicit Goldstaubius [3]), ad ipsam *ἄδειαν* pertinerent si omnino hoc privilegium esset concessum. Ergo aliquid aliud supplendum est. Nec difficile est invenire verum. Nam cum saepissime honores alicui concessi incipiant ab laude, deinde, cum saepissime ipsa illa verba v. 5 seqq.: *ἐπειδή ἐστιν ἀνὴρ ἀγαθὸς περὶ τὸν δῆμον τὸν Ἀθηναίων* indicent causam cur aliquis collaudetur [4]), non dubito quin scribendum sit: [*ἐπαινέσαι δὲ*

1) In dissertatione quae inscribitur: *De ἀδείας notione et usu in iure publico Attico.* Diss. philol. Vratislav. IV p. 103.

2) Forma enim *αἰεί* magis cum tituli aetate convenit quam *ἀεί*.

3) l. l. p. 104: ‘Nec vero haec verba ad *ἄδειαν* pertinent, sed potius ad id privilegium, quod ex ipsa rogatione, quae non iam exstat, hoc psephismate irrogatum est.’

4) CIA I 56 frg. b; II 1 v. 29; 46; BdCH XII p. 162; MDAI VIII p. 223 b; XII p. 85 etc.

. . .]*ήτῳ τῷ Κολοφωνίῳ* (*Ἄδμητος* sive *Ἄκμητος* sive aliud nomen). De dativo autem cum verbo *ἐπαινέσαι* in ipsis titulis antiquissimis coniuncto conferas titulos hosce: CIA I 56 v. 1; 62; 82; II 26; IV 51 v. 6 et 28; DA 1889 p. 26 [1]).

Epimeliam porro concessam esse coniecerim in titulo CIA I 106. Litteris enim vv. 3 et 4 praetoribus curam alicuius hominis mandatam esse satis indicatur. Ergo proponam:

*ἐ*ΠΙΜΕΛΕΣΘ*αι δὲ αὐτõ τὲν βολὲν τὲν αἰεὶ βολεύοσαν καὶ τὸς στ*
*ρα*ΤΕΛΟΣΟ*πος ἂν μεδ' ὑφ' ἑνὸς ἀδικε͂ται.*

Restituetur deinde haud ita difficile epimelia in titulo CIA IV 116g:

. . . . *ἐπιμέλεσ*
θαι δὲ αὐτõ τὲν βολὲν τὲν αἰεὶ βολεύοσαν καὶ τὸς
[ΣΤ]ΡΑΤΕ[Λ]*ὸς ὁπος ἂν μὲ ἀδικε͂ται μεδ' ὑφ' ἑνὸς ἀν*
ΑΛΡΑΦΣΑ*ι δὲ τόδε τὸ φσέφισμα τὸγ γραμματέα τὸν*
[Τ]ΕΣΒΟLΕ*ς ἐστέλει λιθίνει καὶ θε͂ναι ἐμ πόλει ὁ*
*ι*ΔΕΠΟLΕ*ται ἀπομισθοσάντον οἱ δὲ κολακρέται*
ΔΟΝΤΟΝΤΟ*ἀργύριον.*

Sequitur tit. CIA IV 116m in quo nunc leguntur haec:

Δ
I M E L
Γ Γ N A
< Γ Φ I ∠
T E Σ ⊙ ^

Ac bene processit restitutio vv. 2—4. Singulos enim versus fuisse litterarum tricenarum senarum sumens haec inveni:

. . . . [*ἐπ*]*ιμέλ*[*ε*]
[*σθαι δ' αὐτõ τὸς πρυτάνες καὶ τὲν βολὲν*] *τὲν ἀ*[*ε*]
[*ὶ βολεύοσαν καὶ τὸς στρατεγὸς τὸ δὲ φ*]*σέφισ*[*μ*]
[*α*]

Acerrime autem resistebant ultimi versus frustula. Neque unquam fore arbitror ut ea bene coniungantur cum anteceden-

1) Unum addendum est. Vereor enim ne a Graecorum sermone prorsus abhorreant quae scripta fuisse vult Goldstaubius in v. 16: *ἀποκτεῖναι δὲ καὶ μὴ ἐξεῖναι.* Ego versum non tangam.

tibus. Ergo non ⊙^ sed B⌒ in titulo exstare ratus sic supplevi versum:

[α τ ό δ ε ἀ ν α γ ρ α φ σ ά τ ω ʽ ο γ ρ α μ μ α τ ε ὺ ς ʽ ο] τ ε̃ ς β ο [λ]
[ε̃ ς κ α ὶ κ α τ α θ έ τ ω ἐ μ π ό λ ε ι . . . .

Conlata est deinde epimelia titulo quoque CIA IV 116[1] ubi haec etiamnunc conspiciuntur:

Y
O Γ C
Λ I K E
I M E
O N T Ⱶ
Ξ Λ O <
I N I

Ac facile restituuntur vv. 6 et 7:

[τ ὸ ς σ τ ρ α τ]
ε γ ὸ ς [τ ὸ ς ἀ ε ὶ σ τ ρ α τ ε γ ο̃ ν τ α ς κ α ὶ τ ὲ ν β ο]
[λ]ὲ ν τ [ὲ ν ἀ ε ὶ β ο λ ε ύ ο σ α ν]

Iam ex litteris v. 5 concludere licebit de archonte quodam sermonem fuisse qui in civitate cum Atheniensibus societate coniuncta munere fungebatur. Et profecto optime spatium explebitur si scripseris: [*καὶ τὸν ἄρχ*]|*οντα* [*τὸν ἐν Χεῤῥονέσῳ καὶ τὸς στρατ*]|*εγός*. Deinde ne quartus quidem versus vacuus remanebit: [*ἐ*]|[*π*]*ιμέ*[*λεσθαι τὸς πρυτάνες καὶ τὸν ἄρχ*]|*οντα*. Dubium vero est quid scriptum fuerit in vv. 1 et 2. Fortasse autem legebatur olim: [*ἀ*]|*δικε̃*[*ται μέτε αὐτὸς μέτε τὰ χρέματα ἐ*]|[*π*]*ιμέ*[*λεσθαι*] de quibus conferre licet tit. CIA II 1[c] et H XXIV p. 110 II. Quae si recte vel cum verisimilitatis quadam specie restituta sunt, fortasse de litteris quoque v. 2 quid significent coniecturam proferre licebit. Suspicor enim in amissa tituli parte sermonem fuisse de simili quadam re atque in titulo quem modo laudavi: H XXIV p. 110 II. Proponam ergo ut scribatur: [*καὶ ἐξε̃ναι αὐτῶι χρέματα ἐσάγε*|[*ν*] *ὅπο* [*Ἀθηναῖοι κρατο̃σιν· ὅπως δ᾽ ἂν μὲ ἀ*]|*δικε̃*[*ται*], quamquam haec esse satis incerta ipse scio. Species autem totius tituli haec erit:

. . υ . [καὶ ἐξε͂ναι αὐτῶι χρέματα ἐσάγε]
[ν] όπο[Ἀθηναῖοι κρατõσιν ὅπος δ' ἂν μὲ ἀ]
δικε͂[ται μέτε αὐτὸς μέτε τὰ χρέματα ἐ]
[π]ιμέ[λεσθαι τὸς πρυτάνες καὶ τὸν ἄρχ]
οντα[τὸν ἐν Χερρονέσοι καὶ τὸς στρατ]
εγὸς[τὸς ἀεὶ στρατεγõντας καὶ τὲν βο]
[λ]ὲντ[ὲν ἀεὶ βολεύοσαν].

Facilius multoque certius res se habet in titulo CIA II 137 cuius posteriorem partem etsi litterae non per ordines dispositae sunt sic restituendam esse admodum probabile est:

[Ω]Ι ΕΠΙΜέλεΣΘΑΙ ΔΕ ΑΥτοῦ τοὺς στρατηγοὺς τοὺς =38 litt.
ΑΕΙ ΣΤΡΑτΗΓΟΥΝΤΑς καὶ τοὺς ἄρχοντας τοὺς ἐν Χε =39 „
[Ρ Ρ]ΟΝΗΣΩΙ ΟΠΩΣ ΑΝ Μηδ' ὑφ' ἑνὸς ἀδικῆται τὸν δὲ γραμ =40 „
μαΤΕΑ ΤΗΣ ΒΟΥΛΗς ἀναγράψαι τόδε τὸ ψήφισμα ἐν σ =39 „
τη[Λ]ΗΙ ΛΙΘΙΝηΙ ΚΑΙ Στῆσαι ἐν ἀκροπόλει

§ 10.

Restat ut verba faciamus de enctesεos privilegio sive de iure domos ac fundos Athenis et in Attica acquirendi. Ac primum quidem proxenorum tituli quibus enctesis confertur, enumerandi sunt, quo munere denuo ita fungemur ut primum titulos componamus qui ante Ol. 116 videntur exarati esse, cum post hanc aetatem ut in aliis privilegiis sic etiam in enctesi conferenda commutationes factae sint. En habes titulorum elenchum:

I. Ante Ol. 98, 2 = ante a. 387/6.

1. ante Ol. 98, 2 = CIA II 42.

II. Ante Ol. 106 = ante a. 356.

2. Ol. 98, 2 = 387/6: CB 1887 p. 1060, 2 = BdCH XII p. 165 (enctesis conceditur additamento).
3. Ol. 98, 2/100, 4 = 387/76: CIA II 41 (in additamento).
4. eodem fere tempore: CIA II 48 [1]).
5. eodem fere tempore: H XXIV p. 120.
6. Ol. 101/106 = a. 376/356: CIA II 91.

1) Cf. Schenkelium in *Stud. Vindob.* II p. 219 = Schubert. l. l. p. 49.

III. Ante Ol. 112 = ante a. 332.

7. Ol. 106, 2 = 355/4 = CIA II 68.
8. eodem anno: CIA II 70.
9. paullo post Ol. 106: CIA II 131.
10. Ol. 107, 4 = 349/8: H XXIII p. 472.
11. Ol. 106/111 = 356/32: CIA II 142.
12. eodem fere tempore: CIA II 144 (veris.).
13. eodem fere tempore: CIA II 145.
14. eodem fere tempore: DA 1888 p. 224.

IV. Ante Ol. 116 = ante a. 316.

15. Ol. 112, 1/113, 4 = 332/324: CIA II 209.
16. Ol. 112, 3 = 330/29: CIA II 176.
17. Ol. 113, 4 = 325/4: MDAI VIII p. 218.
18. Ol. 113, 4/115 = 325/316: CIA II 170.
19. eodem fere tempore: CIA II 171.
20. eodem fere tempore: CIA II 208.
21. eodem fere tempore: CB 1887 p. 1191, 19.
22. eodem fere tempore: DA 1889 p. 14.

Videamus iam quibus in proxenorum titulis desideretur enctesis. Ac titulos quidem ante Ol. 98, 2 exaratos enumerare non necesse videbatur esse.

I. Ante Ol. 106 = ante a. 356.

1. Ol. 98, 2/101, 4 = 387/72: CIA II 37.
2. eadem fere aetate: CIA II 38.
3. eadem fere aetate: CIA II 39.
4. eadem fere aetate: CIA II 40.
5. eadem fere aetate: CIA II 44.
6. eadem fere aetate: CIA II 45.
7. eadem fere aetate: CIA II 46.
8. eadem fere aetate: CIA II 47.
9. eadem fere aetate: EA 1886 col. 111 n. 22.
10. Ol. 101/105 = 376/356: CIA II 95.
11. Ol. 102, 4 = 369/8: BdCH III p. 475.
12. Ol. 103, 1 = 368/7: CIA II 50.

13. Ol. 101/104 = 376/360: CIA II 86.
14. ante Ol. 106: CIA II 87.
15. ante Ol. 106: MDAI VIII p. 222[b].

II. Ante Ol. 112 = ante a. 332.

16. Ol. 106 = 356/2: CIA II 89.
17. Ol. 110 = 340/36: CIA II 119.
18. Ol. 110, 4 = 337/36: CIA II 124.
19. Ol. 106/111 = 356/32: CIA II 150.
20. Ol. 112, 1 = 332/1: CIA II 183 = II 210.

Adparet igitur labentibus temporibus numerum titulorum eorum crescere quibus enctesis proxenis et euergetis conceditur, decrescere numerum eorum quibus id non factum est. Hic enim est titulorum conspectus:

	Tituli cum enctesi	Tituli sine enctesi
ante Ol. 98, 2	1	omnes praeter unum
ante Ol. 106	5	15
ante Ol. 112	8	5
ante Ol. 116	omnes (8)	nullus.

Qua in re id gravissimum est quod nondum inventus est alterius classis titulus quem annis inter Ol. 112 et 116 interiectis adscribere iubeamur. Quid vero inde sit concludendum paullo infra videbimus. Nunc titulos post Ol. 116 exaratos perlustremus necesse est.

Nam inde ab hac aetate res iterum mutatur. Primum enim habemus denuo nonnullos titulos qui carent omnino enctesi:

1. fine saeculi IV: CIA II 286.
2. fine saeculi IV: CIA II 289.
3. priore saec. III parte: CIA II 327.
4. ante bellum Chremon.: CIA II 362.
5. medio altero saeculo: CIA II 438.

Deinde exstant tituli nonnulli in quibus enctesis coercita est condicionibus quibusdam:

1. ante bell. Chrem.: CIA II 369.
2. ante bell. Chrem.: CIA II 370.

3. priore saec. III parte: Ἀθ. VI 136 = H XXIV p. 335.
4. priore saec. III parte: CB 1887 p. 1068, 6.
5. fine saec. III: CIA II 380.
6. fine saec. III: CB 1887 p. 1069, 8 = H XXIV p. 331.

Ter tantum enctesis non coercetur:

CIA II 282; 414; 423.

Diximus modo non inveniri titulos inter a. 332 et 316 exaratos in quibus desideretur enctesis; iam addendum est nullum omnino proxeniae titulum exstare inter Ol. 116 et 121 = 316—296 praeter solos tres: CIA 282; 286; 289. Dices fortasse hoc casu factum esse et dandum iniquitati temporum. Tamen animadvertas velim ad hanc numerorum rationem:

Ex eis enim titulis in CIA collectis qui pertinent ad annos 336—320 duo omnino sunt quibus civitas confertur: n. 187 et 230[a], undecim fere quibus proxenia conceditur. Contraria autem ratio intercedit si tempora respicis inter a. 320 et 300. Exstant enim decem fere civitatis decreta, tria tantum proxeniae. Deinde id velim tecum reputes inter annos 316 et 296 nunquam in eis titulis quorum superior tantum pars servata est adspici verba *Προξενία τοῦ δεῖνα* sive *Ὁ δεῖνα πρόξενος*, id quod ante annum 316 saepissime inveniri Hartelius iam cognovit. Atqui satis magnus eiusmodi fragmentorum numerus aetatem tulit. Accedit aliud. Etenim illud quoque quominus casui nimium tribuamus impedit, quod saepius ex uno anno complures tituli servati sunt, quorum nullus continet proxeniae honorem. Veluti ex Anaxacriti archontis anno (Ol. 118, 2 = 307/6) exstant in CIA tituli quattuor, e Coroebi (Ol. 118, 3) quattuor, e Phereclis (Ol. 119, 1) quattuor, e Leostrati (Ol. 119, 2) sex. Quae si animo collegeris casus ac fortis vim adeo infringi concedes, ut multo plures titulos quam tres illos supra commemoratos inventum iri plane sit desperandum.

Quae opinio nonnullis aliis confirmari poterit argumentis. Perlustres enim accuratius tres illos titulos: iam multis rebus invenies eos esse diversos ab omnibus priorum temporum titulis.

Primum enim, ut incipiam a titulo 282, id satis me-

morabile est quod legimus post verba *στεφανῶσαι ἑκάτερον αὐτῶν χρυσῷ στεφάνῳ* formulam *κατὰ τὸν νόμον*. Nusquam enim alias verba haec cum corona deferenda coniunguntur in proxeniae titulis. Nec minus grave est quod ipsa illa verba *κ. τ. ν.* desunt post formulam *καὶ εἶναι αὐτοῖς γῆς ἔγκτησιν καὶ οἰκίας*. Deinde prorsus a priorum titulorum consuetudine abhorret quod in tit. 282 cum proxenia non coniuncta est euergesia, quod proxenia non pertinet ad posteros, quod legimus *προξένους τοῦ δήμου*, non *τοῦ δήμου τοῦ Ἀθηναίων* ex constanti usu titulorum ante Ol. 114 exaratorum. Neque silentio videtur praetereunda esse inaudita verborum compositio: *γῆς ἔγκτησιν καὶ οἰκίας*. Habent enim haec quoque verba suam historiam. Namque prioribus temporibus cum proxenis *οἰκίας* tantum *ἔγκτησις* saepius conferretur, ipsa verborum compositione quodammodo indicabatur quantum valeret si etiam fundi ius possidendi accederet. Dicebatur enim tum: *καὶ ἔγκτησιν εἶναι αὐτοῖς ὥμπερ Ἀθηναίοις καὶ ἐγγείων καὶ οἰκίας*[1]) aut: *γῆς ἔγκτησιν καὶ οἰκίας*[2]) aut *καὶ γῆς ἔγκτησιν καὶ οἰκίας*[3]). Sed paullatim ut coniungi solebant ipsa iura possidendi agros et domos ita etiam verba arte componebantur. Nam post Ol. 106 haec sola invenitur verborum collocatio: *γῆς καὶ οἰκίας ἔγκτησιν* sive *ἔγκτησιν γῆς καὶ οἰκίας*. Quae posterioribus demum temporibus denuo mutata est in eis praecipue titulis quibus enctesis non plena sed coercita quibusdam condicionibus confertur.

Atque haec quidem de titulo 282. Nec minus diversa sunt a decretis ante Ol. 116 exstructis tituli 286 et 289. Namque etsi gravissimae titulorum partes temporis iniquitate magnam cladem acceperunt, tamen ex ea ipsa re quod adhuc non contigit ut decreta omnibus ex partibus restituerentur colliges, quantopere omnia diversa sint ab eis quae legimus in prioris aevi titulis. Sufficiunt autem quae certa in titulis exstant et quae aliqua cum verisimilitudinis specie sunt suppleta. Utroque

1) CIA I 59.
2) CIA II 41; CB 1887 p. 1069.
3) CIA II 91.

enim titulo desideratur euergesiae commemoratio, in tit. 286 etiam posteri negleguntur, in neutro confertur enctesis neque domus neque fundi. Omnium autem gravissimum est, quod in tit. 286 nihil omnino confertur nisi laus corona aurea proxenia, id quod in nullo factum est decreto annorum 332 ad 316.

Accedunt argumenta alia ex sermone petita. In utroque titulo habemus genetivum *Ἀθηναίων* cum proxeno coniunctum; in tit. 286 offendit quod inter verba sollemnia quibus laudantur homines illi et formulam qua coronae conferuntur aliquid, quid fuerit nescio, interpositum est, id quod nunquam antea, et sescenta exstant exempla, factum videmus. Similiter in tit. 289 formula *καὶ ἄλλο εὑρέσθαι ἐάν του δέηται ἀγαθόν*, si recte a nobis restituta est, loco plane insolito apparet, cum fuerit ponenda post reliquorum privilegiorum commemorationem. A constanti denique sermonis usu recedit haec verborum collocatio: *καὶ πρόσοδον αὐτῷ εἶναι* pro: *καὶ εἶναι αὐτῷ πρόσοδον*.

At dixeris haec omnia facile explicari inde quod tam pauci tituli exstant inter Ol. 116 et 122 exarati. Nam si plures haberemus titulos accuratius nos esse intellecturos, quemadmodum singula privilegia et honores atque singulae formulae paullatim sint commutatae.

Sed non habemus 'plures' illos titulos neque unquam habebimus, id quod supra demonstrasse mihi videor. Deinde vero temporis spatium inter Ol. 116 et finem saeculi tam breve est — decem fere annorum — ut paullatim omnes illas commutationes factas esse minime sit credibile. Namque si titulos priorum temporum inter se composueris qui intra decem annos exarati sunt, nunquam invenias eos tantopere distantes.

Ergo de vi quadam proxeniae illata vel potius de hominibus quibusdam cogitandum esse censeo, quorum labore et opera factum sit ut proxeniae honor Ol. fere 116 funditus commutaretur. Quam sententiam confirmari mihi persuasum est historia formulae *κατὰ τὸν νόμον* ad quam explicandam accurateque describendam iam aggrediamur.

Atque cum quaestio illa latius pateat — inveniuntur enim

verba κ. τ. ν. in coronis quoque deferendis et in decretis quibus cives nominantur — etiam altius repetendum est.

§ 11.

Primum autem quae viri docti de his verbis statuerint examinemus necesse est. Ac Schubertus quidem[1]) ad rationem qua corona aurea, proxenia cum euergesia, enctesis conlata esset referenda verba esse duxit. Quae verba satis obscura mihi videri libere profiteor. Etenim quae fuerit 'ratio' illa qua enctesis conferretur ego non intellego, nam cum ipsis verbis *εἶναι τῷ δεῖνα γῆς καὶ οἰκίας ἔγκτησιν* honor ratus sit factus, non video quid praeterea lege illa praescriptum fuisse censeamus. At fortasse cogitavit vir doctus de more illo quo coronae pronuntiabantur in theatro, ita ut hunc fuisse censeret 'rationem' illam coronandi. Sed in theatro non coronati sunt viri illi de re publica bene meriti sed coronandorum nomina palam pronuntiata. Deinde si sententia haec vera esset tum nimirum saepius cum verbis sollemnibus *ἀναγορεῦσαι δὲ τὸν στέφανον κτλ.* formula illa κ. τ. ν. esset coniuncta. Quod nunquam factum est.

Nec magis est perspicua illa 'ratio' in conferenda civitate. Atheniensium autem scribas publicos summa usos esse simplicitate ac perspicuitate in decretis componendis omnes scimus.

Sed ut concedamus fortasse in formula quae est: *δεδόσθαι δὲ αὐτῷ καὶ πολιτείαν δοκιμασθέντι ἐν τῷ δικαστηρίῳ κατὰ τὸν νόμον* cogitari posse de lege illa qua ut examen subirent candidati praescriptum erat, unam tamen 'rationem' prorsus neglexit Schubertus: temporum dico atque aetatum quae qualis fuerit infra videbimus.

Non felicius rem administrasse videntur Koehlerus Buermannus Wilhelmus. Koehlerus enim ut explicaret cur Alexandro Magno duae coronae quarum utraque constaret mille drachmis essent conlatae, lege quadam censuit prohibitum fuisse ne quis mortalium corona donaretur mille drachmis

1) l. l. p. 47.

cariore [1]). Hanc vero legem significari verbis *κατὰ τὸν νόμον*. At nunquam pretium certum indicatur ubicunque invenitur formula *κ. τ. ν.* cum corona aurea coniuncta, nunquam legimus: *στεφανῶσαι τὸν δεῖνα χρυσῷ στεφάνῳ ἀπὸ χιλίων δραχμῶν* vel *ἀπὸ πεντακοσίων δραχμῶν κατὰ τὸν νόμον*. Etenim si haec vel semel exstarent scripta aliquis certe sensus evaderet: ʽCoronam tibi damus auream mille drachmis constantem; legibus enim prohibitum est ne donemus tibi cariorem'. Quamquam etiam tum id satis mirandum esset, cur Atheniensium res publica si tam saepe capta esset dolore, quod coronam cariorem deferre per legem non liceret, hanc legem non e medio sustulisset. Sed utut est, hoc certe videntur neglexisse viri docti quod formula *κ. τ. ν.* cum corona aurea coniuncta inde ab ultimis demum saeculi quarti annis invenitur.

Sed videamus iam quid significasse voluerint viri docti verba *κ. τ. ν.* in formula quae est: *καὶ εἶναι αὐτῷ γράψασθαι φυλῆς καὶ δήμου καὶ φρατρίας ἧς ἂν βούληται κατὰ τὸν νόμον*. Ac Buermannus quidem [2]) cum vidisset loco formulae *κ. τ. ν.* saepius inveniri verba *ὧν οἱ νόμοι λέγουσιν* vel *πλὴν ὧν οἱ νόμοι ἀπαγορεύουσιν* idem significare tres has formulas sibi aliisque persuasit. Sed cur tandem Atheniensium scribae si sensum ipsum mutari noluerunt adeo mutaverunt verba? Cur constanti usu usque ad annum fere 320 utebantur formulis illis longioribus, inde autem ab hoc anno non minus constanter formula *κ. τ. ν.*, usque ad illa tempora cum totum civitatis conferendae morem prorsus commutatum esse constat? Deinde cur nunquam in formula quae est: *ἐπικεχωρήσθω δὲ αὐτῷ ποιήσασθαι καὶ εἰκόνος χαλκῆς ἀνάθεσιν ἐν τόπῳ ἐν ᾧ ἂν βούληται πλὴν οὗ οἱ νόμοι ἀπαγορεύουσιν* adhibuerunt verba *κ. τ. ν.* si idem valuerunt?

Accedit quod in formula quae est *εἰσαγαγεῖν δὲ καὶ αὐτῷ τὴν δοκιμασίαν τῆς πολιτείας τοὺς θεσμοθέτας κατὰ τὸν νόμον, ὅταν πρῶτον οἷόν τ' ᾖ* de lege illa a Buermanno ficta cogitare haud dubie vetamur.

1) H V p. 225 adn. CIA II 741 p. 104.
2) Annal. Philol. Suppl. IX p. 644.

Restat formula ἔγκτησις γῆς καὶ οἰκίας κατὰ τὸν νόμον. Qua in formula explicanda iterum fugerunt viros doctos res gravissimae. Invenitur enim formula haec in solis proxeniae euergesiaeque decretis.

Hac ipsa de causa stare non possunt quae inferenda esse censuit Wilhelmus titulo in EA 1886 col. 106 publici iuris facto[1]). Sed accedunt etiam alia quibus Wilhelmi supplementa comprobare vetamur. Cumanudis enim dilucidis verbis litteram alteram v. 12 aut E aut H sibi visam esse dixit. Nec minus constat de tertia proximi versus littera, quam aut Ɏ aut Y fuisse adnotavit editor. Postremo valde dubito de verborum collocatione τὸν κατὰ πρυτανείαν γραμματέα. Nam etsi laudat Wilhelmus tituli CIA II 167 v. 31 tamen quis re vera verba illa scripta fuisse in titulo demonstrabit? Nonne cogitari quoque potest, simplici lapicidae errore factum esse ut in verbis τὸν [γραμματέα τὸν] κατὰ πρυτανείαν oculi aberrarent a priore articulo τὸν ad posteriorem? Koehlero sane qui loco ita mederi studuit ut scriberet τὸν κατὰ πρυτανείαν γραμματέα provocare licebat ad titulum nobilissimum CIA I 61. Sed cum nostris diebus[2]) hoc quoque titulo expulsa sit Kirchhoffii coniectura παρὰ τοῦ [κατὰ πρυτανείαν γραμμα]τέως τῆς βουλῆς admodum infirmis fundamentis et quae vix possint dici fundamenta ea omnia niti quivis concedet quae proposuit Wilhelmus de versibus 12—14 tituli EA 1886 col. 106 restituendis. Ergo quod supra posui mordicus tenebo: non inveniri verba εἶναι τῷ δεῖνα γῆς καὶ οἰκίας ἔγκτησιν κατὰ τὸν νόμον nisi in proxeniae decretis. Peccaverunt autem viri docti ea iterum re quod temporum non satis rationem habuerunt.

Denique, atque id maximi videtur esse momenti, cum ex titulis comperiamus pretium illud fundi domorumque variasse — modo unum talentum modo duo conceduntur, modo tria milia drachmum modo duo — minus accurate profecto ne dicam inepte conformata esset illa formula γῆς καὶ οἰκίας ἔγκτησιν

1) H XXIV p. 329.
2) A Schaefero in diss. *De scribis publicis Atheniensium* p. 13.

κατὰ τὸν νόμον, nisi forte novo decreto accuratius ius illud circumscriptum esse censebis.

Ergo *κατὰ τὸν νόμον* neque idem est atque *πλὴν ὧν οἱ νόμοι ἀπαγορεύουσιν* sive *ὧν οἱ νόμοι λέγουσιν* neque idem atque *ἀπὸ χιλίων δραχμῶν* neque idem atque *γῆς μὲν TT* sive *T οἰκίας δὲ XXX* sive *XX,* sed — quid sit, tum demum dicam si ratione ac via progressi quid significent verba inveniemus.

Etenim id bene tenendum erit semper nos versari in decretis. Atqui si quid decreto constituitur ita ut provocetur ad legem quandam verbis *κατὰ τὸν νόμον* — quae alia omnino fingi poterit lex nisi ea qua decretum illud nititur? Ut exemplum adferam: Si iudices capitis damnant interfectorem dicuntque se hoc facere *κατὰ τὸν νόμον,* tum nimirum ea lex est intellegenda qua praescribitur ut is qui aliquem necaverit morte puniatur. Dicunt ergo illi iudices atque decernunt: 'Homo iste nefarius capitis esto damnatus secundum legem'; hoc est: Nam hoc lege praescribitur vel ut vernaculo utar sermone: Und das von Rechts wegen.

'At' inquies 'aliter res se habet in poenis aliter in praemiis! Unde tu scis Athenis leges fuisse, quibus ut homines bene de re publica meriti praemiis honoribusque ornarentur fuerit praescriptum?'

Facile haec redarguam. Primum enim ad titulum provocabo antiquissimum nobilissimumque ubi ii enumerantur accurateque definiuntur quos victu cotidiano in prytaneo, *σιτήσει ἐν πρυτανείῳ,* honorari voluerunt Athenienses [1]). Ergo si vir Atheniensis, ut exemplum adferam, se proximum Harmodii sive Aristogitonis generi esse cognatum comprobaverat, ei a senatu populoque Atheniensium privilegium illud hisce fere verbis concedebatur: *ἐπειδὴ ὁ δεῖνα ἐγγυτάτω ἐστὶ τοῦ γένους τοῦ ἐξ Ἁρμοδίου* sive *Ἀριστογείτονος, εἶναι αὐτῷ τὴν σίτησιν τὴν ἐν πρυτανείῳ κατὰ τὸν νόμον* scil. secundum eam legem cuius miseras reliquias etiamnunc tenemus.

1) CIA I 13.

Deinde leges de praemiis constitutas fuisse comperimus ex titulo MDAI IV 196 in Attica reperto cuius verba adscribam gravissima: *εἰσάγειν αὐτοὺς εἰς τὴν προεδρίαν τὸν δήμαρχον τὸν ἀεὶ δημαρχοῦντα καὶ εἶναι αὐτοῖς τὰς αὐτὰς τιμὰς ὅσαιπερ καὶ τοῖς συνδίκοις τοῖς περὶ Λάχητα, ὅσαι κατὰ τοὺς νόμους δέδονται, ἵνα καὶ οἱ ἄλλοι φιλοτιμῶνται εἰδότες ὅτι χάριτας ἀπολήψονται παρὰ τῶν δημοτῶν.*

Accuratissime porro legibus constituta ac definita erant Athenis privilegia eis hominibus concedenda qui propter merita sua cotidiano victu erant honorati, quod discimus e titulo *Ἀθ.* VI p. 272: *ἐπειδὴ καὶ οἱ νόμοι προστάττουσιν, ὅσους ὁ δῆμος ὁ Ἀθηναίων, — — ἢ κατὰ γῆν ἢ κατὰ θάλατταν — — — ἀνορθώσαντας ἢ τὴν ἰδίαν οὐσίαν εἰς τὴν κοινὴν σωτηρίαν θέντας ἢ εὐεργέτας καὶ συμβούλους ἀγαθοὺς γενομένους, ἐτίμησε — — πρυτανείῳ, ἐπιμελεῖσθαι αὐτῶν καὶ [ἐκγόνων] τὴν βουλὴν καὶ τὸν δῆμον, διδόναι δὲ καὶ θυγατέρων εἰς ἔγδοσιν τὸν δῆμον προῖκα ὅσην ἂν βούληται, καὶ εἰς ἐπανόρθωσιν τῶν ἰδίων κατ' ἀξίαν ἑκάστοις τῶν εὐεργετημάτων* [1]).

Sed singula iam examinemus faciamusque periculum num hanc notionem: nam hoc lege praescribitur omnibus inferre liceat titulis, ubi exstant verba *κατὰ τὸν νόμον.* Ac primum quidem proponam titulum ubi quin verba *κ. τ. ν.* ita intellegenda essent ut nos volumus nemo adhuc dubitavit, titulum dico CIA II 124. Verba enim quae in fine tituli exstant: *εἰς [δ]ὲ τὴν ἀναγρ[αφὴν τῆς σ]||[τή]λης [δό]τω ὁ ταμίας τριά-[κοντα δρ]||[αχμ]ά[ς] κατὰ τὸν νόμον* ab omnibus quantum scio sic intellegenda esse concessum est: 'Quaestor praebeto scribae publico ad incidendam pilam triginta drachmas; nam hoc lege praescribitur.' Quid autem fuerit praescriptum illa

1) Coniungendi igitur sunt infinitivi *ἐπιμελεῖσθαι* et *διδόναι* arte cum verbis: *ἐπειδὴ καὶ οἱ νόμοι προστάττουσιν*; a pronomine autem relativo *ὅσους* pendet verbum *ἐτίμησε πρυτανείῳ*; accusativus *ὅσους* accuratius definitur participiis: *ἀνορθώσαντας, θέντας, γενομένους*; apodosis denique totius enuntiati a particula *ἐπειδὴ* incipientis in ea parte lapidis exarata erat quae aetatem non tulit.

lege Hartelius cognovit cum diceret: 'An der Existenz bestimmter feststehender Sätze, nach welchen die einzelnen Steine taxirt wurden, lässt das Steigen der Summen von 10 zu 10 Drachmen nicht zweifeln; darauf führen auch Spuren in der Anweisungsclausel, wie CIA II 124 v. 24 et II 326: *μερίσαι τοὺς ἐπὶ τῇ διοικήσει τὸ διατεταγμένον*' 1).

Sed iam ad graviora accedamus et videamus quid significet formula: *καὶ εἶναι αὐτῷ ἔγκτησιν γῆς καὶ οἰκίας κατὰ τὸν νόμον*.

Ac de ipso quidem sensu verborum dubitari iam nequit. Vertendum enim est: 'Dator illi homini domus et agros possidendi ius; nam hoc lege praescribitur.' Quid vero hac lege iussum fuerit quaeritur. Atque cum verba illa de quibus nunc agitur, ut supra demonstratum est, non inveniantur nisi in proxeniae euergesiaeque decretis, deinde cum omnia eiusmodi decreta uni temporum spatio attribui et debeant et possint, facile ad eam sententiam perveniemus ut tempus fuisse Athenis statuamus, cum, ut omnibus qui proxeni et euergetae fierent ius agros et domus possidendi conferretur, lege esset sancitum.

Quae res quamquam primo obtutu fortasse satis mira videtur esse, tamen ipsa proxeniae atque euergesiae historia confirmatur stabiliturque. Vidimus enim supra, quomodo temporibus labentibus creverint honores iura privilegia quae concedi solebant proxenis euergetisque. Vidimus post Ol. 100 semper pertinere voluisse Athenienses proxeniam euergesiamque ad posteros paucissimosque titulos carere laude, vidimus post Ol. 106 euergesiam fere semper cum proxenia esse coniunctam, vidimus coronatum esse unumquemque proxenum inde ab anno 332, vidimus denique enceseos privilegium ante Ol. 100 semel tantum collatum, post illam aetatem magis magisque coaluisse cum proxenia, ita quidem ut inter annos 332/25 nullum omnino proxeniae decretum careret enctesi — quae omnia si collegeris etiamnunc mirum esse censebis, quod

1) l. l. p. 145.

Athenienses usum illum fere constantem quo enctesis coniungi solebat cum proxenia lege sanxerunt?

Immo vero maxime Athenienses cum post Chaeronensem pugnam non iam tam multos aemulos haberent atque amicos quam antea, qui rebus suis faverent, necessitate quadam in rebus ipsis posita coacti videntur esse, ut praemiis maioribus et gravioribus propositis cum peregrinorum tum metoecorum ambitionem incitarent instigarentque. Itaque coronam in medio posuerunt, itaque anno 325 aut paullo antea lege sanxerunt, ut ei qui inde ab illo tempore propter merita rei publicae oblata proxenus et euergetes nominatus esset, etiam ius domos agrosque possidendi decerneretur.

Ut autem lege praescriptum erat ita factum est. Nullus enim exstat proxeniae euergesiaeque titulus inter annos 325 et 315 exaratus qui careat verbis: *εἶναι δὲ αὐτῷ καὶ γῆς καὶ οἰκίας ἔγκτησιν κατὰ τὸν νόμον.* Per decem enim fere annos duravit lex ac permansit. Nec enim causa est, cur temporibus quae Ol. 115 subsequuntur ullum titulum attribuamus, quo proxeno euergetaeque enctesis conferatur *κατὰ τὸν νόμον.* Quam rem cum iis discriminibus ac diversitatibus cohaerere quae intercedere supra demonstravimus inter titulos ante Ol. 116 et postea exaratos quivis intelleget. Atque illud quoque huc referendum videtur esse quod tam pauci proxeniae tituli occurrunt intra Ol. 115 et 121 exarati.

Quae omnia facile explicabuntur si statuerimus legem illam modo definitam Ol. fere 116 esse abrogatam. Nam hac lege sublata non iam erant metoeci aut peregrini qui proxeniam et euergesiam concupiscerent, cum is honor encteseos privilegio orbatus vilissimum donum illis quidem temporibus videretur esse ac dignum quod sperneretur repudiareturque. Si vero per complures — decem fere — annos neminem proxenia ornatum esse statuerimus, hac ipsa lacuna hiante optime explicabitur quod in titulis tribus illis fine quarti saeculi factis et sermo tantopere commutatus est et privilegia ipsa atque honores. Sic omnia optime inter se cohaerere videntur.

Id unum restat ut a quonam tandem viro et qua de

causa lex illa abrogata sit quaeramus. Ut autem statim dicam quid sentiam: Ad Demetrium Phalereum legis illius abrogationem rettulerim, quem optime in universum rem publicam Atheniensium administrasse constat. Atqui, si quid sentio, saluti erat maximae Atheniensibus, si impediebantur quominus privilegium illud gravissimum ἐγκτήσεως tam large ac saepe profunderent.

Qua cum re optime consentit quod nullum exstat civitatis decretum quod Demetrii Phalerei aetati aliqua cum probabilitate possit attribui[1]). Contra et ex eo tempore quod aetati illi antecessit et quod eam subsecutum est satis multa habemus civitatis diplomata.

Accedit quod Demetrii aetati duo tantum decreta honoraria necessario debent attribui[2]). Quam rationem non tam iniquitate temporum casuque explicandam esse censeo, quam ea re quod Demetrius Atheniensium donandi atque honorandi cupiditatem coercere studuit.

At nonne ipsi Demetrio trecentis statuis amplius in Attica exstructas esse satis multis scriptorum locis discimus? Sed ne ipse honoribus obrueretur cur impedire debuit Demetrius? Immo quam maxime eius intererat ut semper sui memores essent Athenienses, magnoque gaudio eum affectum esse censeo cum tot tantisque honoribus se ornari videret.

Demetrio autem expulso denuo res mutata est. Nam Demetrius Poliorcetes, ut Plutarchi verbis utar[3]), *ἀπὸ τῶν Λαμιακῶν καὶ τῆς περὶ Κραννῶνα μάχης, λόγῳ μὲν ὀλιγαρχικῆς ἔργῳ δὲ μοναρχικῆς καταστάσεως γενομένης διὰ τὴν τοῦ Φαληρέως δύναμιν .. ἀπέδωκε τὴν πάτριον πολιτείαν,* quibuscum comparanda sunt verba Diodori[4]): *ὁ δὲ Δημήτριος φρουρουμένης τῆς Μεγαρέων πόλεως, ἐκπολιορκήσας αὐτὴν ἀπέδωκε τὴν αὐτονομίαν τῷ δήμῳ.* Libertate igitur recuperata nemo Athenienses impediebat quominus cupiditati dandi frena darent multoque saepius quam antea honores effunderent. Multo enim

1) praeter unum CIA II 229 de quo quae infra disputabimus conferenda sunt.

2) CIA II 234; 237. 3) *Demetr.* 10, 5. 4. 4) XX 46, 3.

saepius inde ab hac aetate conlata est civitas, saepius etiam ut videtur isotelia, raro vero proxenia honorum simplicissimus atque id ita ut et privilegiorum ratio et verborum sollemnium plane commutaretur. Accedunt autem alia quaedam indicia quibus elucet exeunte saeculo quarto et ineunte saeculo tertio proxeniam non in usu fuisse apud Athenienses.

Ac primum adferam tit. CIA II 256[b] qui pertinet ad Phidiam Apollonii filium Rhodium. Is enim etsi optime videtur meritus esse de Atheniensium republica tamen oleaginea tantum corona ornatus est, cum triginta fere annis ante Euenor medicus Argivus, quem idem fere praestitisse Atheniensibus atque Phidiam licet suspicari, proxenus factus sit atque euergetes[1]). Similiter explicaverim quod in titulo CIA II 367[2]) sola enctesis confertur, desideratur proxenia et euergesia. Sic enim titulum restituam:

ΙΙ
— — ὁδεῖνα — — εἶπενἐπειδὴἐψήφισταιπερὶ[Δ]ΙΟΝ
υσίουὁδῆμοςπροβουλεύσασαντὴνβουλὴνεΙΣΕΝΕΓΚ
εῖνεἰςτὸνδῆμονδεδόχθαιτῆιβουλῆιπρ[Ο]ΣΑΓΑΓΕΙΝ
ΔιονύσιονπρὸςτὸνδῆμονὅτανπρῶτονοἶΟΝΤΕΙΕΙΝΑ
ιδ'αὐτῶιἔγκτησινγῆςκαὶοἰκίας'ΑθήνηΣΙΝΚΑΙΠΡΟΣ
οδονεἶναιαὐτῶιἐάντουδέηταιπρὸςτΗΝΒΟΥΛΗΝΠΡΩ
τωιμετὰτὰἱεὰἀναγράψαιδὲτὸψήφι[Σ]ΜΑΤΟΔΕΤΟΝΓΡ

1) CIA II 186[a].

2) Cum haud dubie legendum sit v. 11 *τον ἐπὶ τῇ διοικήσει* referendus est titulus ad Ol. 120,3/121,3 = 298/4 (cf. quae infra de hoc magistratu disputaturi sumus). Deinde cum encteseos privilegium careat docimasia anno 298/7 vel 297/6 lapidem illum in arce exstructum esse statuendum est (cf. p. 150). Erravit autem in titulo restituendo Ioannes Schubert (l. l. p. 34). Nam cum v. 8 certa sit emendatio: *πρώτῳ μετὰ τὰ ἱερά,* pluralis *αὐτοῖς* in v. 7 nullo modo ferri potest (*καὶ πρόσοδον εἶναι αὐτοῖς πρὸς τὸν δῆμον*). Ergo scribendum certe erat: *πρὸς τὸν δῆμον ἢ καὶ τὴν βουλήν.* Sed hanc verborum collocationem contra usum titulorum pugnare ipse vidit Schubertus. Itaque lapicidam errasse statuit. Ego tamen cum non solum verborum collocatio offendat sed etiam particula *ἢ* rarissime hac quidem in formula inveniatur, ad eam sententiam inclino ut in titulo id quod supra posui scriptum fuisse censeam. Lapicidae autem incuria factum est ut verba *καὶ τὸν δῆμον* quae necessario ponenda erant post *πρὸς τὴν βουλήν* omitterentur. Aliquid enim esse omissum a lapicida probabilius statuitur quam falso loco positum. — Ceterum ad haec infra revertemur.

Illud deinde omittere nolui, quod in tit. CIA II 270 anno 302/1 confecto Nicandro Iliensi et Polyzelo Ephesiensi omnes honores et privilegia conceduntur praeter unam euergesiam ac proxeniam: corona oleaginea isotelia ius domus et agros possidendi cura senatus ac praetorum aditus ad senatum et contiones. Contra in titulo DA 1888 p. 224 quem medio fere saeculo quarto exstructum esse supra diximus et quo eadem fere privilegia conceduntur proxenia et euergesia non desunt. Quae omnia eo valere videntur ut illa aetate proxeniam et euergesiam etsi non prorsus evanuisse tamen rarissime conlatam esse censeamus.

§ 12.

Sed novam induit formam proxenia paullo post. Attamen cum titulorum numerus quibus proxenia conlata est satis sit exiguus, deinde cum aetas titulorum raro possit accuratius definiri, postremo cum scriptorum quoque testimonia magis magisque evanescant, satis infirmis fundamentis complura videntur niti eorum quae iam expondituri sumus.

Nonnulla tamen magna cum verisimilitudinis specie statuere licebit. Primum enim adparet omnes titulos qui eundem fere in modum compositi sunt, eadem quoque aetate esse compositos. Ergo coniungendi sunt eidemque fere tempori adscribendi tituli CIA II 369; 370 et Ἀϑ. VI 136 = H XXIV p. 335. Nec enim solum enctesis illa artis condicionibus circumscripta hisce in titulis deprehenditur sed etiam docimasia. Eidem vero aetati adscribendum esse censeo titulum CB 1887 p. 1068 n. 6ª. Nam quod dicit Wilhelmus [1]) hoc decretum lapidi incisum esse altero saeculo fortasse verum est, sed ipsum decretum illo demum tempore factum esse mihi quidem nunquam persuadebit. Etenim primum enctesis coercita plane ab altero saeculo abhorret, cum inde ab anno fere 230 nullum omnino exstet encteseos huius exemplum [2]). Deinde etiam verbis κατὰ τὸν

1) H XXIV p. 333.

2) Cf. CIA II 380; 414; 423; 438; CB 1887 p. 1069, 8; DA 1888 p. 184.

νόμον cum corona aurea coniunctis decretum altero saeculo non ratum factum esse luculenter demonstratur. Namque in decretis quae quidem ad peregrinos pertineant formula *κ. τ. ν.* cum corona aurea post annum fere 286 non iam legitur. Denique docimasia in iis tantum decretis invenitur quae ante annum fere 250 rata facta sunt. Nihil vero impedit quominus decretum illud altero saeculo denuo lapidi incisum esse putemus. Immo errores illi lapicidae quos supra enumeravimus hanc sententiam commendare quodammodo videntur. Nam cum errores in laeva tantum et dextra parte inveniantur non in media, cogitare aliquis potuerit lapicidam alterius saeculi cum litteras vetusti lapidis satis obscuras non cognosceret, saepius esse deceptum.

De ipsa horum titulorum aetate haec dicenda sunt. Primum propter verba *κ. τ. ν.* in titulo CB 1887 p. 1068 n. 6 cum corona aurea coniuncta ante annum fere 286 et enctesin coercitam et docimasiam institutam esse sumendum est. Deinde cum anno fere 296 docimasiam novorum civium lege praescriptam esse admodum sit probabile [1]), eodem fere tempore illam quoque legem promulgatam esse verisimile est qua ii proxeni qui enctesi donarentur examen subire iussi sunt. Quae coniectura paene certa fit titulo CIA II 369 = H XXIV p. 326. Nihil enim impedit, quominus eum referamus ad eam aetatem qua primum unus vir administrationi praeerat: inter Ol. 120, 3 et 121, 3 = 298/294.

Ex titulo autem *Ἀϑ.* VI p. 136 = H XXIV p. 335 cum neque coronae genus v. 7 certum sit (num fuerit corona aurea *κ. τ. ν.* an corona *ἀπὸ-δραχμῶν*) neque quaestor qui fuerit possit dici, nihil de aetate horum titulorum discimus.

In unum deinde comprehendendi sunt tituli CIA II 380; CB 1887 p. 1069 n. 8; DA 1888 p. 184 cum in his tribus titulis omissa iterum sit proxenorum docimasia, inveniatur autem enctesis condicionibus circumscripta. Referenda sunt decreta ad alteram tertii saeculi partem.

Illa denique aetate qua tituli CIA II 414; 423; 438 exarati

1) Cf. infra p. 157.

sunt, ad eandem fere liberalitatem rediisse videntur Athenienses qua usi erant intra annos Ol. 113, 4 et 116. In primo enim horum titulorum quem bello Macedonico in arce exstructum esse Koehlerus censet haec legimus: *[ε]ἶν[αι δὲ] αὐ[τὸ]ν κ[αὶ] π[ρ]όξενον καὶ εὐεργέτην τοῦ δήμ[ου καὶ δε]δόσ[θ]α[ι]* [1]) *ἔγκτησιν αὐτῷ γῆς καὶ οἰκίας κατὰ τοὺς ν[ό]μους*. Ac similiter legimus in titulo CIA II 423 paullo post exarato: *δεδό[σθαι] | [δὲ αὐτῷ κ]αὶ [πρ]οξε[ν]ί[αν] καὶ γῆς καὶ ο[ἰ]|[κίας ἔγκτησιν] αἰτησα[μέ]νῳ κατὰ τὸ[ν] | [νόμον]*. Iam quaeritur quid significet participium *αἰτησαμένῳ*. Ac quae Hartelius [2]) exposuit vereor ne contra grammaticae leges pugnent. Vir enim doctissimus cum dicat: 'Auf Grund eines Gesuches wurde die Proxenie verliehen' participium illud loco enuntiati causalis (= *διότι* sive *ἐπειδὴ ᾔτηται*) positum esse censet.

At si verbum enuntiati primarii futurum est vel etiam futuri sensum exhibet, tale participium ipsum quoque ad futurum tempus pertineat necesse est. Atqui infinitivi *δεδόχθαι εἶναι ἀναγράψαι* qui in decretis imperativi vices gerunt, utique iis temporibus quibus futurum exprimitur adnumerandi sunt. Ergo, ut exemplum adferam, in enuntiato CIA II 307 v. 20 seqq.: *εἶναι δὲ αὐτῷ [δό]ντι τὰς [εὐθύνας τῆς ἐ]|πιμελείας κατὰ τὸν νόμον εὑρέσθαι παρὰ τοῦ δήμου ἀγαθ[ὸν ὅτου ἂν δοκ]εῖ ἄξιος εἶναι* participium *δόντι* procul dubio intellegendum est: *ἐὰν εὐθύνας δῷ* et in CIA II 334 v. 20 seqq.: *εἶναι δὲ τοῖς ἐπιδοῦσι [στεφανωθῆναί τε κα]|ὶ ἐπαινεθῆναι καὶ τιμηθῆναι ὑπὸ τοῦ δή[μου καθότι ἂν ῇ ἄξι]|ος ἕκαστος αὐτῶν* participium *ἐπιδοῦσι* idem est atque: *οἵτινες ἂν ἐπιδῶσι*. In formula denique sollemni quae est: *τοὺς λαχόντας προέδρους εἰς τὴν πρώτην ἐκκλησίαν χρηματίσαι περὶ τούτων* nemo est qui vertat: ii proedri qui sorte creati sunt, sed intellegenda nimirum sunt verba: ii qui sorte creati erunt.

---

1) Non *δίδοσθαι*.

2) l. l. p. 237. Cf. Buermann. l. l. X p. 348: 'Quum enim e titt. 423 et 438 appareat, posteriore aetate legem vetuisse, non petenti proxeniam obferri, verisimile est de civitatis dono eandem legem valuisse, quia civitas proxeniam dignitate superabat.'

Quae cum ita sint, participium *αἰτησαμένῳ* vertendum est: 'si postulaverit.' Res igitur haec est: Secundum legem proxenis illis una cum proxenia ius quoque acquirendi domos et agros concedendum erat. Senatus autem cum nesciret utrum interesset omnino proxenorum illorum enctesi uti necne, clausulam satis inanem quidem addidit ac supervacaneam: 'si postulaverit', 'si omnino voluerit'. Intellegendum igitur est totum enuntiatum sic: 'Detur ei si voluerit ius quoque acquirendi domos et agros; nam hoc lege praescribitur.' Similiter in civitatis diplomate CIA II 455 legimus: *[δεδό]σθαι δὲ αὐτῷ καὶ πολιτείαν [κατὰ τὸν νόμον αἰτησα]||[μέν]ῳ.*

Restat unus titulus aetate postremus ubi legimus: *[δεδόσθαι] δὲ αὐτῷ καὶ π[ροξενίαν αἰτησαμέ]νῳ κατὰ τὸν νόμο[ν].* His verbis commotus ad eam sententiam facile pervenias ut novam formam primo ante Christum n. saeculo proxeniam induisse arbitreris. Quod sane per se fieri potuit. Statuendum igitur tum esset, Athenienses priore lege de enctesi cum proxenia conferenda abrogata novam ratam fecisse, qua decerneretur ut, si quis certa quaedam merita praestitisset, quae accurate circumscripta fuisse esset putandum, proxeniae honore ornaretur.

Sed cum hoc solo titulo de lege illa certiores fieremus, ea sententia verisimilior esse et magis cum tota natura proxeniae atque historia quam modo descripsimus consentire videtur qua lapicidae errore factum esse censuerim ut verba *καὶ γῆς καὶ οἰκίας ἔγκτησιν* post *δεδόσθαι δὲ αὐτῷ καὶ προξενίαν* omitterentur.

Quod si statuerimus omnibus ex partibus consentiet titulus ille de quo agimus cum eis decretis quae modo enumeravimus. Ac ne nimium me tribuere putes lapicidae socordiae, referam te ad titulum eodem fere tempore confectum ubi verborum ordinem totumque enuntiati sensum perturbatum esse infra demonstrabitur [1]).

Atque haec quidem de proxenia. De historia autem ver-

1) In excursu altero.

borum *κατὰ τὸν νόμον* in eis decretis quibus cives nominantur in altera commentationis parte disserendum esse censui, ad quam age iam aggrediamur.

Caput alterum.

De coronis quae inveniuntur in civitatis decretis.

§ 13.

Primum ergo de verbis *κατὰ τὸν νόμον* accuratissime disputemus necesse est, cum ex hac quaestione recte tractata haud parvum profecturi simus ad titulorum satis multorum aetatem definiendam.

Ac primum quidem disseramus de formula: *καὶ εἶναι αὐτῷ γράψασθαι φυλῆς καὶ δήμου καὶ φρατρίας ἧς ἂν βούληται κατὰ τὸν νόμον.* Ex his verbis apparet ea aetate qua leguntur in decretis lege praescriptum fuisse, ut omnes peregrini qui cives facti essent quamlibet eligerent sibi tribum pagum phratriam. Ergo necessario fere colligitur ante illam aetatem tempus fuisse quo id non concessum esset. Quae conclusio praeclare confirmatur ipsis titulis.

Etenim formula quam modo adscripsimus non invenitur ut nunc res est nisi post Ol. fere 115 = post a. 320[1]. Contra ante hunc annum saepius in civitatis diplomatis *κατὰ τὸν νόμον* verborum loco invenimus formulam *ὧν οἱ νόμοι λέγουσιν* sive *πλὴν ὧν οἱ νόμοι λέγουσιν.* Itaque ante Ol. 120 leges fuisse concludendum est quibus eligendi arbitrium esset coercitum.

Iam complures oriuntur quaestiones de temporibus quibus et priores leges et posterior lex et promulgatae et abrogatae sint, porro de aetate qua thesmothetarum docimasia sit instituta. Ac de hac ultima quaestione utpote quae sit longe gravissima priore loco si placet disseramus.

Fuit autem tempus cum facillime eam solvi posse mihi

1) CIA II 228; CB 1888 p. 248, 29 = BdCH XII 147.

persuaderem, quamquam etiam tum nonnulli scrupuli animo inhaerebant. Nam cum titulus CIA II 229 propter perscriptoris commemorationem attribuendus sit Olympiadi fere 115, illo tempore docimasiam institutam esse sumendum erat. Deinde cum ultimus[1]) eorum titulorum qui eundem in modum concepti sunt atque tit. CIA II 228 (Α, Φ *κ. τ. ν.*, Π)[2]) Dittenbergeri[3]) ac Wilamowitzii[4]) speciosis coniecturis adscriptus sit anno Ol. 124, 4 = 281, haud multo post hunc annum legem de pagis tribubus gentibus ex arbitrio eligendis e medio sublatam esse censui.

Sed res iterum atque iterum colligenti mihi ac pertractanti crescere videbantur difficultates ita ut aliam ingrediendam esse viam censerem, satis arduam illam quidem ac spinosam sed quae ad finem perduceret certissimum. Nam si statuemus titulum CIA II 320 esse exaratum Ol. 124, 4, quaeretur primum quomodo fieri potuerit ut uno tempore adhiberentur a scribis publicis civitatis diplomata conficientibus et formulae Α, Φ *κ. τ. ν.*, Π et formulae Α, Φ, Π, Θ. Ex eis enim titulis quorum aetas paullo accuratius definita est referendi sunt ad priorem classem hice:

Ol. fere 115 = 320/18: CIA II 228.
Ol. fere 115: CB 1888 p. 248, 29.
paullo post Ol. 118, 2 = 307/6: CIA II 243.
Ol. 120, 2 = 299/8: CIA II 298.
Ol. 124, 4 = 281/0: CIA II 320.

---

1) CIA II 320.

2) Hisce usus sum compendiis:
Α = *εἶναι τὸν δεῖνα Ἀθηναῖον, αὐτὸν καὶ ἐκγόνους αὐτοῦ.*
Φ = *καὶ εἶναι αὐτῷ γράψασθαι φυλῆς καὶ δήμου καὶ φρατρίας ἧς ἂν βούληται.*
Π = *τοὺς δὲ πρυτάνεις δοῦναι περὶ αὐτοῦ τὴν ψῆφον τῷ δήμῳ εἰς τὴν πρώτην ἐκκλησίαν.*
Θ = *τοὺς δὲ Θεσμοθέτας εἰσαγαγεῖν αὐτῷ τὴν δοκιμασίαν τῆς δωρεᾶς ὅταν πρῶτον οἷόν τ' ᾖ.*
Σ = *στεφανῶσαι τὸν δεῖνα χρυσῷ στεφάνῳ ἀπὸ . . . δραχμῶν* (*δ*) vel *θαλλοῦ στεφάνῳ* (*θ*) vel *χρυσῷ στεφάνῳ* (*χ*).

3) SIG 144[1].

4) *Antig. Caryst.* p. 246.

Ad alteram autem classem pertinent haec decreta:
Ol. fere 115 = 320/18: CIA II 229.
Ol. 121, 2 = 295/4: CIA II 300.
ca. Ol. 122, 3 = ca. 290: CIA II 309.
Ol. 123, 2 = 287/6: CIA II 312.
Quam rem admodum miram esse unusquisque concedet.
Sed accedit aliud. Eadem enim fere aetate tertiam quoque civitatis diplomatum formam in usu fuisse apud scribas Athenienses discimus titulo CIA II 318 anno fere Ol. 124, 4 = 281/80 exarato: A, Φ κ. τ. λ., Γ, ⊙, quocum conferre licet titulos quosdam paullo posterioris aevi eundem in modum compositos: CIA II 382 [1]), 397 [2]).

Quae decretorum diversitates certe aliquo modo explicari debent, nisi forte Atheniensium scribas homines statuisse mavis satis leves atque inconstantes.

Ac patet iam multum nos esse profecturos si decretorum formas A, Φ κ. τ. λ., Γ et A, Φ, Γ, ⊙ ita disponere per ipsos titulos liceret ut altera exciperet alteram [3]). Iam cum in tit. CIA II 300 a. Ol. 121, 2 confecto primum ut nunc res est plena illa formula A, Φ, Γ, ⊙ appareat — de tit. CIA II 229 infra disputabitur — quaeritur num illo fere tempore thesmothetarum docimasiam institutam esse liceat censere. Videndum igitur est num tit. CIA II 320 tribui possit tempori a. 295/4 paullo antecedenti. Ac Wilamowitzii [4]) quidem argumentum ex forma litterarum petitum quamvis videatur esse speciosum, tamen admodum fallax ac debile esse facile est ad demonstrandum. Nam primum unde tandem Wilamowitzius scit singulis annis a singulis lapicidis decreta esse confecta? Nonne aut per complures annos unus aut per unum annum complures munere illo fungi potuerunt?

Deinde ea sententia per se videtur non modo non veri-

1) Buerm. l. l. X p. 350.
2) Cf. quae infra dicemus de hoc titulo.
3) Cf. Em. Szánto. *Unters. über d. attische Bürgerrecht.* Vind. 1881 p. 3 seqq.
4) *Ant. Caryst.* p. 246.

similis esse sed ab omni probabilitate prorsus abhorrere ut solis Niciae et Meneclis annis litteraturam illam quadratam adhibitam esse censeamus. Immo si sola haberemus decreta 316, 317, 318 quae annis Meneclis et Niciae confecta esse paene certum est, tum alia certe circumspiceremus eundem in modum conformata quae aliis annis possent attribui.

Accedit aliud idque gravissimum. Formae enim litterarum CIA II 316, 317, 318 neque inter se neque cum titulo 320 plane congruunt. In titulo enim 316 haud ita multas formas invenies quadratas nec ullas omnino alias nisi □ pro O et ⊡ pro ⊙). Contra in tit. 317 non solum □ et ⊡ constanter adhibentur, sed etiam P et ⊏ omnibus locis pro P et E scribuntur. Accedit signum ᴖ pro Ω saepius positum.

In titulo 318 iterum res est alia. Nam O et E multo saepius leguntur quam □ et ⊏, semper ut videtur ᴖ pro Ω scribitur, semel ⊡ pro ⊙, nunquam P.

In titulo denique 320 semper adhibentur □ P ⊏ ᴖ, semper vero etiam ⊙ rotundum.

Itaque cum ne tituli quidem unius anni (316 et 317) inter se conveniant, haud dubie non licebit propter litteraturam titulum 320 annis 282/80 adscribere [1]). Ergo nihil iam impediet quominus titulum hunc priori aetati adscribamus. Atque cum rectissime iudicaverit Koehlerus titulum esse attribuendum aut annis 299/4 aut 287/1, deinde cum formulam A, Φ κ. τ. ν., Γ post annum 295 non iam inveniri supra viderimus, satis certa coniectura tit. 320 annis adscribetur qui sunt inter a. 299 et 295.

Sed spatium etiam artius definitur. Nam cum anno 298/7 *τὸν ἐπὶ τῇ διοικήσει* anno autem 294/3 *τοὺς ἐπὶ τῇ διοικήσει* institutos esse infra certis argumentis comprobaturi simus, necessario inferenda sunt verba *τὸν ἐπὶ τῇ διοικήσει* tituli 320 versui ultimo. Quod sine ulla difficultate fieri poterit. Etenim quoniam plurimi versus illius tituli sunt litterarum quadragenarum: 10—15, 17, 19, 21, 22, 24—26, legitimus litterarum

1) Ipsum tamen Niciam anno 281/0 regnasse non nego.

numerus sive scribes τὸν ἐπὶ τῇ διοικήσει (38) sive τοὺς ἐπὶ τῇ διοικήσει (39) [1]) non explebitur, id quod maximi momenti mihi videtur esse. In numero autem 38 non offendendum est cum eundem numerum exhibeat v. 16, versus autem 23 contineat **41**, versusque 18 et 22 [2]) litt. **39**. Itaque aut anno 298/7 aut 297/6 aut 296/5 exaratus est tit. 320.

Iam cum probabili Ungeri coniectura [3]) tit. 319 qui ipse quoque ad Lysimachi familiarem quendam referendus est anno Antiphatis attributus sit (Ol. 120, 4 = 297/6), fortasse titulum 320 eodem anno exaratum esse sumere licebit. Diversa certe litteratura nos quominus hoc statuamus non impediet [4]).

Quae si recte se habent anno fere Ol. 121, 1 = 296/5 thesmothetarum docimasiam institutam esse censendum erit. Huic anno non obstabit tit. CIA II 361, etsi eis titulis adscriptus est a Koehlero qui paullo ante bellum Chremonideum exarati esse ei videbantur. Certis enim quibusdam argumentis eum confectum esse Ol. fere 120 infra demonstrabitur.

Ac ne tit. quidem CIA II 229 huic sententiae qua docimasiam thesmothetarum anno fere Ol. 121, 1 = 296/5 institutam esse censuerim obstabit. Eum enim titulum propter perscriptoris commemorationem Ol. fere 115 exaratum esse veri est simile. Ergo cum thesmothetae docimasiam instruere iubeantur, necessario concludendum est illa iam aetate thesmothetas functos esse munere, si homines peregrini nominarentur cives.

Nam quae exponit Szanto ut huius tituli vim atque momentum infringat facile refutabuntur [5]). Primum enim quod dicit ab ipsis thesmothetis docimasiam non factam sed in-

---

1) Falsa sunt Ungeri verba (Philol. Suppl. V p. 705): 'Es ist daher nicht τούς sondern τὸν ἐπὶ τῇ διοική]σει auf der vorletzten Zeile zu ergänzen: diese hält dann 39 Stellen.'

2) Non v. 11 ut dicit Unger l. l., Koehlerus enim in circumscribendo titulo erravit, cum littera A verbi δεδόχθαι attribuenda sit versui 11.

3) Philol. XXVIII p. 456 adn.

4) Cf. CIA II 316 frg. e et 317.

5) l. l. p. 5 seqq.

structam tantum esse, simplici illo Graeci et Latini sermonis usu refellitur, quo is qui aliquid fieri iubet ipse id fecisse dicitur. Ergo non necessarium est ut scribatur τοὺς ᴾ δικαστάς, quae coniectura ipso versus spatio haud ita commendatur [1]). Itaque concidunt ea quoque quae dicit Szanto de litteris ΓΟ ita supplendis ut fiant: πο||[μπήν], πο||[μπείαν], πό||[ησιν].

Nec desperandum videbatur esse de verbo χρῶνται recte interpretando. Namque litteras δι initium fuisse verbi δικαστηρίοις prona erat coniectura quae versus 5 spatiis admodum adiuvabatur. Iam χρῶνται coniunctivum esse a particula quadam pendentem apparebat. Nec minus certum erat, coniunctam eam fuisse cum adverbio [πρῶ]τον veluti ἐπειδὰν πρῶτον, ἐὰν πρῶτον, ὅταν πρῶτον. Sed nulla harum coniunctionum spatium apte explevit. Ergo lenem dittographiam lapicidae statuens scriptum fuisse in titulo conieci: πο||[λιτείαν, ἐὰν⟨αν⟩ πρῶ]τον sive πο||[λιτείαν, ὅτα⟨α⟩ν πρῶ]τον χρῶνται δι||[καστηρίοις· [2]) ἀναγρ]άψαι δὲ τόδε κτλ.

Ergo neque de civitate neque de tituli aetate dubitare licebit. Nec difficilis videtur res esse ad explicandum. Supra [3]) enim iam diximus anno fere 320 leges illas quibus coercebatur civium novorum optio ac voluntas abrogatas, novamque legem esse institutam, qua arbitrium liberum dabatur viris illis.

Quam libertatem paullo post ab Demetrio Phalereo denuo demptam moremque exteros nominandi cives Athenienses artioribus condicionibus coercitum esse non mirum videbitur, si eam quoque legem a Demetrio de medio esse sublatam meminerimus, qua ius domus agrosque conquirendi semper cum proxenia atque euergesia erat coniunctum.

Ergo thesmothetarum institutionem ad Demetrii Phalerei tempora referam.

---

1) Deest enim una litterula.

2) Cf. CIA II 382: [τοὺς δὲ θεσμοθέτας εἰσαγαγεῖν αὐτῷ την δο]κ[ιμασίαν τῆς δωρεᾶς, ἐὰν πρῶτον δικασταῖς χρ]ῶν[ται]. Cf. Buerm. l. l. X p. 350.

3) p. 153.

Illud deinde optime cum eis quae supra exposita sunt de proxenia consentiet, quod Demetrio expulso Athenienses statim ad veterem consuetudinem revertisse thesmothetisque abrogatis veterem illam legem redintegrasse ex ipsis titulis comperimus.

Res iterum ita mutata est ut denuo docimasia instituta artioribus severioribusque condicionibus reciperentur peregrini in civium Atheniensium numerum eodem fere tempore, ca. Ol. 121, 1 = 296/5, ex quo proxenis quoque docimasiam subeundam fuisse supra comprobavimus [1]. Quae omnia tam bene inter se cohaerent indiciaque et argumenta omnia tantopere sese adiuvant ut admodum probabilia et paene certa ea esse vix possit negari.

Si vero recte se habent quae disputavimus paullo aliter iudicandum erit de perscriptorum aetate, quos annis tantum Ol. 115, 1 et 2 munere functos esse adhuc statuerunt viri docti. Nam cum Demetrius anno demum 318 Athenis rerum potitus sit, etiam paullo post hunc annum perscriptores fuisse Athenis admodum probabile est [2]. Neque ea sententia nitetur nimis incertis fundamentis, qua putaverim iam ante Ol. 115 legem de tribubus pagis phratriis ex arbitrio eligendis ratam esse factam. Nam cum lex de enctesi cum proxenia euergesiaque coniungenda non post a. 325/4 promulgata sit, paullo post — non quinque vel sex annis — legem quoque de civibus recipiendis constitutam esse prona est coniectura. Ergo Ol. iam 119 leges illae quae verbis indicantur *πλὴν ὧν οἱ νόμοι ἀπαγορεύουσιν* vel *ὧν οἱ νόμοι λέγουσιν* abrogatae sunt.

§ 14.

Sed nova statim oritur quaestio: num aetas quoque qua hae leges sint promulgatae possit erui. Ac tituli quidem quibus leges illae commemorantur hi sunt:

Ol. fere 109 = ca. 344/40: CIA II 115[b].

1) p. 150.

2) Cf. Hillei dissert. *De scribis Ath. publ.* p. 226: 'Iam ego his annis qui sunt inter Ol. 114, 3 et Ol. 118, 2, perscriptorem praeter suum ipsius munus scribae senatus provinciam curasse suspicor.'

Ol. 106/111 = 356/332: CIA II 148 cf. Buerm. l. l. X p. 356.
non post Ol. 111 = 336/2: CIA II 230[a] [1]).
non ante Ol. 111 = 336/2: CB p. 1068 n. 7 = H XXIV p. 144.

Omnibus igitur in civitatis decretis inter Ol. 109 et 114 = 344/24 exaratis leges illae commemorantur, praeter unum tit. CIA II 121 qui a. Ol. 110, 3 = 338/7 in arce exstructus est. Is tamen non in censum venit, cum redintegretur tantum civitas Phormionis et Carphinae avo olim concessa apertisque verbis laudetur vetus decretum in arce exstructum. Atqui temporibus antiquioribus leges illas nondum exstitisse statim videbimus. Ergo non mirum est, quod verbis [ἐλ]έ[σϑα]ι [δὲ α]ὐτοὺ[ς] *φυλὴ[ν] καὶ δῆμον καὶ φρα‖[τρίαν ἧς ἂ]ν βο[ύ-λωνται] εἶναι* non addita est formula *πλὴν ὧν οἱ νόμοι λέ-γουσιν*. Nepotibus enim idem ut par erat ius concedendum erat atque avo, cui arbitrium datum erat plane liberum eligendi tribum pagum phratriam quamcunque vellet. Illud deinde optime explicabitur quod repetuntur ex vetere decreto verba modo adscripta, desiderantur autem verba de prytanibus populum in suffragia mittentibus. Haec enim ut adderentur non necesse erat, cum etiam avi temporibus prytanes hoc munere functi essent.

Ex his quae adhuc disputata sunt sequitur ut paullo ante Ol. 109 = 344 leges illas rogatas esse censeamus. Quae cum ita sint facile in eam sententiam incidet aliquis, ut cohaerere sibi persuadeat hanc legis promulgationem cum notissima illa civium purgatione, ut ita dicam, quam anno 346/5 factam esse compluribus veterum scriptorum locis discimus. Hoc igitur anno legibus impeditum est quominus tribum pagum phratriam quamcunque vellent peregrini sibi eligerent, quae res nimirum eo pertinebat ut quibusdam iuribus privilegiis honoribus — quae fuerint nescio — excluderentur [2]).

Ante vero a. Ol. 108, 3 = 346/5 harum rerum liberum fuit arbitrium. Nunquam enim in titulis hoc anno prioribus

1) Cf. infra p. 176.
2) Buerm. l. l. IX p. 644.

de legibus hisce sive similibus sermo est semperque carent verba καὶ ἐξεῖναι αὐτῷ γράψασθαι φυλῆς καὶ δήμου καὶ φρατρίας ἧς ἂν βούληται formula πλὴν ὧν οἱ νόμοι ἀπαγορεύουσιν. Quod demonstratur his titulis:

Ol. 92, 3 = 410/9: CIA I 59.
Ol. 93, 4 = 405/4: CIA II 1^b + DA 1889 p. 25 v. 13 et 34.
Ol. 96, 4 = 393/2: CIA II 10^b.
Priore saec. IV parte: EA 1883 col. 38 [1]).
Priore saec. IV parte: DA 1889 p. 89.
Ol. 102, 4 = 369/8: CIA II 51.
Ol. 104, 2 = 363/2: CIA II 54.

Ac profecto non necesse erat addi hisce in antiquioribus titulis post formulam Φ verba κατὰ τὸν νόμον. Nam ei peregrino qui in civium numerum receptus esset, omnia ipsorum civium privilegia et iura concedi et consentaneum et in ipsa rei natura positum esse videtur. Nec igitur legibus tale quid constitui oportebat.

Plane aliter res se habebat ea aetate (Ol. 114 et 118) cum legibus veteribus abrogatis de ipsa hac re nova lex esset promulgata. Tum enim addenda erant semperque addita sunt verba κατὰ τὸν νόμον.

Sed nondum disputatio de veteribus illis decretis absoluta est et ad finem perducta. Secernere enim licet titulos quos modo enumeravi in duas classes. Quarum altera aetate posterior insignis est formula qua prytanes populum in suffragia mittere iubentur, altera aetate prior hac formula caret. Prytanes autem desiderantur in titulis his:

1. Ol. 92, 3 = a. 410/9: CIA I 59.
2. Ol. 93, 4 = a. 405/4: DA 1889 p. 25.
3. Adnumerandus est huic classi tit. DA 1889 p. 89 quem ut usque ad finem restitueret non contigit Lollingo viro doctissimo. Nam cum singulos versus fuisse litterarum quingenarum binarum statueret, quomodo versus 6 et 7 essent explendi eum fugit.

---

1) Cf. infra p. 163.

Atqui v. 6[1]) vix aliter restituetur quam ita ut scribatur: *ἐπειδή ἐστ[ιν ἀνὴρ ἀγαθὸς περὶ τὴν βολὴν] | [καὶ τὸν δῆμον τ]ὸν Ἀθηναίων.* Quo fit ut nanciscamur versum litteras exhibentem 51. Videamus igitur num hunc numerum etiam ceteris versibus inferre liceat. Ac facile hoc erit in v. 9. Eiecta enim littera *ν* praepositionis *ἐν* et numerus ille restituetur et forma praepositionis quae magis conveniat cum tituli aetate (*ἐστήλῃ*). Deinde cum ex titulo CIA II 54 ubi legitur v. 11: *καὶ εἶνα[ι αὐτὸν φυλῆς] | ἧστινος [ἂ]ν ἀπογράψηται, [κα]ὶ [δήμου καὶ] | φρατρίας* videamus verba *ἧστινος ἂν ἀπογράψηται* sive *ἧς ἂν βούληται* non semper in ipso fine formulae locum habuisse, cum praeterea ex illo ipso titulo de quo sermo est et ex tit. CIA II 115[b] cognoscatur ordinem substantivorum *φυλῆς καὶ δήμου καὶ φρατρίας* antiquioribus certe temporibus sibi non constitisse, probabilis videtur esse ea coniectura qua lacunam v. 7 ita explendam esse censuerim ut scribatur: *γράψα-[σθαι δ᾽ αὐτὸν φυλῆς ἧς ἂν βόλητ]|[αι καὶ φρατρίας] καὶ δήμο.*

Iam cum in ultimo versu maxima cum verisimilitudine scriptum fuisse conicias: *καλέσαι δὲ,* iam sequitur nomen hominis . . . . *καὶ] ἐπὶ δεῖπνον [ἐς τὸ πρυτανεῖον]* nomen viri fuisse litterarum decem suspicari licebit. Quem numerum statim inferemus versui 5 scribentes: *ἐψηφίσθαι δ[ὲ τῷ δήμῳ . . . . τὸν . . . . Ἀθηναῖο]ν ἐ͂ναι.* Ac fortasse ne de quarto quidem versu desperandum erit. Hoc enim proponam supplementum: *[τ]ὰ μὲν ἄλλα κ[αθάπερ ἡ βολὴ προθεῖσα εἰσήνεγκ]|[εν περὶ . . . .]ο ἐψηφίσθαι δὲ κτλ.* sive *κ[αθάπερ ἡ βολὴ ἐς τὸν δῆμον ἐσήνεγ]|[κε περὶ . . . .]ο ἐψηφίσθαι δὲ κτλ.*

Deest igitur hoc in decreto formula qua de prytanibus sermo est. Cum vero in tit. CIA II 51 qui anno 369/8 exstructus est iam prytanes commemorentur, ante hunc annum titulum de quo nunc agitur exaratum esse apparet. Nec cetera quae leguntur in titulo huic aetati obstant: *ἐ͂ναι* v. 6; *δήμο* v. 8; *βολή* v. 4, 6, 9; *βόληται* v. 7; *ἐστήλῃ* v. 9. Annum

1) Cf. tituli imaginem pagina insequenti propositam.

tamen 386 quominus superemus forma ἀκροπόλει v. 9 prohibemur.

4. Accedit titulus EA 1883 col. 38 qui eadem fere aetate in arce exstructus est. Nam quod Mylonas eum confectum esse dicit altera demum quarti saeculi parte id vel forma verborum βόλωνται et αὐτός pro αὐτούς redarguitur. Accedit prytanum neglectio, forma praepositionis ἐν in ἐστήλῃ, praepositionis εἰς in ἐς Ἀθηναίους quibus omnibus indiciis titulum altera parte quarti saeculi antiquiorem et eodem fere tempore exaratum esse evincitur atque tit. DA 1889 p. 25.

5. Ex his quattuor titulis concludendum est tit. quoque CIA II 10b prytanibus caruisse, cum primis anni IV. saeculi annis sit confectus.

Contra prytanes commemorantur in titulis his:

Ol. 102, 4 = 369/8: CIA II 51.

Ol. 104, 2 = 363/2: CIA II 54.

Ol. 107, 4 = 349/8: CIA II 108 [1]).

το . ες
[. καλέσαι δὲ καὶ ἐπὶ] ξένια Φιλ[— — — — ἐς τὸ πρυτανεῖον ἐ]
[ς αὔριον]
[ὁ δεῖνα — εἶπετ] ἀ μὲν ἄλλα κ[αθάπερ ἡ βολὴ ἐς τὸν δῆμον ἐσήνεγ]
[κε περὶ . . . .]ο ἐψηφίσθαι δ[ὲ τῶι δήμωι . . . . τὸν . . . .]
[. . . . . Ἀθηναῖο]ν εἶναι ἐπειδή ἐστ[ι ἀνὴρ ἀγαθὸς περὶ τὴν βολὴν]
[καὶ τὸν δῆμον τ]ὸν Ἀθηναίων γράψα[σθαι δ' αὐτὸν φυλῆς ἧς ἂν βόλητ]
[αι καὶ φρατρίας] καὶ δήμο ἂν ἀγράψα[ι δὲ τόδε τὸ ψήφισμα τὸν γραμ]
[ματέα τῆς βολῆς ἐστ]ήληι λι[θ]ίνηι κ[αὶ στῆσαι ἐν ἀκροπόλει καλέ]
[σαι δὲ . . . . καὶ] ἐπὶ δεῖπνον [ἐς τὸ πρυτανεῖον ἐς αὔριον .]

1) Accedit fortasse titulus CIA II 154 = Ol. 106/111. Nec tamen res est certa, cum etiam post a. 346 exstructum eum esse statui liceat.

Intra annos igitur Ol. 100 et 102 = 380—370 res ita mutata est ut prytanes antea nunquam commemorati adderentur. Fortasse autem haec rerum commutatio facta est, cum Athenienses alteram iniissent societatem maritimam novamque viam ingrederentur in rebus omnibus ordinandis quae intercederent eis cum exteris civitatibus. Ergo Ol. fere 101 duplex illa contio instituebatur, quarum altera ut peregrinus aliquis nominaretur civis rogabatur, altera prytanes, ne quis indignus in civium numerum reciperetur, populum in suffragia mittebant.

Iam postquam ascendimus ab anno Ol. 121, 1 = 296/5 lente et caute usque ad quintum saeculum, celeriter descendamus si placet ad annum illum brevi imagine commutationum adpicta, quas subiisse videntur civitatis decreta quarto maxime a. Chr. saeculo.

I. Usque ad Ol. 101 = 376 simplicissima invenitur decretorum forma haece:

A, Φ.

II. Illa fere aetate addita sunt prytanum suffragia; legitur ergo in titulis inter Ol. 101 et 108, 3 = 376—346 exaratis:

A, Φ, Π.

III. Anno fere Ol. 108, 3 = 346/5 leges promulgantur, quibus honoribus quibusdam privantur peregrini qui cives nominantur Athenienses. Nam inde ab hoc anno sic conformata sunt civitatis decreta:

A, Φ *πλήν κτλ.* sive *ὧν κτλ.*, Π.

IV. Deinde circa Ol. 114 = 324/20 denuo et res ipsa et decretorum forma mutatur. Leges illae enim abrogantur, nova lex promulgatur qua omnes tribus pagi phratriae novibus civibus conceduntur. Legimus enim in titulis:

A, Φ *κ. τ. ν.*, Π.

V. Demetrii Phalerei aetate libertatem coercitam esse ex tit. CIA II 229 cognovimus: thesmothetarum enim docimasia additur. Num etiam lex illa Ol. 114 constituta a Demetrio

abrogata sit dubium est, quanquam hoc factum esse admodum est verisimile[1]).

VI. Demetrio expulso Athenienses ad pristinam consuetudinem redierunt, cum thesmothetarum in titulis inter Ol. fere 118, 2 et 121, 2 = 306—295 exaratis nulla fiat mentio. Legimus enim denuo:

Α, Φ *κ. τ. ν.*, Γ.

VII. Anno denique Ol. 121, 1 = 296/5 thesmothetarum docimasia iterum additur, quod ex hac decretorum imagine discimus:

Α, Φ *κ. τ. ν.* aut Φ sine additamento, Γ, Θ.

Huic toti quam modo descripsimus decretorum historiae unus titulus obstare videtur in *Ἀθ.* VI p. 133 publici iuris factus. In eo enim cum perscriptorum aetate lapidi incisus sit aut verba *κατὰ τὸν νόμον* post *ἧς ἂν βούληται* exstare exspectandum est aut formulam *πλὴν ὧν οἱ νόμοι ἀπαγορεύουσιν*. Neutrum vero fit in titulo. Nec tamen de tota illa sententia actum esse censeo, cum facillime mendum illud possit explicari. Nam cum rectissime ab editore versui 16 inlata sint verba *κ. τ. ν.*[2]) lapicidae vel ipsius perscriptoris incuria factum esse mihi persuasum est, ut verba *κ. τ. ν.* non post *ἧς ἂν βούλωνται* ut debuerunt sed falso loco post *ἐν τῇ ἐκκλησίᾳ* interponerentur. Quod eo facilius statuitur, quia iisdem in versibus apertus error deprehenditur. Nunquam enim legitur in titulis: *δοῦναι περὶ αὐτοῦ τὴν ψῆφον ἐν τῇ ἐκκλησίᾳ*, sed semper haec contio accuratius definitur ita ut legamus aut *ἐν τῇ πρώτῃ ἐκκλησίᾳ* aut *εἰς τὴν πρώτην ἐκκλησίαν*. Itaque usque ad annum Ol. 121, 1 = 296/5 omnia optime inter se videntur cohaerere.

§ 15.

Difficilior autem est res in explicanda historia civitatis decretorum posteriorum. Ac quattuor potissimum difficultatibus res implicatur. Prima est quod tam pauci exstant civitatis tituli,

---

1) Propterea nimirum quod proxenorum quoque lex ab eo e medio sublata est.

2) Cf. infra p. 179.

quorum annum aut certa aut verisimili ratione constituere licet. Omnes enim carent certa anni definitione praeter hos:

Ol. 121, 2 = 295/4: CIA II 300.
ca. Ol. 122, 3 = ca. 290: CIA II 30[illegible].
Ol. 123, 2 = 287/6: CIA II 312.
Ol. 124, 4 = 281/0: CIA II 318.

Altera causa est quod etiam reliqui illius aetatis tituli praeter civitatis decreta rarissime certo cuidam anno possunt attribui. Accedit quod illa aetate satis neglegenter versatos esse eos qui civitatis decreta confecerunt inde evincitur, quod saepius omissae sunt formularum partes gravissimae quas addere scribae illi non necesse esse putaverunt.

Sic, ut exempla adferam, in tit. CB 1887 p. 1061 n. 3 = H XXIV p. 326 prytanes omittuntur: A, Φ κ. τ. ν., Θ. Idem peccatum est in tit. CIA II 530 quem tertio saeculo attribuendum esse ex thesmothetarum commemoratione certum fit: ..... Φ κ. τ. ν., Θ. In titulo deinde CB 1887 p. 1191 n. 17 inter annos Ol. 120, 3 et 121, 3 = 298/4 exarato, haud dubie aut thesmothetae omissi sunt aut verba κ. τ. ν. post ἧς ἂν βούληται aut utrumque: A, Φ, Π. Porro in tit. CB 1887 p. 1193 n. 25 = EA 1887 col. 30 aliquid peccatum esse luce clarius est cum formulae solae conspiciantur: A, Φ.

Quarta autem difficultas in ea re posita est quod ne in verbis quidem κ. τ. ν. adscribendis constantes sibi fuerunt illa aetate scribae publici. Quod luculenter demonstratur thesmothetarum formula, cui adduntur modo verba κ. τ. ν. modo demuntur. Leguntur enim in titulis his:

Ol. fere 121 = ca. 296/92: CIA II 223.
Ol. 121, 2 = 295/4: CIA II 300.
Ol. fere 122, 4 = ca. 289: CIA II 309.

Non leguntur in his decretis:

CB 1887 p. 1061 n. 3 = H XXIV p. 326.
CIA II 530.
Ol. 123, 2 = 287/6: CIA II 312.
CIA II 318.
CIA II 382.

Nec magis sibi constiterunt scribae publici in formula, quae est *καὶ εἶναι αὐτῷ γράψασθαι φυλῆς καὶ δήμου καὶ φρατρίας ἧς ἂν βούληται κατὰ τὸν νόμον.* Sic verba *κ. τ. ν.* inveniuntur in titulis: CIA II 318; 382; 530; CB 1887 p. 1061 n. 3, desiderantur in tit. CIA II 273[b]; 300; 309.

Vides igitur quam multis implicata sit difficultatibus quaestio de aetate titulorum a. 295/4 posteriorum recte constituenda. Nec tamen desperandum est. Nam cum et ante illum annum et in titulis inde ab Ol. fere 130 exaratis omnibus scribas certam rationem secutos esse iam demonstratum sit et infra expposituri simus, etiam in decretis inter Ol. 121 et 130 = a. 296/260 factis rationem aliquam investigari posse non solum sperandum sed necessario fere flagitandum est.

Ac primum in memoriam revocemus quo statu res fuerint anno Ol. 120, 4 = 297/6. Illa enim aetate et lex de coronis aureis concedendis et lex de tribubus pagis phratriis ex arbitrio eligendis valebat. Accessit autem anno fere 296/5 nova ac tertia lex de docimasia a thesmothetis instruenda. Iam Atheniensium scribae si accuratissime munere voluissent fungi, *ter* in civitatis decretis quibus aurea quoque corona conferebatur verba *κ. τ. ν.* ponere debuissent: Σ *κ. τ. ν.*, Φ *κ. τ. ν.*, ⊙ *κ. τ. ν.* Iam satis molestum visum est scribis ter eandem formulam eodem in decreto lapidi incidere. Itaque bis eam incidi satis esse rati aut in formula Φ aut in ⊙ eam omiserunt. In formula enim qua agitur de corona conferenda, utpote quae primum semper illo quidem tempore obtineret locum, verba *κ. τ. ν.* semper ut par erat addenda esse arbitrati sunt.

Paullo aliter res se habebat in iis titulis quibus aut coronae oleagineae aut coronae aureae certo pretio definitae conferebantur. Tum enim verba *κ. τ. ν.* primum ponenda erant in formula Φ, ergo vix licebat ea hoc insigni loco neglegere. Contra facile ea potuerunt omitti in formula ⊙ quippe quae formulam Φ statim subsequeretur.

Iam faciamus periculum num haec quae ex rerum natura conclusa sunt comprobentur ipsis titulis. Primum igitur collocandi sunt tituli quibus coronae aureae conferuntur secundum legem:

a) Σ κ. τ. ν., Α, Φ κ. τ. ν., Π, Θ κ. τ. ν.
b) Σ κ. τ. ν., Α, Φ κ. τ. ν., Π, Θ.
c) Σ κ. τ. ν., Α, Φ, Π, Θ κ. τ. ν.

Ac primo quidem generi (a) nullus lapis necessario est attribuendus — ter enim adscribere verba κ. τ. ν. scribae supervacaneum duxere. De titulo autem CIA II 223 [1]) certum iudicium ferri non potest; magna tamen cum verisimilitudine refertur ad genus quod est: [Σϑ], Α, Φ κ. τ. ν., Π, Θ κ. τ. ν.

Secundo generi (b) adscribatur necesse est tit. CB 1887 p. 1061 n. 3 = H XXIV p. 326: Σ κ. τ. ν., Α, Φ κ. τ. ν., ⟨Π⟩, Θ. Formulam Π socordia scribae neglectam esse supra vidimus [2]).

Fortasse huc pertinet tit. quoque CIA II 530: .... Φ κ. τ. ν., ⟨Π⟩, Θ.

Tertio generi adnumeretur decretum CIA II 309: Σ κ. τ. ν., Α, Φ, Π, Θ κ. τ. ν. Magis enim et cum aetate tituli et cum ratione nostra convenire videtur corona aurea secundum legem concessa quam certo pretio definita [3]).

Accedit tit. DA 1888 p. 112: [Σ κ. τ. ν., Α, Φ,] Π, Θ κ. τ. ν. Nam quominus suppleamus [Σϑ, Α, Φ κ. τ. ν.] eo impedimur quod statua aenea homini illi decernitur.

Tit. CB 1887 p. 1193 n. 25 = EA 1887 p. 30 cum propter *τοὺς ἐπὶ διοικήσει* anno 294/3 utique sit recentior sic corrigendus est: Σ κ. τ. ν., Α, Φ, ⟨Π, Θ κ. τ. ν.⟩ [4]).

Tit. CIA II 300: Σ κ. τ. ν., Α, Φ, Π, Θ κ. τ. ν.

Dubitanter huc referam tit. CB 1887 p. 1191 n. 17. Aut enim corrigendum est: [Σ κ. τ. ν.,] Α, Φ, Π, ⟨Θ κ. τ. ν.⟩ aut [Σ κ. τ. ν.,] Α, Φ ⟨κ. τ. ν.⟩, Π.

Illud denique semel factum est ut nullo loco scriberentur verba κ. τ. ν. In titulo enim CIA II 312 cum conspiciantur sola haec: Σ, Α, Φ, Π, Θ complura omisit lapicida. Ac collato titulo 311 eodem anno confecto cui magna cum probabilitate inferentur verba κ. τ. ν. post coronam auream, ea

1) Cf. infra p. 169 et 185 n. 1.
2) p. 166.
3) Cf. infra p. 186 n. 7.
4) Cf. infra p. 185 n. 6.

prona est coniectura ut titulo quoque 312 coronam auream secundum legem concessam esse censeam, quae verba tritissima (κ. τ. ν.) neglecta esse a lapicida verisimilius statuetur quam verba gravissima *ἀπὸ . . δραχμῶν*.

Sequitur ut titulos colligamus eos quibus corona aut oleaginea aut certo pretio definita cum civitate coniungitur. Genera autem erunt haec:

d) Σ {ϑ, δ}, A, Φ κ. τ. ν., Γ, ⊙ κ. τ. ν.

e) Σ {ϑ, δ}, A, Φ κ. τ. ν., Γ, ⊙.

Ac priori generi probabiliter attribuitur tit. CIA II 223: [Σϑ,] A, Φ κ. τ. ν., Γ, ⊙ κ. τ. ν. [1])

Posterioris autem generis sunt tituli:

CIA II 318: Σδ, A, Φ κ. τ. ν., Γ, ⊙.

CIA II 382: Σδ, A, Φ κ. τ. ν., Γ, ⊙ [2]).

CIA II 397: Σϑ, A, Φ ⟨κ. τ. ν.⟩, Γ, ⊙ [3]).

DA 1889 p. 52: Σδ, A, Φ [κ. τ. ν., Γ, ⊙] [4].

EA 1884 col. 131: Σδ, A, Φ ⟨κ. τ. ν.⟩, Γ, [⊙].

Fortasse huc pertinet tit. CIA II 273^{b}: Σδ, A, Φ ⟨κ. τ. ν.⟩, Γ, ⊙ quamquam nihil impedit quominus legamus v. ultimo: [*εἰς τὴν πρώτην ἐκκλησίαν κατὰ τὸν νό*]*μο*[*ν· τοὺς δὲ ϑεσμοϑέτας κτλ.*] statuamusque formulam κ. τ. ν. falso loco esse interpositam.

Ac titulos postremi generis (e) artius esse inter se coniungendos unique aetati adscribendos inde elucet quod certis pretiis definitae sunt coronae uno excepto titulo CIA II 397. Ergo cum legem de coronis conferendis abrogatam esse probabiliter statuatur a. Ol. 123, 3 = 286/5, titulos priores (a—d) inter annos fere 296 et 285 exaratos esse censuerim. Altera ex parte cum titulus CIA II 397 satis recentem sapiat aetatem, tempora bellum Chremonideum subsecuta, titulos posteriores (e) annis inter 285 et 260 intercedentibus adscripserim.

1) Cf. supra p. 168 adn. 1.
2) Cf. Buerm. l. l. X p. 350.
3) Cf. infra p. 188 n. 6.
4) Cf. infra p. 187 n. 1.

Per totum autem hoc temporis spatium (296—260) valuisse mihi persuasum est e t legem de docimasia a thesmothetis instruenda e t legem de tribubus pagis phratriis ex arbitrio eligendis. Ea sola re differebant tempora 296—285 et 285—260, quod illa quidem aetate valebat etiam lex de coronis aureis conferendis quae anno Ol. 123, 3 = 286/5 e medio sublata est.

Novam deinde et ultimam formam induerunt civitatis decreta medio fere saeculo tertio hunc in modum conceptam: 1. *δεδόσθαι δὲ αὐτῷ καὶ πολιτείαν δοκιμασθέντι ἐν τῷ δικαστηρίῳ κατὰ τὸν νόμον;* 2. *τοὺς δὲ θεσμοθέτας ὅταν πρῶτον πληρῶσιν δικαστήριον εἰς ἕνα καὶ πεντακοσίους δικαστάς, εἰσαγαγεῖν αὐτῷ τὴν δοκιμασίαν;* 3. *καὶ εἶναι αὐτῷ δοκιμασθέντι γράψασθαι φυλῆς καὶ δήμου καὶ φρατρίας ἧς ἂν βούληται.*

Ac primum quaeritur quo referenda sint verba *κατὰ τὸν νόμον.* Atque respicere ea ad participium *δοκιμασθέντι ἐν τῷ δικαστηρίῳ* ut intellegenda sint: *δεδόσθαι δὲ αὐτῷ καὶ πολιτείαν ἐὰν — οὕτω γὰρ ὁ νόμος κελεύει — δοκιμασθῇ,* necessario negandum est. Saepius enim in huius classis decretis verba *δοκιμασθέντι ἐν τῷ δικαστηρίῳ* omittuntur ut sola legantur verba: *δεδόσθαι δὲ αὐτῷ καὶ πολιτείαν κατὰ τὸν νόμον*: CIA II 427; 429; 455. Qua cum re optime consentit quod nunquam in formula quae est *τοὺς δὲ θεσμοθέτας ὅταν πληρῶσιν δικαστήρια εἰς ἕνα καὶ πεντακοσίους δικαστὰς εἰσαγαγεῖν αὐτῷ τὴν δοκιμασίαν* verba inveniuntur *κ. τ. ν.*, nec unquam in ultima horum decretorum parte sic conformata: *καὶ εἶναι αὐτῷ δοκιμασθέντι γράψασθαι φυλῆς καὶ δήμου καὶ φρατρίας ἧς ἂν βούληται.*

At dices nonne in titulo CIA II 395 legimus: *τοὺς δὲ θεσμοθέτας κτλ. εἰσαγαγεῖν αὐτῷ τὴν δοκιμασίαν κα[τὰ τὸν νόμον]*? Concedo, sed perverse legimus. Nam propter id ipsum quod in nullo alio huius generis titulo coniunguntur verba *κατὰ τὸν νόμον* cum formula quam modo adscripsimus, necessario scribendum est: *κα[ὶ μὴ παρόντι].*

Quae cum ita sint referenda sunt verba *κ. τ. ν.* in formula *δεδόσθαι δὲ αὐτῷ καὶ τὴν πολιτείαν κτλ.* ad ipsum nomen *πολιτείαν.*

Ergo lege quadam medio fere saec. III promulgata accurate circumscriptum ac definitum est, quinam peregrini in civium numerum reciperentur. Quam legem simili fuisse specie sumendum est atque legem illam antiquissimam de cotidiano victu in prytaneo constitutam. Rogavisse igitur Atheniensem quendam in contione mihi persuasum est: *δεδόσθαι τὴν πολιτείαν πρῶτον μὲν τῷ τὰ καὶ τὰ ποιήσαντι, δεύτερον δὲ τῷ τὰ καὶ τὰ ποιήσαντι κτλ.*

Praeter hanc angustam notionem latiore quodam sensu ita adhibita esse videtur formula *κ. τ. ν.* a scribis[1]), ut etiam ad alteram et tertiam decretorum partem mente supplerentur.

§ 16.

Sequitur ut accuratius quam proximis paragraphis factum est exponamus, quem morem secuti sint Athenienses in novis civibus coronandis. Qua in re usui nobis fore spero eandem sequi disponendi rationem quam supra descripsimus.

Primum igitur veniunt in censum ii tituli qui ante Ol. 101 in arce exstructi sunt. Illa autem aetate raro novos cives exornatos esse coronis ex titulis discitur eis qui carent tali ornamento:

1. Ol. 93, 4 = 405/4: DA 1889 p. 25 + CIA II 1 b.
2. ante Ol. 101 = ante a. 376: DA 1889 p. 89.
3. eodem fere tempore: EA 1883 col. 38.
4. Quibus decretis adnumerandus est tit. CIA II 25 quem tractavit Foucartus in *Mél. epigr.* p. 49 seqq. Nam si Sthorynes ille corona esset ornatus, procul dubio de hac re certiores fieremus v. 5 seqq. ubi nunc legitur: *ἐπειδὴ αὐτοῦ ἦσαν οἱ πρόγο[νοι πρόξενοί τε καὶ εὐ]||εργέται τῆς πόλεως τῆς Ἀθη[ναίων, αὐτὸν δὲ καὶ πο]||λίτην ἐποήσαντο Ἀθηναῖοι κτλ.*[2])

In duobus tantum civitatis decretis coronae aureae commemorantur:

---

1) In titulis civitatis extremae aetatis.

2) Cf. *Ἀθ.* V p. 522: *[καὶ] | διὰ ταῦτα ἐν τῇ δημοκρατίᾳ στεφανωθεὶς ὁ δεῖνα | ὑπὸ τοῦ δήμου χρυσῷ στεφάνῳ καὶ πολιτείᾳ [κατὰ τὸ] ψήφισμα κτλ.*

1. Ol. 92, 3 = 410 9: CIA I 59 [ἀπὸ χιλίων δρ]αχμῶν
2. Ol. 96, 4 = 393 2: CIA II 10ᵇ [χρυσῷ στεφ]άνῳ.

Quorum ille eo est insignis quod Thrasybulus in ipsa Erasinidis rogatione corona tantum ornatur et Dioclis demum additamento accedit civitas. Quod additamentum alia quoque de causa memorabile est. Suppleti autem sunt primi versus sic a Velseno: Διοκλῆς εἶπε|[τὰ μὲν ἄλλα καθάπερ τῇ βουλῇ] εἶναι δὲ Θρασυ[βούλῳ φυλῆς τε εἶναι καὶ δήμου κ]αὶ φρατρίας ὧ|[ν ἂν βούληται]. Kirchhoffius autem cum desideraret verba sollemnia Ἀθηναῖον εἶναι Θρασύβουλον antiquiore populiscito, quod legis violatae actione (γραφῇ παρανόμων) diu delatum brevi ante huius decreti tempus demum ratum factum esset, Thrasybulum civitate donatum esse sibi persuasit. At rectissime ut mihi quidem videtur obiecit Dittenbergerus [1]), sic etiam illud quod esset de tribu curia gente eligenda iam in antiquiore illo decreto scriptum fuisse necesse esse, neque intellegi cur hac Dioclis rogatione opus fuisset. Coniecit ergo Dittenbergerus paullo graviorem a lapicida errorem esse commissum, qui cum incidendum esset εἶναι Θρασύβουλον Ἀθηναῖον καὶ ἐξεῖναι αὐτῷ γράψασθαι φυλῆς καὶ δήμου καὶ φρατρίας complura verba neglegeret. Praeclara profecto emendatio cui quid opponatur nescio [2]).

Confirmatur autem coniectura primum omnibus aliis primae huius classis decretis, quibus antiquiore aetate prytanum suffragia omissa esse discimus.

Confirmatur deinde ita ut fere omnis dubitatio evanescat Lysiae loco [3]), quo de eodem Thrasybulo eodemque Apollodoro verba facit orator. Lysias enim, ut Agoratum civem Atheniensem **non** factum esse comprobet, ad ipsum illud decretum quod tractamus provocat, quo Thrasybulo civitas conlata sit his quidem verbis: ὅτι μὲν οὐκ ἀπέκτεινεν Ἀγόρατος Φρύνιχον ἐξ αὐτοῦ τοῦ ψηφίσματος δῆλον· οὐδαμοῦ γάρ ἐστιν Ἀγόρατον Ἀθηναῖον εἶναι, ὥσπερ Θρασύβουλον [καὶ Ἀπολλόδωρον]. Ex

1) SIG 43⁸.
2) Verba autem κ. τ. ν. falso addita esse non est quod explicem.
3) XIII 72.

ipsis autem verbis *οὐδαμοῦ* — — *εἶναι* (nam verba sequentia *ὥσπερ* — *Ἀπολλόδωρον* in dubium vocata sunt a nonnullis viris doctis) colligitur, certe aliis quibusdam sive alii cuidam per ipsam illam formulam civitatem conlatam esse. Cui sententiae argumentum accedit aliud ex verbis sequentibus repetitum: *καίτοι εἴπερ ἀπέκτεινε Φρύνιχον, ἔδει αὐτὸν ἐν τῇ αὐτῇ στήλῃ, ἵναπερ* — — — *Ἀθηναῖον πεποιημένον ⟨γεγράφθαι⟩*. 'Alium' enim illum virum Thrasybulum fuisse ex toto sententiarum conexu adparet. De Apollodoro certe cogitari non posse ex antecedentis paragraphi verbis colligitur: *ὁ μὲν Θρασύβουλος τύπτει τὸν Φρύνιχον καὶ καταβάλλει πατάξας, ὁ δ' Ἀπολλόδωρος οὐχ ἥψατο ἀλλ' ἐν τούτῳ κραυγὴ γίγνεται καὶ ᾤχοντο φεύγοντες* (§ 70.) Haec enim verba tum demum ab oratore dici potuerunt, si in decreto non iisdem honoribus ornatus erat Apollodorus quibus Thrasybulus. Nam si Apollodorus quoque in civium numerum receptus esset aut enuntiatum totum plane aliter conformare aut id certe debuit explicare orator, quomodo fieri potuerit ut iisdem honoribus ornaretur Apollodorus quamvis nullae fere partes eius essent in interficiendo Phrynicho. Statuendum igitur est Apollodori nomen bis a librariis falso textui Lysiae esse inlatum.

§ 17.

Tituli deinde inter Ol. 100 et 108 exarati exhibent coronam fere omnes. Solus enim tit. CIA II 54 ornamento hoc privatus est (Ol. 104, 2 = 363/2).

1. Contra ex tit. CIA II 51 comperimus Dionysium Siciliae regem a. Ol. 102, 4 = 369/8 filiosque eius et coronis aureis et civitate Attica esse donatos.

2. Idem factum est in titulo CIA II 108 ad Orontem Mysiae satrapam pertinenti. Memorabile autem est decretum compluribus de causis. Deest enim formula de phylis etqs. eligendis, id quod non tam Pittakis socordiae dandum esse [1]) quam scribae publico veteri aut lapicidae censuerim. Illud deinde adnotandum videtur esse, quod verba quibus corona

1) id quod voluit Buermannus l. l. X p. 253.

confertur post civitatem demum collatam scripta sunt. Ac ne id quidem Pittakis tribuerim incuriae[1]). Demonstrari potius hac formularum collocatione mihi persuasum est, illa quidem aetate non tam arte coaluisse coronam cum civitate ut postea factum est.

Denique saepius graves errores commissos esse monuerim, veluti v. 9: *βούλεσθαιγνα;* v. 11: *Καμμάχου ἄρχοντος.* Qua tituli condicione usus pauca eorum quae Koehlerus supplevit corrigenda censeo. Is enim verba v. 5: *ἀνὴρ ἀγαθὸς — χρόνῳ* ad sequentia pertinere ratus pro *χρόνῳ* falso scriptum esse statuit *χρονωνωι.* Talem autem sententiarum nexum statuere non licet, cum nunquam enuntiatum quale est *ἐπειδὴ* sive *ὅτι ἀνὴρ ἀγαθός ἐστι περὶ τὸν δῆμον* cum ipsa civitatis formula coniungatur[2]). Verisimile ergo est illo quoque in titulo antecessisse laudem publicam. Quae sententia commendari videtur litteris illis post *χρόνωι* in lapide conspicuis quae Koehlero sane erant neglegenda. Ego litteras *χρόνωνωι* male scriptas esse sumens pro *χρόνωι καὶ* hunc in modum versus restituere conatus sum: *[ἐπαινέσαι αὐτὸν ὅτι ἐστὶν] ἀνὴρ ἀγαθὸς περὶ τὸν δῆμον [τὸν Ἀθηναίων καὶ πρόθυμος ποιεῖν ἀγαθὸν ὅτι ἂν δύνηται καὶ νῦ]ν καὶ ἐν τῷ ἔμπροσθεν χρόνῳ· καὶ εἶναι Ὀρό[ντην Ἀθηναῖον καὶ ἐκγόνους αὐτοῦ, δοῦναι δὲ τὴν] ψῆφον περὶ αὐτοῦ τοὺς πρυτάνεις ἐν τῇ [πρώτῃ ἐκκλησίᾳ τῷ δήμῳ· καὶ στεφανῶσαι αὐ]τὸν χρυσῷ στεφάνῳ ἀπὸ χιλίων δραχμῶν.* Quae omnia eo adiuvantur quod litterarum numeri satis sibi constant: 73; 74; 73.

3. Nonnulla autem addenda sunt de notissimo illo titulo quo Spartoco et Paerisadi Leuconis filiis honores ac privilegia iam patri concessa denuo confirmantur[3]). Inter quae fuerunt et civitas et coronae aureae. Id autem prae ceteris dignum est memoratu quod non duae tantum coronae conceduntur sed quinto quoque anno Panathenaeorum festis diebus viros illos coronis ornandos esse decernitur. Hoc enim elucet primum ex infinitivis praesentis v. 25: *στεφ[ανοῦν];* v. 26: *[ποιε]ῖσθαι δὲ τοὺς στεφάνους;* v. 30: *καὶ ἀναγορεύειν;* v. 36: *ἀνατιθέναι*

1) Buerm. l. l. 2) Szánto. l. l. p. 29. 3) SIG n. 101.

τοὺς στεφάνους; v. 40: *τὸ δὲ ἀργύριον διδόναι.* Nam accuratissime secernendam esse praesentis et aoristi notionem inter omnes constat.

Accedit quod tum demum si nostram sequeris interpretandi rationem, facilem habebunt sensum verba v. 27 seqq.: *[ποιε]ῖσθαι δὲ τοὺς στεφάνους το|ὺς ἀθλοθέ[τας] τῷ προτέρῳ ἔτει Παναθηνα|ίων τῶν μεγ[άλ]ων κατὰ τὸ ψήφισμα τοῦ δήμου | τὸ πρότερον ἐψηφισμένον Λεύκωνι.* Nam cum ipse Themistoclis annus (Ol. 108, 2 = 347/6) Panathenaeorum anno antecesserit supervacanea plane et molestissima essent verba *τῷ προτέρῳ — μεγάλων* si de Panathenaeis ageretur unius anni Ol. 108, 3.

Certissimum autem argumentum ex verbis repetitur: *τὸ δὲ νῦ[ν] εἶναι παρα|δοῦναι τοὺς ἀποδέκτας τὸ εἰς [τ]οὺς στεφ[ά]|νους ἐκ τῶν στ[ρα]τιωτικῶν χρ[η]μάτων.* His enim verbis procul dubio a. Ol. 108, 2 omnibus futuris annis opponitur qui Panathenaeis essent antecessuri, id quod necessario colligendum est ex infinitivo aoristi *παραδοῦναι* collato cum infinitivo praesentis *τὸ δὲ ἀργύριον διδόναι*[1]).

§ 18.

Proximum est ut de tertia titulorum classe disseramus, qua ii comprehenduntur tituli qui inter annos Ol. 108, 3 et Ol. 114 = 346—324 in arce exstructi sunt.

Coronae autem inveniuntur in titulis hisce: 1. CIA II 115[b] = Ol. fere 109. Decretum pertinet ad Pisithidem Pisithidis filium Delium. Nam etsi in ipsis tituli reliquiis nihil dicitur de corona, tamen ex coronarum imaginibus titulo ipsi subscriptis eam tituli partem interiisse concludendum est qua ornamentum illud conferebatur[2]).

---

1) Similiter tractavit titulum Paulus Panske in diss. *De magistratibus Atticis qui saeculo a. Chr. n. quarto pecunias publicas curabant.* Stud. Lips. XIII p. 58[1] et 59[1].

2) Ceterum ut hoc obiter moneam hic titulus quam accurate distinxerint Athenienses infinitivos praesentis ab aoristo luculenter demonstrat v. 37: *τὸν ταμίαν τοῦ δήμου [τ]|[ὸν ἀεὶ τ]αμ[ι]εύοντα διδόναι;* contra v. 42: *προσνομοθετῆ[σαι];* v. 43: *μερίζειν — [κατὰ τὸ]ν ἐνιαυτὸν*

2. Corona aurea mille drachmis constans data est Aristonico cuidam Aristomedis filio in tit. CIA II 148 a Buermanno sagaciter restituto [1]). Exaratum est decretum inter Ol. 108, 3 et Ol. 112 = 346—332.

3. Idem factum est in titulo CIA II 230ᵃ quem attribui Reuschius [2]) anno Ol. 114, 4 ea maxime re commotus, quod demotica abbreviata ante illum annum non inveniantur in praescriptis. Sed alia sunt in titulo quae aetatem sapere videantur paullo antiquiorem. Quorum gravissimum est quod rationes non a particula *ἐπειδὴ* sed a verbis incipiunt *ἐπαινέσαι μέν*; formula *ὅτι ἀνὴρ ἀγαθός ἐστιν* Ol. 114 omnino non iam in usu fuit. Nec minus ab illorum annorum consuetudine verba *περὶ τὴν πόλιν τὴν Ἀθηναίων* abhorrent. Similiter aetatis sunt paullo antiquioris verba *φιλοτιμίας ἕνεκεν τῆς εἰς Ἀθηναίους*. Solebant enim tum duplicem semper adhibere vocem scribae publici et pro brevi formula *εἰς Ἀθηναίους* pleniore uti: *εἰς τὸν δῆμον τὸν Ἀθηναίων*. Quae omnia eo videntur valere, ut decretum certe non post a. 330 ratum factum esse censeamus.

Iam quaeritur quomodo supplenda sint atque explicanda verba illa, quae prius decretum subsequuntur: ...*ν φρατρίας γενέσθαι πλ.ν*... Ac mea quidem sententia legendum est: [*Ἄρχιππο*]*ν φρατρίας γενέσθαι πλ*[*ή*]*ν* [*ὧν οἱ νόμοι ἀπαγορεύουσιν*]. Censeo autem scribam cum haec verba: *πλὴν ὧν οἱ νόμοι λέγουσιν* in decreto ipso post *ἧς ἂν βούληται* adponere esset oblitus, errori voluisse mederi. Addidit igitur, ut quo loco verba essent interponenda cognosceretur, verba *Ἄρχιππον φρατρίας γενέσθαι*. Totam autem formulam *φυλῆς καὶ δήμου καὶ φρατρίας* repetere nec debuit nec potuit — per spatii nimirum angustias. Nec igitur ea concludere licebit ex his verbis quae conclusit Buermannus [3]).

ἕκαστον; v. 49: *ὀφειλ*[*έ*]|*τω*. v. 46 erravit lapicida, scribendum enim *ἀποδιδότω*.

1) l. l. X p. 356.

2) l. l. p. 13.

3) l. l. IX p. 644. Censeo igitur post *εἰς αὔριον* spatium vacuum fuisse in lapide. Verbum enim *ἀπογράψασθαι* cum semel tantum inveniatur in titulis (CIA II 54 v. 12) lapidi inferre vix licebit.

4. Eidem aetati adscripserim tit. CB 1887 p. 1068 n. 7 = H XXIV p. 144. Primum enim propter nomen ἐκκλησία non ante Ol. 111 exaratus videtur esse. Deinde propter sermonem et cum careat titulus corona, ne recentiorem quidem eum esse ipsa illa Olympiade censuerim.

5. Commemoretur denique necesse est tit. CIA II 121, quo Phormioni et Carphinae coronae aureae et civitas conlatae sunt anno Ol. 110, 3 = 338/7.

§ 19.

Sequuntur tituli inter Ol. 114 et 115, 2 exarati. 1. Quorum antiquissimus videtur esse tit. CIA II 187, quo Euenori Euepii filio corona oleaginea et civitas donatae sunt. Ac primum quidem exstructus videtur esse paullo post tit. CIA II 186, ergo post Ol. 114, 3 = 322/1. Deinde Ol. 115 = 320/16 non in censum venit cum lapidem incidere iubeatur ὁ γραμματεὺς ὁ κατὰ πρυτανείαν. Iam cum Demetrii aetate thesmothetarum docimasiam institutam esse supra (p. 159) demonstratum sit, unus annus relinquitur Ol. 114, 4 = 321/0 [1]).

Ceteri tituli huius classis perscriptorum aetate confecti sunt:

2. Ἀθ. VI p. 133. Coronantur complures homines coronis quingenarum drachmarum. In hoc titulo complura corrigenda esse mihi quidem persuasum est. Versus enim 10—14 sic restituere conatus est editor: καὶ στεφανῶσαι ἕκ[αστον αὐτῶν χρυσῷ στεφά]||νῳ ἀπὸ 𐅅 δραχμῶν φι[λοτιμίας ἕνεκα καὶ εὐνοία]||ς τῆς εἰς τὸν δῆμον τ[ὸν Ἀθηναίων· εἶναι δὲ αὐτοὺ]||ς καὶ Ἀθηναίους καὶ [ἐξεῖναι ἑκατέρῳ αὐτῶν γρ]||άψασθαι φυλῆς καὶ κτλ. In his id maxime offendit quod priore loco propositum est ἕκαστον αὐτῶν, posteriore ἑκατέρῳ αὐτῶν. Talis enim pronominum variatio nusquam invenietur alias. Accedit quod ex v. 8 et 9 non de duobus sed de compluribus hominibus sermonem esse necessario concluditur. Nam cum v. 8 litterae ἐπ ita haud dubie supplendae sint ut efficiatur verbum ἐπ[αινέσαι] ante Timomachum tertium nomen scriptum

1) Nisi quis titulum paullo post a. 307/6 exstructum esse censebit.

fuisse statuatur necesse est: ὅτι δοκεῖ τεῖ βουλῆι ἐπ[αινέσαι .... καὶ Τ]ιμ[ό]μαχον καὶ Ἡρακλε[ίδην].

Illud denique ferri nequit quod repetitur pronomen ἕκαστον sive ἑκάτερον in formula quae est καὶ ἐξεῖναι αὐτοῖς γράψασθαι κτλ. Ergo aliud supplementum inveniamus oportet. Ac profecto quin posterorum mentio facta sit illis versibus mihi quidem dubium non est. Poterit ergo aliquis proponere: [εἶναι δὲ αὐτοὺ]ς καὶ Ἀθηναίους καὶ [ἐκγόνους· εἶναι δ' αὐτοῖς γρ]άψασθαι φυλῆς κτλ. Sed sermone impedimur quominus haec accipiamus. Aut enim dicebatur in decretis publicis: Ἀθηναίους αὐτοὺς καὶ τοὺς ἐκγόνους αὐτῶν: CIA II 115[b]; 223; 273; 273[b]; 288; 397; aut Ἀθηναίους αὐτοὺς καὶ ἐκγόνους: CIA II 51; 148; 243; 361; 382; aut Ἀθηναίους καὶ ἐκγόνους αὐτῶν: CIA II 54; 187; 228; 263; 272; 300; 312; 318; 512.

Tres tantum tituli paullo aliter conformati sunt:

CIA II 230[a] ubi exstant haec: [εἶναι αὐτ]ὸν Ἄ[ρχ]ι[ππον καὶ τοὺς ἐκγόνους Ἀθηναίους]. Haec autem verba sic corrigenda esse: Ἄ[ρχ]ι[ππον Ἀθηναῖον καὶ ἐκγόνους αὐτοῦ] unusquisque concedet.

CIA II 328 in quo legitur: εἶναι δὲ κ[αὶ αὐτὸν Ἀθην][αῖ]ον καὶ τοὺς ἐκγόνους, καὶ γράψ[ασθαι]. Hunc vero titulum hoc novo argumento evincitur male fictum esse a Lenormantio.

Tertius titulus qui recedere videtur a communi usu est CIA II 309 ubi nunc quidem leguntur verba: [εἶναι] δ' αὐτὸν καὶ Ἀθηναῖ[ον καὶ ἐκγόνους καὶ γράψ]ασθαι. Sed ne de hoc quidem decreto censeo desperandum esse. Nam cum hic unus versus (24) exhibeat litteras triginta sex [1]) a priori ut dicunt suspicio oritur non omnia recte esse suppleta. Age igitur scribamus: [εἶναι] δ' αὐτὸν καὶ Ἀθηναῖ[ον καὶ ἐκγόνους αὐτοῦ καὶ γράψ]ασθαι. Nam litterarum numerum 41 satis defendi censeo v. 27 = 40 lit.; v. 25 = 40 lit. (pro ἧς βούλεται enim necessario scribendum est: ἧς ἂν βούληται); v. 30 = 40 lit.; v. 33 = 42 lit. (verba enim ἀναγράψαι τὸ ψήφισμα quae rarissime inveniuntur in titulis corrigenda sunt in ἀναγράψαι τόδε τὸ ψήφισμα).

1) Ceteri enim versus sunt paullo longiores.

Quae cum ità sint titulo Ἀϑ. VI p. 133 verba inferre vetamur quae sunt: Ἀϑηναίους καὶ [ἐκγόνους· εἶναι δ' αὐτοῖς γρ]ιάψασϑαι. Scribendum igitur est: [εἶναι δὲ αὐτοὺ]|ς καὶ Ἀϑηναίους καὶ [τοὺς ἐκγόνους αὐτῶν καὶ γρ]¦άψασϑαι φυλῆς καὶ [δήμου καὶ φρατρίας ἧς (sic!) ἂν βού]|[λ]ωνται. Iam omnia optime procedunt. Nancti enim sumus legitimum litterarum (38) numerum restituimusque formulae Φ eam speciem quam novimus ex titulis CIA II 228; 263; 320; H XXIV p. 326.

Formula autem κ. τ. ν. rectissime inlata est ab editore versui 16. Nullum enim aliud poterit inveniri supplementum quo apte expleatur lacuna. Falso tamen loco eam esse lapidi incisam supra (p. 165) demonstratum est.

Restant tituli tres quibus etsi nunc quidem nihil legitur de coronis in lapidum reliquiis, hoc quoque ornamentum conlatum esse mihi quidem persuasum est. Ultimum enim decretum civitatis quo desideratur corona fuit tit. CB 1887 p. 1068 n. 7 = H XXIV p. 144, quem Ol. fere 111 in arce exstructum esse aliis quibusdam argumentis supra (p. 177 n. 4) comprobavimus. Itaque cum ne proxeniae quidem titulum post Ol. 111 supra (p. 80) invenerimus qui careat corona, omnibus quoque civitatis decretis anno 332 recentioribus nostro iure ornamentum illud inferemus.

3. Quam legem laedi aliquis putaverit titulo CIA II 227 quo Alcimacho cuidam Macedoni ut videtur[1]) civitas redintegratur a. Ol. 111, 4 = 333/2 ei concessa Sed cum praeter coronam etiam laus publica desideretur quae in omnibus illius quidem aetatis decretis conspicua est itemque formula δεδόχϑαι sive ἐψηφίσϑαι τῷ δήμῳ ante verba εἶναι Ἀλκιμάχῳ lapidi incidenda, ad eam inclino sententiam ut eundem fere in modum conceptum fuisse putem illum de quo loquimur titulum atque titulos CIA II 121 et 230ª. In priore igitur decreti parte quae temporis iniquitate amissa est antecedebat laus publica et corona. Tum vero denuo quasi initium faciens ac novis gravioribusque argumentis adlatis eam decreti partem

1) Buermann. l. l. X p. 351.

composuit rogator qua honorem priore quodam tempore concessum redintegrandum esse censuit.

Iam quaeritur quae fuerit causa cur civitas Alcimacho redintegraretur. Atque quae Buermannus dixit[1]) vix poterunt probari. Nam si nihil aliud factum esset nisi ut pila belli Lamii tempore quia a Macedonum partibus Alcimachus staret a populo deiecta postea fractis popularium viribus renovaretur, satis mirum id videretur esse cur nova contentione novis laboribus novis sumptibus opus fuisset Alcimacho ut civitatem contra ius fasque sibi ereptam recuperaret[2]). Quae offensio e medio tolletur si statuerimus Alcimachum cum aliquod scelus commisisset paullo post Ol. 111 civitate privatum esse, Ol. vero 115 cum novis sumptibus factis quantopere studeret Atheniensibus demonstrasset iterum in civium numerum esse receptum.

4. Corona igitur conlata est in titulo quoque CB 1888 p. 248 n. 29 = BdCH XII p. 147. Ac mirum in modum suppleti sunt primi versus tituli a Mylona. Quid enim sibi velit hoc loco invitatio illa in prytaneum vix ipse dicere poterit. Hoc adeo ab omni usu atque consuetudine recedit ut titulum non recte esse delineatum ab editore hac una de causa mihi quidem persuasum sit. Sed accedit aliud. Etenim ne conveniunt quidem Mylonae supplementa cum ipsis tituli spatiis, quod ex hac imagine facile perspicies:

[κ α λ έ σ α ι δ ὲ ε ἰ ς]
[τ ὸ π ρ υ τ α] ν ε ῖ ο ν [ε ἰ ς α ὔ ρ ι ο ν ε ἶ ν α ι δ] = 27 lit.
[ὲ α ὐ τ ῶ ι] γ ρ ά ψ α σ θ α ι [φ υ λ ῆ ς . . . . . = 20 „
[κ α ὶ δ] ή μ ο υ κ[α] ὶ φ ρ α τ ρ ί α [ς ἧ ς ἂ ν β ο] = 25 „
[ύ λ η] τ α ι κ α τ ὰ τ ὸ ν ν ό μ ο ν τ ο ὺ [ς δ ὲ π] = 25 „

Sed quid plura? Corrigenda est altera primi versus littera E in A legendumque:

---

1) l. l. Quae vero exposuit Szánto l. l. p. 25 vix necesse est ut refutentur.

2) Cf. tituli vv. 1—6.

[ε ἶ ν α ι δ]
[ὲ κ α ὶ Ἀ ϑ η]ν α ῖ ο ν[α ὐ τ ὸ ν κ α ὶ ἐ κ γ ό ν]
[ο υ ς κ α ὶ]γ ϱ ά ψ α σ ϑ α ι[α ὐ τ ὸ ν φ υ λ ῆ ς]
[κ α ὶ δ] ή μ ο υ κ[α]ὶ φ ϱ α τ ϱ ί α[ς ἧ ς ἂ ν β ο]
[ύ λ η]τ α ι κ α τ ὰ τ ὸ ν ν ό μ ο ν τ ο ὺ[ς δ ε π]

5. In tit. CIA II 228 coronam esse donatam vel ex ea forma colligitur quam restituit Koehlerus. Namque si v. 4 recte inlata est particula *δέ*, neque quidquam obstat huic sententiae, verba antecedentia ad formulam qua corona conlata erat referenda sunt.

§ 20.

Quintae classi solus attribuendus est tit. CIA II 229 de quo conferas quaeso quae supra p. 157 seq. exposita sunt. Coronam non deesse ex imagine eius pilae incisa facile cognoveris [1]).

§ 21.

Multo plures tituli exarati sunt inter annos Ol. 118, 2 = 307/6 et Ol. 121, 2 = 295/4.

1. Tit. paullo post Ol. 118, 2 = 307/6 exaratus: CIA II 243. Oxythemis Hippostrati filius Poliorcetae familiaris corona aurea l e g i t i m a et civitate donatur: Σ *κ. τ. ν.*, A, Φ *κ. τ. ν.*, Γ.

2. Tit. Ol. 119, 2 = 303/2 confectus: CIA II 263. Honoratur Alcaeus Heraei filius Aenius: Σ *κ. τ. ν.*, A, Φ [*κ. τ. ν.*, Γ].

3. Hic inseratur tit. Ἀϑ. V p. 522 altero demum saeculo exaratus. V. 11 enim dictum est maiores eius ad quem totum decretum pertinet corona aurea et civitate esse donatos ab Atheniensibus, rogante Stratocle Euthydemi filio Diomeensi.

4. Tit. fine saeculi IV exaratus: CIA II 272. Quis fuerit honoribus ornatus non notum est: Σ *ϑ*, A, Φ *κ. τ. ν.*, Γ.

---

1) Ceterum ea ipsa re quod formula ⊙ a sermone posteriorum titulorum tantopere distat, etiam alio quodam tempore decretum ratum factum esse evincitur.

5. Obscurum quoque eius est nomen qui honoratur tit. CIA II 280. Ceterum ex solis litteris Πολιτε[ίας] ipsi decreto praemissis de civitate sermonem fuisse elucet.

6. Plura comperimus nec tamen ipsum viri nomen ex tit. CIA II 273: Σ κ. τ. ν. (sic!), Α, Φ κ. τ. ν., Γ. Titulus et ipse confectus est fine IV. saeculi.

7. Dubium autem est cui aetati adscribendus sit tit. CIA II 273ᵇ. Namque si statuerimus versu ultimo eiectis thesmothetis scriptum fuisse: εἰ[ς τὴν πρώτην ἐκκλησίαν κατὰ τὸν νό]μο[ν· ἀναγράψαι δὲ κτλ.], statim post Demetrium expulsum sed ante legem de coronis aureis conferendis promulgatam (Ol. 118, 1. 2 = 308—6) decretum illud ratum factum esse suspicari licet: Σϑ, Α, Φ, Γ κ. τ. ν. Nam quod formula κ. τ. ν. falso loco posita esset facile dari posset lapicidae incuriae. Contra si ea tenebimus quae proposuit Koehlerus, tit. non ante a. 285 exaratus est: Σϑ, Α, Φ, Γ, Θ.

8. Tit. CIA II 288 fine IV. saeculi confectus. Ornantur complures homines quorum nomina perierunt. Coronarum autem genus utrum fuerint oleagineae an aureae dubium non est. Nam cum illa aetate coronae aureae semper accuratius definitae sint additamento κατὰ τὸν νόμον, illo in titulo de quo sermo est verba ϑαλλοῦ στεφάνῳ restituenda esse patet: Σϑ, Α, Φ κ. τ. ν., Γ.

9. Tit. Ol. 120, 1. 2 = 300/298 exaratus: CIA II 298. Aetas inde definitur quod a. Ol. 120, 3 = 298/7 quaestor institutus esse videtur cui nomen est ὁ ἐπὶ τῇ διοικήσει [1]). Quaeritur autem quomodo v. 1 et 2 supplendos esse censeamus. Ac de v. 2 vix poterit oriri dubitatio. Legendum enim est [περὶ τῆς π]|ολιτείας αὐ[τῶν· sive αὐτοῦ τὴν ψῆφον τῷ δήμῳ], εἰς τ[ὴν] ἐπιοῦσαν ἐκ[κλησίαν]. Itaque v. 1 suppleatur necesse est sic: [δοῦναι δὲ τοὺς]|[πρυτά]νει[ς] τ[ῆς .... περὶ τῆς π]|ολιτείας αὐτ[ῶν κτλ.

10. Tit. CIA II 361. Koehleri supplementa ad finem perducenda sunt:

---

1) Cf. quae infra de hoc magistratu dicemus.

ΝΤ εὐ·εργ
ε[Τ]ΕΙΝΤΟνδῆμονεἰδότεςὅτι.............ὁ
δΗΜΟΣΑΙιαςτῶνεὐεργετημάτωνεἶναιδὲαὐτὸ
νΑΘΗΝΑΙονκαὶἐκγόνουςαὐτοῦκαὶγράψασθαι
αΥΤΟΝ+Υλῆςκαὶδήμουκαὶφρατρίαςἧςἂνβούλ
[Η]ΤΑΙΚΑΤὰτὸννόμοντοὺςδὲπρυτάνειςδοῦναι
[Π]ΕΡΙΑΥΤοῦτὴνψῆφοντῶιδήμωιἐντῆιπρώτηιἐ
κΚΛΗΣΙαιἀναγράψαι δὲτόδετὸψήφισματὸνγρ
αμμαΤέα κτλ.

Composui hunc titulum cum iis qui ante Ol. 121, 2 = 295/4 confecti sunt ea maxime re commotus quod vix aliud inveniatur ultimi versus supplementum ita comparatum ut littera Τ locum habeat subter Σ.

Sed etiam alia sunt quibus huic aetati decretum adscribendum esse comprobetur. Formula enim *τοὺς δὲ πρυτάνεις δοῦναι περὶ αὐτοῦ τὴν ψῆφον τῷ δήμῳ ἐν τῇ πρώτῃ ἐκκλησίᾳ* ita conformata est ut quam proxime Ol. 120 accedere iubeamur. Namque verba *τῷ δήμῳ* ultimum occurrunt in titulo CIA II 298 exarato Ol. 120, 1/2. Ac ne talibus minutiis nimium tribuere me credas indicem adscribam quo etiam hac in formula constantia quadam usos esse Atheniensium scribas adparebit. Invenitur autem formula *τὴν ψῆφον τῷ δήμῳ* inde a medio fere quarto saeculo usque ad eius finem his in titulis: CIA II 115[b]; 148; 154; 228; 243; 272; 298, non invenitur in titt. CIA II 187; 229; 230[a]; *Ἀϑ.* VI p. 131; CB 1888 p. 248 n. 29 = BdCH XII p. 147. Contra nunquam occurrunt verba illa in titulis Olympiade 120 recentioribus, quod elucet ex titulis CIA II 300; 309; 312; 320; 397; EA 1884 col. 131; CB 1887 p. 1191 n. 18.

Deinde id optime convenit cum eius quam nos posuimus aetatis usu, quod ante formulam qua civitas confertur verba illa sollemnia leguntur, quibus Athenienses se semper gratiam habere quam maximam omnibus qui bene sint meriti de re publica profitentur. Nam post Ol. fere 119 — ultimum enim antiquioris usus exemplum est CIA II 243 — hanc induerunt

scribae consuetudinem ut uno tenore sese exciperent laus corona civitas. Verba autem illa sollemnia modo ante honores enumeratos modo post eos leguntur. Quae omnia ita inter se consentire videntur ut titulum illum non post Ol. 120 exaratum esse fere necessario statuendum sit.

11. Tit. CIA II 320: Σ κ. τ. ν., Α, Φ κ. τ. ν., Γ, de quo cf. supra p. 155 seqq.

12. Tit. CIA II 512, quem sic fortasse licebit supplere: Σ κ. τ. ν., Α, Φ κ. τ. ν., Γ. Versu autem tertio haud dubie ut numerus legitimus litterarum (27) restituatur legendum est: [*εἶναι δὲ καὶ αὐ*]*τῷ γράψασθαι.*

13. Ultimo loco posui tit. CB 1887, 1191 n. 18 cum dubium sit utrum pertineat ad hanc an ad classem insequentem. Haec autem legimus in lapide:

Ι.Δ[Ε] . . . . εἶ
[ναι δὲ αὐ]τὸ[ν] Ἀθηναῖον κ[αὶ τοὺς ἐκγόνους αὐτο]
[ῦ εἶναι](δ') αὐτῶι φυλῆς καὶ δή[μ]ου καὶ φ[ρατρίας γ]
[ράψα]σθαι ἧς ἂν βούληται δοῦναι δὲ π[ερὶ αὐτοῦ]
[τὴν ψ]ῆφον τοὺς πρυτάνεις ἐν τεῖ πρώ[τηι ἐκκλη]
[σί]αι. ἀναγράψαι δὲ τόδε τὸ ψήφισμα [τὸν γραμμ]
[α]τέα τὸν κατὰ πρυτανείαν ἐν στήλη[ι λιθίνηι ἐ]
[ν] ἀκροπόλει εἰς δὲ τὴν ἀναγραφὴν κ[αὶ τὴν ἀνάθ]
[εσιν τῆ]ς στήλης μερίσαι τὸν ἐπὶ τεῖ [διοικήσε]
[ι ἐκ τῶν κατὰ] ψηφίσματα ἀναλισκομ[ένων τὸ ἀνά]
[λωμα].

Exaratus est titulus inter Ol. 120, 3 et Ol. 121, 3 = 298/4 propter verba v. 9: *τὸν ἐπὶ τῇ διοικήσει.* Iam si v. 4 supplenda esse censebimus verba κ. τ. ν. duo anni relinquuntur: Ol. 120, 3 et 4 = 298/96: Σ κ. τ. ν. sive Σϑ, Α, Φ κ. τ. ν., Γ. Contra si omissa sunt v. 6 verba quibus thesmothetae novi civis docimasiam instruere iubentur, annis attribuendum est decretum Ol. 121, 1 et 2 = 296/4: Σ κ. τ. ν. sive Σϑ, Α, Φ, Γ, Θ κ. τ. ν.

§ 22.

Sequitur classis septima qua comprehenduntur tituli inter Ol. 121, 1 et 123, 4 = 296/285 exarati.

1. Quorum agmen ducat tit. CIA II 223. Eum enim non Ol. 114 sed multo post confectum esse et ipse Koehlerus quodammodo concessit et Buermannus certis argumentis demonstravit[1]). Ergo nostro iure attribuemus eum annis Ol. 120 subsequentibus. Verbis autem v. 6: *δοῦναι περὶ αὐτοῦ τὴν ψῆφον τῷ δήμῳ*[2]) primis Ol. 121 annis decretum adscribere iubemur: Σ ϑ, A, Φ *κ. τ. ν.*, Γ, ʘ *κ. τ. ν.*

2. Eodem fere tempore exaratus est tit. DA 1888 p. 112. Nam primum propter *τὸν ἐπὶ τῇ διοικήσει* adscribatur necesse est titulus aut anno 296 aut 295. Deinde cum trittyarchi statuae pecunias dispensare iubeantur, ad ipsos hos annos reicimur. Versus tertius haud dubie sic corrigendus est: [*τοὺς δὲ ϑεσμοϑέτας εἰσαγαγεῖ*]*ν αὐ*[*τῶ*]*ι*. Porro cum statua aënea decernatur corona a u r e a cum formula *κ. τ. ν.* coniuncta homini illi data est. Ergo haec fuit formularum species: Σ *κ. τ. ν.*, A, Φ, Γ, ʘ *κ. τ. ν.*

3. Tit. Ol. 121, 2 = 295/4 confectus: CIA II 300. Ornatur honoribus inter quos statua aënea prae ceteris digna est memoratu Herodorus quidam Antigoni et Demetrii regum familiaris: Σ *κ. τ. ν.*, A, Φ, ʘ *κ. τ. ν.*

4. Tit. CB 1887 p. 1061 n. 3 = H XXIV p. 326. Alexander Myllaei filius Macedo honoratur: Σ *κ. τ. ν.*, A, Φ *κ. τ. ν.*, ⟨Γ⟩, ʘ.

5. Prytanes omissi sunt in titulo quoque CIA II 530 quem propter hanc ipsam rem hic inserendum esse censui: [Σ *κ. τ. ν.*], A, Φ *κ. τ. ν.*, ⟨Γ⟩, ʘ.

6. Praeter prytanes etiam thesmothetae neglecti sunt in titulo CB 1887 p. 1193 n. 25 = EA 1887 col. 30 n. 3 quo Pythoni cuidam Demeae filio honores sollemnes conferuntur. Nam quominus titulum conformandum fuisse censeamus hunc

1) l. l. X p. 360.

2) Cf. supra p. 183.

in modum: Σ κ. τ. ν., Α, Φ ⟨κ. τ. ν., Γ⟩, illud impedit quod ultimo versui necesse est inferamus *τοὺς ἐπὶ τῇ διοικήσει*. Namque collegii huius aetate schema hoc non iam in usu fuit.

Sed non solum lapicida sed etiam Georgios qui edidit titulum erravit, cum quemadmodum ultimorum versuum litterae essent disponendae non intellegeret. Sic enim scribendum est:

[κατὰτὸ]
[ν]νόμονεὐνοίαςἕνεκακαὶφιλοτι[μίαςτῆςπρὸ]
[ςτὴνβο]υλὴνκαὶτὸνδῆμονεἶναι[δἐαὐτὸνἈθην]
[αῖονκαὶτο]ὺςἐκγόνουςαὐτοῦ[καὶεἶναιαὐτῶι]
[γράψασθαιφυ]λῆςκαὶδήμουκαὶ[φρατρίαςῆςἂν]
[βούληται.ἀνα]γράψαιδὲτόδε[τὸψήφισματὸνγ]
[ραμματέατοῦδ]ήμουἐνστή[λῃλιθίνῃκαὶστῆ]
[σαιἐνἀκροπόλ]ειεἰςδὲ[τὴνἀναγραφὴντῆςστή]
[ληςμερίσαιτοὺςἐ]πὶ[τῇιδιοικήσει........]

Haec igitur fuit formularum ratio: Σ κ. τ. ν, Α, Φ, ⟨Γ, ⊙ κ. τ. ν.⟩.

V. 15 lacunam unius litterae in ipso titulo exstitisse comprobatur collato titulo CB 1887 p. 1191 n. 18, ubi etiamnunc in lapide ante verbum *ἀναγράψαι* unius litterae spatium vacuum est: *ἐν τῇ πρώ[τῃ ἐκκλη]|[σί]ᾳ· ἀναγράψαι δὲ τόδε τὸ κτλ.*

7. Tit. CIA II 309 non multo post Ol. 122, 3 = 290/89 in arce exstructus. Ornatur Aeschron Proxeni filius homo Delphus ut videtur. Coronam autem auream conlatam esse secundum legem inde colligitur quod desunt verba *κατὰ τὸν νόμον* in formula Φ. Ratio enim decreti est haec: Σ κ. τ. ν., Α, Φ, Γ, ⊙ *κατὰ τοὺς νόμους*.

8. Maxima denique cum verisimilitudinis specie huic classi attribuitur tit. CIA II 312 confectus Ol. 123, 2 = 287/6. Nam cum nullo loco exaraverit lapicida verba sollemnia *κατὰ τὸν νόμον*, etiam post *χρυσῷ στεφάνῳ* ea neglecta esse probabilius statuitur quam verba graviora *ἀπὸ · δραχμῶν*.

§ 23.

Ad octavam classem quae eo est insignis quod non iam conferuntur coronae aureae *κατὰ τὸν νόμον*, referenda sunt haec decreta:

1. Tit. DA 1889 p. 52 qui non recte suppletus est ab editore. Nam cum v. 4 litteras TON scriptas fuisse in lapide censeret, lacunam inter *στεφανῶσαι* et TON explere non potuit. Legendum autem est procul dubio *ἑκάτερον* ΑΥΤ◠Ν, ut novum exemplum formae litterae ◠ pro Ω in lapide semper adhibitae nanciscamur. Hoc fundamento usus sic explevi titulum:

. . . . ἐπαινέσαι[μὲν . . . . . .]
. . . . . . καὶ] τὸν ἀδελφ[ὸν αὐτοῦ τοῦ]
ς . . . . ίου καὶ στε[φανῶσαι ἑκ]
[άτερον αὐ]τῶν χρυσῶι σ[τεφάνωι ἀπ]
[ὸ : Ρ : δραχ]μῶν εἶναι δ[ὲ Ἀθηναίους]
[αὐτοὺς καὶ] τοὺς ἐγγό[νους αὐτῶν κ]
[αὶ γράψασθ]αι φυλῆς [καὶ δήμου καὶ]
[φρατρίας ἧ]ς ἂμ [β]ο[ύλωνται κατὰ τὸ]
[ν νόμον]

2. Tit. EA 1884 col. 131: Σχδ, Α, Φ, Γ κ. τ. ν., ⟨⊙⟩. Titulus compluribus de causis dignus est in quem accuratius inquiramus. Primum enim in solo hoc decreto invenitur verbum *ἀδουσιάσασθαι* pro *γράψασθαι* et suo iure exclamavit Cumanudis: *ἀπορῶ δὲ μεγάλως πῶς ἐνῷ τόσα καὶ τόσα πολιτογραφήσεων ψηφίσματα Ἀττικὰ περιεσώθησαν, δὲν ἔτυχεν ἕως τώρα ν' ἀναγνώσωμεν τοῦτο τὸ ῥῆμα.* Eodem iure poterat mirari vir doctissimus quod in hoc uno lapide civitas non pertinet etiam ad posteros. Illud denique adnotandum videtur esse quod formula *κ. τ. ν.* non, ut debuit, in formula Φ sed in Γ conspicitur. Quae omnia si nobiscum reputaverimus, a scriba confectum esse titulum sermonis publici satis imperito nostro iure concludemus.

Quod si statuemus ne in verbo quidem *ἀδουσιάσασθαι*

offendendum erit. Facile enim potuit scriba qualem finximus verbum quod fortasse a cotidiano sermone non alienum erat usurpare, cum componeret decretum publicum. Nec profecto aliis titulis inferre licebit verbum nisi gravibus argumentis adlatis. Certe quod Cumanudis in tit. CIA II 455 hoc verbum scriptum fuisse coniecit, id ipsis litteris quae licet cognoscere refutatur[1]). Ceterum animadvertas quaeso in titulo quoque CIA II 54 insolito more dictum esse: *καὶ εἶνα[ι αὐτὸν φυλῆς]| ἧστινος [ἂ]ν ἀπογράψηται [κα]ὶ [δήμου καὶ] | φρατρίας.*

Illud quoque fortasse lapicidae culpae dandum est quod posteri viri illius civitate carere videntur, nisi senem fuisse eum statuere malimus.

Formula denique ʘ aut prorsus defuit aut in ea parte lapidis scripta erat quae periit, qua de re conferendus est tit. CIA II 300.

3. Tit. Ol. 124, 4 = 281/80 exaratus, quo Strombichus mercennariorum dux honoribus ornatus est: CIA II 317 et 318: Σδ, Α, Φ *κ. τ. ν.*, Γ, ʘ.

4. Tit. CIA II 382 a Buermanno sagaciter restitutus: Σδ, Α, Φ *κ. τ. ν.*, Γ, ʘ[2]).

5. Tit. CIA II 522 ab eodem viro doctissimo huc relatus[3]).

6. Tit. CIA II 397. Cuius tituli versum nonum sic supplevit Buermannus ut restitueret veterem illam formulam *π[λὴν ὧν οἱ νόμοι ἀπαγορεύουσιν]*. Quae coniectura si recte se haberet, tituli aetate leges illas denuo ratas esse factas sumendum esset. Atque confirmari videatur haec sententia aliquo modo ea re quod in decretis ultimae (nonae) classis nunquam invenitur formula Φ cum verbis *κ. τ. ν.* coniuncta. Illud omnino bene consentire videatur, quod medio fere tertio saeculo rationem qua civitas conferebatur immutatam esse ipsis titulis luce clarius demonstratur. Statui igitur necesse esset

1) Legendum autem esse huius in tituli versu 12: *καὶ μ]ὴ [παρ]όντι* iam Buermannus sagacissime docuit (l. l. X p. 361) et nunc quidem novo lapide invento (DA 1889 p. 57) non iam dubium est.

2) l. l. X p. 350.

3) l. l. X p. 346.

in omnibus nonae classis decretis verba *πλὴν ὧν οἱ νόμοι ἀπαγορεύουσιν* mente esse supplenda.

At primum titulus CIA II 397 in quo uno conspicerentur verba illa necessario propter ceterarum formularum speciem ac rationem referendus est ad octavam classem. In his autem decretis verba *πλὴν ὧν κτλ.* nunquam inveniuntur, neque possunt unquam inveniri cum saepius formula *κ. τ. ν.* coniuncta sit cum verbis quae sunt *καὶ γράψασθαι φυλῆς κτλ.*

Deinde id multo verisimilius videtur esse, in decretis ultimae classis verba *κ. τ. ν.* cum in prima tantum formula scripta exstent referri etiam ad formulas insequentes [1]).

Accedit quod haec omnia statim corruent, si demonstrabitur lacunam illam in tit. CIA II 397 hiantem aliter posse expleri. Quod supplementum repetam ex titulo DA 1889 p. 57 ubi in formula sane ⊙ leguntur verba *καὶ μὴ παρόντι*. Ergo scribendum esse proponam in tit. 397: *πα[ρόντι Ἀθήνησι κατὰ τὸν νόμον]*.

Sic autem legitimam decreti speciem restituimus: Σϑ, A, Φ *κ. τ. ν.*, Γ, ⊙.

7. Addam denique tit. 521. De aetate enim id tantum pro certo adfirmari poterit, eum propter formularum rationem non pertinere ad classem nonam. Ac quae Buermannus supplevit vitio videntur laborare [2]). Perraro enim fit in titulis Atticis ut unum substantivum abstractum quod dicitur eam formulam sequatur qua confertur corona. Nec statuere licet duplex substantivum ante *ἕνεκα* praepositionem locum habuisse. Ergo proponam haec supplementa:

ἀρετῆς ἕνεκα καὶ φιλοτι]
[μ]ία[ς τῆς εἰς τὸν δῆμον τὸν Ἀθηναίων καὶ εἶναι αὐτὸν]
Ἀθηνα[ῖον αὐτὸν καὶ ἐκγόνους αὐτοῦ καὶ γράψασθαι φ]
υλῆς [καὶ δήμου καὶ φρατρίας ἧς ἂν βούληται]

---

1) Cf. supra p. 171 § 15 extr.
2) l. l. X p. 346.

§ 24.

Nonae classis tituli eo maxime insignes sunt quod in omnibus uno excepto decreto CIA II 402 coronae conferuntur oleagineae. Illud deinde admodum videtur esse memoratu dignum quod in nullo titulo commemorantur ac respiciuntur posteri. Ac re vera illa aetate progeniem exclusam esse mihi quidem persuasum est. Nam si scribae ea quae per se essent intellegenda omisissent, tum profecto haec tantum scripsissent: *δεδόσθαι αὐτῷ τὴν πολιτείαν κατὰ τὸν νόμον.* Ea enim omnia quae in ceteris formulis leguntur semper fiebant cum peregrinus aliquis nominaretur civis Atheniensis. Eadem de causa prytanum quoque suffragia e medio sublata esse certum fit.

Sed iam tituli enumerandi sunt:

1. Tit. CIA II 377: Clearchus quidam coronatur. Ultimum enim versum sic suppleverim: *δεδόσθαι [δὲ αὐτῷ καὶ πολιτείαν δοκιμασθέντι ἐν] | [τῷ δικα]σ[τ]ηρ[ίῳ κατὰ τὸν νόμον].*

2. Tit. CIA II 395: Homo quidam Ephesi natus.

3. Tit. CIA II 396: Homo ignotus [1]).

4. Tit. CIA II 397: Homo ignotus.

5. Tit. CIA II 401: Alexander Callistrati filius Thessalus.

6. Tit. *Ἀθ.* X p. 73.

7. Tit. CIA II 402: *Στέφανος χρυσοῦς.*

Sequuntur tituli nonnulli priore parte alterius saeculi exarati:

8. Tit. CIA II 427: Philostrati filius.

9. Tit. CIA II 428: Astaeus Heraclis f.

10. Tit. CIA II 429: Apellis filius Aegineta.

Posteriore II. saec. parte confecti sunt:

11. Tit. CIA II 455: Menestheus Apollonii filius Milesius.

12. Tit. DA 1889 p. 57: Mithraxidis f. Ariarathensis.

13 et 14. Commemorandi praeterea sunt tituli CIA II 522 [2]) et EA 1886 col. 107 n. 15 quorum aetas non constat.

---

1) Huius tituli v. 1 sic restituitur: *[καὶ στεφανῶσαι αὐτὸν θαλλ]οῦ στ[εφά]|[νῳ εὐνοίας ἕνεκα τῆς εἰς τὸν δ]ῆμον κτλ.*

2) Cf. Buerm. l. l. X p. 346.

15. Nonnulla denique dicenda sunt de tit. CIA II 507. Nam quae exposuit Buermannus [1]) tam incerta sunt ut de civitate agi hoc in decreto utique sit negandum. Nam primum post formulam qua civitas conferri solet neque ea quae in ipso lapide adhuc conspiciuntur, neque ea quae coniecit scripta fuisse Buermannus locum habent. Deinde verborum compositio *δοῦναι τὴν ψῆφον περὶ αὐτοῦ* a titulorum sermone plane aliena est. Verba enim *δοῦναι περὶ αὐτοῦ* tam arte inter se coniuncta sunt ut non nisi particula *δέ* dirimantur.

Ego lapidem non tangam.

Caput tertium.

De reliquis coronis omnibus.

§ 25.

Tertia commentationis parte reliquos titulos quibus coronae conlatae sunt cunctos comprehensurus sum. Prima autem paragrapho eos componam qui ante Ol. 100 exarati sunt.

1. Ac nobilissimus ille titulus Samiorum repertus nuperrime in arce faciat initium [2]). In tertio enim decreto Posae Samio corona aurea donatur cuius pretium in ipsa rogatione propositum, D drachmae, additamento duplicatur. Sunt autem nonnulla in titulo sagaciter a Lollingo restituto quae corrigi opus esse videatur.

Ac primum displicet praesens *εὐεργετεῖ* forma versui 59 inlata. Magis enim videtur aoristus sive perfectum cum titulorum sermone consentire. Haec autem tempora verbi *εὐεργετεῖν* quominus restituamus per spatia impedimur [3]). Accedit quod raro omnino antiquioribus in titulis invenitur verbum illud: CIA IV 51 v. 15, v. 19; IV 116 [p], saepissime contra in decretis Ol. 113 recentioribus.

1) l. l. X p. 346.

2) Cf. DA 1889 p. 25 seqq.

3) Quamquam scripsit Dittenbergerus SIG I 48 [24]: *εὐηργέτηκε*.

Itaque pro *ἀνθ' ὧν εὐεργετεῖ* scribendum videtur esse *ἀνθ' ὧν εὖ πεπόηκε* cum id maxime verbum antiquioribus temporibus apud Atheniensium scribas publicos in usu fuerit, id quod hisce decretis comprobatur: CIA I 59 v. 8 (Ol. 92, 3 = 410/9): *καὶ ἀντὶ ὧν εὖ πεπο[ίηκεν τήν τε βουλὴν] καὶ τὸν δῆ[μο]ν τὸν Ἀθηναίω[ν]*; BdCH XII p. 164 v. 10 (Ol. 98, 2 = 387/6): *[ἐπεὶ εὖ πεπο]||[ίηκ]εν τὰς Ἀθηναίω[ν στρατιάς]*. BdCH XIII p. 152 v. 9 (Ol. 93, 1 = 408/7): *καὶ ε|ὖ ποιεῖ τὸν ἀφικνούμενον*; H XXIV p. 110 II v. 4 (ca. Ol. 92).

Iis igitur temporibus Athenienses verbis usi sunt quae vim habebant beneficiis adficiendi, cum rei publicae condicio bellis calamitatibusque obrutae esset pessima: inter expeditionem in Siciliam missam et alteram societatem maritimam, deinde posteriore aetate cum a Macedonibus essent devicti Athenienses.

Praeterea ne illa quidem mihi probantur quae v. 69 scribi vult Lollingus: *ἀνδραγαθίας ἕνεκα ἐς Ἀθηναίος*. Nam etsi ipsum nomen *ἀνδραγαθία* non abhorret ab antiquiorum titulorum sermone qua de re conferas huius ipsius decreti v. 70; H XXIV p. 114 n. IV v. 7; CIA II 51 v. 29; 73ᵃ v. 4, tamen cum necessario postuletur articulus *τῆς* ante *ἐς Ἀθηναίος*[1]) aliud nomen investigandum est scribendumque: *ἀρετῆς ἕνεκα τῆς πρὸς Ἀθηναίος*.

Refutanda quoque sunt supplementa vv. 73 et 74. Infinitivo enim praesentis *προσάγειν* non unam contionem indicari, *τὴν πρώτην ἐκκλησίαν*, sed multas sese excipientes et ipsa infinitivi notione demonstratur et tituli CIA II 41 ultimis versibus his: *καὶ πρόσοδο[ν] | [πρὸς τὴν β]ουλὴν καὶ τὸν δῆμον | [ἐάν του δέων]ται· οἱ δὲ πρυτάνεις | [ἀεὶ πρυτα]νεύοντες προσαγόντω[ν]*[2]). Ergo nisi forte lapicidae errorem statues

1) Exempla adferre supervacaneum duxi, cum haec lex nusquam quantum memini laedatur. Itaque in titulo quoque CIA II 52ᶜ cuius litterae non per ordines collocatae sunt v. 14 pro *ἀρε[τ]ῆς ἕ[νεκ]α [π]¦[ερὶ τὸν δῆμον] τὸν Ἀθηναίων* legatur necesse est: *ἕ[νεκ]α [τῆ]¦[ς ἐς τὸν δῆμον] τὸν Ἀθηναίων* vel *ἕ[νεκ]α [τ]¦[ῆς ἐς τὸν δῆμον] τ. Ἀθ.*

2) Si proxima 'quaeque' contio significanda fuisset (SIG 48[41]), tum scripsisset lapicida: *ἐς τὴν πρώτην ἀεὶ ἐκκλησίαν*.

pro duplici syllaba *αγ* unam scribentis, coniungere omnino non licet verba *προσάγειν* et *ἐς τὴν πρώτην ἐκκλησίαν*. Itaque scribatur aut: *προσάγεν αὐτὸς τὸς πρυτάν*[*ες*] | [*τὸς ἀεὶ ὄντας ἐς τὸν δῆμον μετὰ τὰ ἱερ*]*ά* aut, id quod melius videtur consentire cum titulorum sermone: *προσάγεν αὐτὸς τὸς πρυτάν*[*ες*] | [*πρὸς τὸν δῆμον πρώτος ἀεὶ μετὰ τὰ ἱερ*]|*ά*. *Πρός* enim praepositio sollemnis est in formulis *πρόσοδος πρὸς τὴν βουλὴν καὶ τὸν δῆμον* et *προσαγαγεῖν πρὸς τὴν β. κ. τ. δ.*[1]) Deinde *πρώτους* sive *πρώτοις* ter omnino omittitur in decretis Atticis: CIA II 289; 316 v. 17 et DA 1888 p. 222ᵃ. Senatus autem quod non commemoratur inde explicari posse videtur quod paullo antea formulam legimus: [*ἐὰν δέ του δέωνται παρὰ*] *τοῦ δήμου*.

Similiter proximo versu 74 verba *τὸς ὑἓς τὸ*[*ς Πόσεο*] | [*τὸς πρυτάνες ἐς τὴν βολὴν ἐς τὴν πρώτ*]*ην ἕδραν* recipi non possunt. Versus enim spatio impedimur quominus verba *ἐς τὴν βολὴν* mutemus in *πρὸς τὴν βολὴν* sive *πρὸς τὸν δῆμον*. Ergo non verba *τὸς πρυτάνες ἐς τὴν βολήν* sed ipsa Posae filiorum nomina in lapide scripta fuisse mihi persuasum est. Facile enim verba quae eiecimus[2]) mente supplentur.

In v. 61 fortasse melius scribemus: *προσαγαγὲν δε αὐτὸ*|[*ν πρὸς τὸν δῆμον καὶ τυχεῖν πα*]*ρὰ τõ δήμο*.

Deinde ut v. 62 lacuna expleatur inserenda esse statuerim haec: [*καλέσ*]|[*αι δὲ Ποσῆν καὶ Σαμίων τὸ*]*ς ἥκοντας ἐς τὸ πρυτανεῖον ἐς αὔριον*.

Postremum quae scripta fuisse censet Lollingus v. 74 et 75 propter spatii rationem haud dubie reicienda sunt. Fortasse legebatur olim: *καλέσαι δὲ κ*[*αὶ Ποσῆν καὶ τὸ*]|[*ς ὑἓς αὐτõ ἐπὶ ξένια ἐς τὸ πρυτανεῖον*] *καὶ Σαμίων τὸς ἐπ*[*ιδημõντας*].

2. Titulum CIA II 43 ante Ol 100 in arce exstructum Koehlerus vir doctissimus ita restituere conatus est ut coronam auream ei inferret. Sed num hoc fieri possit valde dubito[3]).

1) Cf. Schubert. l. l. p. 32—40.

2) *τὸς πρυτάνες ἐς τὴν βολήν*.

3) Koehleri supplementa in dubium vocavit nuperrime etiam Paulus Panske in diss. laud. p. 8 adn. 4.

Offendit enim primum quod de corona trecentis drachmis constanti sermo esset. Unum enim exemplum quod possit aliquo modo adferri [1]) plane aliter est conformatum, cum in hoc titulo de compluribus agatur coronis deinceps enumeratis quarum aliae minoris constabant aliis.

Gravissimum autem argumentum quo nisus titulum CIA II 43 recte esse suppletum negaverim illud est, quod post verba *χρυσῷ στεφάνῳ* desideratur praepositio *ἀπό*. Admodum enim mirum esset si tot titulis servatis qui hanc praepositionem exhibent, solo in eo de quo disserimus decreto ea esset omissa.

Quid in titulo scriptum fuerit nescio. Conicere tamen licet de Syracusanis quibusdam fuisse sermonem e versus 7 reliquiis: [ΣΥΡ]ΑΚΟΣ[Ι. . . .

3. Ad tempora Olympiade 100 antiquiora referendum esse putaverim titulum quoque CIA 85 qui pertinet ad Epicerdem Cyrenaeum ex Demosthenis Leptinea satis notum. Namque etsi lapis quem nunc tenemus recentioris est aetatis atque Koehlerus quidem inter Ol. 101/106 exaratum eum esse censet, tamen ipsum decretum antiquiore quodam tempore confectum esse certis argumentis comprobatur. Quorum gravissimum illud est quod pro *ἐν ἀκροπόλει* scriptum haud dubie exstabat v. 13 *ἐν πόλει*. Hoc enim nomen simplex post annum 386 non iam usurpatum esse ab Atheniensium scribis publicis satis notum est. Accedit quod collocatio verborum [*τὸ*] *δὲ ψήφισμα τ*[*όδε ἀναγράψαι τὸν γραμμ*]*ατέα τῆς βουλ*[*ῆς*] et ipsa aetatem indicat Ol. 100 antiquiorem. Raro enim in titulis Euclide archonte recentioribus ita invenies collocata formulae huius verba ut antecedat nomen *ψήφισμα*, sequatur *ἀναγράψαι*. Post vero Ol. 100 uno in titulo, quantum memini, deprehenditur haec positio: CIA II 54 v. 24: Ol. 104, 2 = 363/2.

Illa denique haud parvi momenti videntur esse quae v. 10 in lapide scripta fuisse comprobabimus. Nam quae proposuit Koehlerus: *καὶ εὐν*[*οίας τῆς ἐς τὸν δῆμον*] corrigantur necesse est,

1) CIA II 809 = SIG 112.

cum saeculo IV. et V. Atheniensium scribae in his similibusque verborum coniunctionibus non simplici usi sint nomine δῆμος [1]). Aut enim dicebant ἐς Ἀϑηναίους aut ἐς τὴν πόλιν τὴν Ἀϑηναίων aut ἐς τὸν δῆμον τὸν Ἀϑηναίων, quae formulae ita sese excipiebant ut fuerit antiquissima: ἐς Ἀϑηναίους: CIA I 45 v. 9; II 10ᵇ; 128 (Ol. 92, 3 = 410/9); H XXIV p. 110 v. 4 (V. saec.); p. 109 (Ol. 94, 2 = 403/2); CB 1888 p. 241, 13 v. 18 (ante Ol. 98, 2 = 387/6)[2]); paullo recentior: ἡ πόλις ἡ Ἀϑηναίων: CIA II 21 v. 9; 25 v. 5; 26 v. 6; 41 v. 1; 47 v. 10. BdCH XII p. 142 v. 6 (ante Ol. 98, 2 = 387/6); p. 162 v. 14; p. 169 v. 11; XIII p. 152 v. 7; CB 1888 p. 243, 19 v. 5 = BdC H XII p. 138, 6 v. 5; 1887 p. 1192, 22 v. 9 [3]). Post Ol. fere 100 sollemnia sunt verba ὁ δῆμος ὁ Ἀϑηναίων quae superioribus sane temporibus et ipsa saepius inveniuntur: CIA I 36 v. 4; 59 v. 7. II 5 v. 7; 46 v. 4.

His igitur rationibus usi nostro iure inferemus tit. CIA II 85 verba εὐνοίας ἕνεκα τῆς ἐς Ἀϑηναίος. Tum vero novum argumentum nancti sumus eius sententiae qua decretum illud antiquiore tempore ratum factum esse censeamus quam lapis in arce exstrueretur. Atque ut etiam paullo longius procedam:

---

1) Titulos dico qui pertinent ad homines exteros. Cf. infra p. 211 n. 9.

2) Corrigenda haud dubie sunt quae supplevit Lollingus in tit. DA 1889 p. 26 v. 37, cum neque verba καλοῖς κἀγαϑοῖς neque τὸς περὶ Εὔμαχον consentiant cum titulorum sermone. Legamus: ἐπαινέσαι ὡς ὅσιν ἀνδράσιν | [ἀγαϑοῖς περὶ Ἀϑηναίος· καλέσαι δὲ καὶ Εὔμ]αχον.

3) Sic enim titulus restituitur:

ἔ δ ο [ξ ε ν τ ῶ ι δ ή μ ω ι . . . . .]
ς Ἐ ρ ο ι ά [δ η ς ἐ γ ρ α μ μ ά τ ε υ]
ε ν Ἀ ρ ι σ τ [ί ω ν ε ἶ π ε ἐ π α ι ν]
έ σ α ι Ἑ ρ μ [. . . . . κ α ὶ . . . .]
ι ο ν κ α ὶ [. . . . . . . κ α ὶ̣ Δ α μ]
ο κ λ έ α [. . . . .]
ρ α ν α ρ [. . . . .]
τ ὸ ν Δ α [μ ο κ λ έ ο ς ὅ τ ι ε ἰ σ ὶ]
ἄ ν δ ρ ε [ς ἀ γ α ϑ ο ὶ π ε ρ ὶ τ η ν]
π ό λ ι ν [τ ὴ ν Ἀ ϑ η ν α ί ω ν κ α ὶ]
ν ῦ ν κ [α ὶ ἐ ν τ ῶ ι π ρ ό σ ϑ ε ν χ]
[ρ ό ν ω ι]

decretum CIA II 85 illud ipsum esse crediderim quod laudatur a Demosthene in Leptinea his verbis: (§ 42) *οὗτος γὰρ ἀνήρ, ὡς τὸ ψήφισμα τοῦτο δηλοῖ τὸ τότ' αὐτῷ γραφέν, τοῖς ἁλοῦσι τότ' ἐν Σικελίᾳ τῶν πολιτῶν ἐν τοιαύτῃ συμφορᾷ καθεστηκόσιν, ἔδωκε μνᾶς ἑκατὸν καὶ τοῦ μὴ τῷ λιμῷ πάντας αὐτοὺς ἀποθανεῖν αἰτιώτατος ἐγένετο. καὶ μετὰ ταῦτα δοθείσης ἀτελείας αὐτῷ διὰ ταῦτα παρ' ὑμῶν. . . .* Erga ad ea tempora ascendere iubemur quae expeditionem Siciliensem proxime sequuntur. Cui sententiae id certe non obstat quod a Demosthene nihil dicitur de corona aurea. Intererat enim id maxime demonstrare oratoris, atelia Epicerdem esse donatum.

§ 26.

Altera paragrapho eos composui titulos qui inter Ol. 100 et 112 confecti sunt. Nam inde ab anno fere 332 omnes peregrini, siquidem honorantur, coronis ornantur.

1. Ac primum locum obtinet titulus satis memorabilis a Foucarto in BdCH XII p. 177 editus. Quaeritur autem quis fuerit Alcetas ille hoc decreto corona ornatus. Ac nobilem eum fuisse virum inde recte Foucartus videtur conclusisse quod raro illa quidem aetate coronae conlatae sunt ab Atheniensibus. Iam vir doctissimus Alcetam fuisse suspicatus est Leptinis Dionysii fratris filium, cui in honorem Alcetae Molossorum regis hospitis quondam Syracusani nomen illud inditum esset.

Quae coniectura vereor ne sit speciosior quam probabilior. Nam primum ipse Foucartus difficultatem movit ex condicione rerum inter Athenienses Dionysiumque illa aetate intercedentium. Hunc enim etiam illo anno socium fuisse constat Lacedaemoniorum quibuscum Athenienses etiamtum inimicitias exercebant. Quae vero excogitavit Foucartus ut hanc difficultatem e medio tolleret parum sunt credibilia et virum sagacissimum his coniecturis vix ipsum acquiescere mihi persuasum est. Alia autem difficultas eaque haud minoris momenti petitur e tituli sermone. Mirum enim in modum si Alcetas fuisset filius Leptinis dictum esset *Ἀλκέτου τοῦ Λεπτίνου Συρακουσίου* cum nunquam in titulis Atticis articulus inveniatur patris nomini additus.


Quae cum ita essent aliam viam ingrediendam esse censui. Legimus enim in Apollodori oratione contra Timotheum imperatorem habita, ipso illo Astei archontis anno (Ol. 101, 4 = 373) quo titulus ille in arce exstructus est Alcetam Molossorum regem Athenis commoratum esse ut cum Iasone Timotheo reo adesset (*ἀφικομένου Ἀλκέτου καὶ Ἰάσονος ὡς Τιμόθεον ἐν τῷ μαιμακτηριῶνι μηνὶ τῷ ἐπ' Ἀστείου ἄρχοντος ἐπὶ τὸν ἀγῶνα τὸν τούτου βοηθησόντων αὐτῷ.* Ps. Demosth. IL 22). Prona igitur est coniectura qua Alcetam illum corona ornatum ipsum Timothei fuisse amicum crediderim. Iam articulum *τοῦ* sic facilem habebit sensum ut post *Συρακουσίου* nomen quoddam substantivum locum habuisse censeamus quo ratio ac necessitudo inter Alcetam et Leptinem intercedens exprimeretur. Quae fuerit illa ratio sane nescimus, fortasse tamen conicere licet Alcetam dum domo patriaque profugus in Sicilia exul commoraretur (*διὸ καὶ πρὸς Ἰλλυριοὺς ἐποιήσατο,* sc. *Διονύσιος, συμμαχίαν δι' Ἀλκέτου τοῦ Μολοττοῦ ὃς ἐτύγχανε φυγὰς ὢν καὶ διατρίβων ἐν ταῖς Συρακοσίαις* Diod. XV 13) ab Leptine Dionysii regis fratre in familiam adoptione esse receptum. Fortasse igitur legebatur olim in titulo: *Ἀλκέτου τοῦ Λεπτίνου Συρακοσίου θετοῦ υἱοῦ.* Ac ne causa quidem cur Alcetas tantopere ab Atheniensibus honoratus sit ignota videtur esse, cum a Xenophonte tradatur eum illo anno cum Athenis versaretur de re publica optime esse meritum (*ἀκούσαντες δὲ ταῦτα οἱ Ἀθηναῖοι ἐνόμισαν ἰσχυρῶς ἐπιμελητέον εἶναι, καὶ στρατηγὸν πέμπουσι Στησικλέα εἰς ἑξακοσίους ἔχοντα πελταστάς, Ἀλκέτου δὲ ἐδεήθησαν συνδιαβιβάσαι αὐτούς. Hellen.* VI 2, 10).

2—4. Deinde commemorem tres titulos quos etsi non certum est utrum pertineant ad cives an ad exteros ea de causa omittere nolui, quod illius aetatis fere nulli exstant tituli quibus Athenienses cives honoribus ornantur: CIA II 75; 82[d]; 84.

5. Sequitur tit. CIA II 97[c] qui a Schenkelio[1]) post Koehleri curas denuo tentatus et hunc in modum suppletus est:

---

1) In dissert. *De metoecis Atticis.* Stud. Vindob. II p. 222.



[δ]
[εδό]χ[θαιτῶιδήμωιἐπαινέσαιμὲντὸνδ]
ῆμοντῶ[ν . . . νκαὶστεφανῶσαιαὐτὸνχρ]
υσῶιστε[φάνωιἀπὸ . . . . δραχμῶν]
ἀρετῆςἕν[εκακαὶφιλοτιμίαςτῆςεἰςτ]
ὸνδῆμοντ[ὸνἈθηναίωνκαὶεἶναι . . . . ς]
ἰσοτελε[ῖςαὐτοὺςκαὶἐκγόνουςαὐτῶν]
Ἀθήνη[σινοἰκοῦντας].

Quae supplementa compluribus vitiis laborare docuit Schubertus [1]). Primum enim lacuna v. 4 non potest expleri nisi numeris *διακοσίων* aut *ἑξακοσίων* aut *ἐνακοσίων* quae pretia his in decretis locum non habent. Accedit quod ad posteros pertinere privilegium illud toti civitati conlatum minime est verisimile.

Nec tamen de titulo restituendo desperandum est. Nam si coronam fuisse statuerimus mille drachmarum (*ἀπὸ χιλίων δραχμῶν*) versum habebimus viginti octo litterarum. Age iam videamus num ceteros versus ad eundem numerum redigere liceat. Quod non difficile erit in versu altero: eiecta enim particula *μέν* rectus numerus evadet. Tertio autem versu restabit sublato pronomine *αὐτόν* sex litterarum spatium quo coercebitur civitatis nomen. Sequenti deinde versui pro *φιλοτιμίας* inferri facile poterit substantivum *εὐνοίας*. Ac ne sextus quidem et septimus versus resistent. Scribentes enim: [*εἶναι δὲ καὶ*] | *ἰσοτέλε*[*ιαν αὐτοῖς ἐὰν ἐπιδημῶσι*] | *Ἀθήνη*[*σιν*] et spatia versuum apte explebimus et sensum nanciscemur optimum. In titulo enim CIA II 86 haec legimus: *ὁπόσοι δ' ἂν Σιδω|νίων οἰκοῦντες ἐς Σιδῶνι καὶ πολι|τευόμενοι ἐπιδημῶσιν κατ' ἐμπορ|ίαν Ἀθήνησι, μὴ ἐξεῖναι αὐτοὺς κτλ.* et in tit. CIA II 121: [*καὶ*] *εἶνα*[*ι*] *αὐ*[*τ*]*οῖς ἕως ἂν κατέλθωσι*|[*ν ἔγκτησιν ὧν ἂν*] *ο*[*ἰκι*]*ῶν βούλωνται οἰκοῦσιν Ἀθήνη*|[*σιν*] *κτλ.*

Ultimi denique versus reliquias ΛΤΑ sic cum antecedentibus verbis coniungere licet ut exstitisse olim in lapide censeamus haec: ΚΑΙ ΑΝΑΓΡΑΨΑΙ ΤΟΝ ΓΡΑΜΜ|ΑΤΕΑ.

1) l. l. p. 62.

En habes titulum:

δ]
[ε δ ό]χ[ϑ α ι τ ῶ ι δ ή μ ω ι ἐ π α ι ν έ σ α ι τ ὸ ν δ]
ῆ μ ο ν τ ῶ[ν . . . . . ν κ α ὶ σ τ ε φ α ν ῶ σ α ι χ ϱ]
υ σ ῶ ι σ τ ε[φ ά ν ω ι ἀ π ὸ χ ι λ ί ω ν δ ϱ α χ μ ῶ ν]
ἀ ϱ ε τ ῆ ς ἕ ν[ε κ α κ α ὶ ε ὐ ν ο ί α ς τ ῆ ς ε ἰ ς τ]
ὸ ν δ ῆ μ ο ν τ[ὸ ν Ἀ ϑ η ν α ί ω ν ε ἶ ν α ι δ ὲ κ α ὶ]
ἰ σ ο τ έ λ ε[ι α ν α ὐ τ ο ῖ ς ἐ ὰ ν ἐ π ι δ η μ ῶ σ ι]
Ἀ ϑ ή ν η[σ ι ν κ α ὶ ἀ ν α γ ϱ ά ψ α ι τ ὸ ν γ ϱ α μ μ]
α τ έ α[τ ό δ ε τ ὸ ψ ή φ ι σ μ α κτλ.

Ac restituto hoc titulo non parvum profecimus. Confirmantur enim optime Harpocrationis verba[1]) quibus etiam universis civitatibus isoteliam ab Atheniensibus concessam esse discimus. Cuius rei testimonium 'ex lapidibus aut ex scriptoribus petitum usque ad hunc diem desiderabatur.

Confirmatur praeterea quodammodo Schuberti opinio ex ipsa rerum condicione ac natura petita, qua censet hanc isoteliam civitatibus universis delatam ita esse intellegendam, ut earum cives si Athenas ut ibi vitam degerent venissent (cf. verba tituli ἐὰν ἐπιδημῶσι Ἀϑήνησιν) populiscito non denuo facto isotelium condicione uterentur[2]).

6. Ad totam civitatem pertinet etiam titulus in DA 1888 p. 222[a] publici iuris factus. Cuius aetas ut definiatur primum quae peccavit editor sananda sunt. Is enim cum quae scripta essent in primis tituli versibus restituere non posset, statim a lapicida errorem commissum esse contendit. Hic vero culpa absolvetur si scripserimus:

[κ α ὶ σ τ]
ε φ α ν ῶ σ]α ι ϑ α λ λ ο ῦ σ τ ε[φ ά ν ω ι ἑ κ ά τ ε ϱ]
ο[ν ὅ τ ι]ε ἰ σ ὶ ν ἄ ν δ ϱ ε ς ἀ[γ α ϑ ο ὶ π ε ϱ ὶ τ ὸ]

Iam qui fuerint illi homines coronis oleagineis ornati adparet, legati a Teniis missi ut privilegia quaedam rei publicae Teniorum ab Atheniensibus concederentur. Sed quo tempore hoc factum esse censeamus? Ac Lollingus quidem alteri

1) s. v. ἰσοτελής.
2) l. l. p. 62 extr.

saeculi quarti dimidio adscripsit titulum. Quod fieri posse ego negarim propter simplicem illam formulam *ὅτι εἰσὶν ἄνδρες ἀγαθοί*. Duo enim tantum exempla in titulis illa aetate confectis invenies quo leguntur haec verba: CIA II 230ª: Ol. 111 = 336/2 et II 234: Ol. 116, 3 = 314/3. Sed neutrum titulum publice exaratum esse comprobavit Hartelius [1]). Ergo ad priorem saeculi partem ascendendum erit.

Iam earum rerum quas gesserunt Tenii aut perpessi sunt duas compertas habemus. Primum eos Atheniensium alteri societati maritimae se applicasse anno fere Ol. 101, 4 = 373/2, deinde anno Ol. 104, 3 = 362/1 insulam ab Alexandro tyranno expugnatam esse incolasque sub corona venisse.

Quod ultimum posui haud scio an cum titulo quem tractamus liceat conciliare. Nam modo statuamus eos Tenios qui perniciem effugerunt, omnes enim ad unum servitutem subiisse non verisimile est, paucis annis post expugnatam insulam domum rediisse oppidum redintegrasse rem publicam restituisse, illud quoque consentaneum erit ab iis re publica in pristinam formam redacta legatos Athenas esse missos, qui quae essent perpessi et postea fecissent nuntiarent. Ab Atheniensibus autem eis praemii causa ac solacii privilegia concessa esse non mirabimur. Ergo decretum attribuam annis fere 360—350.

7. Haud ita multo post confecti sunt tituli arte inter se coniungendi: CIA II 117 et EA 1883 col. 135 = CB 1887 p. 1190, 15 = H XXIV p. 134 XIV. Atque in titulo quidem CIA II 117 a. Ol. 110, 1 = 340/9 exarato Tenediorum civitas postquam alia ei privilegia concessa sunt corona quoque aurea exornatur, Aratus autem synedrus eorum oleaginea, ut videbatur Koehlero. Sed haud scio an Arato quoque aurea coroná sit conlata. Ex altero enim titulo modo commemorato Aratum fratresque eius optime esse meritos de re publica Atheniensium concludere licet, cum procul dubio in ea decreti novi parte quae amissa est merita Tenediorum civitatis virorumque illorum laudibus elata sint. Itaque ut ipsi editores tituli recens reperti inserenda ei esse putaverunt verba *χρυσῷ*

1) *Studien* p. 40. 43.

στεφάνῳ, sic etiam in titulo CIA II 117 Arato tribuere malim coronam auream quam oleagineam. Sed haec res utut se habet, id tamen pro certo licebit adfirmare titulum H XXIV p. 134 exaratum esse ante tit. CIA II 117, cum illo decreto Tenediorum civitas collaudetur tantum, non ornetur corona. Quod si recte statuerimus fortasse etiam necessitudinem inter haec decreta intercedentem paullo accuratius perspiciemus. Sic enim rem animo fingo: Aratus Tenediorum synedrus eiusque fratres, postquam Athenienses Byzantiorum oppido a Philippo Macedonum rege obsesso constituerunt auxilio venire, Tenediis ut quantum fieri posset ipsi quoque Byzantiis opem ferrent studebant persuadere. Cum vero ut Tenedii pecunias opesque praeberent effecissent et ipsi quoque fortasse de suis opibus haud exiguas addidissent, Tenedii legatum miserunt Athenas ut quid sibi esset in animo nuntiarent. Quibus auditis Athenienses Tenediorum civitatem eorumque legatum publice collaudaverunt, Aratum autem ipsum, qui cum synedrus esset ipsis Athenis vitam degeret, fratresque eius coronis aureis exornaverunt (H XXIV p. 134).

Tempore aliquo intermisso cum Philippus Charetis maxime et Phocionis fortitudine bellandique arte coactus obsidione destitisset, iterum legati Athenas missi sunt, qui Tenediorum rem publicam omnibus promissis stetisse cum Atheniensibus communicarent orarentque ut per tempus aliquod tributo aliisque muneribus liberarentur. Athenienses et quae petierunt concesserunt et novis honoribus — coronis — Tenediorum civitatem Aratum legatos ornaverunt (CIA II 117).

Hanc mihi conformaveram sententiam de ratione quae intercederet inter hos titulos, cum Szantonem virum doctissimum nuperrime plane aliam viam ingressum esse viderem [1]). Is enim hos duos titulos eodem fere tempore esse confectos et rei publicae Tenediorum Arato ceteris non bis sed semel honores contigisse sibi persuasit. Quae tamen sententia sat multis implicata videtur esse difficultatibus.

Namque ipsum argumentationis fundamentum — Szanto

1) MDAI XIV p. 145 seqq.

enim **vix probabilem** dicit esse eam sententiam qua decreta illa diversis temporibus diversisque de causis rata facta esse sumatur — nostra rerum explanatione diruisse nobis videmur, cum absonam eam esse aut abhorrere a verisimilitudine nunquam concedam.

Probantur deinde neutiquam quae exponit Szanto de more quodam quem fuisse finxit apud Athenienses, si res esset cum civitatibus exteris. Tum enim omnia quae pertinerent ad honores **separatim** et acta esse in senatu contioneque et lapidibus incisa a scribis publicis[1]). Quem ʻmoremʼ ex duobus decretis enucleare studuit: CIA II 51 et 52ᶜ.

Ac priore quidem exemplo nihil demonstratur. Habemus enim senatus probuleuma postea in contione populi ratum factum, in quo ea quae populus ipse posteriore quodam tempore de Dionysii epistulis de templi aedificatione de pace esset constituturus ipsius rei natura non more omitti **debuerunt**, cum senatus de his rebus ipse nihil certi proposuisset, id quod sane per se potuit vel potuisse videtur, sed omnia committenda esse censuit Atheniensium contioni sociorumque synedris, quorum iudicium nescio quibusnam de causis anticipare noluit.

De honoribus autem Dionysio filiisque eius tribuendis senatus quae sibi viderentur ample ac copiose exposuit, propterea nimirum quod haec dona ac privilegia ab una Atheniensium re publica concedebantur et paullulum tantum pertinebant ad ipsam societatem maritimam. Aliquo modo enim etiam socios hac re tangi versus vicesimus testimonio est, unde comperimus Dionysium filiosque eius probos esse homines et erga Atheniensium populum et **erga socios**[2]). Invitati igitur sunt socii a

1) p. 147 extr.: ʻWir entnehmen diesen Beobachtungen, dass es im Verkehre mit fremden Staaten zu den Pflichten der Höflichkeit gehörte, den Beschluss, welcher sich auf die Ehren bezog, getrennt von den politisch wichtigen Beschlüssen zu fassen und demgemäss auch besonders aufzuschreiben.ʼ

2) v. 20: *ὅτι ε[ἰσὶν ἄνδ]¦[ρες] ἀγαθοὶ [π]ερὶ τὸν δῆμον τὸν [Ἀθηναίω]¦[ν καὶ] τοὺς συμμάχους καὶ βοηθ[οῦσιν τῇ]¦[ι βασ]ιλέως εἰ[ρή]νῃ ἣν ἐ[π]οήσα[ντο Ἀθην]¦[αῖοι] καὶ Λακεδαιμόνιο[ι] κ[α]ὶ [οἱ ἄλλοι Ἕ]¦[λληνες.*

senatu in proximam contionem (cf. v. 13: *εἰ[ς] τὴν πρώτ[ην] ἐκκλ[ησίαν, π]|[ροσκ]αλ[έσ]αντ[α]ς τοὺς [συμμά]χ[ο]υς [τοὺς π]|[ροέδ]ρους*), ideo quoque ut se plane consentire cum Atheniensibus Dionysium filiosque eius honorantibus conventu suo testarentur, et quo magis ipse Dionysius eiusque legati honorarentur laudibus et praemiis coram tam illustri totius fere Graeciae consessu acceptis.

Verba igitur v. 15: *[κ]αὶ χρ[η]ματ[ί]ζ[ει]ν [π]ερὶ ὧν [λέγου]|[σιν]* etiam ad honores conferendos rettulerim, nam quod Koehlerus dicit[1]) Dionysii legatos in contione illa proxime senatus consessum secuta verba tantum fecisse de eis quae a Dionysio eis m a n d a t a essent, de pace scilicet commendanda, id ipsis tituli verbis refutari videtur. Nam si ad solam pacem v e r b a referenda essent, quid tum in ipsis Dionysii litteris scriptum esset vix posset intellegi, quia tam accurate distinguuntur l i t t e r a e Dionysii ab eis quae legati v e r b i s erant expositnri[2]).

Legati igitur in senatu multa verba fecere de Dionysii meritis, studiosissimumque eum esse Atheniensium ac sociorum dixere et dignissimum qui ab Atheniensibus gravibus honoribus afficeretur[3]). Hac oratione commoti senatores, quae legimus inde a v. 17 facienda proposuerunt populo, a quo in contione illa proxima omnia rata facta sunt.

Nec tamen in eadem illa contione de ipsis l i t t e r i s Dionysii decretum factum esse nego. Immo admodum consentaneum videtur esse, agebatur enim de gravissimis rebus, synedros a senatu sententiam dicere iussos q u a m c e l e r r i m e hoc est in ipsa illa proxima populi contione, quid sibi videretur

1) MDAI I 18: 'Die mündlichen Aufträge der syrakusanischen Gesandten beschränkten sich wahrscheinlich darauf, den Frieden in verbindlicher Form zu empfehlen.'

2) v. 7: *περὶ μὲν τῶν γρα[μ]μά[των]*; v. 12: *προσαγαγεῖν δὲ τ[οὺς] πρέσβε[ς πρὸ]|[ς τὸν] δῆμον . . . . [κ]αὶ χρ[η]ματ[ί]ζ[ει]ν [π] ε ρ ὶ ὧ ν [λ έ γ ο υ]|[σ ι ν*.

3) Fortasse haec in ipso lapide paullo accuratius expressa erant si quidem v. 15 vestigia apographi Fauveliani secuti (ΙΩΝΑ) pro *περὶ ὧν λέγουσιν* scriptum fuisse censebimus: ΠΕΡΙ ΩΝ ΑΙΤΟΥΣΙΝ.

de pace cum populo communicasse (*τὸ δόγμα ἐξενεγκεῖν*). Senatus sane hoc non dilucidis verbis edixit, desunt enim verba *εἰς τὴν πρώτην ἐκκλησίαν* post verba v. 10 *δόγμα ἐξενεγκεῖν εἰς τὸν δῆμον*, sed incredibile fere esset, si synedri qui in contione illa adfuerunt sententiam de ipsa pace non dixissent.

Quae cum ita sint Szantonis sententia hoc titulo non modo non adiuvatur sed refellitur. Etenim non modo in senatu et de Dionysii litteris verba facta sunt et aliquid constitutum est, id nimirum ut synedri sententiam dicere iuberentur, et de Dionysii honoribus sed etiam in ipsa contione.

Illud denique falsissimum est quod Szanto[1]) pro certo adfirmat, solam illam partem quae pertineret ad honores Dionysio deferendos lapidi incisam itaque factum esse ut ad nostra tempora conservaretur. Nam primum in decreto CIA II 51 sermonem esse etiam de aliis rebus atque de honoribus negari non potest[2]). Deinde unde tandem cognitum habet Szanto omnia ea quae ab ipso populo de Dionysii litteris decreta sunt lapidi[3]) non esse incisa?

Itaque ne Koehlerus quidem recte iudicasse videtur, qui dubium non esse dixit quin decretum CIA II 51 ideo publice exstructum sit, ut testis esset honorum Dionysio filiisque eius concessorum[4]). Etenim si ea fuisset causa, omisisset certe scriba omnia quae non pertinerent ad honores [v. 7—12]. Quoniam autem omnia quae in senatu constituta erant lapidi sunt incisa, responsa quoque Dionysio in proxima contione data in arce exstructa fuisse verisimile est.

Deinde quo iure attulerit Szanto titulum CIA II 52^{c} non

---

1) Szantonem dico, etsi is Koehlerum laudat huius sententiae auctorem: 'Köhler hat darauf hingewiesen . . . . dass bloss jener Theil, der sich auf die Ehren für Dionysios bezieht, besonders aufgeschrieben wurde und uns so erhalten ist.'

2) v. 7—12.

3) Qui sane aetatem non tulit.

4) 'Die erhaltene Inschrift aber ist unzweifelhaft veröffentlicht worden, um als Urkunde zu dienen über die Dionysius und seinen Söhnen dekretirten Ehren.'

video. Nam de urbanitate quadam tum demum omnino cogitare liceret, si eodem tempore utrumque decretum ratum factum esset. Contra si res ipsae in titulis enarratae diversis temporibus actae sunt, iterum ipsam rerum necessitatem causam fuisse quivis concedet quod non uno tenore de omnibus illis rebus sententiam dixerunt.

Atqui alterum decretum tituli (inde a v. 35 usque ad finem) anno Ol. 102, 4 = 369/8 ratum factum est, alterum (v. 1—34) anno insequenti (Ol. 103, 1 = 368/7)[1]. Ac ne forte quis credat illud factum esse ultimo anni Ol. 102, 4 mense, hoc primis anni Ol. 103, 1 diebus gravissima causa exstat. Verba enim inde a v. 18: *ἀναγράψαι δ[ὲ τ]όδ||[ε τὸ ψ]ή[φι]σμα τὸν γραμματέα τῆς [βου]λ[ῆς] ἐν στήλῃ λιθίνῃ||[ι καὶ σ]τῆσαι ἐν ἀκροπόλει. [ἀν]αγράψαι δὲ κ[αὶ] τ[ὸ] ψήφι[σμα] ε||[ἰς τὴν α]ὐτὴν στήλην ὃ ἀπε[κρ]ίνατο ὁ δῆμος τοῖς πρέσβεσι ||[τοῖς Μυ]τιλην[αίων] το[ῖς] μετὰ [Ἱε]ροίτ[α]* ita haud dubie intellegenda sunt, ut aliam fuisse legationem statuamus eam quae Ol. 103, 1 adfuit Athenis quaeque versu octavo significatur verbis his: *[π]ερὶ ὧν οἱ πρέσβεις οἱ ἐκ Λέσβου ἥκοντ[ες]*, aliam quae anno antecedenti a Mytilenaeis Athenas erat missa. Etenim nisi ita statueris nullo pacto cur addita verba sint *τοῖς μετὰ Ἱεροίτα* explicabis. Hieroetas igitur eo tempore quo confectum est decretum 52[c] v. 1—34 non adfuit Athenis.

Quod confirmatur alia re. Videmus enim inde a versu 24 sat magnum hominum numerum in prytaneum esse vocatum: legatos Mytilenam et in alia Lesbi insulae oppida missos, Mytilenaeorum deinde aliorumque oppidorum synedros. Ergo si illo tempore adfuisset Athenis Hieroetas, quem multo melius de Atheniensium et Mytilenaeorum rebus publicis meritum fuisse quam omnes viros modo enumeratos inde concludendum est, quod in ipso senatus probuleumate statim post ipsorum Mytilenaeorum laudes et honores magnis laudibus effertur, nonne

1) Hoc ipsum cognovit Szanto, ut hoc titulo sententiam suam mirum in modum ipse magis refutet quam adiuvet: 'Dann folgt dies zweite Psephisma aus dem vorhergehenden Jahre, welches den wesentlichen Beschluss, die Antwort an die Mytilenäer, enthält.'

futurum fuisse censebimus ut ipse quoque Hieroetas ad prytaneum vocaretur?[1])

Quae cum ita sint de duplici cogitemus necesse est legatione a Mytilenaeis Athenas missa. Ergo spatium temporis sat amplum intercessisse sumendum est inter titulos 52[c] v. 35 usque ad finem et 52[c] v. 1—34.

Quae sententia confirmatur ipsis titulis. Ex titulo enim CIA II 50 apparet numerum eius prytaniae qua Aeantis tribus munere functa est anno Ol. 103, 1 constitisse sex litteris, quam lacunam numero *πέμπτης* explendam esse docuit Guilelmus Dittenberger[2]). Ergo cum decretum CIA II 52[c] v. 1—34 ipsum quoque ratum factum sit a. Ol. 103, 1 cum Aeantis tribus praesideret, septem menses minimum inter duas illas legationes intercesserunt.

Quae cum ita sint non urbanitati dandum est, quod (in tituli 52[c] versibus 1—34) separatim decretum faciebant Athenienses de honoribus Mytilenaeis deferendis, separatim (in tit. 52[c] v. 35 usque ad finem) de eis rebus quae ad rationem publicam inter Athenienses et Mytilenaeos intercedentem pertinerent.

Ceterum ne illud quidem certum est, in tituli ultima parte sermonem fuisse non de honoribus conferendis sed de rationibus publicis ordinandis. Concedo, ait Szanto, legimus sane v. 37: *[ἐπα]ινέσαι μὲν τὸν δῆμον τὸμ Μυτ[ιλ]|[ηναίω]ν* sed hae sunt merae formulae statimque transitur ad res graviores[3]).

---

1) Ceterum in v. 15 huius tituli legendum est: *καὶ εἶναι πρόσο[δον α]ὐτοῖς [ἐάν του] | [δέωνται] πρὸς τὴ[ν] βουλὴν ἢ τὸν δῆμον πρώ[τοις] μετ[ὰ τὰ ἱε]ρ[ά]*. Cf. MDAI VII p. 317: *[εἶναι δὲ κα]ὶ πρόσοδον Ἀρχίππω[ι κα]ὶ Ἱππά[ρχῳ πρὸς τὴν] | βουλὴν ἐάν του δέωντα[ι πρώ]τοις [μετὰ τὰ ἱερά]*; CIA II 367 v. 6 seqq.: *καὶ πρόσ|[οδον εἶναι αὐτῷ ἐάν του δέηται πρὸς τ]ὴν βουλὴν πρώ|[τῳ μετὰ τὰ ἱερὰ]*; DA 1888 p. 222[a]: *ε[ἶναι δὲ Τηνί]οις πρόσοδον πρὸς τὴν [βουλὴν καὶ τ]ὸν δῆμον μετὰ τὰ ἱερά, ἐ[άν του δέωντ]αι*. Ex his sequitur ea quae exposita sunt a Schuberto de hoc privilegio retractanda esse omnia (*De prox. Att.* p. 32—38).

2) SIG 73[2].

3) 'Dieser beginnt rein formelhaft mit den Worten: *ἐπαινέσαι μὲν τὸν δῆμον τῶν Μυτιληναίων*, um sofort auf den politischen Theil der Sache einzugehen.'

Censet igitur vir doctissimus fere nullius momenti fuisse laudem publicam. Nos certe qui supra quam lente processerit laus in proxeniae euergesiaeque titulis demonstravimus, illa quidem aetate laudem ab Atheniensibus publice conlatam honorem fuisse scimus satis magnum quem nemo repudiaret reiceretque. Ac profecto saepius omittitur prioribus temporibus laus publica in eis decretis quae pertinerent ad exterarum civitatum res ordinandas. Qua de re conferas titulos CIA I 9; 27[a]; 33; 33[a]; 46[b]; CIA II 11 (ante Ol. 98, 2); 17[b] (Ol. 100, 3); 57[b] (Ol. 104, 3); 116 (Ol. 109, 4 = 341/0).

Accedit autem argumentum aliud. Nam cum posterioribus temporibus laudem publicam semper in titulis ceterorum honorum ac privilegiorum agmen ducere videamus, plus valuisse eam apparet ea aetate cum in fine demum titulorum quasi rogatione additiva adderetur. Quod factum est in titulis: BdCH XII p. 139: Ol. 100, 3 = 378/7; CIA II 15[b]: Ol. 101, 4 = 373/2; MDI II p. 144 v. 54: Ol. 104, 2 = 363/2; MDA II p. 206 v. 34—39: Ol. 104, 4 = 361/0; MDI II p. 211: Ol. 105, 4 = 357/6; CIA II 66[b]: Ol. 106, 1 = 356/5; CIA II 136: Ol. 106,4—110,3 = 353—338.

Ex his adparet usque ad medium fere quartum saeculum honori fuisse civitatibus exteris, si laude publica ornarentur ab Atheniensibus. Ergo formulas meras, hoc est inanes, fuisse antiquioribus quidem temporibus verba *ἐπαινέσαι τὸν δῆμον κτλ.* ne tum quidem concedendum est, si initio decretorum locum habebant veluti in titulis: CIA I 56: Ol. 92, 1 = 412/1; DA 1889 p. 25 v. 7 seq.: Ol. 93, 4 = 405/4; MDAI II p. 139 v. 12: ca. Ol. 98, 3 = 386/5; CIA II 52: Ol. 103, 1 = 368/7.

Tali autem laude Athenienses gaudium laetitiamque prodebant quod res cum civitatibus illis actae bene processerant, instigabantque eas ut etiam in posterum faverent Atheniensium reipublicae.

Quae cum ita sint in decreto quoque de Mytilenaeis Ol. 102, 4 facto laudis fuisse sat magnum momentum quivis concedet, praesertim cum causa cur Athenienses censuerint laude

ornandos esse Mytilenaeos non verbis illis sescenties in titulis occurrentibus exprimatur: ὅτι ἄνδρες ἀγαθοί εἰσιν περὶ τὸν δῆμον τὸν Ἀθηναίων, sed accurate definiatur hunc in modum: ὅτι καλῶς καὶ προθύμως συ[νδιε]||[πολέμη]σα[ν] τὸμ πόλεμον τὸν παρελθό[ντ]||[α].

Sed ut mittamus laudem, unde tandem cognitum habet Szanto, omnia ea quae sequuntur inde a versu 40 non ipsa quoque pertinere ad laudes sive privilegia Mytilenaeis concessa? Nam profecto nisi forte Dittenbergeri viri doctissimi supplementa [1]) quae omnia eo valent ut Mytilenaeorum merita enumerentur, prorsus futtilia videntur esse, ad eam sententiam inclinabimus, ut concessa quaedam esse statuamus Mytilenaeis quae postulaverant [2]).

Legati igitur quorum princeps fuit Hieroetas rebus feliciter gestis domum redierunt Ol. 102, 4: 369/8. Mytilenaei autem hac re gavisi paullo post iterum bene meriti sunt de Atheniensibus, sive sua ipsorum sponte sive quod in decreto anni Ol. 102, 4 post honores et privilegia mandatum aliquid eis iussumque erat ab Atheniensibus. Qua re medio anno insequente denuo legati, quorum in numero Hieroetas non fuit, Athenas missi sunt qui quid factum esset nuntiarent, laudes aliosque honores domum reportarent. Quae gesta sint apud senatum et in populi contione, ea in decreti versibus 1—35 comperimus omnia. Etenim aliis quoque de rebus sermonem fuisse propterea negandum est quod non solum senatus probuleuma sed etiam rogatio additiva quae facta est in populi contione in lapide etiam nunc scripta exstant.

Haec fere dicenda erant de titulis CIA II 51 et 52[c].

Aliud autem est argumentum quo Szantonis opinionem falsam esse cognoscitur. Sunt enim tituli quibus apparet, ab Atheniensibus eodem tempore de honoribus et aliis rebus ad exteras civitates pertinentibus decreta facta esse. Quorum in numero gravissimus est tit. DA 1889 p. 25. In versibus

1) SIG 74.
2) Cf. verba ultima: ἀξιοῦσιν δὲ.

enim 7—14 laude publica et civitate Samiorum populus ornatur, inde autem a v. 14 transit decretum ad describendam rationem quae praeterea intercedat inter Samios et Athenienses.

In censum deinde venit tit. CIA II 51 ex quo concludendum esse supra demonstravimus, non solum in eodem senatus consessu sed etiam in eadem populi contione de honoribus et de aliis rebus verba facta esse.

Nec minus dignus est qui adferatur tit. CIA II 108, cuius in posteriore parte, postquam Mysiae satrapae Orontae laudes civitas corona aurea conlatae sunt, res quae ad societatem ineundam ut videtur pertinebant uberrime erant expositae.

Denique huc referendus est ipse tit. CIA II 117 qui totius huius disputationis ansam dedit. Nam verba *καὶ στεφανῶσαι αὐτὸν χρυσῷ στεφάνῳ ἀπὸ χιλίων δραχμῶν* formulas inanes esse ne ipse quidem sibi persuadebit Szanto. Immo luculenter demonstratur hoc titulo Athenienses urbanitate non esse prohibitos, ne uno die de summis honoribus gravissimisque rebus quicquam constituerent.

Sed etiam in singulis rebus aperte erravit Szanto. Primum enim quod dicit, paullo postquam legatus ab Atheniensibus Tenedum in insulam missus redierit[1]), senatum aliquid rogavisse, hoc aperte falsum est, cum *ὁ ἥκων ἐκ Τενέδου*[2]) non sit legatus ab Atheniensibus Tenedum missus sed legatus a Tenediis missus Athenas. Hac de re dubitari non posse primum demonstratur eis titulis in quibus Atheniensium legati et exterarum civitatum inter se opponuntur, veluti in titt. DA 1888 p. 90 v. 9: *δ|[οῦναι δὲ τῷ πεμφ]θέντι πρεσβευτῇ ἐ|[φόδια τὸν ταμί]αν κτλ.* et v. 15: *καλέσ]αι δὲ τὸν ἥκοντα παρὰ | [τοῦ δεῖνος ἐπ]ὶ ξένια κτλ.*; CIA II 15[b] v. 5, 8, 13; II 86 v. 1 seqq.; II 52[c] v. 8, 24.

---

1) p. 148 extr. 'Vielleicht aus Anlass der Rückkehr des athenischen Gesandten aus Tenedos fand es daher der Rath der Athener angezeigt, neuerdings eine Vorlage an die Volksversammlung zu bringen, welche ausschliesslich den gebührenden Ehren gewidmet sein sollte.'

2) Ad haec enim verba alludere Szantonem apertum est.

Saepius deinde in sollemni illa formula a verbis *περὶ ὧν λέγουσιν* incipiente exterarum civitatum legati participio *ἥκοντες* significantur, nunquam Atheniensium, qua de re conferendi sunt titt. CIA II 50; 51; 52[c] v. 8. In his enim similibusque titulis semper intellegendos esse legatos exteros et ipso sententiarum conexu evincitur et ea re, quod saepius in eodem conexu pro verbis *ὁ ἥκων παρὰ τοῦ δήμου τῶν δεῖνα* legitur *οἱ πρέσβεις τῶν δεῖνα,* veluti in titt. CIA II 58; 66; 109 v. 6.

Nec minoris momenti illud videtur esse ad demonstrandum participium *ἥκοντες* semper de exteris legatis adhiberi, quod Atheniensium legati nunquam ad dona hospitalia accipienda invitantur in prytaneum sed semper ad lautia. Ergo sicubi legimus *καλέσαι τὸν ἥκοντα παρὰ τοῦ δήμου τῶν δεῖνα ἐπὶ ξένια* semper intellegantur necesse est legati exteri. Quod fit in titulis his: CIA II 15[b] v. 13: *κ[αλέσαι κ]αὶ ἐπὶ ξένια τοὺ[ς]* | *[πρέ]σβεις [τοὺς παρ' Ἀμ]ύντου καὶ τοὺς π[ε]|[μφθέ]ντα[ς ὑπὸ τοῦ δήμου] ἐπὶ δεῖπνον*; II 66[b] frg. c; 86 v. 25; 115 v. 28; DA 1888 p. 90 v. 15.

Ipsa denique verbi *ἥκειν* notio quominus de Atheniensium legatis cogitemus prohibere videtur, quod ii legati qui Athenis alio missi reverterunt non '*ἥκουσιν*' hoc est 'adsunt', sed '*ἐπανῆλθον*'. Quoniam autem si agebatur de eiusmodi legatis non illud gravissimum erat quod reverterunt sed quod omnino missi sunt vel legati fuerunt, in titulis semper legimus aut *οἱ πρέσβεις οἱ πρεσβεύσαντες* aut, id quod factum est multo saepius, *οἱ πρέσβεις οἱ πεμφθέντες ὑπὸ τοῦ δήμου.* Quae cum ita sint in titulo quoque CB 1887 p. 1190 n. 15 *τὸν ἥκοντα ἐκ Τενέδου* eum esse qui venerat Tenedo ex insula Athenas adparet.

Quae deinde scripsit Szanto: 'Ein Vorgang der auch deswegen nöthig war, um die zu ehrenden Tenedier in die Versammlung einzuführen' satis obscure videntur esse dicta. Aliud enim est aliquem in contionem adducere, aliud eum ornare honoribus.

Porro cur senatus si omnino mos ille quem statuit Szanto apud Athenienses fuisset dubitare debuerit, denuo coronam

illam Tenediorum civitati conferre plane me fugit[1]), praesertim cum Arati corona in decreto utroque commemoretur. Nam profecto hoc honore neglecto multo maiorem intulisset iniuriam populus Atheniensis Tenediorum civitati, quam si omisisset omnino denuo eosdem honores proponere. Ipsa vero hac re quod corona neglecta est, quam inanis sit tota Szantonis de Atheniensium urbanitate sententia luculenter demonstratur.

Mira etiam sunt sequentia, quibus cur senatus decretum alterum lapidi incidi non iusserit excusare studet Szanto. Etenim cur tandem hercle a senatu denuo honores illos conlatos esse putemus nisi eo consilio, ut lapis in arce exstructus testis esset urbanitatis Atheniensium?

Sed haec hactenus. Demonstrasse enim mihi videor quam debili fundamento exstruxerit Szanto aedificium, quantisque difficultatibus se ipse implicaverit. Quae cum ita sint multo probabiliora videntur esse ea quae ipsi supra de titulorum illorum ratione exposuimus.

8. Tit. CIA II 143. Homo Salamine ex Cypri insulae oppido oriundus collaudatur et corona ornatur cuius genus incertum est.

9. Tit. CIA II 159[b] (add. nov.). Coronantur duo homines coronis quae singulis milibus drachmum constant. De peregrinis autem cogitandum esse magna cum verisimilitudine inde colligitur quod formulam legimus v. 5 *τῆς εἰς τὸν δῆμον τὸν Ἀθηναίων.* In eis enim decretis quae pertinent ad Athenienses omitti solent verba *τὸν Ἀθηναίων,* id quod demonstratur ut exempla nonnulla adferam titulis CIA II 190 v. 24: *[ἀρετῆς ἕ]νεκ[α] καὶ δικαιοσύνης τῆς εἰ|[ς τὴν βου]λὴν [κ]αὶ τὸν δῆμον καὶ στεφαν|[ῶσαι] κτλ.*; CIA II 258 v. 16: *ἀρετῆς ἕνεκα καὶ δικ|αιοσύνης τῆς εἰς τὴν βουλήν. ἀναγ|ράψαι κτλ.*; II 325 v. 26; 326 v. 9; 335 v. 7; 338 v. 7; 341 v. 9; 374 v. 29.

Quae coniectura alia re adiuvatur. Verba enim *εὐνοίας ἕνεκα καὶ φιλοτιμίας* (v. 4) semper de peregrinis dicuntur solis

1) 'Aber die nochmalige Gewährung eines Goldkranzes, welche in zwei verschiedenen Beschlüssen beurkundet gewesen wäre, schien den athenischen Rathsherren doch eine zu bedenkliche Sache zu sein.'

exceptis titulis aetatis admodum recentis quibus agitur de Theseorum ludorum agonothetis.

10. Tit. CIA II 164: Colophoniorum civitas corona aurea ornatur, oleagineis legati.

11. Tit. CIA II 165: Num hoc titulo solus ille corona ornatus sit cuius nominis vestigia etiamnunc in lapide conspiciuntur dubium est. Etenim cum Prienensium legati commemorentur, etiam ipsam civitatem coronatam esse haud mala est coniectura. In primo autem versu post verba ἔγκτησιν γῆς καὶ οἰκίας olim vix aliud legebatur nisi [οἰκοῦντι Ἀθήνησιν· εἶνα]ι δὲ [αὐτῷ], quamquam versus orietur ut in v. 9 non 37 sed 35 litterarum. Lacuna v. 8 inter δήμου et δραχμάς fere necessario explenda est sic: ⁝ΔΔΔ⁝, cum quinquaginta drachmum pretium semper fere signo 𐅄 exprimatur[1]).

12. Addere liceat hoc loco titulum in EA 1886 col. 217 publici iuris factum, quem et ipsum pertinere ad Prienenses quosdam verisimile est. Confitendum tamen est minime certum esse, num coronis ornati sint viri ultimis versibus commemorati, cum de tempore tituli non satis constet[2]).

13. Tit. CIA II 166. Quis coronatus sit non constat.

§ 27.

Tertia huius capitis paragrapho enumerabo titulos inter Ol. 112 et 116 exaratos. Etenim inde ab anno fere 331 omnibus in titulis qui quidem pertineant ad honores exteris conferendos corona quoque aurea sive oleaginea decernitur[3]).

1. Tit. MDAI VIII p. 211 v. 29—66: Ol. 112, 3 = 330/29. Heraclides Salaminius corona aurea ornatur.

2. Tit. CIA II 178: Ol. 112, 4 = 329/8. Pertinet decretum ad Coeri filium Larisaeum.

3. Tit. CIA II 175: eadem fere aetate. Aetoli quidam pater et filius honoribus afficiuntur.

1) Cf. tamen DA 1889 p. 92.

2) Paulo pleniorem huius decreti proposuit formam Thomas Lenschau in dissert. *De rebus Prienensium.* Stud. Lipsiens. XII p. 185.

3) Tit. CIA II 183 non continet decretum honorarium. Tit. autem II 222 pertinet ad homines supplices.

4. Tit. CIA II 186: Ol. 114, 3 = 322/1. Euenor Euepii filius corona oleaginea enctesi epimelia ornatur.

5. Tit. CIA II 194: Ol. 112, 3—113, 3 = 330/26. Homo in Asiae quodam oppido habitans honoratur.

6. Tit. CIA II 195: Eodem fere tempore. Cyprius quidam corona ornatur quae est mille drachmum.

7. Tit. CIA II 196: Eodem fere tempore. Mnemon quidam ornatur.

8. Tit. CIA II 197: Eodem fere tempore. Milesiorum civitas ornata videtur esse.

9. Tit. CIA II 206: Ante Ol. 115 = ante a. 320. Philomelus quidam.

10. Tit. CIA II 214: Ante Ol. 115. Pharsalius quidam.

11. Tit. CIA II 218. Mytilenaei.

12. Tit. CIA II 219. Oenaeus.

13. Tit. CIA II 220. Homo ignotus.

14. Tit. CIA II 193: Ol. 115 = 320/16. Eurylochus Cydonia ex Cretae oppido oriundus.

15. Tit. CIA II 230[b]: Ol. 115. Archippus.

16. Tit. CIA II 231[a]: Ol. 115, 3 = 318/7. Thibron Lacedaemonius corona aurea ornatur cuius pretium videtur fuisse mille drachmum.

17. Tit. MDAI V p. 321 = H XXIV p. 146. Hoc decretum ipsum quoque Ol. 115 ratum factum esse mihi quidem persuasum est, quamquam Koehlerus qui primus titulum edidit pertinere eum censuit ad annonae caritatem qua Athenienses inter annos 330 et 326 opprimebantur. Namque etsi Wilhelmus Wilamowitzio auctore e litteris v. 1 . . . . . *οι* pagi cuiusdam nomen, fortasse *Ἐροιάδης*, enucleari p o s s e contendit, tamen cum rarissime omnino inveniantur talia compendia in d e c r e t i s Atticis, nunquam in nomine eius qui populum in suffragia mittit, admodum verisimilis et paene certa videtur esse ea sententia qua *συμπρόεδροι* in titulo scriptum exstitisse existimaverim. Quod vero Wilhelmus fortasse iam paullo ante annum Ol. 115, 2 = 319/8 symproedros fuisse contendit, hoc etsi non prorsus negandum tamen minime ita sumendum est, ut

nomen illud sine gravissimis causis inferamus titulis decem annis ante illud tempus exaratis.

Quae cum ita sint ad annum fere 320 descendendum censeo. Nec profecto quicquam est quo ne hoc faciamus impediamur, cum Athenienses omnibus temporibus frumento aliunde petito et allato usos esse constet.

Sed non solum de aetate ambigitur sed etiam de ipso textu. Atque ipse Wilhelmus quae proposuit sibi haud ita placere libere professus est, cum et vox *μεδίμνους* iterata offenderet et verba *φίλος ὢν καὶ εὐεργέτης* inter se coniuncta a titulorum sermone abhorrerent. Maiorem vero scrupulum ultimi versus litterae movent (ΤΟΥ), quae non possunt coniungi cum antecedentibus nisi ita ut scribatur [*εἶναι δὲ* sive *καὶ εἶναι αὐτὸν καὶ*] *τοὺ*[*ς ἐκγόνους*]. At sic profecto spatium non est coronae, qua ornatum esse hominem illum de republica satis meritum necessario fere statuendum est. Ergo missam faciamus verbum *μεδίμνους*, mutemus nomen *φίλος* in *πρόξενος*, participium *ποιῶν* in *ποιεῖ*, totamque tituli posteriorem partem sic conformemus:

[ὁ δ' ἀ δ ε λ φ ὸ ς κ α ὶ ἐ ν] τ ῶ ι π ρ ό σ θ ε ν χ ρ [ό]
[ν ω ι κ α ὶ ν ῦ ν π ρ ό ξ ε ν] ο ς ὢ ν κ α ὶ ε ὐ ε ρ γ
[έ τ η ς τ ο ῦ δ ή μ ο υ τ ο ῦ Ἀ θ] η ν α ί ω ν π ο ι [ε]
[ῖ ὅ τ ι δ ύ ν α τ α ι ἀ γ α θ ὸ ν δ] ε δ ό χ θ α ι τ [ῷ]
[ι δ ή μ ω ι ἐ π α ι ν έ σ α ι Ε ὐ χ ά] ρ ι σ τ ο ν Χ ε
[nom. patris κ α ὶ τ ὸ ν ἀ δ ε λ φ ὸ ν α ὐ] τ ο ῦ [κ α ὶ]
[σ τ ε φ α ν ῶ σ α ι κτλ.

18. Eidem fortasse aetati attribuendus est tit. CB 1887 p. 1190 n. 16. Quaeritur autem quemadmodum titulo inferamus coronam. Haud enim ita facile id fieri posse videtur. Namque ex versibus 9—13 quos restituendos esse adparet hunc in modum:

[τ ὸ δ ὲ τ ὸ ψ ή φ ι σ μ α τ] ὸ ν γ ρ α μ μ α τ έ α τ ὸ ν κ [α τ]
[ὰ π ρ υ τ α ν ε ί α ν ἐ ν σ] τ ή λ η ι λ ι θ ί ν η ι κ α ὶ [σ τ]
[ῆ σ α ι ἐ ν ἀ κ ρ ο π ό λ ε] ι ε ἰ ς δ ὲ τ ὴ ν ἀ ν α γ ρ α φ [ὴ]

[ντῆςστήληςδοῦν α]ιτὸνταμίαντοῦδήμ
[ου..δραχμὰςἐκτ ῶν]κατὰψηφίσματαάν
[αλισκομένων]

cognoscitur singulos versus fuisse litterarum 31.

Iam si scripseris, id quod poscere videntur litterarum reliquiae v. 3: *καὶ στεφανῶσαι αὐτῶν ἕκαστον* sive *ἑκάτερον χρυσῷ* sive *θαλλοῦ στεφάνῳ* relinquetur inter *στεφάνῳ* et *εὐνοίας* spatium aut quattuor aut trium litterarum, quod quomodo expleatur nemo dicet.

Hac difficultate diu perpensitata mendum paullo gravius latere mihi persuasi medelamque paravi eam ut lapicidae neglegentia vocabulum omissum esse censerem. Scriptum enim fuisse puto in decreto: *στεφανῶσαι δ' αὐτῶν ἑκάτερον χρυσῷ στεφάνῳ ἀπὸ 𐅄 δραχμῶν.* Lapicida autem cum scripsisset *χρυσῷ* initioque novi versus syllabam ΩΙ posuisset, ipsis his litteris seductus est, ut se exarasse iam arbitraretur *στεφάνῳ* omitteretque hoc vocabulum gravissimum:

ΕΙΑΙΕ/\L
[.......ἐπαινέ]ΣΑΙΜ[ἐν]ΠΛ[....καὶ...]
[...στεφανῶσαιδ']αὐτῶ[νἑ](κ)[άτερονχρυσ]
[ῶιἀπὸ𐅄δραχμῶνε]ὐνοίαςἕνε[κακαὶφιλ]
[οτιμίαςτῆςεἰςτ]ὸνδῆμοντὸν[Ἀθηναίω]
[νεἶναιδὲαὐτοῖς]καὶπροεδρίαν[ὅτανο]
[ἱτραγωιδοὶῶσιτ]ὸνδὲἀρχιτέκτ[οναπρ]
[οσάγειναὐτοὺςε]·ἰςθέαν·ἀναγράψα[ιδὲ]
[τόδετὸψήφισματ]ὸνγραμματέατὸνκ[ατ]
[ὰπρυτανείαν κτλ.

Cum populi quaestor v. 12 commemoretur decretum quarto saeculo certe non recentius est. Deinde cum coronae non *κατὰ τὸν νόμον* conlatae sint, etiam Olympiadem 116 superare iubemur. Demetrii enim aetati quominus attribuamus ea re impedimur, quod paucissimi exstant tituli honorarii inter Ol. 115 et 118 exarati.

§ 28.

Hos ipsos autem titulos recenseamus iam necesse est:

1. Tit. CIA II 233. Cythniorum civitas corona aurea ornatur, quorum pretium fuisse videtur mille drachmum. Quod ornamentum cui praeterea hoc titulo conlatum sit nescitur. Factum esse decretum suspicatur Koehlerus anno fere Ol. 116, 2 = 315/4.

2. Tit. CIA 234: Ol. 116, 3 = 314/3. Asander Agathonis filius Macedo.

3. Tit. CIA 237: Ol. 117, 3 = 310/9. Hoc fuisse decretum honorarium ex litteris ANT ipsi decreto praemissis licet conicere.

Post annum Ol. 118, 2 = 307/6 crescit titulorum numerus, qui ea maxime re differunt a decretis priorum temporum quod addita est verbis *καὶ στεφανῶσαι αὐτὸν χρυσῷ στεφάνῳ* formula *κατὰ τὸν νόμον*. Quae ita haud dubie intellegenda est ut lege quadam accurate praescriptum fuisse censeamus ac definitum, qui peregrini coronis aureis essent ornandi. Quaeritur autem quo anno haec lex promulgata sit. Ac titulis CIA II 249 et 263 collatis factum hoc esse adparet aut anno Ol. 118, 4 = 305/4 aut a. Ol. 119, 1 = 304/3. Illo enim in titulo, qui exaratus est Ol. 118, 3 = 306/5 corona confertur cuius pretium accurate definitum est, contra in titulo II 263 anno 119, 2 = 303/2 exstructo primum legimus verba *κατὰ τὸν νόμον* cum corona aurea coniuncta.

Dubitationi vero obnoxius est annus quo legem abrogatam esse censeamus. Inde enim quod decretum CIA II 300 ultimum est ita comparatum ut et annus certus sit (Ol. 121, 2 = 295/4) et verba legantur *χρυσῷ στεφάνῳ κατὰ τὸν νόμον* nihil concludere licet, propter numerum satis magnum eorum civitatis deretorum quae classi septimae attribuenda sunt. Ergo etiam post annum Ol. 121, 2 = 295/4 legem valuisse certum est, neque absona videtur esse ea sententia qua usque ad annum fere Ol. 123, 3 = 286/5 legem durasse existimaverim, cum titulo quoque CIA II 312 ultimo anni Ol. 123, 2 = 287/6 mense in arce exstructo maxima cum verisimilitudine inferatur corona aurea

secundum legem data. Quod si statuerimus et spatium habebimus satis amplum idoneumque cui omnes tituli coronam legitimam exhibentes accommodentur.

Accedit autem aliud argumentum idque gravissimum quo initio anni Ol. 123, 3 = 286/5 legem de peregrinis coronandis abrogatam esse evincitur. In titulo enim CIA II 567 illo ipso anno in arce exstructo coronantur Aegeidis tribus senatores a senatu et populo corona aurea *κατὰ τὸν νόμον*. Nono autem huius anni mense senatores illi etiam a contribulibus corona aurea ornantur (utrum fuerit corona *κατὰ τὸν νόμον* an *ἀπὸ δραχμῶν* dubium est). Iam Koehlerus ut explicaret, cur tum demum corona esset decreta, donum fortasse quoddam votivum senatorum octavo demum mense confectum esse suspicatus est. Ego aliam explicationem proposuerim, quae paullo probabilior esse videatur. Censeo enim medio fere anno Ol. 123, 3 = 286/5 legem promulgatam esse, qua aut omnium tribuum prytanes, si munere bene functi essent, aut ii qui optime rem gessissent, corona aurea ornarentur. Quae lex statim erga eos prytanes adhibita est, qui anno antecedenti regnaverant. Octavo igitur fere mense Aegeidis tribus senatores coronati sunt a senatu et populo, paullo post a contribulibus.

Eodem autem anno legem quoque de ephebis (cf. CIA II 316), aliis magistratibus, de civibus omnino Atheniensibus coronandis (cf. CIA II 331) promulgatam esse conicere licet. Ergo cum post annum Ol. 123, 2 = 287/6 nullus inveniatur titulus in quo peregrinus corona aurea secundum legem coronetur, deinde cum medio fere anno Ol. 123, 3 = 286/5 leges latae sint de civibus Atheniensibus coronandis certa fit conclusio ea, qua initio anni Ol. 123, 3 = 286/5 legem de peregrinis coronandis abrogatam esse censeo.

Hic dixerit quispiam, iam diu ante annum Ol. 123, 3 = 286/5 legem quandam de civibus coronandis valuisse, legem nimirum illam veterem ex Androtionea maxime notam, secundum quam totus senatus corona aurea ornandus esset si munere bene functus esset et ante omnia naves aedificandas curasset.

At in lege illa non scriptum erat, senatum coronandum esse, si munere bene functus esset, sed scriptum erat, senatui non licere coronam petere, nisi naves curasset aedificandas. Ergo lege illa non iussum est quicquam, sed cautum (cf. Dem. *Androt.* p. 587 extr.: *δεύτερον δὲ ὑπεναντίον ἐκείνῳ τῷ νόμῳ τῷ κελεύοντι μὴ ποιησαμένην τὴν βουλὴν τὰς τριήρεις μὴ αἰτεῖν δωρεάν*). Itaque nunquam in eis titulis prioris aevi qui pertinent ad senatum corona ornandum sive ornatum, inveniuntur verba *κατὰ τὸν νόμον* (cf. CIA II 871; 872; 873; 1156; 1157; 1159). Haec enim verba tum demum adhiberi potuissent, si quis rogavisset: *ἐπειδὴ ἡ βουλὴ ἡ ἐπὶ τοῦ δεῖνος ἄρχοντος οὐκ ἐποιήσατο τὰς τριήρεις δεδόχθαι τῷ δήμῳ, μὴ στεφανῶσαι αὐτὴν χρυσῷ στεφάνῳ κατὰ τὸν νόμον.*

Similiter in eis decretis antiquioribus, quibus civitas alicui decernebatur, nunquam inveniuntur verba *κατὰ τὸν νόμον* cum formula coniuncta quae est: *εἶναι τὸν δεῖνα Ἀθηναῖον αὐτὸν καὶ ἐκγόνους* — quamquam legimus in oratione contra Neaeram habita (p. 1375): *πρῶτον μὲν γὰρ νόμος ἐστὶ τῷ δήμῳ κείμενος μὴ ἐξεῖναι ποιήσασθαι Ἀθηναῖον ὃν ἂν μὴ δι' ἀνδραγαθίαν εἰς τὸν δῆμον τὸν Ἀθηναίων ἄξιον ᾖ γενέσθαι πολίτην.*

Quae cum ita sint falso verba *κατὰ τὸν νόμον* titulo CIA II 741 (p. 511) inlata esse a Koehlero mihi quidem persuasum est. Legimus enim v. 18:

[σ τ έ φ α ν ο ς ὃ ν ἡ β ο υ λ ὴ ἡ ἐ π ὶ Χ]α ι ρ ώ ν δ ο υ
[ἄ ρ χ ο ν τ ο ς ἀ ν έ θ η κ ε ν σ τ ε φ α ν]ω θ ε ῖ σ α
[ὑ π ὸ τ ο ῦ δ ή μ ο υ κ α τ ὰ τ ὸ ν ν ό μ ο]ν

Senatus profecto non secundum legem coronatus est, sed non contra legem. Ergo aliter lacuna est explenda, atque ita quidem ut alius cuiusdam civitatis nomen scriptum in ea fuisse censeamus: [*ὑπὸ τοῦ δήμου τῶν . . . .*]*ν*.

Sed redeamus ad titulos inter annos Ol. 118, 2 = 307/6 et 304 exaratos.

4. Tit. CIA II 238: Ol. 118, 2 = 307/6. Regis Antigoni familiaris quidam honoratus videtur esse.

5. Tit. CIA II 241: Eodem anno. 'Fragmentum decreti in honorem Aristodemi Milesii fortasse facti'.

6. Tit. CIA II 247: Ol. 118, 3 = 306/5. *Οἱ οἰκεῖοι οἱ Λυκίσκου.*

7. Tit. CIA II 249: Eodem anno. Timosthenes Demophanis filius Carystius corona mille drachmum ornatur.

8. Tit. CIA II 251. Aetas huius decreti, quod inter annos 307 et 300 ratum factum esse adnotat Eustratiadis propter verba *χρυσῷ στεφάνῳ ἀπὸ χιλίων δραχμῶν* ita paullo accuratius definitur, ut non post annum 304 titulum in arce exstructum esse dicamus. Memorabilis autem est titulus eo quod Asclepiadi Byzantio non solum corona aurea sed etiam proedria et statua aënea decernitur. Ceterum formulam v. 4: [*καὶ στεφα*]|[*νῶσαι α*]*ὐτὸν χρυσῷ στεφάνῳ ἀπὸ* [*χιλίων δ*]|[*ραχμῶν*] male repetitam esse in v. 16 adnotandum est. Etenim quominus duplicem coronam conlatam esse credamus eo impedimur quod v. 16 legimus: [*τ*]|[*ῆς δὲ ποι*]*ήσεως τοῦ στεφάνου καὶ τ*[*ῆς εἰκόν*]|[*ος ἐπιμε*]*λη*[*θ*]*ῆναι τὸν ἐπὶ τεῖ διο*[*ικήσει*].

9. Tit. CIA II 252 + MDAI V p. 322: Ol. fere 118, 4 = 305/4. Heracleota corona oleaginea ornatur.

10. Tit. CIA II 253: post Ol. 118, 2 = 307/6. Colophoniis honores decernuntur.

§ 29.

Iam sequuntur tituli quibus aut corona aurea secundum legem conceditur aut corona tantum oleaginea (Ol. 119, 1—123, 3 = 304/3—286/5):

1. Tit. CIA II 254: Ol. 119, 2/3 = 302. Civitas quaedam ornatur corona legitima.

2. Tit. CIA II 259: Ol. 119, 2 = 303/2. Peregrinum respici conicies ex litteris v. 16: [*δ*]*ραχμ* . .; v. 17: *χιλιο* . .; v. 24: [*ἐ*]*πιδο*[*υ* . . . . Metoecos enim aliosque peregrinos saepissime propter *ἐπιδόσεις* laudari et honorari hisce titulis cognoscitur: CIA II 143; 176; 187; 227; 354; 380; 389; 413; MDAI VIII p. 213 v. 55; p. 211 v. 29; V p. 322 v. 11: H XXIV p. 331; *Ἀθ.* VI p. 135 n. 10; DA 1889 p. 91 v. 28 seq.

3. Tit. CIA II 264: Ol. 119, 2 = 303/2. Demetrii regis familiaris. Hunc *χρυσῷ στεφάνῳ κατὰ τὸν νόμον* ornatum esse non *θαλλοῦ στεφάνῳ* inde colligitur quod illa quidem aetate regum amicos nunquam videmus esse honoratos simplici corona oleaginea: CIA II 243; 263; 300; CB 1887 p. 1062, 5. Accedit quod decretum II 263 eodem die factum et ab eodem Stratocle rogatum ipsum quoque exhibet coronam legitimam.

4. CIA II 266: ca. Ol. 119, 2. Dux Ptolemaei filii Demetrii.

5. CIA II 267: Eodem fere tempore. *Σωματοφύλακες* Antigoni et Demetrii.

6. CIA II 268: Ol. 118, 2/119, 4 = 307/0. Familiaris Antigoni et Demetrii.

7. DA 1888 p. 186. Titulus ad Antigoni et Demetrii familiarem referendus est.

8. CIA II 269: Ol. 119, 3 = 302/1. In huius tituli decreto priore verba [*κατὰ τὸν*] *ν*[*ό*]*μόν* respicere ad coronam auream paene certum est, nisi forte decretum ante Ol. 115 ratum factum esse statues, ita ut referenda sint verba ad ius domos agrosque possidendi cum proxenia secundum legem coniunctum.

9. CIA II 270 + DA 1889 p. 90: Ol. 119, 3 = 302/1. Nicander Antiphanis f. Iliensis et Polyzelos Apollophanis f. Ephesius coronis oleagineis ornantur.

10. CIA II 271: Ol. 119. Homo ignotus.

11. CIA II 276: Fine saec. IV. Num peregrinus respiciatur certum non est, cum de coronae genere non constet.

12. CIA II 279. Isotelia conferebatur.

13. CIA II 281. Peregrinus videtur fuisse.

14. CIA II 283. Pariorum civitas.

15. CIA II 285. Ex ultimis maxime verbis [*ἀφι*]*κνουμέ*[*ν*]*ων εἰς* .... de peregrino sermonem esse elucet. Saepissime enim exteri propterea collaudantur, quod curam habuerint eorum Atheniensium qui in patriam suam pervenirent: CIA I 45; BdCH XIII p. 152 seq.: Ol. 93, 1 = 408/7; SIG n. 101 v. 49: Ol. 108, 2 = 347/6; CIA II 118: Ol. fere 109 = 344/0; 124;

161; 193; 194; 234; 249; 263; 311; 312; 313; 352; 378; 386; 407; 433; 436; 439; 464; MDAI V p. 329 n. 14 v. 7; p. 327 n. 13 v. 6. Notatu autem dignum est quod in titulis qui medio fere saeculo tertio sunt recentiores semper pro *τοῖς ἀφικνουμένοις Ἀθηναίων* legitur *τοῖς ἀφικνουμένοις τῶν πολιτῶν*: CIA II 378 seqq.

Illud deinde omittere nolui saepius in titulis recentioris aevi pro *ἀφικνουμένοις* legi verbum *ἐντυγχάνειν* sive *περιτυγχάνειν*; CIA II 314 v. 29 (Archon Euthios): *καὶ τοῖς ἀεὶ περιτυνχάνουσιν Ἀθηναίων*; II 401 (Archon Dionysios): *καὶ ἰδίᾳ τοῖς ἐντυνχάνουσιν τῶν πολιτῶν*; II 437: *καὶ ἰδίᾳ [ἑκάστῳ τῶν ἐντυ]νχανόντων*; EA 1886 col. 139 v. 11: *καὶ ἰδίᾳ ἑκάστῳ[ι εὔνοιαν ἀποδεικν]ύμενος οἷς ἂν περιτυ[γχάνῃ]*.

16. CIA II 292: Fine saeculi IV. Legendum est:

[τὰσυμφέρ]
οντατῶιδή[μωιτῶιἈθηναίωνκαὶστ]
εφανῶσαια[ὐτοὺςχρυσῶιστεφάνωι]
κατὰτὸννό[μονἀρετῆςἕνεκακαὶἀν]
δραγαθία[ςτῆςεἰςτὸνδῆμοντὸνἈθ]
ηναίωνε[ἶναιδὲαὐτοῖςκαὶἐςτὸνλ]
οιπὸγ[χρόνονἐνδεικνυμένοιςτὴν]
εὔνοια[ν....

17. Tit. CB. 1887 p. 1062 n. 5. Decretum adscribendum est annis inter Ol. 118, 2 et 119, 4 intercedentibus cum v. 5 commemorentur reges haud dubie Antigonus et Demetrius: *[παρὰ τοῖς β]ασιλεῦσι δ[ιατ]ρίβω[ν] ἐνδ[ε]ίκ[ν]υ[ται τὴν εὔνοιαν τῷ δήμ]ῳ [λ]έ[γ]ων κ[αὶ] πράττω[ν] ἀγα[θ]ὸν ὅ[τ]ι [ἂν δύνηται]*. Corona aurea confertur secundum legem. Haec enim legebantur olim v. 14: *[ἀρετῆς ἕν]ε[κ]α κα[ὶ εὐνοίας τῆς εἰς τὸν δῆ]μ[ον] τ[ὸ]ν Ἀθην[αίων καὶ στεφα]νῶσ[αι αὐτὸν χρυσῷ στεφάνῳ κατ]ὰ τὸν ν[ό]μ[ον]*. Versus igitur fuerunt litterarum 44. Itaque v. 3 sic supplebitur: *δια[τελεῖ] εὔν[ους ὢν τῷ δήμῳ τῷ Ἀθ[η]να[ί]ων* et v. 9: *[τὰ] συν[φέροντα τοῖς τε βασιλεῦ]σιν [καὶ] τ[ῷ δήμ]ῳ τῶ[ι] Ἀθ[η]ναίων*. Reliqua intacta relinquam.

18. Tit. CB 1887 p. 1061 n. 4: Fine saec. IV vel initio saec. III; cum legamus v. 9 ·τὸν ἐπὶ τῇ διοικήσει non post annum Ol. 121, 3 = 294/3. Decretum pagina insequenti restitutum est.

Adparet autem neque singulos versus fuisse eiusdem longitudinis neque ordinem semper esse servatum.

19. Tit. Ἀϑ. VI p. 386 n. 4. Decretum adscribo anno Ol. 120, 4 = 297/6. Reuschius enim [1]) sic restituit primos tituli versus:

Ἐπὶ . . . . ἄρχοντος ἐπὶ] τῆς Ἐρεχϑεῖδος δευ[τ]
έρας πρυτανεί ας ῇ ι Αὐτόλυκο]ς Λύκου Ἀλωπεκῆϑεν
ἐγραμμάτευεν Μεταγειτνιῶνο]ς δεκάτει ὑστέραι
μιᾶι καὶ εἰκοστῆι τῆς πρυτανε ί]ας ἐκκλησία τῶν π
ροέδρων ἐπεψήφιζεν . . . .] Ἀμεινίου Ξυπετα

Hinc elucet Euxenippi anno (Ol. 118, 4 = 305/4) attribui non posse titulum id quod voluit Koehlerus (cf. CIA II 252 [b]), cum annum tituli fuisse communem discamus, annum vero Euxenippi intercalarem fuisse inter viros doctos constet. Ergo alium annum inveniamus necesse est. Ac si omnia archontum nomina quae omnino praesto sunt usque ad annum 277 perlustraverimus, sive Wilamowitzii rationes secuti sive Ungeri, unum inveniemus ita conformatum ut neque scribae nomen notum sit et litterae archontis conveniant: annum Antiphatis Ol. 120, 4 = 297/6. Ultra vero annum 277 descendere non licebit cum agatur de titulo quem fine quarti saeculi in arce exstructum esse ex litteratura concluserit Koehlerus. Dolendum autem est quod in titulo CIA II 319 quem ipsum quoque anno 297/6 confectum esse Ungerus coniecit [2]), scribae nomen non exstat in praescriptis. Pertinet titulus ad Lysimachi familiarem quendam.

20. Tit. DA 1888 p. 222 [b]. Maximi momenti videtur esse hoc decretum, cum archontem adhuc ignotum in eo cognoscamus. Laudatur autem Teniorum respublica, ornatur corona aurea secundum legem, veteraque privilegia eis confirman-

---

1) l. l. p. 42.
2) Philol. XXXVIII p. 456 adn.

Tit. CB 1887 p. 1061 n. 4.

[γνώ]
[μην] δὲ ξυμβ[άλλεσθαι τῆς βουλῆς εἰς τὸν δῆμον]
[ὅ]τι δοκεῖ τῆι βουλ[ῆι ἐπαινέσαι τὸν δῆμον τὸν Ἐρυ]
θραίων καὶ στεφ[ανῶσαι αὐτὸν χρυσῶι στεφάνωι κατὰ]
τὸν νόμον εὐνοί[ας ἕνεκα καὶ ἀρετῆς τῆς εἰς τὸν δῆμ]
ον τὸν Ἀθηναίων [ἀναγορεῦσαι δὲ τὸν στέφανον Δι]
ονυσίοις τραγωιδ[ιῶν καινῶν τῶι ἀγῶνι τῆς δὲ ποι]
ήσεως καὶ τῆς ἀν α[γορεύσεως τοῦ στεφάνου ἐπι]
[μ]εληθῆναι τὸν ἐπὶ [τῆι διοικήσει εἶναι δὲ αὐτοῖς κ]
[αὶ] προεδρίαν ἐμ πᾶ[σιν τοῖς ἀγῶσιν οἷς ἡ πόλις τί]
[θησι ἐ]παινέσαι δὲ κ[αὶ τοὺς πρέσβεις τοὺς ἥκον]
[τας παρὰ] τοῦ δήμου [τοῦ Ἐρυθραίων καὶ στεφανῶσ]
[αι ἑκάτε]ρον αὐτῶν [θαλλοῦ στεφάνωι]
πολλ

tur. Legatus eorum ipse quoque publice collaudatur, corona oleaginea honoratur, in prytaneum vocatur.

Iam cum post annum 286 non inveniatur in titulis ad peregrinos spectantibus corona aurea secundum legem, ante illum annum Urium archontis munere functum esse adparet. Atqui de archontibus annorum:

Ol. 122, 3 = 290/89 (Diocles),
Ol. 122, 4 = 289/8 (Callimedes),
Ol. 123, 1 = 288/7 (Thersilochus),
Ol. 123, 2 = 287/6 (Diotimus),
Ol. 123, 3 = 286/5 (Isaeus),

nulla iam videtur esse dubitatio inter viros doctos [1]). Altera ex parte archontes anno 295/4 antiquiores et ipsi certi sunt. Ergo Urius uni ex annis 294, 293, 292, 291 necessario attribuendus est. Cum vero Urii annus fuerit communis excluditur etiam annus Ol. 122, 1 = 292/91. Iam cum anno 294/3 aut 293/2 Olympiodorus archon fuerit, deinde cum in Dionysii archontum indice post Ol. 121, 2 = 295/4 unum nomen excidisse et Koehlerus suspicatus sit [2]) et Wilamowitzius comprobaverit, facile mecum ad eam sententiam inclinabis ut aut ante vocem ΟΛΥΜΠΙΟΔΩΡΟΣ aut post eam nomen ΟΥΡΙΟΣ neglectum esse a Dionysio vel potius a librario quodam tibi persuadeas. Quod sane facillime fieri potuit et propter litterarum similitudinem et cum Urii nomen rarissimum fuerit apud Graecos. Quod si recte statuerimus archontes inde ab anno 294 erunt:

Ol. 121, 3 = 294/3: Olympiodorus sive Urius (ann. comm.),
Ol. 121, 4 = 293/2: Urius sive Olympiodorus (ann. comm.),
Ol. 122, 1 = 292/1: Philippus (ann. intercal.),
Ol. 122, 2 = 291/0: vacat adhuc (ann. comm.),
Ol. 122, 3 = 290/89: Diocles (ann. comm.).

1) Unger. Philol. XXXVIII p. 465 seqq.; 482 seqq.; et Philol. Suppl. V p. 690; 693 seqq.; Wilamowitz. *Antig. Karyst.* p. 241 seqq.; Reusch. l. l. p. 117; Dittenberger. H II p. 296; SIG n. 139 seqq.

2) ad CIA II 300.

Sed patet paullo latius haec quaestio. Nam cum in titulo illo collegium quaestorum commemoretur (v. 22: τοὺς ἐπὶ τῇ διοικήσει), iam ante a. Ol. 122, 3 = 290 ab uno viro munus pecunias dispensandi transiisse ad complures admodum fit verisimile. Cum vero solis Panathenaeis (tertio quoque Olympiadis anno) novi quaestores creati sint apud Athenienses, collegium illud τῶν ἐπὶ τῇ διοικήσει anno Ol. 121, 3 = 294/3 primum munere functum esse evincitur. — Apparet autem hanc sententiam etiam tum recte se habere si quis attribuerit Urium anno Ol. 122, 2 = 291/0.

Ex his sequitur, ut hoc statim addam, cum per paucos annos post a. 300 exetastarum et trittyarchorum collegium lapides incidendi munere functum esse ex titt. CIA II 297 et 298 comperiamus, ut anno Ol. 120, 3 = 298/7 primum quaestor ὁ ἐπὶ τῇ διοικήσει pecuniam in pilas incidendas dispensare iussus sit.

Haec quae exposui ut ipso rerum conexu admodum videntur commendari, ita nullo argumento quantum video refelli possunt atque redargui. Ungeri quidem sententia qua censet a. Ol. 122, 1 = 292/1 archontem fuisse Glaucippum, a. Ol. 121, 4 = 293/2 Philippum fundamentis nititur satis incertis. Gravissimum enim eius indicium ex ultimis tituli CIA II 305 verbis repetitum: [τὸ]||[ν ἐπὶ τῇ διοικήσει ΔΔ]δραχ-[μάς] ipsa hac nostra disputatione in cassum cecidit. Namque si omnino titulus Olympiade 128 est antiquior, quo fere tempore rediit munus dispensandi pecunias ad unum virum, necessario legendum est in titulo τοὺς ἐπὶ τῇ διοικήσει, cum iam anno 294 collegium illud institutum esse, sive a. 293 sive a. 291 Urius archon fuit, demonstraverimus. Ergo aut cum Wilamowitzio quinquaginta drachmas dispensatas esse sumendum est (𐅄), nam in his drachmum numeris non tam magnitudinem lapidum respiciendam esse quam pulchritudinem demonstravit Hartelius[1]), aut decem tantum drachmas quem numerum in titulo quoque CIA II 320 deprehendimus. Ac ne illud quidem prorsus abhorret a probabilitate ut pro duplici ΔΔ unum Δ a lapicida exaratum esse censeamus.

1) l. l. p. 146.

Deinde illud quoque ipsis iam lapidibus refutatum est, quod Ungerus a collegio illo quaestorum numquam certum drachmarum numerum dispensatum esse statuit[1]. Accedit quod anno 292/1 si quidem Dionysium recte numerasse statuerimus, Philippus non Glaucippus archon fuit Athenis. Quae cum ita sint sententiam meam de Urii anno et de collegio quaestorum mordicus tenebo.

Hic inserendus est titulus DA 1559 p. 93 quem et ipsum Urii anno attribui posse adfirmat Lollingus. Quae sententia omni videtur carere fundamento. Nam primum ipse Lollingus in v. 2 inter *ο* et *ἄρχοντος* non quinque, sed quattuor litterarum spatium reliquum esse indicavit. Deinde ipsum archontis nomen ab littera *O* initium fecisse non modo non verisimile est, sed facile refutatur eo quod inter singulas nominis [*Ἀ*]*λκίμ*[*ου*] litteras spatium quattuor vel quinque litterarum intercessisse ex tituli reliquiis concluditur. Priusquam autem quae ipsi mihi supplenda esse videantur proferam, facere non possum quin acerbe castigem ac reprehendam neglegentiam qua apographum Deltii confectum est. Nam primum versuum longitudo, uncula ille inter litteras *M* et *O* (in versu 1) inlata, quattuor vel quinque litteris aucta est. Inde suspicari licet versuum 4 et 5 reliquias non eo loco quo nunc conspiciuntur in apographo re vera in ipso titulo exaratas esse, sed ita ut litterae *ος Ῥα* (v. 4) et *ιῶνο* (v. 5) subter litteras fere *ης πρυ* (v. 3) ponerentur. Hanc suspicionem iure moveri alia re evincitur. Nam, ut nunc res est, scribae nomen et patris litterarum fere fuit triginta (inter [*ῆ*] et *Ῥαμνού*[*σιος*]) et mensis nomen litterarum fere duodeviginti (inter [*ἐγραμμάτευε*] et *ἐ*[...]).

Requiritur igitur archon, cuius in nomine littera *O* invenitur, scriba e Rhamnuntis pago oriundus, cuius patris nomen exit in *ων* syllabam et ipsum quoque exhibet litteram *ο*. Quae optime omnia coniuncta erunt si Coroebo archonte decretum illud ratum factum esse statuemus. Illo enim anno (Ol. 118, 3 = 306/5) *Πάμφιλος Θεογείτονος Ῥαμνούσιος* scribae

1) H XXIII p. 457.

munere functus est. Cf. CIA II 246; 247; 248. Ergo haec legebantur olim in titulo:

A Λ K I M O Y
Ἐπ ὶ Κ ο ρ ο ί β ο υ ἄ ρ χ ο ν τ ο ς ἐ π ὶ τ ῆ ς . . . .
. . . . η ς π ρ υ τ α ν ε ί α ς ἧ ι Π ά μ φ ι λ
ο ς Θ ε ο γ ε ί τ ο ν ο ς Ῥ α μ ν ο ύ σ ι ο ς ἐ γ ρ α μ μ ά τ ε
υ ε ν . . . . ι ῶ ν ο ς

Iam si periculum ipse feceris lacunam inter τῆς (v. 2) et ης (v. 3) biantem aliter non posse expleri intelleges atque longissimae tribus nomine et longissimo verbo numerali: [Ἱπποθωντίδος δωδεκάτ]ης. Hinc sequitur ut ultimo versui inferamus mensem Scirophorionis. — En habes supplementa:

[A] Λ K I M [O Y]
[Ἐπ ὶ Κ ο ρ] ο [ί β ο υ] ἄ ρ χ ο ν τ ο ς ἐ π [ὶ τ ῆ ς Ἱ π π ο θ ω ν]
[τ ί δ ο ς δ ω δ ε κ ά τ] η ς π ρ υ τ α ν ε ί α ς [ἧ ι Π ά μ φ ι λ]
[ο ς Θ ε] ο [γ ε ί τ ο ν] ο ς Ῥ α μ ν ο ύ [σ ι ο ς ἐ γ ρ α μ μ ά τ ε]
[υ ε ν Σ κ ι ρ ο φ ο ρ] ι ῶ ν ο ς ε . . . .

21. Tit. Ἀθ. VI p. 271 n. 3: Ol. 122, 3 = 290/89. Zenon quidam Ptolemaei ut videtur familiaris honoratur.

22. Tit. CIA II 306: Ol. 122, 4 = 289/8. De peregrino sermonem esse adparet ex v. 4: [κ]αὶ ἰδίᾳ τῶν π[ολιτῶν] et ex v. 14: περιτυγχάν—.

23. Tit. CIA II 308: Ol. 123, 1 = 288/7. Verbo ultimo ἀ[π]ο[φαίνουσιν] nisus, si quidem recte suppletum est, principem illorum iudicum ab Atheniensi populo corona ornatum esse suspicor. Ἀποφαίνειν enim de iis dicitur qui apud senatum populumque commendabant eum qui honore dignus esse videretur; qua de re conferas titulos: CIA II 55; 87; 171; 238; 297; Ἀθ. VI p. 269 n. 1; MDAI II 142 v. 6. Quod si statuerimus unum ex illis iudicibus prae ceteris dignum visum esse qui honoraretur, optime coniungere licebit, id quod iam voluit Cumanudes, titulum illum cum decreto EA 1884 col. 129, 1 quo totum collegium iudicum honoribus adficitur. Ergo simile aliquid factum esse censeo atque in titulo CIA II 114 ubi ex Atheniensium senatoribus is maxima praemia aufert qui praeter ceteros meritus erat de rebus gerendis.

24. Hic liceat inserere tit. *Ἀθ.* VI p. 135 n. 10 quem ad peregrinum pertinere primis versibus: *ἐπιδέδωκ[εν τῶ]ι δήμω[ι εἰς τὴν τῆς πόλεως φυλα]|κὴν*[1]) *ἀργυρίου X δρα[χμάς]* evincitur. Namque etsi Cumanudes titulum quarto saeculo exaratum esse ex litteraturae specie collegit, tamen aliquot annis eum esse recentiorem coniecerim propter formulam *ὅ[ταν ἐξήκωσιν αἱ ἐκ τοῦ νό]|[μ]ον ἡμέραι,* quae in titulis quidem primum legitur ut nunc res est in decreto CIA II 309, Ol. ca. 122, 3 = 290/89 exarato [2]).

25. Tit. CIA II 311: Ol. 123, 2 = 287/6. Spartoco Bospori regi corona aurea secundum legem et statua aënea decernitur. Versu autem 26 cum vix possit inveniri verbum quo apte expleatur spatium, scriptum fuisse coniecerim: *[χρ]είαν παρέξεσθαι τῶ[ι] | [δήμῳ τῷ Ἀθηναίων καθό]τι ἂν δύνηται.*

26. Lex de peregrinis coronis aureis ornandis etiamtum valuisse videtur cum lapidi incideretur tit. MDAI V 327 n. 12, cuius lacunas post Koehleri curas sic studui explere:

. μο[υ]Σιδώνιονἐ[παινέσαικαὶστεφανῶσαιἕκαστο]
[ν]αὐτῶνχρυσῶιστε[φάνωικατὰτὸννόμονεὐνοίαςἕ]
[νε]κακαὶφιλοτιμίαςἧ[ςἔχουσινπρὸςτὸνδῆμοντὸ]
[ν᾽Αθη]ναίωνεἶναιδὲαὐτοῖς[εἰςτὸνλοιπὸνχρόνον]
[φιλοτιμουμένοι]ςκαὶἄλλο[εὑρέσθαιἀγαθὸνπαρὰ]
[τῆςβουλῆςκαὶτ]οῦδήμουὅτ[ουἂνδοκῶσινἄξιοιεἶ]
[ναι·ἀναγράψαιδ]ὲτόδετὸψή[φισματὸνγραμματέατ]
[ὸνκατὰπρυταν]εί[α]νἐ[νστήληιλιθίνηικαὶστῆσαι]
[ἐνἀκροπόλει]εἰς[δ]ὲ[τὴνἀναγραφὴντῆςστήληςμερ]
[ίσαιτοὺς]ἐπὶτῆιδιοι[κήσειτὸγενόμενονἀνάλωμ]
[α].

Post Ol. 121, 3 = 294/3 titulum exaratum esse ex ultimo versu cognoscitur. Deinde cum lacuna versus 5 melius expleatur verbis *χρυσῷ στεφάνῳ κατὰ τὸν νόμον* quam *ἀπὸ δραχμῶν* ante a. Ol. 123, 3 = 286/5 decretum ratum factum esse videtur.

27. Tit. CIA II 313: Ol. 123, 2 = 287/6. Audoleontis familiaris.

---

1) Ex coniectura nostra.
2) Cf. Reusch. l. l. p. 59.

§ 30.

Ultima paragrapho eas coronas comprehendam cunctas quae post Ol. 123, 3 = 286/5 conlatae sunt. Rarissime autem inde ab hac aetate coronae aureae hominibus peregrinis decretae sunt, inde a bello Chremonideo fere nunquam.

1. Tit. CIA II 303: Ol. 124, 2 = 283/2. Inquilinus honoratus videtur fuisse.

2. Tit. CIA II 304: Eodem anno. Rhodius ut videtur.

3. Tit. CIA II 322: Ol. 125, 4 = 277/6. Verba v. 8: [χρεί]ας παρέσχητ[α]ι testes sunt pertinere honores ad exterum virum. Sollemnis enim est usus horum verborum in peregrinorum titulis inde ab Ol. fere 115: CIA II 231; H XXIV p. 146 v. 5; CIA II 311 v. 9, v. 25; 312 v. 15, v. 21, v. 32; 313; 317; 318; 409; 438 etc.

4. Tit. CIA II 323: Eodem anno. Aetoli ut videtur honorantur.

5. Tit. CIA II 350. 'Civitati cuidam, quae commeatu Athenienses adiuvisse videtur, decernebatur corona aurea.'

6. Tit. CIA II 352. Familiaris fortasse regis cuiusdam. Cf. v. 9: [πρεσ]βείαις ταῖς ἀφικνουμ[έναις], v. 10: τὸν βασιλεῖα.

7. Tit. CIA II 354. Propter verba v. 7: ἐπιδόσεων εἰς τὴν .... de metoeco licebit cogitare.

8. Tit. CIA II 357. De argumento non constat; nec tamen dubito quin v. 5: [ἀφικ]ομένων εἰς Αἰτω[λίαν] reiciendum sit, cum hac in formula necessario flagitetur participium praesentis.

9. Tit. CIA II 358. Verba v. 3: καὶ εἰσφορᾶς metoecum laudatum esse et coronatum monstrant.

10. Tit. CIA II 359. Verbis τοῖς δὲ χρείας [παρέχεται] peregrinus indicatur.

11. Tit. CIA II 360. 'Hermaeo inquilino isotelia et alii honores decernebantur'.

12. Tit. CIA II 310. Aeschron, Proxeni filius, corona ornatur medio fere saeculo III.

13. Huc inserendum curavi tit. CB 1887 p. 1191 n. 17 qui facillime sic restituetur:

[ἀ]γαθῆι τ[ι]
[ύχηι δεδόχθαι τῆι β]ουλῆι τοὺς
[προέδρους οἳ ἂν λά]χωσι προεδρ
[εύειν ἐν τῶι δήμω]ι εἰς τὴν πρώτ
[ην ἐκκλησίαν προσ]αγαγεῖν πρὸ
[ς τὸν δῆμον . . . . . .]ωνα καὶ χρημ
[ατίσαι περὶ αὐτοῦ γ]νώμην δὲ ξυ
[μβάλλεσθαι τῆς βου]λῆς εἰς τὸν
[δῆμον ὅτι δοκεῖ τῆι] βουλῆι ἐπα
[ινέσαι . . . . . . ωνα Εὐ]πύρου Κορ
[ίνθιον εὐνοίας ἕνεκ]α καὶ φιλο
[τιμίας τῆς εἰς τὴν βου]λὴν καὶ τ
[ὸν δῆμον — —[1])

De aetate id unum adferre possum verba *τοὺς προέδρους οἳ ἂν λάχωσι προεδρεύειν ἐν τῷ δήμῳ εἰς τὴν πρώτην ἐκκλησίαν* non inveniri post bellum Chremonideum. — Formam litterae omega Ω in nullo alio titulo potui investigare.

14. Eadem de causa ante bellum Chremonideum exaratum esse statuo titulum CB 1887 p. 1189 n. 13. Decretum omnibus ex partibus recte esse suppletum ab editore [2]) negandum est. Namque etsi ex v. 11 lapicidam munere neglegenter functum esse constat, tamen non ita stolidum fuisse hominem licet existimare, ut sexies praeterea dormitaret. Etenim cum e vv. 7, 21, 22 tricenarum ternarum singulos versus litterarum fuisse appareat, Damiralis hunc numerum in versibus 12 (34 litt.); 15 (34 litt.); 16 (34 litt.); 17 (34 litt.); 19 (35 litt.), 20 (34 litt.) satis audacter neglexit. Conati ergo sumus ipsi titulum restituere hunc in modum [3]):

---

1) Ne is quidem titulus omnibus ex partibus recte restitutus est a Damirali EA 1886 p. 140.

2) EA 1886 p. 140.

3) Ceterum vv. 11 et 19 male expressi sunt in ipso Damiralidis apographo.

[Ἐπὶ . . . . ἄρχοντος ἐπὶ] τῆς [. . . . . . .]
[. . . πρώτης πρυτανείας ἧ ι] Ξενοφῶ[ν . . . .]
[. . . . . ἐγραμμάτε]υ[εν Ἑκ]ατομβα[ιῶνο]
[ς . . . .] τῆ[ς πρ]υτανείας ἐκ κ]
[λησίαι τῶν προέδρων] ἐπεψήφιζεν Λυσίας [.]
[. . . . .]ος καὶ συμπρόεδροι [ἔ]
[δοξεν τῆι βουλῆι κα]ὶ τῶι δήμωι Ἐπίχαρμ[ο]
[ς . . . .] Κολωνῆθεν εἶπεν ἐπε
[ι δὴ . . . .]ως ὑπὸ τοῦ βασιλέως
[. . . . .]φράκτων εὔνους ὢν δ
[ιατελεῖ κοινῆι τῶι] δήμωι καὶ ἰδίαι ἑκάστω
[ι Ἀθηναίων προθυμ]ούμενος οἷς ἂν περιτυ
[γχάνηι λέγων ἀεὶ κ]αὶ πράττων ἀγαθὸν ὅτι
[δύναται ὑπὲρ τῆς] πόλεως ἐπιμελεῖται δὲ
[καὶ τῆς ἀγωγῆς το]ῦ σίτου τῶι δήμωι ὅπως ἂ
[ν ἄριστα Ἀθήναζ ε]κομίζηται συναγωνιζό
[μενος τῆι τοῦ δήμ]ου σωτηρίαι ἀγαθῆι τύ[χ]
[ηι δεδόχθαι τῆι βο]υλῆι τοὺς προέδρου[ς ο]
[ἵ τινες ἂν λάχωσι πρ]οεδρεύειν ἐν τῶι δ[ήμωι]
[εἰς τὴν πρώτην ἐκκ]λησίαν χρηματίσ[αι πε]
[ρὶ αὐτοῦ γνώμην δὲ] ξυμβάλλε[σθαι τῆς βου]
[λῆς εἰς τὸν δῆμον ὅ]τι δ[οκ]ε[ῖ τῆι βουλῆι . .]

15. Aetas tituli EA 1886 col. 110 n. 20 valde incerta est, cum a Cumanude tituli editore nihil de ea additum sit. Attamen cum de peregrino sermonem esse verisimile sit, versu enim 3 magna cum probabilitate legemus [*τῶν ἐν Δ*]*ήλωι κατ*[*οικούντων*, deinde cum corona aurea conferatur certo pretio circumscripta priore tertii saec. parte vix recentior fuerit titulus. Ceterum nescio an haec fere scripta exstiterint in lapide inde a v. 4: [α]

[γ]αθεῖ τύχ[ηι δεδόχθαι τῶι δήμωι κυρίας μὲν εἶν]
[α]ι τὰς δωρ[εὰς τὰς ἐψηφισμένας αὐτῶι πρότερον]
ἐπαινέσα[ι δὲ . . . .]
καὶ στεφα[νῶσαι αὐτὸν χρυσῶι στεφάνωι ἀπὸ . δρ]
αχμῶν φι[λοτιμίας ἕνεκα καὶ εὐνοίας τῆς εἰς τὸ]
ν δῆμον τ[ὸν Ἀθηναίων]

16. Circa medium III saeculum exaratus videtur esse tit. MDAI V p. 329 n. 14. Nam primum bello Chremonideo eum non esse antiquiorem ex verbis τοὺς λαχόντας προέδρους elucet[1]). Deinde si licebit v. 5 et 6 sic emendare: [πρότερον δὲ καθεστώσης ἔτι τ]¦[ῆ]ς πατρίδος ἐμ π[αντὶ καιρῷ διετέλεσε παρασχόμενος χ]ρείας το[ῖ]ς ἀφικνου[μένοις τῶν πολιτῶν, ad tempora reiciemur haud ita multo bello Chremonideo recentiora.

17. Tit. CIA II 381. Castor Ptolemaei regis familiaris.

18. Tit. CIA II 385. 'Conlaudabatur homo quidam Pergamenus, qui cum Athenis scholas Euandri Academici frequentasset postea in patriam redux factus apud Attalum regem de Atheniensibus bene meritus est'.

19. Tit. CIA II 386. Decretum in honorem hominis Aetoli factum.

20. Tit. CIA II 387. Homo Cymaeus honoratus videtur esse.

21. Tit. CIA II 389. Trapezita laudatur.

22. Tit. CB 1887 p. 1189 n. 14. Titulum hoc loco posui quod eodem anno confectus est atque tit. CIA II 401 (archonte Dionysio). V. 7 legendum: [τοῖς ἀ]φικνουμένοις τῶν πο[λιτῶν] et v. 8: ὑπὲρ ὧν καὶ πλεῖσ[τοι ἀπομεμαρτυρήκασιν αὐτῷ].

23. Tit. CIA II 407. Homo Ceus ornatur.

24. Tit. CIA II 409. Homo Parianus, Olynthius, alii honorantur.

25. Tit. CIA II 413. Phaselites isotelia ornatur et θαλλοῦ στεφάνῳ.

26. Tit. CIA II 414. Trierarchi et quaestor Byzantini honorantur θαλλ[οῦ] στε[φάν]ω[ι].

27. CIA II 415. Opuntiorum populus eiusque legati conlaudantur. Mirum quod hoc solo in titulo desiderantur coronae. Lacuna v. 7 sic haud dubie explenda est: [εὐνοίας ἕνεκα ἧς ἔ]χων διατελεῖ.

28. Tit. CIA II 419. Homo Macedo.

29. Initio saec. II. exaratus est tit. MDAI V p. 327 n. 13.

---

1) Cf. Hartel. p. 168.

Ornatur Alexander quidam Ptolemaei regis familiaris corona aurea, quam renuntiari iubetur Dionysiis urbanis Panathenaeis Eleusiniis Ptolemaeis.

30. Tit. CIA II 433. Homo Pergamenus.

31. Eidem fere aetati adscribendus est tit. EA 1886 col. 112. Ornatur Pausimachus quidam quem fuisse Rhodiorum nauarchum in altero bello contra Antiochum regem Syriae gesto coniecit Cumanudes.

32. Tit. CIA II 434. Eumenis regis familiaris, Cyzicenus.

33. Tit. CIA II 435. Eumenis II. frater.

34. Tit. DA 1889 p. 110. Diodorus Eumenis familiaris.

35. Tit. DA 1889 p. 53.

36. Tit. CIA II 436. Homo Pergamenus.

37. Tit. CIA II 437. Homo ignotus.

38. Tit. CIA II 439. Ptolemaei regis amicus.

39. Tit. CIA II 443. Homo ignotus.

40. Tit. CIA II 464. Ptolemaeus VIII Soter II Philometor (117—81). V. 7 haud dubie non *τοῖς ἀφικ[νουμένοις εἰς Αἴγυπτον* sed *ἐξ Αἰγύπτου* legendum est.

Denique titulos nonnullos adferam, quorum aetas mihi quidem plane incerta est:

41. CB 1887 p. 1195, 33:

ἡ βο[υλή]
ὁ δῆ[μος]
τὸν δῆ[μον]
τὸν Σελευκ[έων]
τῶν ἐμ Πι[ερίαι] 1)

42. CB 1887 p. 1202, 48:

ἡ β[ουλή]
ὁ δῆ[μος]
Κη . ι . . . . .
Δημητ[ρίου]
Ἀβυδηνόν

43. CB 1887 p. 1202, 49:

ὁ δῆμος
Πολεμαῖον
Πολεμαίου

44. DA 1889 p. 53:

Ἡ βουλή
ὁ δῆμος
Νεοκλῆν
Ἀθηνάδου
Μεσσήνιον

---

1) De Seleucia in Pieria sita cf. Strabon. XIV p. 676; XVI p. 749 fin.

Iam ad finem pervenimus. Quod si quis omnia quae tertio commentationis capite disseruimus in memoriam revocaverit, septem annos summi momenti fuisse facile intelleget: Ol. 100, 3 = 378/7; Ol. 112, 1 = 332; Ol. 115, 3 = 318/7; Ol. 118, 2 = 307/6; Ol. 118, 4 vel 119, 1 = 305/4 vel 304/3; Ol. 123, 3 = 286/5.

Nam Athenienses cum ante alteram quae dicitur societatem maritimam fere nunquam coronas aureas contulissent neque exteris neque civibus post Ol. 100, 3 = 378/7 magis magisque consuetudinem illam induerunt, ut inde ab anno fere Ol. 112, 1 = 332 omnes peregrinos siquidem propter merita erga Atheniensium rempublicam praemio viderentur esse digni coronis sive aureis sive oleagineis ornarent. Sed Demetrius Phalereus anno Ol. 115, 3 = 318/7 Atheniensium rebus administrandis praefectus studium illud praemiis privilegiisque unumquemque ornandi compescebat coercebatque ut pauca tantum decreta honoraria illis annis lapidibus inciderentur. Hoc autem viro expulso nemo iam erat qui Athenienses ne libidini honorandi frena darent impediret. Itaque ut alii honores et privilegia sic coronandi quoque morem renovaverunt legeque sanxerunt Ol. 118, 4 sive 119, 1 = 305/4 sive 304/3 qui homines exteri coronis aureis essent ornandi. Quae lex valebat usque ad annum Ol. 123, 3 = 286/5. Inde enim ab hac fere aetate Athenienses cum omni fere exterarum civitatum potentia destituti oppidum incolerent in humilem debilemque condicionem redactum, neglectis rebus exteris ad suas ipsorum res ordinandas et administrandas magis magisque animadvertere coeperunt. Abrogata igitur lege novas promulgebant ad ipsos cives Atticos, senatores ephebos eorum magistratus alios, coronis exornandos pertinentes. Quo factum est ut inde ab ea aetate decretorum exterorum numerus decresceret, crescerent vero tituli exhibentes ipsorum civium Atheniensium honores.

Hos vero civium Atheniensium titulos tractandi occasionem otium facultatem ut nanciscar opto speroque.

Excursus I

(ad pag. 73).

Ei quam posuimus legi — ius domos agrosque possidendi semper locum habere in decretis Atticis post verba quibus proxenia decernitur — non obstat tit. CIA II 44 cuius litteras initio positas I H — — — ONT ita supplevit Koehlerus composuitque cum reliquis ut ius illud primum honorum obtineret locum. Nam primum propter ipsam illam legem num Koehleri coniectura sit probanda valde dubium est. Deinde vero ne illa quidem verborum compositio *Ἀθήνησι οἰκοῦντι* ferri potest cum semper et sine ulla exceptione participium *οἰκοῦντι* antecedat. Quod comprobatur exemplis hisce:

CIA II 27: *[ἀτέλειαν τοῦ] μετοι[κ]‖[ίου οἰκοῦντι Ἀθή- νη]σι αὐ[τ]‖[ῷ καὶ ἐκγόνοις]*. CIA II 54: *εἶναι δὲ αὐτῷ κα[ὶ ἀτ]έλειαν οἰ|κοῦντι Ἀθήνησι*. CIA II 121 v. 24: *[καὶ] εἶνα[ι] αὐ[τ]οῖς ἕως ἂν κατέλθωσι‖[ν ἔγκτησιν ὧν ἂν] ο[ἰκι]ῶν βούλωνται οἰκοῦσιν Ἀθήνη[σιν ἀτελέσιν μετοι]κ[ί]ου*. H XXIV p. 120 = EA 1886 p. 114: *καὶ εἶνα][ι αὐτῷ οἰκοῦντι] Ἀθήνησιν κα‖[ὶ γῆς καὶ οἰκίας] ἔγκτησιν*. DA 1888 p. 224: *καὶ δ[εδόσθαι] | αὐτοῖς ἰσοτέ[λε]ιαν οἰκο[ῦσιν Ἀ]‖θήνησιν*. CIA I 59 v. 31: *καὶ οἴκησιν Ἀθήνησιν*; II 86: *οἰκοῦντες ἐς Σιδῶνι*; II 270 v. 11: *καὶ κατοικοῦντες Ἀθήνησιν εἰς πολλὰ τῶ[ν σ]‖[υ]μφερόντων τῷ δήμῳ χρήσιμοι γεγόνασιν*.

Ac ne titulum quidem CIA II 455 adferre nunc iam licebit ubi ex Koehleri coniectura legebatur adhuc: *Ἀθήνησι ὄντι*. Nam titulo quodam nuperrime publici iuris facto (DA 1889 p. 57) scribendum esse discimus: *[καὶ μ]ὴ [παρ]όντι*. Itaque fortasse in titulo quoque CIA II 231 v. 7 Koehleri coniectura *κατοικοῦσιν Ἀ[θηναίων]* ita corrigenda est ut scribatur: *κατοικοῦσιν Ἀ[θήνησιν]*, quamquam utrumque per se ferre licebit. Procul dubio vero refutatur coniectura: CIA II 222 v. 11: *[Ἀθήνησιν οἰκ?]οῦσιν*.

Contra ea maxima cum verisimilitudinis specie restituta sunt verba in titulo DA 1889 p. 88: *οἰκ[οῦσιν Ἀθήνησιν]*.

Qua constanti verborum compositione fretus tituli CIA II 110 reliquias aliquo modo supplere conatus sum. Ex versibus enim huius tituli 1—3 singulos versus constitisse adparet litteris vicenis binis. Ergo v. 6 cum nomen *Ἄταρβον* maxima cum probabilitate restitutum sit a Koehlero, restat 12 litterarum spatium, quod vix aliter poterit expleri atque verbis *ἐπαινέσαι μέν*. Habemus igitur decretum quo honores conlati sunt. Litterae autem v. 8: *καὶ εἶ[ναι* et v. 9: *ν καὶ ἐ* tum tantum coniungentur si scripserimus *καὶ εἶναι αὐτῷ ἰσοτέλειαν*. Iam post isoteliam neque corona neque proxenia neque ullus alius honor locum habet praeter solam *ἔγκτησιν*. Quae optime inseretur modo scribamus: *καὶ ἔ[γκτησιν γῆς καὶ οἰκίας] ο[ἰκοῦντι Ἀθήνησιν]*. En habes titulum:

[ἐ π ὶ Θ ε μ ι σ τ ο κ λ έ ο υ ς ἄ ρ χ ο ν τ]
[ο]ς [. . . ν τ ὶ ς ἐ π ρ υ τ ά ν ε υ ε ν Δ υ]
σ ί μ α χ [ο ς Ἀ χ α ρ ν ε ὺ ς ἐ γ ρ α μ μ ά]
τ ε υ ε Ἀ [. . . . .]
ν α ῖ ο ς ἐ π [ε σ τ ά τ ε ι . . . .]
ω ν ε ἶ π ε ν [ἐ π α ι ν έ σ α ι μ ὲ ν Ἄ τ α]
ρ β ο ν Δ ί σ χ [. . . . .]
κ α ὶ ε ἶ ν [α ι α ὐ τ ῶ ι ἰ σ ο τ έ λ ε ι α]
ν κ α ὶ ἔ [γ κ τ η σ ι ν γ ῆ ς κ α ὶ ο ἰ κ ί]
[α ς] ο [ἰ κ ο ῦ ν τ ι Ἀ θ ή ν η σ ι ν]

Sed redeamus ad tit. CIA II 44 ubi verba *Ἀθήνησι οἰκοῦντι* perverse posita esse non iam negabis. Quae cum ita sint necessario aliter restituendum est tituli initium. Nec difficile res absolvetur. Age statuamus in v. 2 litteras ON finalem esse syllabam nominis eius qui honoribus adficitur. Spatium deinde inter *-ον* syllabam et *πρόξενον* substantivum optime **patria** illius viri explebitur: *. . . ον τὸν . . . .* Iam primo versu scripta fuisse haec verba: *[Ἡ]γή[σιππος εἶπε· εἶναι μὲν Πα . . . . ον* prona est coniectura quae ultimo versu admodum videtur confirmari. Etenim cum proxeni et euergetae semper *ἐπὶ ξένια*, nunquam *ἐπὶ δεῖπνον* invitentur, qua de re proximo excursu pluribus exponendum erit, huic quoque

quem tractamus titulo verba *ἐπὶ ξένια* inferri debent. Ac si particulam *καί* ante voces *ἐπὶ ξένια* locum habuisse statuerimus, restabunt ut in versu primo praeter syllabam *Πα* decem litterae quibus reliqua nominis pars continebatur.

In eodem titulo II 44 alia quoque corrigenda sunt. Primum enim necessario scribendum est *ἐπιμελεῖσθαι* pro *ἐπιμεληθῆναι*, cum cura illa non ad unam certam rem accurateque definitam pertineat. Similiter scribendum est in tit. CIA II 39: [κ]|[αὶ τὴν βουλὴν τὴν] *αἰεὶ βουλεύου*[σ]|[*αν ἐπιμελεῖσθα*]*ι Μελανθίου κ*[α]|[*ὶ τῶν ἐγγόνων ὅ*]*του ἂν δέωνται.*

Deinde verba *τοὺς στρατηγοὺς οἳ ἀεὶ στρατηγοῦσιν* ferri nequeunt, cum et ex grammaticae legibus et ex titulorum sermone exspectetur: *οἳ ἂν ἀεὶ στρατηγῶσι.* Cum vero tali supplemento spatia obstent, scribatur necesse est *οἳ ἂν ὦσιν ἑκάστοτε* quae verba leguntur in tit. BdCH XIII p. 152 v. 11: *ἐπιμέλεσθαι τήν τε βολὴν τὴν ἀεὶ βολεύοσαν καὶ τὸς στρατηγὸς καὶ τὸν ἄρχοντα τὸν ἐν Σκιάθῳ, ὃς ἂν ᾖ ἑκάστοτε.*

Haec igitur tituli species erit:

1 [. . . . . .Ἡ]γή[σιππος εἶπε εἶναι μὲν Π] 1
[α . . . .]οντ[ὸν . . . . πρόξενον]
[καὶ εὐεργ]έτην [τõ Ἀθηναίων δήμο ἐπιμε]
[λεῖσθαι] δὲ αὐτ[õ τὴν βολὴν τὴν ἀεὶ βολε]
5 [ύοσαν κ]αὶ τὸς σ[τρατηγὸς οἳ ἂν ὦσιν ἑκά] 5
6 [στοτε ἀ]ναγράψ[αι — — — —] 6
11 [κ]αλέσαι δὲ Πα[. . . . . καὶ ἐπὶ ξένι] 11
12 [α ἐ]ς τὸ [πρυτανεῖον ἐς αὔριον] 12

Excursus II

(ad pag. 89 et 100).

Non offendit in eis quae scribenda proposuimus quod non leguntur verba *καὶ πρόσοδον εἶναι αὐτῷ πρὸς τὸν πολέμαρχον καθάπερ τοῖς ἄλλοις προξένοις*, id quod factum est in tit. CIA II 42, sed eiecta voce *πρόσοδον* haec intulimus titulo: *καὶ εἶναι αὐτῷ πρὸς τὸν κτλ.* Nomen enim illud *πρόσοδον*

desideratur etiam in titulo II 131. Nam si quis lacunam quae est II 131 v. 10 explendam esse fortasse censebit substantivo illo ut scribatur: [*καὶ ε*]|*ἶναι* [*αὐτῷ καθάπερ τοῖς ἄλλ*]*οις π*[*ροξένοις πρὸς τὸν πολέ*]|*μαρχ*[*ον πρόσοδον*] ne sic quidem lacunam recte expleri intelleget. Ut vero non solum diruere videar sed etiam aedificem, aliud iam proponam illius lacunae (II 131 v. 10) supplementum. Ac profecto non ita difficile fore spero hoc negotium. Offendit enim quam maxime quod hoc solo in titulo CIA II 131 *ἐπὶ δεῖπνον* vocatur proxenus, si quidem recte supplementa Koehleri se habent, cum omnibus in reliquis decretis *ἐπὶ ξένια* invitentur proxeni. Qua in re non curo titulum CIA II 414 ubi legitur: *καλέσαι δὲ Ἧριν καὶ Μηνοφάνην καὶ Ἑκαταῖον καὶ τὸν ταμίαν ἐπὶ δεῖπνον εἰς πρυτανεῖον ἐπὶ ξένια εἰς αὔριον*. Is enim titulus primum rcentioris aevi est quam ut iure possit venire in censum. Deinde vero illius enuntiati tam insolita est verborum coniunctio: *ἐπὶ δεῖπνον ἐπὶ ξένια* et adeo contra omnes grammaticae leges pugnat, ut mendum aliquod in verbis illis latere mihi quidem persuasum sit. Atque cum Eris solus proxenus creatus sit Menophanes autem et Hecataeus coronis tantum oleagineis sint ornati, ita censeo ipsum decretum compositum fuisse ut verba *ἐπὶ δεῖπνον* respicerent ad Menophanem et Hecataeum, verba *ἐπὶ ξένια* ad ipsum Erin. Licebit ergo in archetypo olim scriptum fuisse suspicari: *καλέσαι δὲ Ἧριν ἐπὶ ξένια καὶ Μηνοφάνην καὶ Ἑκαταῖον καὶ τὸν ταμίαν ἐπὶ δεῖπνον εἰς τὸ* (sic) *πρυτανεῖον εἰς αὔριον*. Ac ne illud quidem a probabilitate abhorret ut omnes tres viros ad dona hospitalia accipienda in prytaneum vocatos esse statuamus. Lapicida igitur cum scripsisset: *καὶ τὸν ταμίαν ἐπὶ δεῖπνον εἰς πρυτανεῖον* se errasse cognovit statimque ut mendum resarciret addidit: *ἐπὶ ξένια*. Quae ratio fortasse etiam magis commendatur quam prior.

Sed utut est: in CIA II 131 v. 10 Koehleri supplementum quo proxenum illum ad coenam vocatum esse sumpsit non recte sese habere, admodum verisimile ne dicam certum est.

Altera ex parte consentaneum est post verba *πρὸς τὸν*

πολέμαρχον verba quaedam oblitterata esse, quae haud ita multum conferant ad commutandum decreti sensum. Talis autem formula est: *ἐάν του δέηται* quae saepius invenitur in eis decretis quibus *πρόσοδος* alicui decernitur, veluti in CIA II 41: *καὶ πρόσοδο[ν] | [πρὸς τὴν β]ουλὴν καὶ τὸν δῆμον | [ἐάν του δέων]ται*; CIA II 115: *εἶναι δὲ αὐτῷ πρόσοδο|ν καὶ πρὸς βουλὴν καὶ πρὸς | δῆμον ὅταν δέηται*; EA 1886 p. 115 v. 21: *[πρ]όσοδον πρὸ[ς τ]|[ὴν βουλὴν ἄν του δέ]ητ[αι]*. MDAI VII p. 317 frg. b. c. v. 10: *ἐάν του δέωντα[ι πρώ]τοις [μετὰ τὰ ἱερά]*.

Ut vero evanescat verbum *δεῖπνον*, supplementum propono hoc: *καὶ κα]|λέσα[ι αὐτὸν ἐπὶ ξένια ἐς τὸ π]|ρυτα[νεῖον ἐς αὔριον]*. Decreti igitur finis erit:

[ε]
ἶ ν α ι [α ὐ τ ῶ ι κ α θ ά π ε ρ τ ο ῖ ς ἄ λ λ]
ο ι ς π [ρ ο ξ έ ν ο ι ς π ρ ὸ ς τ ὸ ν π ο λ έ]
μ α ρ χ [ο ν ἐ ά ν τ ο υ δ έ η τ α ι κ α ὶ κ α]
λ έ σ α [ι α ὐ τ ὸ ν ἐ π ὶ ξ έ ν ι α ἐ ς τ ό π]
ρ υ τ α [ν ε ῖ ο ν ἐ ς α ὔ ρ ι ο ν]

Verba autem *εἶναι τῷ δεῖνα καθάπερ τοῖς ἄλλοις προξένοις πρὸς τὸν πολέμαρχον* ita explicanda esse arbitror ut sint: 'Eadem ratio intercedito inter eum et polemarchum atque ea quae ceteris omnibus proxenis intercedit cum hoc magistratu'.

Sed etiam decreti initium restituere conati sumus. Ex litteris enim MAT in v. 2 scribam commemoratum fuisse adparet. Atque cum propter spatii angustias fieri non possit ut legatur: *τὸν γραμματέα τὸν κατὰ πρυτανείαν* scribendum est necessario: *τὸν γραμματέα τῆς βουλῆς*.

Iam perspicuum est verba illa sollemnia quibus decretum pilae incidere scriba iubebatur ante rogationem additivam scripta exstitisse. Sed cum neque plena formula: *ἀναγράψαι δὲ τόδε τὸ ψήφισμα ἐν στήλῃ λιθίνῃ καὶ στῆσαι ἐν ἀκροπόλει τὸν γραμματέα τῆς βουλῆς* neque illa in qua aut verba *ἐν στήλῃ λιθίνῃ* aut *λιθίνῃ* aut *καὶ στῆσαι ἐν ἀκροπόλει* desiderantur cum tituli spatiis ita congruant ut primi versus litteram

T loco moveri non oporteat, nihil iam relinquitur quam ut post *ἐν ἀκροπόλει* inseramus *τέλεσι* Τοῖς . . . . *τὸν γραμματέα τῆς βουλῆς*. Ac ne coniecturam hanc in aëre pendere censeas, provocabo ad v. 6 ubi nomen proxeni decem litterarum spatium explevisse videmus. Ergo de versus primi supplementis dubitari iam nequit. Haec igitur olim legebantur in titulo:

[. . . . . ἀ ν α γ ρ ά ψ α ι δ ὲ τ ό δ ε]
[τ ὸ ψ ή φ ι σ μ α ἐ ν σ τ ή λ η ι λ ι θ ί ν η]
[ι κ α ὶ σ τ ῆ σ α ι ἐ ν ἀ κ ρ ο π ό λ ε ι τ έ]
[λ ε σ ι] τ[ο ῖ ς . . . . ο υ τ ὸ ν γ ρ]
[α]μ μ α τ]έ α τ ῆ ς β ο υ λ ῆ ς . . . .]
ε ἶ π ε τ[ὰ μ ὲ ν ἄ λ λ α κ α θ ά π ε ρ τ ῆ ι]
β ο υ λ ῆ[ι ε ἶ ν α ι δ ὲ . . . . ω ι]
κ α ὶ ἀ τ[έ λ ε ι α ν κ α ὶ γ ῆ ς κ α ὶ ο ἰ κ]
ί α ς ἔ γ[κ τ η σ ι ν Ἀ θ ή ν η σ ι ν κ α ὶ ε]
ἶ ν α ι [α ὐ τ ῶ ι κ α θ ά π ε ρ τ ο ῖ ς ἄ λ λ]
ο ι ς π[ρ ο ξ έ ν ο ι ς π ρ ὸ ς τ ὸ ν π ο λ έ]
μ α ρ χ[ο ν ἐ ά ν τ ο υ δ έ η τ α ι κ α ὶ κ α]
λ έ σ α[ι α ὐ τ ὸ ν ἐ π ὶ ξ έ ν ι α ἐ ς τ ὸ π]
ρ υ τ α[ν ε ῖ ο ν ἐ ς α ὔ ρ ι ο ν].

I. INDEX TITULORUM QUI EXPLICANTUR VEL EMENDANTUR.

1. Corpus Inscriptionum Atticarum (CIA)

II. INDEX VERBORUM FORMULARUMQUE NOTABILIORUM.

III. INDEX NOTARUM.

CIA = Corpus Inscriptionum Atticarum.
CB = Commentationes Academiae Berolinensis.
MDAI = Mittheilungen des Deutschen Archäologischen Instituts zu Athen.
H = Hermes.
SIG = Sylloge Inscriptionum Graecarum.
DA = *Δελτίον Ἀρχαιολογικόν.*
EA = *Ἐφημερίς Ἀρχαιολογική. Περίοδος τρίτη.*
Ἀϑ. = *Ἀϑήναιον.*
BdCH = Bulletin de Correspondance Hellénique.
De notis Α, Φ, Γ, Θ, Σ videas quaeso p. 154 adn. 2.

IV. TABULA ARGUMENTI.

[ὅ τ ι δ ο κ ε ῖ τ ῆ . . κ α ὶ σ τ ε φ α ν | ῶ σ α ι α ὐ τ ὸ]
[ν χ ρ υ σ ῶ ι σ τ ς τ ῆ ς ε ὶ ς τ ὸ ν δ | ῆ μ ο ν τ]
[ὸ ν Ἀ θ η ν κ γ ό ν ο υ ς κ α ὶ ε | ἶ ν α ι ἔ γ κ τ η σ]
[ι ν γ ῆ ς μ ὲ ν μ δ ὲ] θ [ε σ μ ο θ έ τ α | ς ε ὶ ς α γ]
[α γ ε ῖ ν α ι) [ο υ χ ρ ό ν ο ς ἐ ξ | ή κ η ι ὰ ν α γ]
[ρ ά ψ α ι δ ὲ τ ό δ ή] λ(η)ν[λ ι θ ί](ν)[η ν | κ α ὶ σ τ]
[ῆ σ α ι ἐ ν ή λ(η)ς μ ε ρ ί σ α[ι | τ ὸ]
[ν τ α μ ί α ι

. . . . α ι τ ῆ ι β ο υ λ ῆ ι]
[τ ο ὺ ς λ α α ν χ ρ η μ α τ ί σ α ι] = 54
[π ε ρ ὶ τ ο τ ὸ ν δ ῆ μ ο ν ὅ τ ι] = 53
[δ ο κ ε ῖ τ . . . . . κ α ὶ σ τ ε φ] = 54
[α ν ῶ σ α ι μ ί α ς τ ῆ ς ε ὶ ς τ ὸ] = 54
[ν δ ῆ μ ο ν ο ῦ Ἀ θ η ν α ί ω ν α ὐ] = 54
[τ ὸ ν κ α ὶ σ ι ν γ ῆ ς μ ὲ ν ἡ μ] = 53
[ι τ α λ ά ν τ ὸ ν λ ο ι π ὸ ν χ ρ ό ν] = 55
[ο ν φ ι λ ο ο κ ῆ ι ἄ ξ ι ο ς ε ἶ ν] = 54
[α ι ἀ ν α γ . . . .

1 Prima littera

2 Satis inaccur X spatium sex litterarum explet. Paullo autem propiu


LIBRARY
SITY
NIA

Tal

Ο · ΑΙΓ

[δ] ε δ ό χ ϑ α ι τ [ῆ ι β ο υ λ ῆ ι τ ο ὺ
[ε ι] ν ε ἰ ς τ ὴ ν (π) [ϱ ώ τ η ν ἐ κ κ λ η
[σ τ] ὸ ν δ ῆ μ ο ν κ α [ὶ χ ϱ η μ α τ ί σ
[α ι τ ῆ ς] β ο υ λ ῆ ς ε [ἰ ς τ ὸ ν δ ῆ μ
[. . . .] ν α Δ ι ο ν υ σ ί ο [υ . . . . .
[τ ε φ ά ν ω] ι ἀ ϱ ε τ ῆ ς ἕ [ν ε κ α κ α
[ὸ ν δ ῆ μ ο ν] τ ὸ ν Ἀ ϑ η ν α ί ω ν [ε ἶ
[ι ε ἶ ν α ι α ὐ τ ῶ ι] γ ῆ ς κ α ὶ ο ἰ κ
[γ ϱ ά ψ α ι δ ὲ τ ό δ ε τ ὸ] ψ ή φ ι σ μ
[ἐ ν σ τ ή λ η ι λ ι ϑ ί ν η ι κ] α ὶ σ τ

(Α

LEIPZIGER STUDIEN

ZUR

CLASSISCHEN PHILOLOGIE

HERAUSGEGEBEN

VON

O. RIBBECK H. LIPSIUS C. WACHSMUTH

DREIZEHNTER BAND.

LEIPZIG

VERLAG VON S. HIRZEL

1891.

LEIPZIGER STUDIEN

ZUR

CLASSISCHEN PHILOLOGIE

HERAUSGEGEBEN

VON

O. RIBBECK H. LIPSIUS C. WACHSMUTH

DREIZEHNTER BAND

Zweites Heft.

LEIPZIG

VERLAG VON S. HIRZEL

1891.

INHALT.

ACHERUNTICA

SIVE

DESCENSUUM APUD VETERES ENARRATIO.

SCRIPSIT

GOTTHOLDUS ETTIG.

Ἄρτεμι Περσεφόνη
Ἐλθ' ἐπ' ἐμαῖς θυσίαις καί μοι τόδε πρᾶγμα τέλεσσον.

De Descensuum apud Graecos et Latinos scriptores historia quod disserere non dubito, primum quidem mireris: etenim fastigia eorum iam a viris doctissimis tacta sunt[1]) et ii quoque, qui Orci descriptiones celeberrimas notis instruxere, haud pauca et disquirendo et comparando praestiterunt. Inde me velim excusatum, quod et integrior et exculta in singulis harum rerum imago non sine fructu componi videtur. Dein interesse censeo, utrum ex recentiorum potissimum libellis tepidum quendam potum compares, an ex ipsis fontibus vividi liquoris cratera misceas. Namque et eorum, qui pauci ista congesserunt, et commentariorum 'multum securus' mea opella meoque iudicio uno nixus conlegi, contuli, deliberavi: ita ut, illos cum deinceps adiissem, haud ita multa, quae nondum inventa haberem, opus esset addere. Hoc fretus m e a, qualiacunque sunt, ista dixerim et ut m e a vobis propino.

Atque in disquirendis non id prae ceteris agebam, ut quid *καινοτομοίην,* sed ut perspicuam huius litterarum generis ab originibus usque ad ea, quae consequi possem, extrema

1) Cf. Ozanam des sources poétiques de la Divine Comédie = oeuvres complètes de A. F. Ozanam[2] tom. V p. 351 sqq., praes. 439 sqq.; Rohdium in Graecorum q. d. fabulis Romanensibus p. 260 adn. 3; Ellissenum in Timarionis introductione (Neugriech. Analekten partis IVae p. 1 sqq.); Heynium in excursu Aeneidis libro sexto addito (exc. I); Fritzschium in indice Rostochiensi anni 1864; vide et Labitteum in Revue des deux mondes T. 31 IV. série p. 704. Germanorum quasdam huius generis fabulas composuit *παρέργως* Grimmius Germ. mythol. II[4] 674 adn. 1.

imaginem evolverem. Quod ut fieret, inprimis τόπους, quos rhetorici vocant, quem a quo sibi quisque sumpserit quemve ipse invenerit, enucleare studui, ut in variis communia, varia in communibus cognoscerentur. Deinde quia ad indolem singulorum recte aestimandam multum facere videbatur, et consilia accurate ubique indicavi, quibus quisque ductus sua composuerit.

Ac quoniam intellexi de hisce rebus, quae satisfacerent, proferri non posse nisi omnibus, quaecunque antiqui de mortuis dixissent, respectis et reputatis: primum et illas, quae nostro argumento quasi supplemento sunt, de umbris reversis fabulas, quantum quidem per vires licuit, stringendo adlegavi: in quo non nulla debeo Ioanni Bader amico, qui huic rei nuper accuratiorem dare operam proposuerat. Huc fere spectat etiam, quod et defunctorum certos quosdam Descensus inter meos recepi: pleraque enim et illorum, ut consentaneum quidem est, ex celeberrimis vivorum ad Ditis domus itineribus videbis deprompta.

Alterum — id quod mihi iucundissimum erat — in mutatas aetatum opiniones inquisivi breviterque earum species ubique adumbravi, cui quasi peplo intextas inferorum meorum picturas praestarem. Quod facere fortasse supersedissem, si librum compertum habuissem ea, qua opus erat, diligentia totam de inferis antiquitatis doctrinam complectentem. Quos quidem novi: Iulii Lippert de Europae gentium nobiliorum religionibus, Wolfgangi Menzel de ea, quae ante Christi aevum erat, immortalitatis disciplina libellos, Edmundi Spiess de inferis opinionum historiam, vel non ipsos fontes adierunt vel ratione m. q. s. perversa usi sunt. Atque qui unus doctrina iudicio diligentia operi par est, Ervinus Rohde aureola quae modo prodiit Psycha antiquioris tantum aetatis opiniones adhuc persecutus est.[1])

Ex his fortasse iam intelleges, cur non in alium res meas ordinem digestas voluerim, nisi temporis. Etenim dividendi

1) Partem etiam Naegelsbachius, praesertim in Homeri religionibus diligentissimus, duplici sua Theologia tractavit.

principium cum vel ex poetico genere vel e consilio descriptionis repetere licuerit vel — id quod ad nostrum consilium minus, credo, quadrasset — inde, felixne fuerit qui descenderet an infelix [1]), temporis tamen ordinem praeferendum censui: quia hoc uno modo conversae sensim populi opiniones, mutata poetarum iudicia, ornatus auctus, culta magis magisque artificia optime perspici poterant. [2]) Per hanc quidem rationem quantum licuit similia genere semper composui, consilio similia comparando usque iunxi.

Haec quae exposui de ea tantum parte intellecta volo, quam nunc quidem propositurus sum. Sic enim tota materies animo reputanti mihi digerenda visa est, ut primum de eis Descensus exemplis ageretur, in quibus propriae eius formae sive εἴδους quidam cernitur progressus vel omnino immutatio; altero loco de eis, qui non propter rem, sed viri celebrandi nobilis gratia excogitati sunt: vel si paululum argutari licet: in quibus Descensus viri ergo, non Descensus ergo vir fictus est: quam alteram partem mythorum nomine artius paulo intellecto optime complecteris. Exemplis res magis fiet perspicua: Ulixes enim, Aeneas, vel certius Er Platonicus Timo alii deducuntur, ut apud inferos videant, audiant referantque illinc, quae poetae placuit eos videre audire referre; contra Hercules, Theseus, Bacchus, quia cum tota eorum persona haec res cohaerebat, quam suo arbitrio sive respicere sive neglegere iam non erat penes poetam; ac quae eis contigere apud inferos, non tam doctrinae de Orco cuidam similive consilio aptanda erant, quam personae, qualem mythus confinxerat, herois: in agendo huius generis vertitur cardo, in spectando et audiendo alterius.

Ac licet non omnis Descensuum fabula alterutro limite accurate circumscribatur, sed utrumque interdum poeta spec-

---

1) Quam ad rationem suas recentiorum Graecorum fabulas dispertitas voluit G. de Hahn, vir eximius, in: Griechische u. alban. Märchen I p. 60 sq.

2) Descensus formas secundum singula litterarum genera descriptas brevi conspectu in fine dissertationis composui.

tasse videatur: tamen dispositionem istam iure obtineri puto, quia et ad plurimas eximie quadrat et in ceteris vel hoc vel illud praevalet consilium. Ac secundam quidem istam partem, cum diligenter ad eum finem complures mythi investigandi sint — non enim nisi totam herois historiam perscrutando etiam partem, quam nostra interest cognoscere, recte intellegemus — alteri operae servare satius existimavi: nunc quidem ista, quantum ad Descensuum, qualem enarrabo, historiam illustrandam pertinebit, respiciam tantum, in excursu tenues singularum fabularum historiolas magis quam historias adnexurus.

His praemissis age rem adgrediamur. Atque originem primum generis anquirenti profitendum est non certam me credere eam quam ingressurus sum viam, sed cum multae paterent viae, quarum cunctarum facile perspiciuntur exordia, tenebris obvoluti sunt fines, mihi quidem diu pensitanti omnium maxime hanc incedere visum esse. Certa in his nemo modestus spondebit. Ratione autem potissimum agendum erit, quae in eis debet niti, quae de gentium comperta habemus principiis. Ac ratiocinatus sum hoc modo:

Inde ab antiquissimis temporibus priscum hominum genus divina praecipue et fere sola carminibus celebrasse gentium ex historia discitur. Iam a mera hymnorum poesi, laudationum videlicet et precum formulis, ad longiores de deorum facinoribus narrationes convertentes eorumque inter se usus et consuetudines, eiusmodi condidere poemata, qualia hymni (sive prooemia) Homerici ad nostrum aevum extant. In quibus et superorum et inferorum regna ignota, ipso quod ignota erant (τῷ ξένῳ Iul. or. I p. 1 C) ad describendum tanquam invitantia, large descripta esse per se manifestum est. Iam vero est ex hominum natura, quae penitus dirempta hiant, animo saltem coniungere, qui facillime rerum struit pontes.[1])

---

1) Hinc mecum et alios repetere Descensus originem me docuit Ozanam l. l. 465: *Tout l'effort de la religion suivant l'énergie même du nom, qu'elle porte, c'est de lier souverainement ce qui est souverainement dé-*

Hinc regna ista et inter se et cum hominum finibus copulata sunt; et sicut dei ad mortales devenire, ad superos mortales ascendere putabantur[1]): ita vivos et mortuos consuetudine inter se invicem vel perpetua vel rariore uti persuasum habebant. Atque Descensuum quidem — ne cetera curemus — hunc statuo progressum, quem et naturae maxime convenientem duco: caelestia enim primum finxerunt numina caelis relictis aeternam petiisse noctem, tum heroas, denique hominum egregios.[2]) — Sic[3]) fiebat, ut et de manibus reversis et de

suni, ce qui est en deça de la mort avec ce qui est au delà et q. s. Qui liber propter amplissimam doctrinam cum bono iudicio coniunctam egregia laude dignus videtur.

1) Cf. Tantalus, Ixio (et confusus cum eo Endymio schol. A. Rh. IV 57 ex *'Hoίαις μεγάλαις*), Pelops, Ganymedes. Vide nunc Rohdii Psychen p. 68 sqq.

2) Etenim quem primum apud Graecos ad inferos descendisse accepimus, Hercules est. Canae vero antiquitatis Assyria illa fertur, quae iam magni nominis est, de Ištare ad inferos degressa fabula, facile omnium, quaecunque notae sunt, Descensuum fabularum antiquissima. Inter vetustissimos haud dubie Germanorum mythos est ille de Wodan dei ad Helae nebulas itinere (Vegtamskviđa str. 2). Aliarumque gentium quos novimus, hoc genus mythi ad heroas spectant: velut Wäinämöinen illius, homine maioris, apud Fennos Descensus (Kalewala, vert. Schiefner p. 84 sqq., cf. p. 73 sqq. et 107 sqq.), velut Odschibwae herois iter apud Indianos, qui ab illo dicuntur (cf. Tylor, Anfänge der Cultur, übers. von Spengel u. Poske I 341). Ubique deorum heroumque Descensus inter antiquissima traduntur.

3) Huc usque vacet philosophari i. e. causas quaerere. Quid praeterea mythis sensus insit, non curo nec mentibus vestris incommodabo anquirendo, num Hercules Cerberi vim ad lucem tracturus solis munus sustineat cotidie ut assolet occidentis (cf. pro illa solari q. d. mythorum interpretatione dicta a Tyloro l. l. I 328—50, in quibus multa speciosa sunt, contra eam ab eodem p. 314 et praesertim a Gruppio Griech. Culte und Mythen p. 79 sqq.) vel Orphei de coniuge dulcissimae querelae num proprie sint tempestatis ululatus solem ex Noctis custodia flagitantes: ut Schwarzio, quem *κεραυνομάνην* antiqui dixissent, placuit Praehist. anthropolog. Studien 149 sqq., al.; qui si recte ad fulmina omnia rettulisset, facile putarem Indogermanos q. d. illos aetate vixisse, qua, secunda quaque hora, saevissima tempestas oreretur, ut aures eorum tonitru assiduo sonarent, fulguribus oculi micarent. — Refutare haec qui bene sapit, ipse poterit: quae insint vera, accurate secernere virium mearum non est. Florem poeseos

vivorum ad mortuos itineribus mature crebri et mythi et poemata per ora volitarent. Et quid profecto magis non modo describendorum singulari lepore, sed ipso etiam pondere et gravitate captos animos potuit tenere, quam de Orco nova quaedam? quam eorum, qui suis mira et tremenda illa oculis adspexerant, narrationes fictae? Sibi enim cunctis Orcum aliquando domicilium fore credebant! Ut vero poetico ingenio latior largiorque campus extabat in Descensibus depingendis — etenim cum vividius eis pingebantur Plutonis inania, quam ore umbrarum (cf. e. g. Culicem), tum hominis sive herois egregia virtus accedebat ipsis illis formidinibus quasi magnificentior et exsurgens —, ita de eis solis tota epyllia crebrescebant. Contra alterum illud Ascensuum genus pro re angustioribus coercebatur finibus ac licet in comoediis totis, velut in Eupolidea Demis, manes ad diem missi producerentur, fere maioribus ei intexebantur carminibus, sive ut nodum quendam solverent, tanquam *θεοὶ ἀπὸ μηχανῆς*, sive ut necterent nodum. His iam missis ad genus gemellum convertatis animos!

Sed quod ne nunc quidem in Graecorum sacellum vos induco, ignoscatis: quoniam enim etiam, quae summa antiquitate sunt, Graecorum Descensuum fabulae initiis generis respectis paene recentes apparent, ex aliarum gentium litteris vetustioris formae imaginem repraesentare visum est. Ac dubito an non aliunde aptius exemplum petatur atque ex populi mythis a maioribus nostris vix cogniti, ab aequalibus adhuc fere despecti: Assyrios dico. Quorum in tabulis [1]) nuper terrae ereptis Descensum, quem iam diximus, 'Ištaris reginae' invenis ad Orcum susceptum: in quo ut primum istius quem

— et sunt poesis mythi illi — nemo nisi ipse poeta intellegere poterit, non is qui nihil habet antiquius quam ut ratiunculam suam ubique inferciat. Cultrum fugit Poesis. Cf. etiam Gruppium 77 sq. al. — De inferis ab initio in aëre positis ingeniosa, quae tamen ipsa ex parte in aëre pendeant, protulit Bergkius (cum allegoriarum scriptoribus consentiens cf. Dielesii Doxogr. p. 89 sq.) Ann. Fleckeisen. LXXXI 289 (Die Geburt der Athene = opp. II 635 sqq.).

1) Cf. Jeremias, Die babylonisch-assyrischen Vorstellungen vom Leben nach dem Tode. Leipzig 1887.

supra statuimus (p. 255) ordinis gradum, ita multa habes, quae facile priscis Graecorum descriptionibus exemplaria fuisse dixeris. Tribuitur autem itineris illius epica narratio mago, qua confirmare studet quendam sororis animam ex inferis evocaturum: dis dein advocatis sacrisque ad sepulcrum peractis scil. puri fontis liquore (λ 28) et balsamo effuso respondet anima fratrem obtestans, ut ipsam querulis modis, tibiis, ture ab inferna pernicie solvat: agnoscis Graecorum necyomanteae similitudines. In terram — magus inquit — proficiscitur dea, unde redire vetitum est [1]), coniugis Dumu-zî (quem Graeci Adonidem nuncupant) praematura morte erepti desiderio percussa. Custodem adpellat aquarum, portam aperiat; si minus, mortuos se educturam. [2]) Is ab Allatu Babyloniorum Proserpina iussus septem per portas ingressam nudam ad reginae solium ducit. Furibunda cum Ištar-Venus in eam se praecipitet, mariti obitum exprobrans, reposcens animam, in morbum catenasque iacitur. Interea cum in terra omnis amor extinctus sit, Êa summus deus ministrum quendam creat, demittit; qui deam inferorum obsecrans per 'magnorum deorum' nomen (similis postea Hecatae obsecratio [3]) cf. quae infra de Romanorum necyomanteis dicemus), ut Venus e rupto carcere prodeat, efficit. Orcum habes Homericum muro saeptum (Θ 13, Hes. theog. 732 [Aen. VI 630] Sil. It. XIII 531), fluvii custodem, inferorum reginam. — Iam progressus opinor quidam opinionum apparet in 'ἔπεσιν' illis, quae Nimrodi [4]) continent res gestas: qui, ut proavum magno diluvio clarum (= Noë) consulat de eius apotheosi et de ipsius morbo depellendo (cf. Tiresiam consulens Ulixes), periculosum ad beatorum campos iter subit: a Lunae deo somnians de via edocetur. [5]) Perque terrores multos, per terram Mašu, aeterna, ut Cimmerii, caligine

---

1) Cf. Catull. III 12 et Riesium ad l.; πούρτες σὲ τόπον ἄγυρτο recentiores Graeci dicunt (Schmidt Volksleben 235).

2) Similis maiestatis minae deorum μ 28 Solis, Qu. Smyrn. II 61 Aurorae.

3) Cf. Lenormant la magie p. 40. 4) Jeremias: ibidem.

5) Item Circe iter describit; de somnio vide Verg. Aen. V 722.

tinctam, per arva arboribus gemmarum feracibus obsita, quae in orientis postea fabulis haud raro inveniuntur, ad mare terram circum undans pervenit; cum beatorum portitore ad 'mortis aquas', labore gravissimo exantlato, penetrat; proavum convenit, qui ipsi medetur. Herba salutari, quae in summis arboribus est (visco? cf. Aen. VI 205), carpta, dein amissa redit tandem. Reversus amicum Eabani ex inferis citat, veluti fumum exsurgentem (ἠΰτε κάπνον).

Quae eo minus sicco ut aiunt pede transire volui, cum ex Babyloniis complurium institutorum et opinionum Graecos, nisi fundamenta, tamen additamenta accepisse indies fiat veri similius. Hinc Ἀσσυρίους hos λόγους excusetis!

Ac si rem plenissime vellem administrare, et huius gentis et aliarum, quae vel necessitatis vel commercii vinculo cum Graecis nexae sunt, de morte mortuorumque loco opiniones accuratius pertractandae erant, ut totius qui in Descensu describi solet apparatus fortasse indagarem initia. Sed quas Indorum [1]) in libris sacris vel Aegyptiorum [2]) in ritu Graecorum origines sibi invenisse quidam visi sunt: eae num recte indagatae sint, nunc quidem non penes me est discernere. Quarum certe pleraeque simulacris ipsae ex inferis remissis non iniuria comparabuntur: 'et frustra comprensa manus effugit imago.' Atque haec quidem alii operae servemus. Ipsorum, quos solos quaerimus, Descensuum apud Indos et Aegyptios paene desunt vestigia. Quae mittere praestat.[3]) Quod enim

---

1) Cf. Zimmer altindisches Leben 412 sqq. cum Gruppio l. l. p. 91 et 289; Adalbertus Kuhn in Hauptii ann. VI 117 et Loeschkius Aus der Unterwelt progr. Dorp. 1888 cl. eodem Gruppio p. 113; Benfeyus in actis soc. reg. Gotting. XXII. 1877. Adde Calandium in Verhandelinge der koninklijke Akademie. Afdeeling Letterkunde Amsterdam 1888 (part. XVII) et Weberum Indische Studien I 398 adn. †.

2) Cf. Herod. II 49 sq. 123 cum Wiedemanni adnn. et Diod. I 96 sqq. Ingenuo sobrioque iudicio in eis usus est vir harum rerum inter primos peritus Le Page Renouf Vorlesungen über Ursprung und Entwicklung der Religion der alten Aegypter vert. Brentano, Lipsiae 1882 p. 117 sqq., 162 sqq., praes. p. 172.

3) Aegyptiorum satis singularem Descensum Herodotus habet II 122:

unum spectavimus, ut exemplo priscam, quae fuisse videretur, generis speciem inlustraremus, id Assyriis rebus satis factum arbitror.

Iam 'voi che siete in piccioletta barca, desiderosi d'ascoltar, seguiti' ad portus usque metas per vadosa loca: mare patet, nave parata mecum intrate! [1])

μετὰ δὲ ταῦτα ἔλεγον τοῦτον τὸν βασιλέα (*Ῥαμψίνιτον*) *ζωὸν καταβῆναι κάτω ἐς τὸν οἱ Ἕλληνες ᾅδην νομίζουσιν εἶναι κἀκεῖθι συγκυβεύειν τῇ Δήμητρι καὶ τὰ μὲν νικᾶν αὐτήν, τὰ δὲ ἑσσοῦσθαι ὑπ' αὐτῆς καί μιν πάλιν ἄνω ἀπικέσθαι δῶρον ἔχοντα παρ' αὐτῆς χειρόμακτρον χρύσεον.* Quid sibi velit Herodoti historiola, doctioribus relinquo evincendum. Cf. Wiedemann Herodots zweites Buch p. 454 sq. Vide etiam Charontem *ψήφοις παίζοντα* apud Artemid. onirocr. I 4.

1) Hoc initio non inutile duco antiquorum, quae largam ad Descensuum historiam intellegendam materiem congessisse videntur, scripta brevi conspectu percensere (id quod iam incohavit Wyttenbachius ad Plutarchi d. s. n. v. p. 563 B, ed. Oxon. p. 414 adn. p, quem postea inspexi). Scripsit *περὶ τῶν ἐν ᾅδου* Democritus (*περὶ ᾅδου* Diog. La. IX 46): unde Stobaeus frustulum servavit hoc: *ἔνιοι θνητῆς φύσιος διάλυσιν οὐκ εἰδότες ἄνθρωποι, συνειδήσεσι δὲ τῆς ἐν τῷ βίῳ κακοπρηγμοσύνης τὸν τῆς βιοτῆς χρόνον ταλαιπωρέουσι, ψεύδεα περὶ τοῦ μετὰ τὴν τελευτὴν πλαστεύοντες χρόνου* (hinc elucet — etiam inde quod in ethicis numeratur cf. Hirzelii quaestionum Ciceronianarum I p. 137 — in confutandis mythis puerilibus istis librum versatum esse; cf. etiam Caroli Buresch consolationum historiam in Stud. Lips. vol. IX p. 7 sqq.); testimonio deinde nuper reperto vel magis perspicua fit indoles libri, crescit, quod periit, dolor: *τὴν μὲν περὶ τῶν ἀποθανεῖν δοξάντων, ἔπειτα ἀναβιούντων ἱστορίαν ἄλλοι τε πολλοὶ τῶν παλαιῶν ἤθροισαν καὶ Δημόκριτος ὁ φυσικὸς ἐν τοῖς περὶ τοῦ ᾅδου γράμμασιν,* Proclus ait in commentario ad Platonis remp. edito post alios (Morum cf. Bernays. zwei Abhandlungen etc. p. 90, Maium, qui ad Ciceronis remp. quaedam excerpsit, Schoellium in Anecd. Graec. et Lat. vol. II) plenius a Pitra Cardinale in Analectis sacris et classicis spicilegio Solesmensi paratis 1888 anal. class. p. 17 in. Deinceps scripsere Protagoras (D. L. IX 55) et Antisthenes Cynicus, ii quoque procul dubio superstitionem inridendo castigantes (D. L. VI 17); tum Heraclides Ponticus, homo fabulosus, quem tamen, quas protulisset, fabulis fidem non habuisse contendit Franciscus Schmidt in eis quae de Heraclidis P. et Dicaearchi dialogis deperditis diss. Vrat. 1867 scripsit (Cf. et Iac. Bernaysii opp. I p. 42—44). Quae ex vicesimo Apollodori *περὶ θεῶν* libro, *ὃς ἦν περὶ τοῦ Ἅιδου,* Stobaeus ecl. I 418 sqq. II 14 W. (cf. Phot. cod. 161) a Porphyrio adlata praebet, talia sunt, ut quod saeculorum tempestatibus

I. *De Graecorum fabulis.*

En primus in cursu obvius est Hercules, cuius itineris ut pervulgati mentio inserta est Θ (366 sqq.). Quem heroem etiamsi Thraemero concedemus postea in Homerum intrusum esse — argumentis enim mihi paene persuasit[1] — tamen nulli opinor in mentem veniet ideo etiam ipsam fabulam, quae antiquitatem palam profitetur, recentiori tribuere aetati. Severa est severi temporis proles fabula: nondum 'cantibus' aut fide hominum mota est regia Orci, sed solis adhuc 'haec vinci potuit regia viribus'. Quae vero huius itineris antiquissimi, quasi Cyclopicae quaedam ruinae, Homeri carmine servata sunt, ea magis ad heroem ipsum spectant, quam ad Descensus qualem descripturi sumus notionem. Qua de causa, quae de eo dicenda videbantur, in excursu legas.

Iam ad Descensum descendimus, qui primus excultus et plena manu ornatus extat: Odysseae priorem necyiam (*ψυχῶν ἀγορὰν* dicit Philostr. imag. II 10 fin.). Ad quam cum tota posteriorum carminum turba referenda sit, accuratius age

---

deperditus est liber, maxime lugendum sit. Nec Porphyrii, in quo illa legebantur, *περὶ Στυγὸς* libellum sperneremus, si extaret integer. Nam quanquam ratio eius, qua *ἀναπτύσσειν ἐπεχείρει τὰ δι' ὑπονοίας* et *τὰ δι' αἰνιγμάτων παρ' Ὁμήρῳ λεγόμενα* (ut iure in eum ipsum vertenda sit Cronii, quam profitetur, reprehensio: *οὐ τοῖς παρὰ τοῦ ποιητοῦ τὰς δόξας, τοῖς δὲ παρ' ἑαυτοῦ τὸν ποιητὴν προςάγειν πεφιλοτίμηται* Stob. ecl. II 14 sq. W.), perversa et nulla videtur nobis esse, multa, ut eius mos est, ex aureis libris petita adtulerat. De Dicaearchi *εἰς Τροφωνίου καταβάσει* fusius dicetur postea. Et in Epicuri libris talia stricta fuisse apparet (cf. Usener Epicurea p. 226 sqq.): Epicuri *περὶ εἰδώλων*, quo de praeter inscriptionem nil scimus, ad eius *αἰσθήσεως* doctrinam spectasse, non ad umbrarum simulacra nemo dubitabit, quin meo iure dixerim. Denique et in eis, quae *περὶ πένθους* sive de luctu antiqui composuerunt, scriptis omninoque in consolationum illis litteris frequentem Stygiarum rerum mentionem fuisse et per se verisimile est et ea, quae relicta sunt, clamant (cf. e. g. Plutarchi ad Apollonium consolationem et Luciani *περὶ πένθους*). Quo de litterarum genere vide Bureschii quam laudavi dissertationem.

1) Pergamos p. 113 sqq.

eam disponere succingamur, criticam illam altiorem cothurnatamque pro viribus respecturi.

1. Iusso simpliciter itinere Circe viam Ulixi indicat.

2. Per Cimmerios degressus ad ipsas Oceani ripas[1]) sacris Ulixes operatur duplicibus. Scrobem sanguine plenam iuxta ense nudo[2]) manes arcet.

---

1) Conclamatam de necyomantiae loco quaestionem digitis primoribus licet tangere. Hoc certum reor: Ulixem in ulteriore Oceani ripa ad ipsam fluminum inferorum confluentiam (Achero iam lacus videtur?) i. e. in Orci propylaeis umbras spectare ipsorum fines non transgredientes (In iisdem enim *μεθορίοις* ad ipsas suarum tenebrarum metas versantur, in quibus *πλανᾶται* Elpenor cf. Plut. qu. conv. IX 5. Illic scrobes. Sic tantum explicatur, quomodo simul insepultus et cetera turba sepulta cum heroe conloqui possint. Elpenor num secretus sit a ceterarum grege quoque modo, me latet). — Accuratiorem imaginem animo fingas vix licebit. Namque Guilelmi Iordani, viri de aliis optime meriti, opinionibus (cf. Annal. Fleckeis. vol. CV 1 cl. Kammer Die Einheit der Odyssee 486), qui Ulixem per Oceanum in terrarum orbis margine lato fluentem(!) ad alteram terrae superficiem (*ἀντιπόδων*!) penetrasse adserit, quis fidem faciet? Multo ingeniosior illa est opinio, quam defendit Wilamowitzius: per Pontum Euxinum ad Cimmerios pervenisse heroem (Cimmerios autem, qui ex lapidibus Assyriis et Graecis etiam scriptoribus noti sunt, illic sedes habuisse constat sane); hinc per Oceanum, quem putavisset poeta cum Ponto cohaerere, — iter Argonautis simile — rediisse septemtrionalem orbis oram circum navigando. Sed nimis haec cohaerent cum toto eius sententiae fundamento, quod probare nequeo: ac nimium quantum in ventos (p. 166) versusque grassatur, qui repugnent (Homerische Untersuchungen = Philolog. Untersuchungen, herausgeg. von Kiessling u. Wilamowitz B. 7, p. 163 sqq.).

2) Nescio an recte scholiasta Q ad v. 48: *κοινή τις παρὰ ἀνθρώποις ἐστὶν ὑπόληψις, ὅτι νεκροὶ καὶ δαίμονες σίδηρον φοβοῦνται.* Cf. de ferro et aliis schol. *κ* 323, ap. Schraderum Porphyr. rell. ad Od. pert. p. 99. Ceterum et Vergilius nec, credo, temere Homerum imitando rerum in mutata condicione Aeneam 'vagina ferrum' contra umbras eripientem facit (Aen. VII 260). Non sequor utique Naegelsbachium (Hom. Theologie[3] 375), cuius verba adpono: *Es ist ein Widerspruch, wenn das εἴδωλον, das einem Rauche gleicht ... das nicht fassbar .. das in seiner Bewusstlosigkeit doch wol auch der Empfindung der Furcht nicht fähig ist, abgewehrt werden kann von jener mit Blut gefüllten Grube durch das blanke Schwert.* At licet mente sint privati, sanguinem manes etiam

3. Advolat primi Elpenoris, quem insepultum reliquerant, umbra; sortem enarrat; per coniugem patrem filium, ne inustum linquat corpus, obsecrat: promittit Ulixes.

4. Sequitur Tiresias, qui, ut vires conscientiamque augeat, sanguine libato redeundi viam vaticinando dicit.

5. Denuo de sanguine vocem vigoremque umbris restituente edoctus matrem admittit Ulixes: cuius umbram ter conatus capere, ter fugitivam, primam quandam inferorum sortis descriptionem, quae postea sollemnis est, ex matre audit.

6. Accedit matrum nobilium grex: suam quaeque stirpem enarrat.

7. Excipit belli quondam sociorum conloquium (Agamemnonis, Achillis, qui Orci miserias pingit non morituris verbis, Aiacis [1]), ex quo persona sollemnis nascitur eius, qui succenseat ei qui descenderit).

8. Ipsa Orci templa conspicit apparatu ornata, qui Homeri aetate multo est recentior.

9. Innumeris manium turmis territus ac Gorgoneum veritus ne caput exsurgeret, discedit.

Harum partium de aetate atque origine accuratum iudicium ferre non poterit nisi Homericae totius quaestionis peritissimus. Talis vero mihi esse minime videor. Quam ob rem ea tantum nunc proferenda censui, quae utique concedenda esse putabam.

Ac primum tota necyia non licet dubitari quin interpolata sit in nostram Odysseam. [2]) Quod enim vinculum est inter necyiam et ceteram Odysseam: consilium, quo ad inferos ductus pervenit Ulixes, cum toto ceterarum rerum tenore non convenit. Namque idem, quod ut comperiret, a Circa iussus

---

sentiunt effusum, ut bruta animalia! Sic ensem quoque horrent destrictum caeco timoris capti sensu.

1) Quid senserit Aiax ἰδὼν ἐν Ἅιδῃ τὸν Ὀδυσσέα μετὰ σώματος, posteriores explanavere rhetores cf. Nicephori progymn. IV (Walz. I 473 sqq.). Similes (Severi) lusus vide ap. eundem Walzium I p. 544 sqq.

2) Quod primum monuisse laus est Francisci Lauer (quaest. Hom. p. 59 sqq.).

est descendere Ulixes ($\varkappa$ 539 sq.), ipsa explanat μ 37 sqq. et eruditius, quam Tiresias, cuius oraculi summa (λ 104—14) tota consentit cum μ 127 sqq., unde aperte est hausta; nam multo accuratius dicta sunt, quae deae dicuntur, et vel primum obtuenti prae altero loco genuina videntur. Quae cum ita sint, — nisi ariolari mavis — necyiam Circa posteriorem iudicabimus et ab antiqua Odyssea alienam.[1]) Offensio, quae est in repetito vaticinio, non tollitur, sed ferenda erit cf. Rohdium Psychae p. 46 cum adn. 1.[2])

Iam inspiciamus singula. Atque offendit nonnullos duplex

---

1) Vatem solum, non totam necyiam, ex Odyssea expellit Kammer l. l. p. 490 sqq. Cuius argumenta eis, quae postea disputabuntur, refutata fore puto. Sed ea ut stare possint: Circam, quod est in antiqua Kammeri Odyssea, nulla causa addita (χρή! l. l. p. 537) Ulixem iussisse descendere quis tandem credet?

2) Vix autem propterea quidem necyiam putabis peculiare quondam carmen fuisse (ut recitabatur διῃρημένον cf. Ael. v. h. XIII 14). Quod statuit Lauer l. l. Duplex tum memoria et carmine quidem comprensa (incertum, utra antiquior) ponenda esset, altera ex qua Tiresias de Thrinacia sive omnino de reditus periculis moneret, altera ex qua Circe; quae duo carmina in unum, licet infeliciter, confiasse diceres, qui Odysseam redegit. Tum intellegeremus, unde duplex vaticinium; tum quod Telemachus adulescens in λ (vv. 185 et 449) descriptus ab Odysseae temporum ratione discrepat, inde explicares, quod alio atque ex nostra memoria tempore necyiae poeta descendentem potuit fingere. At mirum est, quod in eo quod nos habemus Tiresiae oraculo ne ullum quidem antiquae illius memoriae vestigium restat, sed tota quae ad reditum pertinet pars ex μ conficta est (cf. supra). Vix enim credideris plane eadem vaticinatos esse in altera memoria Tiresiam, in altera deam; vix Circae carmine, quo diversa mythi forma exculta erat, Tiresiae auctorem usum esse putabis. Maiore cum probabilitate opinionem Lauerianam sic profiteri licet: qui necyiam interposuit, antiquiore poemate usum videri, quo Ulixes nescio qua de causa descenderet et Tiresiae aliae atque in λ, fortasse nullae partes essent, et ex hoc carmine sumptos esse Anticleam et heroas. Tum ea saltem offensio, quae est in λ 185 sqq. et 449, explicari posset (cf. supra). Sed fortasse poeta temporum saepe securus etiam de Telemachi annis accuratam rationem non iniit. Deinde Odyssea num ex compluribus carminibus coaluerit, adhuc sub iudice lis est. Qua re incertissima illa quoque opinio habenda est.

illud sacrificium.[1]) Quod ab initio in necyia fuisse negant. Statuit enim primus Kammer (l. l. p. 455 sqq.) 'suadum' illum (ut dicit Statius) 'cruorem' recentioris originis esse quam necyiae partes antiquissimas. Inter eas autem esse illud cum belli sociis conloquium vel ex toto colore ingenuo ac simplici ei apparere videbatur. In quo quoniam sanguinis delibati paene non fit mentio, sanguinem quondam alienum fuisse conligebat et ab hac parte et a tota necyia. Quam quoniam nostrae Odysseae cum Kammero servare non procedebat[2]), restaret, ut in antiquo carmine, quo poetam fortasse usum esse non prorsus negavimus[3]), sacra illa defuisse crederemus eiusque carminis fuisse heroum conloquium. Et haberet speciosi aliquid opinio, si etiam unus, quo memoratur sanguis, conloquii locus (v. 390) corruptus vulgo ferretur: id quod placuit Wilamowitzio (l. l. p. 151 adn. 11). Est enim in Vindobonensi deteriore codice: *ἐπεὶ ἴδεν ὀφθαλμοῖσιν* (*γρ. ἐπεὶ πίεν αἷμα κελαινόν*). Cui testimonio vindex exsistere videtur scholiasta Harleianus optimae ille quidem notae, qui ad l. l. ea adscripsit, ex quibus sane effici putares vulgatam ei non lectam esse scripturam. At fugit virum egregium scholium illud (Porphyrianum) loco motum potius ad vv. 568 sqq. referendum esse. Quod iam vidit Polakius (cf. O. Schrader Porph. quaest. Hom. ad Odyss. pertin. rell. p. 108). Codicis Vind. sola auctoritas nil poterit valere. Quod autem praeterea in illa parte non additur istud: *ἐπεὶ πίεν αἷμα κελαινόν*, excusari arbitror nimiaeque pusillitatis fore tam diligentem et anxium velle poetam, ut ubique illud adderet. Talis repetitio quam languida fuisset, ex Silio (XIII) videre licet, qui nusquam oblitus est adicere libato sanguine umbras locutas esse. Propter haec ergo nec ex tota necyia nec ex parte (ut Wilam. l. l. p. 151) sacra removenda erunt. 'At manium omnis omnino cultus in Homero adhuc desunt vestigia: etiam sacra illa,

1) De melle lacti admixto, vino, aqua cf. Bergkium opp. II p. 674 sq. cum adn. 67.

2) Cf. p. 263 adn. 1.

3) Cf. p. 263 adn. 2.

quae in eodem nituntur fundamento, aevo posteriori tribuenda erunt, quo vires iterum hic cultus resumpserat.' Totam igitur necyiam, quacum artissime sacrificia sunt nexa, sequeretur aliquanto recentiorem esse Homero. Sed ne hoc quidem inde sequitur. Quod Rohdii egregia disputatione (Psychae p. 14 sqq.) nunc constat: qui illam superstitionem iam multo ante Homerum floruisse eiusque aetatem desiisse mortuos colere, olim cultos non oblitam esse ex ipso praecipue Homero praeclare ostendit (cf. etiam l. l. p. 33). Itaque nec λ libri sacra ab Homeri aevo aliena censeas necesse est. Quae ex ipsa obsecrationum antiqua memoria sive ex cultu singulari quodam, qui superstes alicubi Graeciae relictus erat (non opinor ex parentalibus omnino), recepisse videtur poeta. Quibus sacris cum paulo alium sensum subiecit (nimirum non modo allici et delectari umbras sanguine, ut erat in necyomantea, sed conscientiam omnino eo recuperare voluit[1])), ita usus est, ut mortuos, qui ex Homeri mente voce vitaque carent, aliquo modo loquentes fingere posset.[2]) In Homeri enim de Orco opinionibus totus positus est necyiae poeta (Rohd. l. l. p. 50 sq.), ut sermo et ars illo non multo recentiorem probant.

Mirari possis, quod poeta, quem necyomanteam notam

1) Utrumque in vetere et gentium communi nititur persuasione, qua credebant in sanguine esse vitam. Id quod philosophorum postea docebant Critias (Arist. de an. I 2) et Pythagorici (D. L. VIII 30: τρέφεσθαι τὴν ψυχὴν ἀπὸ τοῦ αἵματος). Cf. Empedocl. v. 373 sqq. Mull.

2) In mytho quidem, quo poeta usus videtur, fortasse deerant sacrificia, ut consilium omnino Descensus, sed in erroribus, opinor, hoc enim popularis fabulae simplicitati aptum, hoc antiquum videtur, etiam ad Oceani ulteriorem ripam pervenit, ubi inter ceteras et sociorum matrisque recentes umbras vidit inferiis non institutis. Sic quidem mirum illud Indianum Ulixis instar forte fortuna ad Orci ianuam venit, descendit, de procis fidae coniugis edocetur (cf. Tylor l. l. I 341); sic Argonautae Orphici in itinere ad Cimmerios et Acherontem deferuntur (Orph. Arg. vv. 1120 sqq. Abel); sic S. Brandanus, quem non inepte Ulixem Christianum dixerunt, in itinere longo etiam ad Inferni insulam fertur. Ac Lucianus quoque suis Elysii et Tartari insulis (ἀλ. ἱστ. II 5 sqq. 29 sq.) fortasse inridet quendam, qui in itinere eas se vidisse mentitus erat.

habuisse probabile est, non magis ea usus est. Quam si novisset, ait Kammer (l. l. 508), cur ipsum in Orcum deduxisse Ithacum? Quid enim impedivisse, quominus Circae in domo manes evocaret? 'At primum in ipsam sempiternam noctem penetrare heroem dixeris multo magis fuisse poeticum et magis animos movens. Deinde vero — id quod Rohdius monuit — quoniam ista, quibus poetae opus erat, sacra vel maxime cum communi eius i. e. Homericae aetatis opinione pugnabant (ut pugnant in ipso Homero Ψ 18 sqq.), eo magis in ceteris illa opinio servanda i. e. ad Orcum saltem heros deducendus erat: aevo enim illo, quo commercium inter vivos et mortuos credebatur nullum, necesse erat opinari, ut spectarent umbras, ad ipsa earum loca deveniendum esse.[1]) Haec fere est Rohdii opinio, qua meliorem non habeo: quanquam nec in ea omnia placent, velut non placet, quod illis sacrificiis novum suo arbitrio sensum poetam substituisse existimat. Sed in his tenebris quis certum perspiciet?[2])

---

1) Simplex est simplicis temporis cogitandi ratio. Sic etiam Wodan Germanorum Iuppiter, ut Walam consulat defunctam, usque ad Helae portas vehitur equo (Vegtamskv.).

2) Qui in hac narratione leguntur versus 38—43, iam a Zenodoto et Aristophane expulsi sunt: cui iudicio subscribo aliis quoque causis adductus. Atque offendere illi quidem primum, quod *οὐ μεμιγμέναι παραγίνονται αἱ ψυχαί, νῦν δὲ ὁμοῦ* .. At quae ex imis modo tenebris densa emergit, manium multitudinem pingit poeta variam, qualis primum obtuenti se offert: (*Der Dichter schafft sich einen Hintergrund, auf dem die einzelnen Personen der folgenden Szenen sich abheben und in den sie zurückkehren, und der später vordrängend dem Ganzen ein Ende macht* 632 ff. *Kirchhoff die Homer. Odyssee*[2] 227). Gravius autem alterum est: *ἄλλως οὐδὲ τὰ τραύματα ἐπὶ τῶν εἰδώλων ὁρᾶται*, hic vel cum armis sanguine sparsis occurrunt: quae quidem opinio aliena sane videtur a necyia tota (exceptis vv. illis, qui inde a 565 enumerantur); iure vix opponere possis Tiresiae sceptrum. (Aliter Rohdius l. l. p. 55 adn. 1. Quem tamen affert locum, eum nihil probare credo.) Firmant suspicionem sermonis quaedam offensiones, ut *πολύτλητοι, νεοπενθής, βεβροτωμένα* (quod postremum Nitzschio debeo, quem sero inspexi) hoc uno 'Homeri' loco obvia. *Παρθενικαὶ ἀταλαί* ex Σ 567 natae videntur. Ergo propter et sensum et sermonem eicio. Cf. etiam Nitzschii ad Odysseam egregias adnotationes (II 195), quocum in plerisque me consentire vidi.

Iam ad Elpenorem veniamus. Quem iniustis de causis iubet exulare Kammer l. l. 499—520. Quod quoniam cum praecepta eius opinione cohaeret, ab ea proficiscendum erit. Contendit enim credidisse antiquos omnia morte penitus deleri, per *εὐφημισμόν* deinde pro moriendo dicere solitos esse *εἰς Ἅιδου ἰέναι,* hinc inferorum regna vitamque post mortem non vitalem nata esse (l. l. 513 sqq.): etenim semina illa incertissima poetarum ingeniis exculta esse: Homero Iliadis auctori ista ignota esse vel potius ab eo primum tangi in Ψ. Confido vero perversis haec rationibus efficta esse. Immo *Ἅιδου δόμους* nunquam poeta ausus esset pingere nisi populi nixus certissimis persuasionibus. Vel ornatum, puto, magna ex parte ex vulgi fabellis poetae adiecere. Caecus profecto necesse est et insulsus sit, qui in Iliade illarum opinionum nondum inveniri quicquam dicat Orcique domum pro allegorica (in Homero!) mortis significatione accipiat. Quid istud est argumenti ex Achillis stupore (Ψ 103 sq. *ὢ ῥά τις ἔστι καὶ εἰν Ἀίδαο δόμοισιν ψυχή*) apparere nildum de mortuorum in Orco concilio cognitum fuisse! Contrarium potius probare possis: quae adhuc fama et sermone de eis acceperat, suis nunc spectarat oculis Achilles sic profecto habere. 'Est ergo' inquit. Tum vero non satis est, cur vv. 71—74 eiciamus, qui Kammero multo recentiores et a loco alieni videri necessario debebant, non nobis. Neque in eo puto iure offenderis, quod rogat Patroclus, ut sepeliatur, cum Achilles iam postridie eum sepulturus sit. Amici coniunctissimi anima cum apparet ultimum vale dictura, nonne consentaneum est rogare eam, ut misera condicione quam celerrime liberetur, licet Achilles omnia ad sepulturam praeparaverit? (Sic etiam accepit Silius, cuius Appius [XIII 459 sqq.] Scipioni, ut propinquos adcelerare iubeat funus — qui tamen praeparabant, sed nimis lenti —, item praecipit.) Vere edepol ad animi naturam pictum est! Itaque quoniam de non sepultorum misera condicione iam in Iliade (Ψ 72—74) occurrit opinio, propter eam quidem Elpenorem expellere non licebit. Atque hanc ipsam de sepulturae expertibus fabulam ex antiquissimis esse probant Babylonii (Jere-

mias l. l. 56), probat gentium consensus (Tylor l. l. II 27. 28).[1] Aliud gravius opponitur. Cum enim ex tota de Elpenore narratione veri simile sit iam ante Descensum compertam habuisse Ulixem socii mortem, male videtur quaerere λ 57: πῶς ἤλθες κτλ. Nec vv. 52—54 cum Kammero (p. 501) sublatis offensio omnis sublata esset. Hoc ergo nixus, quod unum ex multis Francisci Lauer (quaest. Hom. c. I) argumentis non nihili facio, Elpenorem interpolatum possis suspicari, quo vel artius cum Circa conecteretur necyia. Sed qui hoc spectavit nescio an ipse fuerit necyiae poeta: cui, cum ceterum egregie descriptus sit Elpenor, hunc quoque praestabit tribuere condonando, quod modo non satis perspicuo eum induxit.

De Tiresia iterum perversa m. q. s. protulit Kammer l. l. 476 (et Preller in mythis Gr. II 480 adn. 2, si recte intellexi eius mentem). Umbra sane est Tiresias i. e. corpore cassus; sed discrimen est inter ipsum ceterosque; potat ille, ut vires conscientiamque augeat, ceteri, ut recuperent omnino. Non est igitur umbra eo sensu, quo Graeci illi umbras accepere. Temere in voce νημερτής de Tiresia aeque ac de ceteris umbris usurpata offendunt: quasi non ex ipsa condicione discrimen notionis emineret: et vates et ceteri pro facultate νημερτέα dicunt.[2])

Deinde cave id mireris (ut Kammer l. l. 491) quod, causam Descensus postquam rogavit vates, ipse respondet v. 100. Immo ingeniose res mihi videtur concepta: sanguine enim nondum gustato mens eius adhuc nube occaecata est; nondum scit, cur ille descenderit et quaerit, ut qui mox cogniturus sit nec egeat responso (statim pergit ἀλλὰ κτλ. v. 95). Potus confestim vaticinandi facultatem recipit et quod quaesierat, ipse profitetur prima voce: Νόστον δίζηαι μελιηδέα!

Istis ergo argumentorum quisquiliis Tiresiam non eicies.

---

1) Adhuc apud novos Graecos istam vigere opinionem Bernhardus Schmidt docet (Volksleben p. 162).

2) Vera dicere mortuos praesertim ad scrobem communis erat opinio cf. Boissonad. ad Philostr. her. p. 198.

Suspicionem moveri versibus 116—121 iure statuere licebit. Procorum enim mentionem pugnare cum aliis carminis locis, praes. v. 42 sq., et cum toto rerum cursu iam pridem viri docti perspexerunt (Lauer qu. Hom. 47; Kammer 492; Wilam. 145). Locum ex aliis Odysseae versibus male confectum [1]) expellimus. Impedita est quaestio de eis quae iam sequuntur (v. 121 sqq.). Quae ad nostrum Ulixem aegre quadrant. Qui cum reditum quaerat, nil ad reditum ista videntur pertinere. Dein in reliquo carmine non respiciuntur nisi loco recentiore.[2]) Accedit, quod color oraculi obscurus ab Homeri simplicitate abhorret et quod Philippus Mayer (de Tiresiae vaticinatione. Gerae 1845) sermonis quaedam indicavit ab Homeri usu satis aliena: Homeri autem usus in antiquis partibus necyiae servatur. Iam splendida est Wilamowitzii opinio [3]), qua antiquissimae fabulae memoriam in eis contineri suspicatur: sic omnia plana fieri videntur [4]) (bene praesertim inter Solis et inter Neptuni iram discernitur): quanquam mihi et in his, ut saepe accidit Wilamowitzium legenti, quod ei Ulixis in personam inquisituro (l. l. p. 114): *ich wage die Wolkenfahrt nicht; der Held entschwindet meinen Blicken; οὐ γάρ πω πάντεσσι θεοὶ φαίνονται ἐναργεῖς.* Illum quidem Tiresiam anti-

---

1) Cf. Jaekel, das Teiresiasorakel. Progr. des Realgymn. in Freistadt i. O. Oe. 1876 p. 40.

2) Redit enim Tiresiae vaticinatio ad verbum in ψ libro (268 sqq.): quandoquidem autem ne hic quidem artius cum toto rerum cursu nexa est (repetitur tantum) et satis mediocris, nisi fallor, est Ulixis cum coniuge sermo (248—87), damnabimus locum (in universum quidem bene disserentem vide Kammerum p. 139; cf. et Wilam. l. l. 68 sq.): qui locum confinxit, id egisse videri possit, ut clausulam carminis bonam adsequeretur: bene enim sic in fine Odysseae (si quidem recte ex Aristarchi sententia finitur ψ 296 cf. schol.) velut prospicitur in ea quae futura sunt.

3) Cui ex parte praeivit Jaekel libro laudato.

4) Cf. Hom. Unters. p. 159 sqq. et 194 sqq. Vide ad ultimum locum Ribbeckium Trag. Rom. p. 275: *Im römischen Drama (den Niptra des Pacuvius) nahmen jene Begebenheiten (die Abenteuer des Ulixes) offenbar einen grossen Raum ein, so dass man glauben möchte, Ulixes kehre jetzt zum erstenmale heim.*

quissimum non curamus. Quicquid statuitur, quos dixi versus ab eo, qui est in nostra necyia, Tiresia alieni videntur.[1])

Heroinarum catalogum ab Homeri more maxime recedere quivis videt. Revocat in memoriam Hesiodeum illum catalogum, quo eas celebravit, quae *ἀθανάτοισιν εὐνηθεῖσαι θεοῖς ἐπιείκελα τέκνα γείναντο.* Quod dicunt etiam inde suspicionem moveri, quod ineptum esset in Phaeacum conventu haec recitari, concedere nequeo. Nam iidem Phaeaces Troianorum Graecorumque fata celebrabant (*Δημόδοκος*). Cur Graeciae celeberrimas matres fastidium eis movisse putas?[2]) At tamen quae propter alienum ab Homero colorem oboritur suspicio, firmatur aliis argumentis. Impugnandus autem mihi est primum Wilamowitzius, qui de ipso catalogorum genere egregie videtur egisse, non aeque de fontibus Homerici catalogi. Animadvertit enim vir sagacissimus (l. l. p. 149) — id quod sane constare opinor — harum de quibus sermo est mulierum nonnullas occurrere iterum in Cypriis (Antiopam Iocastam Megaram Ariadnam, argum. Cypr. p. 18 Kink.). Atque cum quaestio exsistere videatur, uter poeta altero sit usus, Cypria ille Odysseae fontem statuit. Cui opinioni alia quaerit fulcimina. Sunt enim praeter illas et aliae in *λ* mulieres, quae cum illo carmine quadam necessitate iunctae sunt: Chloris nimirum et Tyro, mater et avia Nestoris, quem quattuor illas sermone memoravisse Proclus testis est. Utrasque ergo certum putat ex Cypriis in uxorum catalogum insertas esse. Ac quod dicit nil esse, quo catalogus cum necyia cetera artius nexus sit, immo sublato eo melius rem procedere: ego quoque eum facillime desiderari persuasum habeo (licet ineptum eum esse nec posse omnino ferri negem). Concedo in Cypriis quidem melius cum carmine istas feminas iunctas videri fuisse.[3]) At

---

1) De Anticlea egregia dixit Lehrsius ap. Kamm. l. l. 774. — Versuum 204 sqq. exemplar videtur fuisse *Ψ* 100 (ubi nondum de triplici complexu sermo est).

2) Idem fere etiam Lehrsium professum esse (ap. Kammerum l. l. 774 sq.) gavisus nuper legi.

3) De narrationum Pylii senis causa idem sensi, quod Welcker (Ep.

Cypria tamen non adhibuit catalogi auctor. Quae si adhibuisset: illa ipsa inprimis exspectarem narraturum eum fuisse, quae in exemplari de eis narrata fuisse scimus. At de Epopeo nil, nil in Odysseae loco de Herculis furore. Non opinor ista eum neglecturum fuisse, si in exemplo invenisset, ut res ad delectandos animos pulcherrimas! Ariadnae vero et Epicastae historia vulgata erat, quas in uxorum catalogo desiderari vix potuisse credas. Chloridem autem et Tyro nescio an tum demum addidisset, si sors earum, ut est in Odyssea, et illo in poemate descripta fuisset, quod nemo probare poterit. Verumenimvero non modo non invenis in necyia, quae ex Cypriis translata expectes, sed etiam ea invenis, quae ab illis manifesto discrepent. Thraemerus enim libri laudati p. 136 Antiopam Odysseae vidit — nec difficile erat videre — filiam esse Asopi, Cypriorum Lycurgi. At gravissimum iam profert Wilamowitzius argumentum: non enim commemoratur inter Ledae liberos Helena (λ 298 sqq.). Quod inde explicat, quod in Cypriis Nemeseos filia fuerit Helena. Atque Dioscuri ab Odysseae poeta copiosius celebrati item ad Cypria quadrare videntur, quibus sortem eorum large enarratam esse ex carminis reliquiis efficitur. At nondum ille vicit. Iam enim Thraemerus Helenae fratrumque, quales ab Iliadis Odysseae Cypriorum poetis et ab Hesiodo enarratae extant, originibus accuratius inquisitis nec in eis demonstravit necyiam cum Cypriis conciliari posse. Cuius disputatio in universum quidem mihi probatur: in singulis vir egregius erravisse videtur, velut ex Iliade non sequitur et Helenam et fratres Iove et Leda natos esse (cf. locos Γ 238. 426 cl. 199: τώ μοι μία γείνατο μήτηρ). Nec in ceteris prorsus eadem sentio. Rem sic habere censeo. Extat enim Stasini fragmentum celeberrimum apud Athenaeum (VIII 334 C fr. 6. K.), unde — sive lacunam post primum versum statues sive non statues, τέκε sive de Iove sive accipies de Nemesi — necessario conligi puto Helenam cum fratribus

Cycl. II [2] 38), qui illis putat sceleris puniti exempla Menelao propter Helenae raptum maesto proposita esse (Epopeus, Lycus?, Ariadna, Laius?).

(*τριτάτην*!) ex Nemesi procreatam esse et Iove, id quod Eusthatii scholio (ad Ψ 638) firmatur. Pugnare videtur cum hoc alterum testimonium (fr. 5 K.): *Κάστωρ μὲν θνητὸς . . αὐτὰρ . . . ἀθάνατος Πολυδεύκης*, ex quo sane alterum fratrem a mortali patre, alterum ab immortali satum probabile (non necesse) est. Haec testimonia inter se conciliare non meum duco. Sed utrumcunque optabis: a necyia Cypriorum poeta utique discrepabit. Ac si Welckerum[1]) secuti fragmenta ita conciliaremus, ut aut Nemesin Tyndarei uxorem aut Ledam eandem fuisse crederemus ac Nemesin, id quod nec Wilamowitzius credet: ne tum quidem res melius haberet. Prius enim si accipiemus, manifesta est diversitas; altero admisso non magis explicatur, cur Helena desit in Odyssea. Quae cur in λ omissa sit, nec mihi concedo contigisse, ut invenirem. Quod enim Thraemerus probavit Furtwaenglerum secutus (l. l. 132), nescio an non necessarium sit: sunt enim Dioscuri, etiamsi alterna morte moriantur, tamen *ζωοί*, sunt *δυνάμει* nimirum, ut philosophice loquar, quia semper reviviscunt. Hoc autem credo constare ex Cypriis, qui necyiae catalogum confecerit, non hausisse. De Nostis quae Wilamowitzius dixit p. 150 sq. copiosius refutare non necesse est: quoniam enim Maeram cum Thraemero arbitramur in Odyssea non videri virginem (cf. sqq.), una Clymena relicta parum valebit.

In tota autem re Thraemero me adplico, qui m. q. s. summa cum probabilitate defendit Boeoticam esse interpolationem quem nos legimus catalogum.[2]) Quod primum eo probabile fit, quod paene solae eae apparent heroinae, quae cum Aeolica stirpe conexae sint. Animadverte praesertim Alcmenam Megaram Epicastam Iphimedeam (de Orione mihi aeque ac de Aloidis Thraemerus magis persuasit quam Wilamowitzius p. 150), Antiopam, cuius filii *πρῶτοι Θήβης ἕδος ἔκτισαν ἑπταπύλοιο* v. 263. Phaedram Procrin (?) Ariadnam, quantum quidem perspicio, satius sane erit expellere cum Wila-

1) Ep. Cycl. II² 133.
2) Simile professus erat Lauer l. l. Cf. Thraemerum l. l. 129 adn. 1.

mowitzio et Thraemero ut Atticam interpolationem; Maeram, siquidem Boeoticam catalogi originem accipiemus, non virginem ut in Nostis, sed Locri matrem intellegere males (ut iam gloss. H ad 326): non ita ex vocis *γόνον* λ 324 notione hoc conlegerim, ut Thraemerus p. 137 cl. 133: mihi in *γόνος* voce utrumque, et maiores et liberi, videtur contineri: est 'stirps'. Deinde commendat, quod catalogorum istud genus in Boeotia praecipue cultum esse scimus. Quibus de causis quanquam in singulis quaedam incertiora videntur, tamen Boeoticum nos in catalogo tenere carmen iure statuemus.[1] — Cuius aetatis sit poema, ignoro: sed ad antiquiorem relegare videntur Pollux nondum Iovis filius et praecipue Salmoneus, cui nondum illorum scelerum quicquam adfictum est, propter quae *ἄδικος* epitheton apud Hesiodum accepisse videtur (cf. fr. Eoe. 25 K. cum λ 326 et scholiasta ad 237, qui iam recte hoc animadvertit).

Qui sunt intexti Aretae Alcinoi Echenei sermones, expellendi erunt. Nam cohaerent arte cum antecedentibus. Quod de donis tantus et fere solus sermo est, equidem non statim *ἀηδές* hoc vocarim nec carminis huiusce auctorem penitus damnaverim: sumus profecto nimis nos proni, id quod Aristophani et Zenodoto ipsi opprobrio damus, ad nostrum sensum antiquorum vitam moresque nobis fingere. Equidem et pulchra multa in hac parte agnosco (illa Aretae laeta gloriatio 336; laus Ulixis 363). Quapropter interpolationis arguemus versus, non ineptiae!

B e l l i s o c i o r u m cum Ulixe conloquium maiestate et sermonis et inventionis summo poeta dignum in nimis recens aevum m. q. s. relegat Wilamowitzius (l. l. p. 151 sqq.). Nolo longus esse in his: idem sensi ac Thraemerus parum curare Wilamowitzium

---

1) Minime Thraemerum refutavit Duemmler Mus. Rhen. XLV p. 178 sqq., qui diversae originis catalogum esse perseverat. Nam primum quod Wilamowitzium in λ certa Cypriorum vestigia detexisse statuit (p. 182 sq.), in hoc ea quae Thraemerus contra dixit, refellere non dignatus est. Deinde Nostis usum esse catalogi poetam non magis demonstravit quam Wilamowitzius. Cf. p. 281 adn. 2.

ea, in quibus omne carmen nititur: mythos dico. Qui semper mutabiles per populum diu volitant, antequam carmine comprenduntur. Illum si sequeremur, etiam alia, quae in Iliade tanguntur tantum, ex Cypriis deprompta viderentur, quae ne hilum quidem movent suspicionis: velut Troilus *Ω* 237, cuius mors in Cypriis secundum Proclum enarrata erat (cf. et Thraemerum p. 144). Quae cum ita sint, acquiescamus in his: non cogi nos recentiorum carminum vestigia agnoscere in heroum conloquio, sed eos, de quibus quaeritur, locos ad antiquiores potius mythos recedere iure statui. De singulis videas Thraemerum p. 154—164 et sqq.

Quae inde a versu 567 enumerantur umbrae, cum ex Erebo eas non processisse in aperto sit, iam Aristarchus obelo notavit.[1]) Cui adsentiemur. Ac primum quidem usque in Erebi noctem profundam per tenebras fortasse perspexisse Ulixem non verisimile est; deinde haec regna prorsus nova continent quaeque cum Homeri ceteris locis aegre conveniant: velut etiam arbores memorantur post Homericam demum aetatem Graecis vel Ionibus cognitae, id quod Victor Hehn demonstravit.[2]) De Tantalo recentioris aetatis persona vide Thraemerum (p. 84 sqq., praes. 85). Et omnis omnino, quae eis versibus pingitur, vita poenaque mortuorum[3]) mentem sapiunt ultra Homerum progressam: sic Minos causas iudicans mortuis — qui secundum necyiae opinionem conscientia sunt cassi; sic Orio bestiarum, quas vivus peremerat, animas persequens.[4]) De eis qui poenas luunt, egregie egit Wilamo-

---

1) Aliter sane rem sibi confinxere novi Platonici, caeco Homeri, 'sapientiae fontis', cultu obstricti: qui cum processisse umbras contendere nequirent, dicebant iniustorum manes versari *ἐκτὸς τοῦ ποταμοῦ* cum iudice. Sed quid Hercules? *Τιμωρεῖται ἐκτὸς ὢν τοὺς ἀδίκους φαντασίας φοβερὰς ἐμποιῶν τοῦ βάλλοντος καὶ τοξεύοντος . . . οὐ γὰρ δὴ καὶ οὗτος τῶν κολαζομένων ἐστὶν, ὡς Ἀριστάρχῳ δοκεῖ, ἀλλὰ τῶν κολαζόντων* (Stob. ecl. I 423 W)!

2) Kulturpflanzen und Haustiere p. 85 de ficu, p. 206 de *ῥοιᾷ*.

3) *Im echten Homer wird nur der Meineid bestraft,* Nägelsbach l. l.

4) Ad hanc rem submiram cf. Indianorum religiones, quos notissimum est credere mortuos in beatorum montibus venandi voluptati incum-

witzius praes. p. 200—207. Quin carmen teneamus Orphica doctrina infectum, non licet dubitare. Vix tamen puto tam recentis id esse originis quam censet Wilamowitzius.[1])

Iam videamus, quid spectaverit qui nostram necyiam Homeri corpori inseruit — non curantes sive mythum sive antiquiorem, si qua erat, necyiam. Qui quid inprimis egerit, nescio an optime Rohdii ipsis verbis dicam: (*Die Gespräche mit der Mutter und den Kampfgenossen*) *bringen den Od., der nun schon so lange fern von den Reichen der thätigen Menschheit einsam umherirrt, in geistige Verbindung mit den Kreisen der Wirklichkeit, zu denen seine Gedanken streben, in denen er einst selbst wirksam gewesen ist und bald wieder kraftvoll thätig sein wird* (p. 47). Fatis etiam sociorum Ilii excidio immortalium enarratis poeta vidit optime quodam modo suppleri Odysseam. Deinde audaciam versuti viri maxime hoc itinere augeri perspexit (cf. λ 474 sq. [618 sqq.] μ 21). Ithacum ingentibus miseriis vexatum certo melioris sortis vaticinio firmari aptum intellexit, quisquis finem oraculi composuit (praes. vv. 134 sqq.). Haec certe propter consilia legentibus deinde confecta videbatur necyia. Quod probant, qui imitati sunt eam: quorum in necyiis eadem consilia pleraque saepe indagare licebit.

Ex hac necyiae quasi *εἴδει*, ut cum Platone loquar, — *ὁμοιώματα* quaedam — quascunque postera aetas composuit, necyiae sunt natae. Quae licet multis inter se rebus differant,

---

bere. Animalia apud inferos occurrunt in Polygnoti tabula (Paus. X 28, 1): in Acheronte pinxit *ἀμυδρὰ εἴδη . . . ἰχθύων . . . σκιὰς μᾶλλον ἢ ἰχθύας* cf. Lucian. *ἀλ. ἱστ.* II 30 (*ὁ πυρὸς ποταμὸς*) . . *πολλοὺς ἰχθύας εἶχε* (in Tartari insula); in Luc. *καταπλ.* 21 *ἐγὼ δὲ* (Charo) *ἵππους καὶ βοῦς καὶ κύνας καὶ τὰ λοιπὰ ζῷα μέτειμι· διαπλεῦσαι γὰρ ἤδη κἀκεῖνα δεῖ*, deinde in Culice atque in Ovidii amor. II 6, 49, ubi psittacus in avium Elysio suaviter pingitur (cf. Stat. Silv. II 4, 8, Mart. VII 14 6). Vide et Tylorum l. l. 460, praes. 462, ubi multa habes de canum, muscarum al. animis immortalibus.

1) Contra ea quae e. g. de Herculis balteo et versu praesertim 612 dixit, cf. Helbigium das Homerische Epos p. 288 adn. 4; quocum consentio. — Herculem duplicem lepide exagitat Luc. dial. mort. 16. Suam doctrinam intulit Plutarchus de fac. orb. Lun. XXX 6.

communis archetypi tamen cunctis mansere vestigia. Quae nostrum erit retegere. — Et ut sol almus vasto mari aeque ac graminis roscida gutta atque etiam in foedo stagno repercutitur: per diversissima litterarum genera exemplaris Homerici imagines monstrare licebit. Quod iam administremus.

Tangatur oportet *δευτέρα* quam dicunt *ψυχοστασία* (Phil. her. II p. 205 Kays.), qua primus mortui Descensus describitur. Quam in posterius aevum cum Aristarcho et nos trudere cogimur. Ac primum satis mediocris quidem poeta est. Quod enim insepultorum animas statim ad *ἀσφοδελὸν λειμῶνα* ducit: hoc prudens poeta nec Homeri nec eius quod eum sequebatur temporis opinor fecisset — nisi id quidem sic tollere voles, ut loco motam necyiam cum Kammero statuas (l. l. p. 757 sq.). Sed credo istum poetam nec Homeri opiniones nec sui aevi ita curasse. Immo occasionem quamlibet captavit, qua heroum sermones ad λ exemplar insereret.[1]) Fecit enim Achillem et Agamemnonem alterum alterius sortem comparantem ita, ut cum toto rerum nexu paene non coniunxerit, sed consilium illud manifestissime pateat. Et totus ille sermo umbra est, suci plenum alterum in λ conloquium. Deinde colloquentes non fecisset antiquus poeta mortuos, qui cum ex Homeri opinione conscientia carerent, λ poetae sanguine ad vitam quandam vocandi erant. Nec Mercurius ille, qui procorum animas deducit vespertilionum more stridentes[2]), sceptrum madens Lethaeo rore gestans, antiquus est: cuius in Iliade aeque ac in cetera Odyssea nec vola nec vestigium, quem tota contra postea antiquitas noverit. Posterius aevum ostendit etiam loci

---

1) De Achillis funere narrationem fortasse aliunde mutuatus, cf. Nitzsch. de hist. Hom. melet. II p. 36 sqq.

2) Haec opinio sane est antiquissima. Prorsus consentit cum Iudaeis, quibus eadem vox de avium pipilanti et de umbrarum sono in usu est, scil. צִפְצֵף (cf. Gesenius s. v.) Ies. 29, 4. Plane idem de mortuorum exigua voce sentiunt Indiani Polynesii Aethiopes (Sulu) cf. Tylorum l. l. I 446 II 7 adn. 3. Communem hominum genti rem esse vides. Ex Graecis cf. praes. Ψ 101 *ᾤχετο τετριγυῖα* et qui rem vivide pingit, Philostr. mai. imag. p. 300 Kays.; Lycophr. 686 sq.

inferorum ornatus (δῆμος ὀνείρων, λευκὰς πέτρη). Exulet ergo ut recentissima altera illa necyia.

Iam certior certiorque de Orci specie fit opinio initio diffluens. Novaque rerum personarumque turba poetarum ingenia inane regnum implent (ex parte e vulgi opinionibus?). Tenuem enim Homerici Orci imaginem [1]) excultam exhibet Hesiodus. [2])

Iam vero iuxta has miserias veluti leniter expergiscens [3]) exsistit in animis beati cuiusdam loci species, ubi putantur versari, 'quos aecus amavit Iuppiter aut ardens evexit ad aethera virtus, dis geniti, pauci'.

Beata est tellus nive pluviaque vacans zephyris Oceani adflata, a Rhadamantho regnata (δ 563 sqq. qui locus Homero recentior videtur; cf. Rohdium Psyches p. 64 adn. 2 et omnino p. 63 sqq.), cuius aditum et heroibus Thebani (ut Boeotus) et Troici belli non paucis praestat Hesiodus (ἔργ. κ. ἡμ. 151 sqq.; in δ solo de Menelao sermo).

Sed quantumvis suavibus haec coloribus poesis adornaverit, quid ad homines? quibus sedes istae denegatae fere et clausae erant. [4]) Necdum multum inde lucis inferis puto per id tempus

1) Reges Orci, qui est portis munitus (Ἀΐδου πύλαι); Tartarus cum ferreis portis et aeneo limine (Θ 15) Titanum κολαστήριον (ibd. 479 sqq.).

2) Cf. Theog. 720 sqq. Nox cum Die, Mors, Somnus relegantur illuc; Plutonis arx memoratur etc.

3) Nam licet Gruppio viro ill. demus apud gentes fere primum apparere tale regnum, quale est Ἀΐδης Homericus, deinceps paradisi delicias fingi solere, cur non et ista opinio in censum quidem venire poterit, qua sacras secuti scripturas oblitam priscae aetatis verique memoriam statuamus tempore vigere coepisse? Idem m. q. s. cadit in aureae aetatis fabulam, quae Elysii colore pingitur (ut vice versa aureae aetatis colore Elysium): in qua item veri vestigia agnosco. Nec facio cum Gallo homine Renan (ap. Gruppium Kulte und Mythen I p. 45): *Einen bestimmten Sinn in den Träumen des goldenen Zeitalters suchen, heisst die Töne der Glocken deuten* e. q. s.; facio cum Dantio, qui Purg. XXVIII 139 de paradiso terrestri: *Quelli, che anticamente poetaro L'età dell' oro e suo stato felice, Forse in Parnaso esto loco sognaro.* (Poeta enim, si quis, memoriam priscae aetatis optime servat.)

4) Est ista de Elysio nobilibus paucis servata opinio ex eis, quae inferius adhuc populi ingenium produnt. Similia et alibi inveniuntur. Cf. Tylor. l. l. II 21: *auf den Tongainseln war das zukünftige Leben ein*

adfulsisse, quod Homerum subsecutum est, licet perpauca eius extent monumenta. Atque ad ea nunc convertamus.

Hesiodei quidem de Thesei et Pirithoi expeditione epyllii veluti tenuis ad nos per longa tempora manavit sonus [1]): cuius argumentum certe non erat — id quod Goettlingius posuit [2]) — Plutarchi (ex Philochoro) in Thesei vita (35) narratiuncula. Nam etiamsi ita hanc opinionem accipiamus, ut antiquissimam mythi formam ad Molossicum Orcum, non ad Peloponnesiacum spectasse dicat ille — id quod dicit Welcker Ep. Cycl. I² 243 sq. — et hanc formam videri Hesiodum excoluisse: non video, quo cogamur hoc opinari. Philochoro quidem pronum erat de Thesprotia cogitare, unde et alios Orci initia scimus derivasse (Paus. I 17 5). Anne etiam Proserpinae fabulam Molossicam voluisset Goettlingius, quam ibidem collocat Philochorus? [3]) An inde, quod Pausanias Homerum ait Thesprotiae ferocibus locis ad Orcum pingendum usum esse, ibi necyiae scaenam cogitandam esse putabis sequi? Accuratiora de carmine sciscitari est ariolari. Cf. Markscheffel Hesiodi etc. fragmenta cap. V.

Quae vero Homeri exemplo excitata sunt carmina et ad eius normam composita — *ἐπικὸν* dico *κύκλον* — cum dilacerata et scissa ad nos pervenerint, paulo tamen certiora de eis proferre licet, etiam quod Descensuum adtinet genus. Nam res Tartareas eis celebratas esse atque Homeri quidem ad exemplum ex eis, quae relicta sunt, probatur. Etsi enim ex Procli Nostorum — ut hinc initium capiam — argumentis aureis descendisse quidem quemquam non discimus, illud tamen aliunde

---

Kastenvorrecht, denn während die Häuptlinge und die Höherstehenden in einen Zustand ätherischer Göttlichkeit . . . eingehen sollen, glaubt man vom gemeinen Volk, dass die Seelen mit dem Leibe zu Grunde gehen et sp. Cf. nunc Rohdium Psyches p. 75 adn. 1. Non dissimilia postea Stoici (D. L. VII 157).

1) Paus. IX 31, 5 'Ἡσίοδος . . (ἐποίησεν) . . ὡς Θησεὺς ἐς τὸν Ἅιδην ὁμοῦ Πειρίθῳ καταβαίη.

2) 'Argumentum indicasse videtur Plut. Thes. 35' prolegg. Hesiod. Goettling p. XLIX ed. Flach.

3) R. Förster Raub der Persephone p. 59 sqq.

certum est. Namque Pausanias cum leschae Delphicae enarrat picturas, diserte: *μνήμη γὰρ δή*, inquit, *ἐν ταύταις καὶ* (scil. *ποιήσεσι* Odysseae Minyadis Nostorum; lege *καὶ ἐν τούτοις*) [1] *Ἅιδου καὶ τῶν ἐκεῖ δειμάτων ἐστίν* (X 28, 7). Quod pergit: *Ἴσασιν* [*οἱ Νόστοι κτλ.*] *οὐδένα Εὐρύνομον δαίμονα*, vel hinc efficitur Acherusia templa eis accuratius descripta fuisse. Si enim obiter stricta fuissent, daemon ille cadaverum carne vescens [2]) etiam facillime a poeta omitti potuit, licet eum novisset — hoc enim Pausaniae egregius auctor demonstraturus est poetae vel eius aetati ignotum fuisse daemonem — et superflua illa essent, quae dixit scriptor. Accedit quod Maera iam in λ obvia (325) [3]) e carmine adfertur (fr. 5 K.), cuius vix

1) Odysseae enim necyiam omnibus notam esse ipse Pausanias persuasum habet: id quod probant verba in capitis initio posita *ἔστιν Ὀδυσσεύς κτλ.* In Minyade Orcum tangi iam indicavit § 2. Restabat, ut Nostorum Orci descriptionem adderet. Quod correctione admissa optime facere videtur (quam incohasse video Schubartum ad l.).

2) Memoriam excitat Charontae recentium Graecorum carne ipsa mortuorum vescentis (B. Schmidt Volksleben 246). Idem postea de Cerbero dicitur cf. e. g. Lucan. Phars. VI 701, 2 ianitor . . qui viscera saeva Spargis nostra cani, et de Hecata cf. hymn. mag. in Dianam (Abel Orphica p. 292) vv. 53 sq. *αἱμοπότι, καρδιόδαιτε* (quod iniuria temptat Abelius) . . *σαρκοφάγος*; idem, ni fallor, de Proserpina Lucan. VI 740 eloquar . . . quae te contineant, Hennaea, dapes . . quae te contagia passam noluerit revocare Ceres. Proserpinam enim a posteris, praesertim magis illis, confundi saepe cum Hecate notum est (e. g. hymni l. versu 25). Et alia in Lucani l. l. Chaldaeos redolere infra ostendere conati sumus. De gentibus aliis cf. Le Page Renouf l. l. (adn. p. 179, 183): *o Herr, rette den Osiris* (i. e. defuncti animam) *von dem Gott, der die Herzen verschlingt und sich von Leichen nährt.* Qui inter Aegyptias et magorum opiniones consensus memoratu dignus est. Cf. Simrockii Germ. Mythol. Enchirid. p. 177 (Nidhoeggr draco cadavera exsugens). Vide Addenda.

3) Diximus (p. 273) Maeram λ libri ex Nostis non esse depromptam, quia mater, non virgo intellegenda videtur: Nostorum poeta quominus e necyia eam hauserit, nihil obstare video. Nomen in Odyssea invenit, cui adtexuit — plenius enim illi epici cycli poetae explanant, quae ab Homero adumbrata vel stricta sunt — eam quae suo consilio apta erat, fabulam, non eam quae λ catalogi poetae consilio, quod omnino non perspexit.

praeterea locus in Nostis nisi in necyia erat. Idem valet de Clymena Minyae coniunctim cum illa eodem versu in λ tacta (fr. 4 K.). Forte etiam Medeae mentio inter heroinas erat — possis alia tamen de ea fingere; fortasse et Eriphylae (Welcker Ep. Cycl. I 264 adn. 467). Nec non Antiopam diversam ab Homeri λ 260 Welcker huc refert.[1] Praeterea e carmine, quod idem esse cum Nostis opinatur, *Ἀτρειδῶν καθόδῳ* adscripsit necyiae fragmentum ab Athenaeo servatum (281 B) de Tantalo in deorum convivio (*ἐν ἀσμένοισιν ἀλιτρός*) poenas luente — quanquam ad aliam atque apud inferos Tantali poenam hoc ipsum frg. spectat. Magis sane est verisimile, quod Wilamowitzius professus est: nimirum *κάθοδον* istam procul tenendam esse ab altero carmine. Fere[2]) enim neglectum est apud Athenaeum praeterea fragmentum extare eidem *καθόδῳ* adscriptum 399 A (non, ut Wil., 395 D), quod mihi ingeniose ille videtur explicavisse (Hom. Unters. 157).

Quo autem modo haec inferna cohaeserint cum toto carmine, nescitur. Nisi Procli excerpta extarent, nullus dubitarem vivi alicuius Descensum statuere[3]): quo ducunt heroinarum

---

1) Philyram non cum eadem probabilitate necyiae Nostorum idem tribuit, quoniam Nauplii, cuius erat uxor, ultio in eis videtur descripta — ut ipse Welcker statuit l. l. II 282 cl. I 263. Errasse videtur vir eximius, nam l. l. II 283 non in Orco enumerat Philyram.

2) Nec tamen *πρῶτος εὗρεν*: vidit iam Odofredus Mueller Litt. Hist. I[4] 114 adn. 2 cl. I[1] 121 adn. 3, opinionis ille Welckerianae nihilo secius tenax.

3) Quod sane video recentissimis probari. Kirchhoffius (die Homer. Odyssee[2] 334 sqq.) enim et in his Nostis sibi persuasit Ulixem eundem umbras easdem spectare: cuius fata large in carmine vult descripta fuisse. Sed de Neoptolemo in Ithacum *ἐν τῇ Μαρωνείᾳ* incidente quae Kirchhoffius dixit, mihi paulo superbius videntur dicta: *Nichts aber nötigte in irgend einer Weise gerade dieses und nur dieses erste Abenteuer des Odysseus in das Gewebe der Gesammthandlung einzufügen, wenn die Absicht nicht von vornherein war, die Abenteuer des Odysseus in Verbindung mit denen der übrigen Helden vollständig zu behandeln* (p. 336). Facile profecto poeta causam habere potuit, cur illud fingeret, etiamsi Ulixis errores non voluit repetere. Nec ex fr. 9 K. plus conligere licet quam tacta esse in carmine ea Ulixis fata, quae in Odyssea nondum narrata erant (vide cautissime

catalogi vestigia. Nec crediderim quod quibusdam [1]) placuit Achillis umbram Agamemnonem a reditu arcentem (*διακωλύειν πειρώμενον,* vide Proclum) oratione haec percensuisse: vix tam diu antiqui umbras exsurgentes extra fines severos retinuerunt, vix Achillem uxorum catalogum enumerantem finxere. Culicis catalogi poeta simile non fecisset, nisi sciolus ille quidem fuisset. — Deinde etiam mortui Agamemnonis Descensui cuidam [2]) haud ita haec apta sunt. Quamquam talem necyiam ad *ω* rhapsodiae similitudinem compositam inter veri similiora duco esse. Hoc si statueremus: Proclus sive eius

---

agentem etiam Wilamowitzium l. l. p. 182 in.). Dissensisse Nostos a Telegonia de Telegoni stirpe (cf. Kirchhoff. l. l. 336 sq.) non credo. Vix vulgaris de Telegono memoria ex alio carmine fluxit atque ex eo, quo praecipue eius facta tractata erant: Eustathium (p. 1796) sive cum Muetzelio (cf. Welckerum l. l. II 308) sive etiam cum Wilamowitzio (l. l. p. 183 sq.) emendare satius erit. Deinde satis multa opinor apud Proclum legis, quibus Nostorum quinque libri compleri potuerint, ut alteram Odysseam infercire non opus sit.

1) Cf. Bode *Hellen. Dichtkunst* I 391.

2) Quod copiosius persecutus est nuperrime Duemmler (l. [p. 273 adn. 1] l.). Ac primum nominandus ei erat Nitzschius, vir inter Homericos haud ignobilis, qui idem iam ex parte suspicatus erat (de hist. Hom. melet. II p. 36 sqq.). Deinde si Nitzschius opinionem ipse ariolationem vocavit, vel magis suam Duemmler hoc nomine proferre debebat. Ac quod Agamemnonis umbram, ut Nitzschius, in carmine deductam esse credit, non prorsus hoc negare possumus (cf. supra). In *ω* Nostorum necyiam usurpatam esse eiusdem iam Nitzschii suspicio fuit, quae, illud si acceperis, quibusdam rebus commendari videtur, sed incerta manet. Verum etiam in heroum quod est in *λ* conloquio Duemmlerum Nostos sibi deprendisse visum plane repudiabimus. Quae gravissima videantur, excerpam. Quod dicit vv. *λ* 397 sqq. ex Nostis male furatum esse poetam, meris artificiis hoc assecutus est (l. l. 190 sqq.). Ex sanguinis potu in conloquio non semper (non enim recte constituit v. 390 cf. nostrae diss. p. 264) memorato necyiam subesse in *ω* modum formatam nequaquam m. q. s. conligi licet (l. l. p. 191) cf. supra l. l. Quod ineptum ducit Achillem post decem (!?) annos de Neoptolemo sciscitari (p. 193), ex falsa opinione profectum videtur. Homeri enim eiusque qui necyiam composuit ex sententia mortui ut conscientia orbi alter cum altero conloqui non possunt. Sophisma est novorum demum q. d. Platonicorum, quod *ἀλλήλους μὲν γιγνώσκουσι(ν οἱ νεκροί) κατ' ἰδιότητα φρονήσεως, τοὺς δὲ ἀνθρώπους*

epitomator, qui sane et alias neglegenter excerpserit, cur silentio rem praetermisisset, facilius explicatu esset. Sed rem dubiam in dubio relinquere satius erit.[1]

Nec in Minyade firmiora nancisci licet. Fuisse necyiam in ea diserto eodem Pausaniae testimonio discimus (X 28 7), satis copiosam fuisse ex Eurynomo item efficitur (cf. p. 279). Sed quomodo in illius corpore intexta fuerit, nequaquam constat, quoniam ne argumenti quidem quid carmen omnino complexum sit, certo conligi potest.

Ac Welckerus, quem in his auctoritatis eximiae esse constat, Orchomenum oppidum priscum Minyensium priscorum ab Hercule captum Erginique caedem, qui parentem ultus servitute Thebas 'Herculeas' continebat, carmine tractata arbitratus post

---

οὐκέτι (Stob. ecl. I 423 sq. W.). Igitur ne potuit quidem ante Ulixis adventum Achilles certior fieri de filio. Denique asphodeli pratum ex ea Orci imagine, qualis est in *λ*, ab Ulixe non posse animadverti (l. l. 193 sqq.) confidentius dictum est. Obscurissima enim est locorum in *κ* et *λ* descriptio, ut asphodeli pratum quantum ab Ulixe afuerit, nequeat disceptari. Ac nescio an ex versu 539 conligere liceat ab ipso illo prato ad scrobem accedere mortuos (nam vv. *κ* 513 sqq. certe non temere Nitzschius recentiores statuit Adnot. III 160 sq.). Et haec si minus procedent, *κατά* praepositionem quid prohibet sic accipi, ut interpreter: magnis gressibus *ad* asphodeli pratum rediit (cf. § 261, *A* 484)? Deinde vero nec ea oratio, qua Nestoris aviam ubertate vere Nestorea totam usque ad Eriphylen gentem Agamemnoni enarrasse opinatur, satis fundata videtur. Frustra enim complures *λ* libri mulieres ex Nostis haustas ostendere laborat. Nam unam per Melampodis, qualis in Nostis ferebatur, fabulam (l. l. p. 183 sq.) contineri Clymenam Maeram Eriphylam (*λ* 326; quarum duae priores erant in Nostis; sed de Maera cf. p. 273), per eandem deinceps cum eis cohaerere Tyro Chlorim Pero (*λ* 235 sqq., 281 sqq.) nego: vel melius eaedem Aeolici sanguinis communione copulantur inter se et cum ceteris; dein eandem intellegi in *λ* de Iphiclo memoriam atque Hagiae in carmine (cf. Paus. X 29, 6) non constat: ex reticentia Homeri hic quidem nil licet concludere. Etiam Eriphylae sors in Tyrus orationis fine conlocata (l. l. p. 134), ut alterum Alcmeonem inde Agamemno speraret filium, non inepte fingitur, sed mere fingitur. Ac totam omnino orationem confinxisse videtur ille incertas res certas esse iubens. Quae cum ita sint, ex tota Duemmleri disputatione ea tantum cum aliqua probabilitate proferri dicemus, quae iam protulit Nitzschius.

1) Quae alii coniecerint, vide apud Welckerum l. l. II² 297 sq.

pugnam Minyensem [1]) illam opinatur Herculem nescio qua de causa (l. l. I 243) degressum ad inferos Theseum Pirithoo adligatum solvisse — nimirum ut suam illam magnificam magnorum operum clausulam ille adipiscatur. At quod Cerberi raptum et Theseum ex inferis vindicatum ab initio diversorum et locorum et mythorum statuit fuisse, vereor ne nimium probare voluerit vir summus. Certe nusquam tale quid traditur. Quod e. g. Alcestis retracta ex inferis a posteritate extrema cum Herculis celeberrimo Descensu conglutinatur [2]), vix in suas partes ipse Welcker vocavisset. Ex Philochori et aliorum Euhemeristarum narrationibus (cf. Welck. l. l. 244) cavendum esse ne nimium conficiamus, iam supra monui. Atqui si non probabile est vindicati ad superos Thesei fabulam ab Herculis opere conclamato unquam exstitisse secretam, Welckeri corruit opinio. Canem enim edomitum in Herculis certaminum ultimis semper positum fuisse verisimillimum est — non propter sollemnem quidem herois laborum ordinem: quem quis primus e priorum temporum copia et inconstantia constituerit, ignoro. [3]) Sed ut facinorum Herculis audacissimum ab initio pugnis eius quasi coronam quandam impositum esse mihi persuasum est. Iam ut angustiore nos rursus gyro contineamus: de necyia, quae ex carminis reliquiis conligi videantur, age complectamur. Quin descenderit aliquis, vetat dubitari Pausanias; Herculem ut censeamus, nonnulla suadent (cf. et Welcker): primum Pirithoi et Thesei quem temptabant raptus [4]) copiosius enarratus, in qua narratione Charontem portitorem primum occurrere animad-

1) Euripides et alii de Herculis illa pugna ut Minyensi loquuntur, Welcker I 239. Quas idem ad carminis nomen explicandum affert, ἐπῶν inscriptiones (Thebaidis, Iliadis), paulo alius sunt condicionis: illae ab urbe expugnanda, haec a gente, urbem quae possidebat, indita.

2) Myth. Vat. I 92.

3) Pisandrum voluit Welcker (cf. nunc Wilamow. Hercul. I 309 adn. 75; qui ipse antiquissimum dodecathlon pulchre evincere studet).

4) Similem ex Tartaro fugam excoluit Val. Fl. III 224 sqq.: ... ast illam (Coeum) fluviis et nocte remensa Eumenidum canis et sparsae iuba reppulit hydrae.

vertimus; dein Meleager commemoratus, qui etiam in Apollodori q. d. de Herculis Descensu narratione prae ceteris eminet (II 5 12 cl. schol. *Φ* 194). Philodemi locus (*περὶ εὐσεβ.* p. 7 G.) corruptior videtur, quam ut inde quid conligas. Addimus pleniorem iam fuisse punitorum recensum (Amphione et Thamyri [cf. *B* 595], quorum uterque superbiae poenas luebat, auctum).[1]

De Hercule quae diximus, ingenue concedimus incerta esse. Libenter propterea amplecterer Wilamowitzii sententiam, qua omnes difficultates dirumpuntur. Qui Odofredi Mueller opinionem adumbratam excoluit hanc: eandem iudicandam esse Minyadem cum carmine, quod *Ὀρφέως εἰς Ἅιδου καταβάσεως* nomine ferebatur. At discidisse quaestionem videtur, non expedivisse. Nititur autem praecipue in nominibus: cum enim tradatur Prodico sive Samio sive Perinthio tribui *τὴν εἰς Ἅιδου κατάβασιν*, item Prodico cuidam Phocaeensi a Pausania Minyas adscribatur (IV 33, 7): unum eundemque contendit esse Prodicos illos. Quod non probavit. Credo equidem (cf. infra) vere Orphicum carmen illam *κατάβασιν* fuisse, praesertim quod etiam Cercopi et Orpheo Camarinaeo adscriptum est, quorum alter Pythagoreus dicitur, alter item opus Pythagoricum videtur monstrare.[2]) Atque quem in Minyade deprendimus, scelestorum catalogo Orphicam carminis indolem indicari putaveris. Sed et de hoc valent, quae de Minyadis omnino reliquiis recte dixit Welcker (l. l. II² 423): *Was Pausanias aus der Unterwelt der Minyas anführt, weist deutlich auf eine Nekyia als epische Episode und gar nicht auf Orphische Art und Lehre hin.* Ingeniosa est Wilamowitzii opinio: vereor, ne non item in-

---

1) Miram de Ap. Rhod. A 730 sqq. compositione opinionem secutus Tityum Minyadis inferis addit Merkel Proll. XXIX sq.

2) Cf. Lobeck. Agl. 358. — Tollit sane et Cercopem Pythagoreum Wilamowitzius eundem hunc esse ratus cum Aegimii et Naupactiorum auctore. Quod vel minus credo quam priorem *ἕνωσιν*. Etenim Hesiodeae disciplinae poetam num quisquam unquam Pythagoreum nuncuparit, valde dubito. — Item quas praeterea Minyadis personas detexit Wil. l. l. 223 sq., in opinione positae sunt.

geniosa sit refutatio, sed sic quidem sentio.[1]) Iterum praestabit confessionem molestissimam confiteri: non liquet.

Ex ceteris temporis poematis una ad nostram rem pertinet Thebais sive[2]) Ἀμφιαράου ἐξέλασις Homerico nomine inscripta. In qua nova primum descendendi species exculta est: vivus enim vates terra hiante ad inferos iam illo carmine rapiebatur (Asclep. ad Pind. Ol. VI 14).[3]). — Heraclearum sat multi scriptores nihil nunc sunt nisi nomina.

Sequitur tempus (inde ab octavo fere ad quintum saeculum), cuius ut litterarum omnino, ita poesis Orcinae reliquiae ad nos perduraverunt paene nullae: nihilo minus illud inprimis ad nos pertinet. Hoc enim aevo Orphicis praecipue mysteriis factum est, ut plane novum sentiendi genus paulatim exsisteret: quippe tristis Homeri de inferis opinio expulsa est nec nobilibus paucis, sed initiatorum cuivis ad beata loca post vitam accessus patere iam credebatur. Eleusiniis dein maiorem gloriam nanctis Proserpinae raptus reditusque insigniter videtur celebratus, ut Bacchi secreto cultu, Thebis praecipue habito, Semelae ἀναγωγή: quorum mythorum in hoc aevo et post ipsum aevum prima inveniuntur testimonia.[4]) Accedebat, quae vergente fere sexto saeculo florere coepit Pythagorae disciplina multo mysteriis sublimior, quae tamen similia eis sponderet praemia, sed meliore iure. Ac novam cogitandi rationem et cetera, quae de tempore produntur, testantur: testis Empedocles, vir ut pauci τὰ ἄνω φρονῶν, cuius de animarum migrationibus, de miseriis nefariorum, de eorum quos bonos putabat beatitudine altissimae doctrinae vivide expressae non

1) Consentientem nunc Rohdium video Ps. 278, 2.

2) Sed cf. Immisch Ann. Fleck. Suppl. XVII 170 sqq.

3) Similia postea de Trophonio ficta sunt: quem post illud furtum ἐδέξατο ἡ γῆ διαστᾶσα (Paus. IX 37, 7). Alias καταπόσεις habes Pind. fr. 167 Bg. (Caeneus cf. Ap. Rhod. *A* 63), schol. Ap. Rh. *A* 761 (Elara), Tzetz. ad Lyc. 6 (Daphne). Vide etiam Rohdium Ps. 108 sqq. Cf. IV. Mos. 16. Germani vivum ad Infernum raptum narravere Theodoricum de Verona (chron. Otton. Frising. V 3).

4) Hymn. in Cererem coll. Ricardi Foerster libello *der Raub der Persephone;* Pind. Ol. II 25; alia.

parvam in aequales vim habuisse censendae sunt.[1]) Testes fabulae quae tum per populum volitabant mirae de Aristea redivivo, qui post mortem scripsit carmina Arimaspea illa rebus miris referta (fr. epic. p. 243 sq. K), de Zalmoxi Thracum apostolo (Herod. IV 94 sqq.), de Hermotimo Clazomenio, cuius animae (ut Hieronymo Cardano recentiore aetate: Tylor l. l. I 432) licuit corpore relicto vagari (Zeller I⁴ 924 adn. 2), de Abari ieiuniorum patientissimo (Herod. IV 36). — Pythagoram autem et Orpheum principes conversarum opinionum auctores habitos esse vel inde patet, quod utriusque de Descensu fabulae ferebantur. Erat autem satis pronum viros illos, qui nova de Orco protulerant, effingere vivos haec secreta suis oculis spectasse: quo commento simul egregie stabiliri videbatur doctrina eorum.

Sic quae hac aetate orta videtur Orphei *εἰς Ἅιδου κατάβασις* quin ipsius ad inferos Descensum complexa sit, dubitare vix licebit. Quod enim Servii quodam testimonio nixi (Aen. VI 392) Lobeckius (Agl. 813 adn. b) dubio iudicio et confidenter Abelius Herculis potius statuunt Descensum, probabile non est. Primum ex Serviano loco minime necessario hoc sequitur (quode cf. infra). Tum parum[2]) ad mysteria illa terrorum gaudiorumque plena pertinet heros, quae stilus sacerdotis illo carmine descripserat. In poenis enim gaudiisve mortuorum describendis cardinem versatum esse carminis mihi quidem certum est. Quod vel inde effici putabam, quod secundum Epigenem (quode Lobeckius 340 sq.)

1) Cf. *καθαρμῶν* frgg. v. 15 sqq. Mull. (ad auream aetatem v. 417 sqq. vide Grafium Stud. Lips. VIII 15). Empedoclis quoque animam ad caelestia abreptam esse conlegeris non ex Servii ad Georg. I 35 schol., quod emendatum est, sed ex eis quae *περὶ φύσεως* v. 17 Mull. extant (cf. et D. L. VIII 68), nisi ad eius ante vitam condicionem haec spectare magis voles, in qua et *λειμῶνα* illum viderit. De muliere ab illo vindicata ex morte (*ἡ ἄπνους*) conclamata erat fabula (quam enarraverat Heraclides P. cf. Schmidtii diss. [p. 259 adn. 1] laud. p. 20 sqq.).

2) Potuerunt fortasse Herculis *μεμυημένον* monere: Apollod. II 5, 12; Axioch. 371 *E*; schol. Arist. Plut. 845. Cf. etiam Roscheri Lex. Myth. 2185 sqq. Sed legas quae infra dicemus.

Pythagoreo cuidam adscriptum est una cum sacro sermone aliisque, quos mere Orphicos fuisse constat, libris. Parens igitur Orphicorum sortes animarum enarrans argumentum carminis erat.[1]) Sed cur descendit? Eurydicae ergo consentaneum videtur. Quamquam Eurydicae amore pulsum et dulci carminis sono ipsam Mortem moventem illum Orpheum fingere, qui aeterna iustitiae exempla spectaturus et nuntiaturus erat, confiteor mihi difficile esse. An Eurydica aliena erat a carmine? Anne ut Pythagoras idcirco etiam descendit sive deductus est *μυσταγωγός* ille Orpheus, ut spectaret tantum? Sed rem argumentis evincere non datur. — Peteliana autem tabula[2]) nuper (1836) reperta num frustula quaedam illius carminis praebeat[3]), incertum est. Sed indolem eius hunc fere in modum cogitandam censeo: licet non prorsus ad hanc quam mihi fingo indolem quadret fr. 158 Ab., quod haud dubie ad *κατάβασιν* pertinet; gauderem si cum Hauptio Lucani Orpheo adscribere possem, at non procedere postea demonstrabitur (cf. ad Lucanum). Inseri quidem facile potuit Herculis, qui olim descenderat, mentio nec concludendum erat ex fragmento ad Herculem spectavisse carmen.[4]) Si Eurydicam in carmine educturus erat Orpheus, eadem occasione Herculis facinus insertum putaverim atque apud Vergilium (Aen. VI 392): Charo nimirum repellebat vatem prioris indulgentiae poenam memorans, dum fidium dulci cantu victus 'lacu accepit' virum. Quod exempli instar pono.

---

1) Quae apud Abelium sub 154. 155. 156 afferuntur, facile credes inde sumpta esse (quamquam possunt etiam aliunde e. g. ex *τελεταῖς* vel Cratere). Fr. 157, quod cum Hesiodo comparandum est, qui idem (praeter Tartarum) narrat Theog. 793 sqq. Rz., num ex hoc de quo sermo est libro petitum sit, incertissimum videtur.

2) Cf. *Journal of Hellenic studies* III 111, *Goettling Ges. Abh.* I 167. Itineris descriptionem in ea vides (cf. Circa, Ar. Ran. 137, Apul. Met. VI 18). Fontes Lethae et Mnemosynae, qui et in Trophonii erant oraculo (Paus. IX 398), in inferis proprium sane locum videntur habuisse.

3) *Comparetti Journal* l. l. 117.

4) Immo per se veri similius videtur Charontis poenam non in Herculis itinere memoratam esse, quod secuta est, sed in posteriore.

Novum in carmine tenemus consilium: deducitur enim quis a poeta ad inferos, ut eis, quae illic spectat, poetae doctrinam confirmet aliosque ad eam convertat; quod consilium etiam ad posteriores philosophos pertinet. Si Eurydica frustra repetita argumentum erat, etiam eius qui descendit novum est consilium: quod amore quidam percussus ne Orci quidem terrores horruit; novum est, quod et carmine et amore Orci tyrannos conciliavit.

Etiam de Pythagorae *εἰς Ἅιδου καταβάσει* fama ferebat. Qui secundum Hieronymi (Rhodii) testimonium (D. L. VIII 21) illic videbat Hesiodi animam columnae aeneae adligatam, stridentem (ω 7 Ψ 101), Homerum ex arbore pendentem serpentibus cinctum [1] — utrumque poenas luentem [2] eorum, quae *θεοῖς ἀνέθηκαν* (Xenophan. fr. 7), item punitos, qui officia uxoribus recusassent.

Eiusmodi autem *κατάβασιν* in Pythagora illo *χρυσομήρῳ*, nimbo spisso sanctitudinis obvoluto, *σεμνηγορίης ὀαριστῇ*, qui clipeo illo priorem suam vitam probasse dicitur (ut Gautama Indorum Pythagoras DL suas *ἐνσωματώσεις* plumis, quas antea avis habuerat, aliis rebus probabat), paene necessario fuisse inveniendam quis neget? [3]

---

1) Cf. Pirithoi poena ap. Greg. Cor. (trag. fr.² p. 547): *δρακόντων χάσμασιν ἐφρουρεῖτο*, et myth. Vat. I 48 draconeis nexibus religatus (cf. Verg. Georg. III 38 et Cul. 234). Cf. *Sophus Bugge Studien* etc. p. 454.

2) Similiter atque ille poetas ipsius doctrinae infestissimos etiam Alexander ille *ψευδόμαντις* Epicurum ad poenas in Orco severissimas damnat: qui *μολυβδίνας ἔχων πέδας ἐν βορβόρῳ κάθηται* (Luc. Pseudom. 25; de forma oraculi Buresch *Ἀπόλλων Κλάριος* p. 77).

3) Erant qui inridendo dicerent (Hermippus malignus auctor) *κατὰ γῆς οἰκίσκιον (αὐτὸν) ποιῆσαι καὶ τῇ μητρὶ ἐπιτείλασθαι τὰ γινόμενα εἰς δέλτον γράφειν . . ἔπειτα καθιέναι αὐτῷ, ἔστ' ἂν ἀνέλθῃ . . τὸν δὲ Πυθαγόραν μετὰ χρόνον ἀνελθεῖν ἰσχνὸν καὶ κατεσκελετευμένον εἰςελθόντ' ἐς τὴν ἐκκλησίαν φάσκειν, ὡς ἀφῖκται ἐξ Ἅιδου, καὶ ἀναγινώσκειν αὐτοῖς τὰ συμβεβηκότα κτλ.* (D. L. VIII 41) cf. Casaub. ad l. coll. schol. Soph. Electr., quod ille attulit, v. 62. Similiter philosophum inridet Hermippus l. l. § 40 cf. Nietzschium *Beiträge zur Quellenkunde des D. L.* Basileae 1870 p. 16. Arto cum ista Pythagorei Descensus sugil-

At non corpore ut Orpheus, sed animo abreptus videtur descendisse. Quod cum ex Hieronymo et Hermippo (cf. adn.) non perspicue eluceat, mihi constare videtur ex Luciani quodam loco, quem ad hanc *κατάβασιν* adhibitum vidi a nullo, *Ἀλεκτρυον*. 18, ubi ad gallum illum (quocum Ennii pavonem Ann. fr. XIV v. conferre licebit) Micyllus: *ἤκουσα*, inquit, ... *ὡς δόξειας ἀναβεβιωκέναι ἀποθανών*. Unde, ni fallor (coll. Soph. El. 62 c. schol.) egregie illa opinio Rohdii firmabitur, qua Eris Descensui (in Plat. rep. X), *ὃς τελευτήσας ἀνεβίω*[1]), simile suspicatus est Pythagorae iter (l. l.). Num ad istud iter et schol. *α* 371 (Lobeck. Agl. 943 sq.) referendum sit, non certum est, sed verisimillimum puto.[2]) Ex quo sequeretur etiam Ascensum, ad caelestia nimirum, cum philosophi itinere inferno iunctum fuisse, ut est apud Platonem.[3])

---

latione vinculo iuncta est Herodoti de Zalmoxi historiola (IV 95); id quod iam vidit Rohdius Mus. Rhen. XXVI 557 adn. Et in hoc ergo discipulus Zalmoxis (*δουλεῦσαι Πυθαγόρῃ* Her. l. l.) magistrum imitatus videbatur vel, ut recte Rohdius statuit, discipuli potius fabella ad magistrum ab Hermippo tralata est.

1) Cf. Polycritum, qui *μηνὶ μετὰ τὸν θάνατον ἐνάτῳ εἰς ἐκκλησίαν* (ut Pyth. secundum Hermippum) *τῶν Αἰτωλῶν ἀφικέσθαι* dicebatur (Proclus in remp. ed. Pitr. p. 17 sq.); Luc. Philops. 26.

2) Potest etiam fortasse dici illa *δυςεπινόητος θειότης*, qua Pyth. *ἐνητένιζε τὰς ἀκοὰς καὶ τὸν νοῦν ἐνήρειδε ταῖς μεταρσίαις τοῦ κόσμου συμφωνίαις* (Iambl. Vit. Pyth. 65), sed de eo quod semel ei acciderit, intellegere males, praesertim si contuleris Simplicium apud Roseum Ar. pseud. p. 209: *τὸν Πυθαγόραν ἀκοῦσαί ποτε τῆς τοιαύτης ἁρμονίας.*

3) Puto equidem mature Pythagorae de animis doctrinam fabula illa sancitam esse ad Orphei exemplar conficta. Ac scholiasta ad Soph. El. l. l. intellegi Pythagoram fortasse recte adnotavit. Quis litteris primus receperit et adornaverit fabulam, m. q. s. erui non licet. Peculiarem de hac *καταβάσει* librum Pythagorae nomen mentitum extitisse post Lobeckium defendit Rohdius l. l. Sed necessario talem librum indicari verbis illis D. L. VIII 14 *ἀλλὰ καὶ αὐτὸς ἐν τῇ γραφῇ φησι δι' ἑπτὰ καὶ διηκοσίων* (vel potius *ις' κ. δ.* cf. Rohd. l. l.) *ἐτέων ἐξ ἀίδεω παραγεγενῆσθαι ἐς ἀνθρώπους* nego. Hos annos ad Pythagorae animi migrationes spectare patet. De quibus edoctum esse eum Descensu et per se verisimile et scholio quod laudavi Electrae firmari censet. Iniuria opinor. Nam is quidem

Quae praeter ista memorantur, aevi carmina, ex eis vix ad nostram opellam multum fructus percipere potuissemus,

---

eius μετεμψυχώσεων ordo, qui sollemnis est et in scholio quoque illo intellegitur, cum Descensu cohaereat minime necesse est. Pythagoras enim ille, qui μνήμην εἶχε τῶν συμβαινόντων, ex quo Aethalides fuerat (D. L. l. l. § 4), animae suae fata etiam, antequam ad inferos abreptus est, novisse putabatur. Quae cum ita sint, scholiastam temere Descensum et migrationes isto modo coniugasse dico. Alia ratione migrationes illas Descensus narrationi potuisse insertas esse non negaverim. Quod si conceditur, τὴν γραφήν (D. L. l. l.) de libro qui de Descensu erat fortasse cum Rohdio velis intellegere. Sed primum nihil impedit, ne ad alium eorum qui Pythagorae nomine ferebantur librorum illud spectare credamus: qui cuius indolis fuerint quoque tempore compositi, parum scimus. Dein post ea quae Dielesius nuperrime disputavit in *Archiv f. Gesch. d. Philos.* III p. 451 sqq., fragmentum illud ionice conscriptum ad triplicem illum librum, quem ionico sermone a falsario compositum ostendit ille, rettulerim. Atqui si non satis est, cur de Pythagorae καταβάσει librum fuisse peculiarem credamus, nec inscriptionem libri, qualem Nietzschius ex corrupto Diogenis loco elicuit (l. l. p. 17), probare poterimus cf. Dieles. l. l. p. 454 sqq. Dielesius ipse totam fabulam Heraclidi Pontico tribuit, quem in libro περὶ τῶν ἐν Ἅιδου Pythagoram loquentem induxisse ait. Ac primum non constat in libro περὶ τῶν ἐν Ἅιδου eum Pythagorea tractavisse, vel meliore iure dixeris eum ἐν τῷ περὶ τῶν Πυθαγορείων (quode FHG II 197) haec exsecutum videri. Deinde Pythagoram loquentem fictum esse ab Heraclida nescio unde concludi possit. Quos quidem in adn. 44 affert locos, eorum alterum — schol. α 371 — arbitrio ad Heraclidem videtur referre; quod in altero — Diog. L. VIII 4 — est, illud φησὶ λέγειν quantum perspicio nil significat nisi, quod interpres vertit, *refert hunc dicere solitum*. Tum animae Pythagoreae migrationes a Descensu nequire secerni iam supra negavi. Itaque Heraclidem vel invenisse fabulam vel litteris recepisse demonstratum non est. Facilius alio loco Heraclidem inferorum, quales ex Pythagorae mente erant, exaggeratam ex more descriptionem exhibuisse crediderís: narrat enim Diogenes in eis quae secundum Heraclidem Pythagoras solitus est dicere: ὁ δ' Εὔφορβος ἔλεγεν . . . εἰς ὅσα φυτὰ καὶ ζῷα παρεγένετο καὶ ὅσα ἡ ψυχὴ ἐν ᾅδου ἔπαθε καὶ αἱ λοιπαὶ τίνα ὑπομένουσιν — quae apud Ponticum fortasse fusius enarrata erant. Fortassis iam Democritus (cf. Proclum in nostrae diss. adn. 1 p. 259) fabulam narraverat. — Num etiam in Aristophontis Pythagorista Descensus ille tactus sit (Rohd. fabb. Rom. 260 adn. 3), dubium manebit: quoniam in comoedia novos haud raro Descensus conflictos postea videbimus.

nisi ex Stesichori, quem multa in aliis novasse constat, *Κερβέρῳ*, quod tamen carmen Cimmeriis tenebris obrutum est.

Primi e Pindari carminibus, qui in calce huius aetatis positus est, egregie velut e speculo refulget et repercutitur tota ista, quam significavimus, opinionum conversio ingens. Qui et in unica illa Olympiaca II, qua vix antiquitatis pulchrius quicquam cognovi, pravorum *ἀπαλάμνους πόνους* dulciaque bonorum praemia magnificentissime celebrat et in threnis animarum purgationem et beatorum prata perspicue pinxit.[1])

Iam patet florentissima Graecarum litterarum aetas, cuius veluti ianuas ipsae omnes Musae aperiunt. — Incidimus primum in tragoedias. Quarum e fragmentis paululum tantum ad Orcum fructus redundat. Nec forte fortuna factum opinor. Non enim communis erat audaciae scaenam in horrendis regnis illis ponere difficilisque inter ridiculum et sublime modum tenendi labor. Quam ob rem multo magis in deliciis poetarum erat manium evocatio.

Atque in Aeschyli quidem *Ψυχαγωγοῖς* Ulixem, ut apud Homerum, descendisse Tiresiam de reditu consulturum praecipue ex illo vaticinio (fr. 275 N[2]) — quod ex male intellecto *ἐξ ἁλός* illo (*λ* 134) originem duxit — paene certum est. Etiam fr. 273 N[2] ab Aristophane inrisum, si quidem ad *λίμνην* Acherusiam (*σταθεροῦ χεύματος*? fr. 276) spectat, sententiam fulcit. Accuratiora frustra quaeres. — De eiusdem iam Sisyphis impedita quaestio tangatur necesse est. Atque erat antiquissima de Aeoli filio fabula, qua inferos ipsos calliditate eum effugisse et in vincula Mortem iecisse perhibebant, ut est etiam in notissimis nostratium fabulis. Quod argumentum haud dubie erat *Σισύφου δραπέτου* Aeschyleae. Nam ad castigandam coniugem, quae ipsius iussu nec libarat mortuo nec tumulum congesserat, eum inferos (*Ζαγρέα*) precatum

1) Fr. 129 sqq. Bg.; fr. 129 Vergilii etiam imitatione nobile (Aen. VI 640). De animae migratione cf. fr. 131, quod fere Orphicorum *τὸ σῶμα σῆμα* sapit: *λείπεται αἰῶνος εἴδωλον· τὸ γάρ ἐστι μόνον ἐκ θεῶν· εὕδει δὲ πρασσόντων μελέων.*

rediisse ex Orco 'fugitivum' clamant fragmenta. Videtur etiam, ut est ap. schol. Pind. Ol. I 97 cl. schol. Soph. Philoct. 623, in fine fabulae a Mercurio arcessitus ad poenam suam. Ac quem Welcker, Pherecydis sane nixus testimonio [1]), suspicatus est, festivus fabulae color nescio an ex reliquiis ipsis perspicue eluceat (cf. fr. 226. 227). Quod me retinet, quominus cum Wilamowitzio [2]) tragoediam (cf. Arist. poet. 18) eam fuisse censeam; satyricam cum Welckero putaverim. — Utrum eadem cum ista fabula fuerit *Σίσυφος πετροκυλιστής* [2]) an diversa, non liquet. Suspicionem tantum, quae incidebat, profero. Ut enim Welcker fr. 227 iure ad Sisyphum videtur rettulisse e terra emergentem [3]), etiam fragmento apud Nauckium 233 Sisyphum crediderim indicari. Constat enim inter eos, qui naturalium rerum periti sunt, *κανθάρους* illos consuesse capite protrudentes volvere globulos stercoris vel terrae coactos. En habes imaginem Sisyphi saxum volventis! Quid quod etiam eis qui de versu Aeschyleo vix quicquam notum haberent, huius generis scarabaei Sisypho non inepte conferri visi sunt? Genus quidem cantharorum *Sisyphus Schaefferi* nuncupatum est. *Αἰτναῖος* autem propter magnitudinem (cf. schol. Ar. Pac. 73) vocabatur, cf. fr. 227 *ὑπερφυής*. Qui inde sequeretur satyricus color, eum quo modo conciliem cum schol. illo Arist. Eth. Nic. III 2 (apud Nauck. p. 28), ambigo valde. Manum mitto de tabula.[4]) — Nec de Ixione plura constant: *Καθαρμὸν* illius qui primus hominem necavit complexus videtur (fr. 92).[5])

1) Schol. *Z* 153 (coll. Hes. Theog. 701). De scholio cf. Wilam. l. l. 201 adn. 3.

2) Ante Wil. (l. l.) iam Stanleius hoc dixit (Welcker Trilog. 554).

3) Trilog. 558.

4) De Sophoclis et Euripidis Sisyphis quaestio ad nostram rem est infructuosa.

5) Ixionis rotam infernam vel in hac vel (id quod Plutarchus de aud. poet. c. 4 obiter inspectus indicare videatur) in cognomini Euripidis fabula in scaenam productam negabit, qui eius poenam hac aetate in caelo conlocatam meminerit. Cf. Eur. H. f. 1297 sq.; schol. Eur. Phoen. 1185; Kluegmann Annali dell' Inst. 1873 p. 93 sqq.

Prima, cuius magis certa sit imago, Acherontica fabula est *Πειρίϑους*.[1]) Herculem in ea canem secum educturum descendisse perspicue argumentum et fragmenta docent. Sermo inter Herculem erat et Aeacum, quo aperiebat heros, quis esset, quorsum degressus (Eur. fr. 591). Chorum (secundum Welckerum heroinarum) equidem iam ante quam Wilamowitzium inspexi, mystarum putabam ut in Ranis. Quod conlegi ex dei[2]) laudibus frgg. 593 sq. et inde quod secundum Euripidem (H. f. 613)[3]) et Atticam omnino Herculeae fabulae speciem, quia initiatus est, rem feliciter gessit heros.[4]) Ac gavisus sum, quod vir clarissimus idem sensit. De Theseo et Perithoo quam ingenue rem solverit poeta, egregie primus idem ille exposuit l. l. 167 sqq. Non enim vi finxerat, sed inferorum gratia et dono liberari amicos, quorum Theseus non aeneis sed *αἰδοῦς ἀχαλκεύτοισιν* vinctus *πέδαις* (fr. 595) apud alterum fidus permanserat. — Critiae fabulam esse pulchre exsecutus est Wilamowitzius l. l. Euripideae disciplinae poetam etiam in eo agnoscis, quod audacissimus ut ille in novando primus videtur in inferorum regnis tragoediam conlocasse (*Ψυχαγωγοί* in faucibus tantum Orci); Minervae urbis gloriam, ut semper Euripides, poeta et hac fabula celebrare voluit: quo pertinet, quod Theseum libero arbitrio remansisse finxit, quod utrumque servatum esse voluit.

Saepius evocatis manibus tragicos usos esse iam supra diximus: in quo etiam felicissimi erant. — Pro poetis diversa est manium ratio qui appareant: Darei umbrae[5]) sublimis

---

1) Cf. Wilam. Anal. Euripidea p. 161 sqq. (de nominis forma eiusdem *Hom. Unters.* 324).

2) Qui *δίνῳ* aeterno res circum se rotat *νοῦς* Anaxagorae celebratur cf. Wilam. l. l. et Valckenarii diatr.

3) Obvium apud inferos factum Herculem mystis cum Wil. (l. l. 171) ex Euripidis versu nequeo concludere: qui ad *μύησιν* Eleusiniam optime refertur (*felix eram quia mystarum orgia vidi*).

4) Fr. 592 quod ad mysteria spectat non recte capit Welcker Trag. Graec. II 591 cf. Bernays *Theophrasts Schrift über Frömmigkeit* p. 95. Cui tributum fuerit, non satis perspicio: vix choro mystarum (Orcino).

5) Quod super tumulo ipso apparet Dareus v. 656, ex populi

maiestas (cf. praes. 685 sqq., 694 sqq. Kirchh.), Clytaemestra, Tantaleae domus velut *ἀλάστωρ*, matricidae odio ipsis Furiis magis ardens, cui animum non percutient? Nec Achillis, opinor, apud Sophoclem umbra exsurgens Polyxenam flagitatura [1]) diversae erat indolis (cf. fr. 480 N.).[2]) Mitiores sunt manes Euripidei: sic certissime umbra coniugis amantissima Protesilai, qui in suavissima, quam tener ille poeta primus colebat, fabula ex inferis in unum diem emissus apparuit [3]) concedentibus inferorum severis regibus cf. Nauck.[2] p. 563; nec ita tremendus est Polydorus, qui item exoratis inferis (v. 49) sepulturam capessiturus simulque enarraturus prologum Hecubae initio positus est.[4]) Plerasque illarum quas quam brevissime significavi umbrarum, ut nodum quendam necterent dramatis, inductas esse vides: unus Dareus, ut *θεὸς ἀπὸ μηχανῆς*, Atheniensium victoriam ut deis non invitis partam sancit coronam-

---

priscis superstitionibus repetendum puto. Sic Achillis *φάντασμα* apud Eurip. Hec. 93 *ὑπὲρ ἄκρας τύμβου κορυφᾶς* apparet (cf. Pers. l. l. *ἔλθ' ἐπ' ἄκρον κόρυμβον ὄχθου*) cl. 37 et 109; sic Sthenelus *τύμβου στεφάνης ἐπιβὰς σκοπιάζετο νῆα* A. Rh. II 918 = Val. Fl. V 91 ab aggere consurgit busti (statim evanescens). (Et Sthenelus et Achilles Euripideus fulgentibus armis dicuntur ascendisse, qua re species heroum formidanda augebatur, A. Rh. l. l. 920 *ἐπελάμπετο πήληξ* = V. Fl. 89 armis et Eur. 110 *χρυσέοις ἐφάνη σὺν ὅπλοις* cf. Max. Tyr. XV 7 [Achillis Leucae visi *τὰ ὅπλα χρυσᾶ*] et Philostr. her. p. 155 Kays. [idem *ἐν Ἰλίῳ* apparens agnoscitur *τῇ ἀστραπῇ τῶν ὅπλων*.]). Similiter Iulia coniugi *visa est accenso stare sepulcro* (Phars. III 10) caput per terras tollens (ut tollit Tiresias in egregia pictura vasi inscripta, cf. *Baumeister Denkmäler* p. 1040 = Mon. Inst. IV 19).

1) Ascendentem Achillis umbram iam Nostorum poeta finxit (cf. Procl. arg.); Polyxenam etiam poscentem primus videtur Simonides (*περὶ ὕψ.* XV 7): quem Bader amicus scriptoris errore pro Stesichoro, quem Ilii excidium composuisse tabula Iliaca notissima, *Νόστους* docet Paus. X 26 1, afferri suspicatus est.

2) De Phoenice res incertior est; cf. tamen Welcker Trag. I 144.

3) De Protesilai fabula cf. Kiessling ind. schol. Gryph. 1877 et Hirsch de animarum imaginibus p. 38 sqq. Et antiquorum testimonia et similes Germanorum praecipue opiniones composuit optime Wackernagel *Altdeutsche Blätter* I p. 187 sq.; cf. praes. adnotationes.

4) Ex quanam Euripidis fabula evocatio sumpta sit quam restituit Nauck in Eur. fr.[2] 912 (cf. *Mélang. Gréco-Rom.* III p. 337 sq.), me latet.

que fabulae quandam imponit.[1]) Iam vale dicamus tragoediae.

1) Tenebo occasionem, ut quibus rationibus Ascensuum res administrari possit, breviter brevique — quod me minime fugit — locorum quos praesto nunc habeo copia nixus adumbrare coner:

I. Qui ultro ascendunt manes: 1. qui aliorum causa: a) ut vaticinentur quae vel laeta vel tristia futura sunt (Marius Val. Max. I 7, 5; Gracchus ibd. I 7, 6); b) ut moneant ne quid fiat (Achilles in Nostis cf. Procl. arg.; Hector Verg. Aen. II 268 et Sen. Troad. 440; Sychaeus Aen. I 352; Dido Ov. Fast. III 639; cf. Val. Max. I 7 Ext. 2) vel ut suadeant omnino aliis ([σ 795]; Achilles Iliad. parv. arg. [vestigia in Quint. Smyrn. XIV 185—208??]; Anchises Aen. V 728; Scipionis parens Sil. It. XV 180; umbra eius, quem Simonides sepeliverat, sepulturae gratiam referens Cic. de div. I 27 cf. Theopomp. fr. 339); c) ut omnino adiuvent alios (multa huius rei nunc exempla congessere Rohdius Ps. 182 sqq. et praesertim Deneken in Roscheri Lex. Myth. 2480 sq., quibus plura non habeo (cf. schol. Pyth. IX 137 cum Muelleri Doriens. I² 56): quod in Conon. narrat. 18 ab heroe aliquis vulneratus ad Elysium, Leucam nimirum insulam, facit, iter Descensui non dissimile est). 2. qui sua causa ascendunt, malo plerumque consilio: a) ut terreant aliquem (Cleonica Plut. Cim. 6 cf. de heroibus qui terrent Roscher l. l. 2477) vel minis opprobriisque in aliquem invehantur (Iulia Luc. Phars. III 9; ex parte Cynthia Prop. V 7 12 huc pertinet); b) ulciscendi ergo, scelera saepe retegentes (quod qui faciunt, asterisco signavi): α) solam capessentes ultionem (Clytaemestra in Eum.; [Achilles Ptol. Heph. VI p. 195 W.]; cf. Hamleti parens *); β) simul sepulturam (quodammodo Polydorus Eur. Hec. cf. vv. 48 et 698; Deiphilus in Acci Iliona*; Arcas ille* apud Cic. de div. I 27); c) ut quid auferant ipsis debitum: α) sepulturam (Patroclus in Ψ; Cillus in Theopompi fr 339); β) sacra (Achilles Polyxenam poscens cf. supra et Foerster. Hermae XVII 193) γ) aliud quid (Demaenete calceamentum non combustum flagitans Luc. Philops. 27 cf. Herod. V 92 7; Cynthia Prop. l. l.) d) ut quid aspiciant (Sthenelus Ap. Rhod. II 916 = Val. Fl. V 85; ab Amyco perempti Val. Fl. V 258; 'Ogygii' manes Stat. Theb. XI 420); e) amoris ergo (Protesilaus cf. p. 294 adn. 3; Philinnio ap. Phlegont. in Mirab. initio cf. Procl. ad remp. p. 18 lin. 15 Pitr. cf. Goethii carmen).

II. Qui evocantur a) ut vaticinentur (Laius Sen. Oedip. 626 sqq., Stat. Theb. IV; Cretheus Val. Fl. I 741; cf. Lucan. VI 570 sqq. Vide Saul Sam. I 28); b) ut docendo iuvent (Dareus in Persis; Melissa apud Herod. V 92, 7; frequens hoc genus est in comoedia: Cratini *Χείρωνες* (et *Νόμοι*??); eiusdem *Ἀρχίλοχοι*?; Eupolidis *Δῆμοι* cf. etiam Homerus Ulixem evocans Phil. Her. p. 195 Kays. et Apio Homerum Plin. N. H. XXX 1, 18). — Singularis partis erunt qui vel vi (Alcestis Hygin. fab. LI cf. Roscheri Lex. 234) vel magicis rebus (Glaucus Minois; Scylla Lycophr. 47 sqq. et Pelias) vel alio modo (veluti quos Asclepius dicitur vivos reddidisse cf. praes. Philodem.

Descensus argumentum maiestatis certe vere tragicae fieri non potuit quin in ridiculum converteretur a comicis.[1]) Sed duplex est comoediarum Acheronticarum genus.

In altero[2]) mitiores mysteriorum quae coeperant vigere de Orco opiniones poetae in immensum augentes et Orphicorum praesertim puerilia de beata post mortem vita somnia, quae vulgata tum erant[3]), leviter fortasse inridentes plenum

περὶ εὐσεβ. p. 52. Gomp. et Sext. Emp. p. 658 Bekk.; coll. Muenzel Quaest. Myth. p. 3 sqq.; quos Proclus memorat l. l. p. 17 sqq.; Luc. Philops. 26; Alcestis Plat. Conv. 179 C al.; Aesopus Welcker. opp. II 249; Hercules Zenob. V 56 p. 143) in novam vitam seu revocantur seu remittuntur. Separatim tractandae erunt fabulae de nocturnis manium inter se pugnis (velut Stat. Theb. IV 460; Paus. I 32: apud Marathonem *ἀνὰ πᾶσαν τὴν νύκτα .. ἀνδρῶν μαχομένων ἔστιν αἰσθέσθαι* cf. Paus. VI 6, 7 et Rohd. Ps. 180 sq.) quae multae apud nostrates feruntur; separatim Senecae et similis generis simulacra, quae paene non alio consilio producuntur nisi ut producantur; separatim illae Philostrati heroum vere umbrae (praes. in Heroico).

1) In satyrico Achaei Aethone descendisse Ulixem conligunt ex fr. 11, quod loquuntur satyri Ulixem ad inferos comitati, et τ 183, fortasse recte, quamquam nomine *Αἴθωνος*, quod sibi certa in re indidit Ulixes, etiam praeterea eum omnino significatum esse nescimus (ad τ 183 adludit Lycophr. 432; *αἴθων* = volpes?). Item videntur Herculem satyri ad Stygem secuti in Sophoclis *Ἡρ. ἐπὶ Ταινάρῳ* cf. Exc. I.

2) Cf. Grafium, qui in Stud. Lips. VIII de aurea aetate prudenter egit; praesertim p. 70 sqq. Vide etiam Joannem Poeschel *Das Märchen vom Schlaraffenlande*. Halis 1878.

3) Cf. Graf. l. l. p. 80. De hac vulgi superstitione, qualem praesertim Musaeus et Eumolpus excoluerant, gravissimum est Platonis testimonium (quod video etiam Grafium laudasse) rep. II 363 C: *Μουσαῖος δὲ τούτων νεανικώτερα τἀγαθὰ καὶ ὁ υἱὸς αὐτοῦ παρὰ θεῶν διδόασι τοῖς δικαίοις· εἰς Ἅιδου γὰρ ἀγαγόντες τῷ λόγῳ καὶ κατακλίναντες καὶ συμπόσιον τῶν ὁσίων κατασκευάσαντες ἐστεφανωμένους ποιοῦσι τὸν ἅπαντα χρόνον ἤδη διάγειν μεθύοντας ἡγησάμενοι κάλλιστον ἀρετῆς μισθὸν μέθην αἰώνιον* (cf. Abel. fr. 227 et Lobeck. Agl. 806*; de indole et promissis *ἀγυρτῶν* istorum vide Plat. l. l. 364 CE coll. Arnob. II 62). Sic vulgi cupiditatibus callide indulgendo multos illi prophetae ipsorum doctrinae conciliabant, ut etiam aliarum gentium sacerdotes fecere cf. *Max Mueller Essays* (vers. Germ. II 238) qui narrat: eos qui meridionalis Americae terrae ultimam partem incolant, deos credere, quos ipsorum maiores existiment; quorum quemque famam esse in specubus amplis sub terra positis versari: ad hos venire defunctos, ut aeterna ebrietate fruantur (*um die Glückseligkeit*

opum ac voluptatis Plutonis, quem cum Pluto confudere[1]), regnum pingebant. Colores autem suos ab aurea inprimis Saturni aetate mutuabantur, ita quidem ut difficile saepe sit discernere, fragmenta utrum ad Orcum referenda sint an ad auream aetatem (Graf. l. l. 64). Istam vero in aurea aetate similique felicitate pingendis voluptatem inde potissimum repeto, quod sic fert hominum natura, ut quae quondam beati possedimus — veri enim vestigia in aureae aetatis fabula adgnosco[2]) — semper denuo vivide animis depingamus depictisque delectemur. Dein hinc istae comoediae sunt natae, quod ex tempore miseriae, periculi, belli pleno poetae et cum eis spectatores lubentissime ad beata tempora animo saltem et fingendo paulisper quasi effugerent. Etiam poetarum voluptati, qua in ignotis beatisque terris frui solent describendis, haud ultimas partes tribuerim.

Ac qui primus aureae vitae imaginem contexuit, ut *λαμπάδιον κατασείσας* turbam imitatorum excitans, Cratinum *Πλοῦτοι* fabulae scaenam iam in Orco posuisse nihil est quo

einer ewigen Trunkenheit zu geniessen). Et Indorum Yama cum deis et patribus sub pulcherrimae frondis arboribus potans fingebatur Rigv. 10, 135, 1 (*Zimmer Altindisches Leben* 412). Walhallae nostrae conviviorum vix opus erit monere (de huius opinionis per medium aevum vestigiis cf. *J. Engel Betrachtungen über das Totenreich etc. Progr. Strals.* 1882 p. 14).

1) Grafii locis (p. 63 sq.) addas nonnulla: Strabo III 2, 9 (ex Posidonio): *καὶ παρ' ἐκείνοις* (Turdetanis), inquit, *ὡς ἀληθῶς τὸν ὑποχθόνιον τόπον οὐχ ὁ Ἅιδης, ἀλλ' ὁ Πλούτων κατοικεῖ* (Praeripuit hunc quidem locum Roscher Lex. Myth. p. 1786). Cf. Preller Myth. Graec. I[3] 658 adn. 1. Romanorum Dis item cum divitiarum nomine cohaeret (Preller-Jordan Myth. Rom. II 65 adn.) et derivatur inde. Sunt vero et Ditem et Plutonem a divitiis derivandi hae rationes: 1. a mortuorum copia. Luc. de luctu 2 *διὰ τὸ πλουτεῖν τοῖς νεκροῖς*; eadem est cogitandi ratio in Naevii epigr. (Gell. I 24, 2): Orcinus tensaurus; in Ennii fr. Iphig. 9: mortis tensauros; Ovid. Met. XIV 117 Orci opes (spectat Aeneas) 2. a frumenti copia ex terra efflorescente Orph. hymn. XVIII 5 et Roscher l. l. 1786 3. quia ad veras naturae divitias remittit, Dis nomen accepit, Macr. Somn. Scip. I 11, 2 [4. *διὰ τὸ πολὺ τῆς ὑποκειμένης οὐσίας πλῆθος* 'Pluto' nuncupata est infima Orphicorum ovi pars fr. 38 Abel].

2) Cf. p. 277 adn. 3.

probabile fiat. In cuius Trophonio primam tenemus *εἰς Τροφωνίου κατάβασιν*[1]), quarum in alias postea incidemus.

Certiora de Pherecratis '*τοῦ ἀττικωτάτου*' *Κραπατάλοις* fabula statui possunt: quae ex parte iam Grafius et Kockius statuere — sed quivis videt. Initium simile fuisse videtur ac Ranarum. Vult descendere senex (fr. 82) aliquis. Quem, sicut in Ranis Baccho Hercules varias quibus ad Orcum recta veniri possit per iocum proponit mortes[2]), iubet alius ventre ficis repleto meridie conquiescere, ut febri contractus et convulsus diem obeat (fr. 80). Eiusdem sermonis videtur fuisse fr. 81, quo de nummis Orci nimirum *κραπατάλοις* (Hesych. *ἰχθύες τινές*) et *ψωθίοις* (ramenta panis sunt) docetur descensurus: nihilo omnia in Orco stant. Eidem porro adscripserim fr. 83: sportis[3]) vel aliis vasis ait bona illa manium beatorum conligat.[4]) Servum senex, ut cultrum secum gerat, monet, quo Plutonis boves[5]) dissecent. De taedis sive per Orci tenebras gerendis sive per Orcum flagrantibus[6]) fortasse

---

1) In hac comoedia ritus quos *εἰς Τροφωνίου* descensuris observandos fuisse accepimus (praesertim a Paus. IX 39) accuratius licet indagare: fr. 221 ad id spectat quod Paus. dicit: *τά τε ἄλλα καθαρεύει* (*ὁ κατιών*), ad certorum ciborum abstinentiam (diserta apud Paus. mentio fit carnis sacrificiorum, quia ea licebat vesci). Piscis autem sacer erat non modo mullus (cf. Kock. et Roscheri Lex. Myth. p. 1888), sed et *μελάνουρος* (v. 2) cf. *Goettling Ges. Abh.* I 298 sqq. et praesertim Rohdium Mus. Rhen. XXV 560, XXVI 561 adn. 1. Fr. 225 de serpentibus dicitur, quos Trophonio sacros fuisse scimus. Quod vel melius quam Bergkiano loco (ap. Kock.) inlustratur Ap. Tyan. Vit. VIII 19. De serpentium cum inferis ratione cf. praes. Lippert *Die Religionen* etc. p. 41 et 300 sq. — Ex Cephisodori Alexidis Menandri cognominibus fabulis tale quid ostendere non contigit.

2) Ran. 120 sqq. Cf. infra ad Apuleium.

3) *Ταῦτ' ἔχων* temptari (Kockius *σπυρίδ' ἔχων*) non videtur oportere, si quidem vel plura fiscinorum genera vel *κανᾶ* in eis quae antecedebant, memorata esse licebit statuere.

4) Huic Orci adumbrationi etiam viae descriptio, opinor, iuncta erat ut in Ranis: quam ad ipsum usque Homerum redire vides (Circe *κ*).

5) Plutonis boves et apud Apollodorum II 5 12 in Orco pascuntur. Cf. Simrockii Enchirid. Myth. 471 sq.

6) Sic fingit Timario nobiliores in Orco taedis uti (Timario ed. El-

intellegendum est fr. 85. Incidunt apud inferos etiam in veteres, velut Aeschylum (fr. 94), fortasse in Iocastam (91). Cetera non ad nos.

Vividissimis vero coloribus aureae istius vitae imago picta exstat in eiusdem Pherecratis *Μεταλλῆς* fabula: ubi muliercula quaedam, quae modo (e metallis fortasse Laureis [1]), secundum Meinekium) ascendit, felicitates tenebrarum beatarum large describit fr. 108: fluvios illic pultis et iuris nigri 'per arta' (v. 4) Orci ebullientes currere ipsis cochlearibus innatantibus; fervere (non Phlegethontem, sed) farcimenta concharum instar iuxta ripas eorum strata; in lancibus esse expositos trunculos dulcissime olentes, porcina latera, alia; circum os volitare turdos tostos (cf. Graf. 65. 79); super caput undique mala dependere; scyphos vini plenos a puellis lepidis porrigi, quin etiam duplicia edenti pro eis succrescere, quae devorasset. Initiatorum condicio tangitur fr. 109: qui sub vitibus ambulant per pratum non asphodeli, sed loti ferax, violis et cypero insigne (*φοινικοῤῥόδοις ἐνὶ λειμώνεσσι* Pind. fr. 129 Bgk.).[2])

Iam ad alterum comoediarum transeamus genus. Quibus

---

lissen. c. 16). — Bonis apud Valerium (I 481) 'lampada' praefert descensuris Mercurius (cf. etiam Senec. H. f. 855 sq., Culic. 262 al.).

1) Cf. Crusium in actis conventus philologorum Gorlic. 1889 p. 36 et 45 et Zielinski *die Maerchenkomoedie* adn. 23. Per specum forte ingressos ad beatam venire terram in Germanorum etiam fabulis invenis.

2) Aristophanis e Tagenistis cum sermo servatus sit, quo quis ad Descensum sophisticis argumentis impelli possit videri (fr. 488), deinde ad degredientes apte referatur fr. 493 coll. Luc. Menipp. c. 11 in. (cf. etiam Timarionis c. 14 Ell.), ad degressos fortasse spectet Empusa fragmenti 500 et sq., denique de cena Luculliana compluriens in frgg. (506, 492 al.) tradatur: Grafius et in eis Descensum, speciose profecto, statuit (p. 74 sqq.); certa res non est. Fortasse etiam Aristophontis Pythagorista huc facit (cf. p. 289 adn. 3 f.), in qua aiebat aliquis *Πλούτωνα συσσιτεῖν* se vidisse solis Pythagoristis, licet ceterorum nemo sordes eorum sustinere potuisset. De aliis huius modi Descensuum vestigiis (Eupolidis *Ταξίαρχοι*?; Amipsiae fr. inc. 23; Eubuli *Ἀνασῳζόμενοι*? [cf. de inscriptione Kockium II p. 23, de fr. Eubuli 9 Kaibel. ad Athenaei locum; *μόνος βροτῶν* v. 2 vix de umbra]; Nicophontis *ἐξ Ἅιδου ἀνιών* ap. Suid.) vide Grafium p. 71 et 78 sqq.

poetae, ut praecellens illud optime docet Aristophanis exemplum, formam duplicem Orci vulgatam — nimirum malis tristem, laetam bonis initiatisque — quae in altero genere simplex facta videtur, retinebant, ut simul inriderent. Ac vel ipso ridiculi et formidolosi contrario magnum quoddam assequebantur, felicissime Descensus epici grandes imagines praeterea salibus suis ludificantes.

Atque de Ranis quidem brevis sim licebit.

Cum Xanthia illic Bacchus descensurus, ut Euripidem dilectissimum sibi poetam reducat, pelle leonina et clava instructus[1]):

1. Herculem petit, qui iter describat (cf. p. 298 adn. 4). Lusus in mortibus, brevissimis ad Orcum viis, enumerandis (cf. *Κραπάταλοι*).

2. Iter suscipitur, quod vel maxima perspicuitate depingitur. Occurrit, cuius effertur cadaver (quodam modo ‘insepulti’ personae respondet). Acherusiam *λίμνην* cum Charonte excipit monstrorum locus (Empusa)[2]) et scelestorum caenum.[3]) Apparent initiatorum beati chori in pratis myrteis luce inlustratis canentes ad tibiam (plane imago mysteriorum, Pind. fr. 136). Ad ipsam regiam Plutonis venere: pulsant.

3. Quae iam singula eis accidunt, in eis eminet egregia ars Orci figuris, quae praesertim cum Hercule coniunctae sunt, scite utendi, sed mittamus, ut aliena magis. Aeaci profluentem cavillationem ex tragoediarum laciniis consutam esse vel caecus videt; num ‘Perithoi’ Aeacus derideatur, non liquet (Wilamow. Anal. 171).

4. Praesertim credo nostra interesse ad certamen animadvertere, in quo comoediae cardo vertatur. Cuius tres videntur

---

1) Sic Menippus descensurus a mago eorum signis induitur, qui ante eum in Orcum penetraverant celeberrimi Luc. Men. c. 8.

2) De Empusa cf. Roscheri Lex. p. 1243 et B. Schmidt *Volksleben* 133 sq., 139. 141 (nam memoria eius adhuc viget apud Graecos), cuius crurum par deforme contrarium quoddam est aurei Pythagorae cruris (Rosii Aristot. pseud. p. 196), cf. Luc. Pseudom. 40.

3) Cf. p. 306 adn. 5.

esse partes: 1. disputatur de poesi, quid spectare debeat; 2. dein utriusque poetae carminum forma, argumenta, vis castigantur; 3. denique morum est ἀποπειρασμός.

Atque consilium poetae — ut hinc incipiam — gravius subesse nemo non videt: studet enim docere Aeschylum antiquae virtutis praeconem Euripidi morum eleganti corruptori longe esse anteponendum, et — quod artissime cum illo cohaeret — velut ex inferis reducendam esse ingenuam antiquorum vim simplicitatem nobilitatem (id quod ni fallor Ribbeckius praeceptor cl. in scholis professus est), denique ex plebis dominatu ad nobiles et loco et animo revertendum. Lepos autem fabulae in eo continetur, quod primum regna tremenda Noctis vita, luce, personis implevit poeta, felicissime ad amussim omnia pingens et ridiculum in modum; dein terrores Orci et ioci nebulonum istorum egregie oppositi risum Homericum moverunt moventque; denique in certamine. Quo de certamine, quia etiam postea in certamina incidemus, ut frena ingenio paulisper immittam, concedatis. Etenim magnos viros, praesertim poetas, inter se animo i. e. narrationibus iungere, licet sive loco sive tempore secreti sint, ex hominum est natura, inprimis erat Graecorum. Ut tres poetas tragicos Salaminia pugna nectebant, Thucydidem et Herodotum Olympiaca illa lectione, ut septem sapientes sive epistulis subditis sive convivio cogebant in unum locum vel tempus, ut in Platonis ipsius sermonibus conloquentes apparent, qui propter aetatis discrimen vix potuere: ita in deliciis maximis habebant viros maximos illos committere in certamen. Est enim voluptatis non exiguae cum magnos viros ad suam quemque indolem diligenter animo proponere tum omnino iudicare de magnis. Summos prae ceteris inter se comparari ex natura est: montium summorum altitudines comparamus, non mediocrium. Sic de summorum tantum certaminibus fama ferebat. Velut de Homeri et Hesiodi certamine, quod Alcidamas[1]) in Musei

1) Sophista ut hoc argumentum primus tractaret, non forte fortuna accidisse intelleges. Primi enim sophistae dialogi vim excoluere. Qui duas opiniones optime instructas sibi opponere optime sciebant (cf. prae-

exordio, ut *τηλαυγὲς πρόςωπον,* posuisse a Nietzschio putatur (Act. soc. Ritschel. 1, 1 sqq.)[1]) De ceteris antiquissimis illis certaminibus quae ficta sunt ne longus sim, ad Rohdium Mus. Rh. XXXVI 419 adn. relegatos vos velim.

Iam ut gyrus contrahatur: unam, quam nostra praecipue refert cognoscere, certaminum speciem inspicere libet, mortuorum nimirum certamina. Ac singularis voluptatis tale certamen propterea fuisse censeo, quod vita demum peracta integra virorum istorum imago potuit adumbrari.[2]) Ac prima,

---

sertim Prodici *Ὥρας* cum Welckeri opp. II 393 sqq. et Antisthenis Aiacem et Ulixem). Totum vero illud certamen sophistico quasi colore tinctum est: consilium sophistarum est, qui (ut e. g. Platonis Protagoras) exemplo antiquorum artem suam defendere studebant; sophistica est certandi ratio (*ἄπορα, σχεδιασμός* etc.) cf. Nietzsche Mus. Rhen. XXV p. 539 sq.

1) In multis cum nostro Wartburgensi poetarum certamine mire conspirat (aenigmata coll. Hesiodi fr. 188 sqq. Rz., al.).

2) Quod certaminum genus etiam nostrates coluerunt. Cf. principum nostrorum poetarum notissima Xenia inde a 332 (Schilleri epistulam illam iam Wachsmuthius adtulit ad Sillos p. 40). Falckius quidam composuit Lessingii et Ramleri apud inferos de carmine quodam refingendo certamen minime ineptum (*Kl. Abhandlungen die Kunstbetr.* 1803), Herder (vol. VIII 124 ed. Hempel.) affert Knoxii Angli hominis librum, quo Swiftii et Ricardi Bentley conloquium in Orco habitum scripserat. Addam libellos quosdam, quibus praeterea recentiores inferos ad litterarum quaedam genera vel scriptores inprimis castigandos adhibuerunt. Quis nescit Goethianum mimum *Götter Helden und Wieland?* (Conferas etiam quartum actum eiusdem Goethii fabulae *Triumph der Empfindsamkeit*). Lectionem (Bodmeriani carminis *Character der teutschen Gedichte,* quo antiquiores Germanorum poetas ille aut praeterierat plerosque aut vituperaverat, coram ipsis istis poetis) in Elysio habitam finxit quisquis satiram scripsit *Der deutsche Dichterkrieg* (cf. Seufferti *Deutsche Litteraturdenkmale des XVIII. Jahrh.* vol. XII p. X sqq.). Quid? etiam Friedericus Magnus epistula ad Voltarium (20. Febr. 1750) data versuque inclusa inferos coluit: qui Voltarii insano amore captus fingit somniantem se vidisse in Elysio Homeri Maronis Horatii Sophoclis umbras Voltarii gloria ita iratos, ut bestiam Parisios mitterent venenum saniemque eructantem, nomine Invidiam. Videas et Grabbii, ingenii non exigui, comoediam nimium quantum insanientem *Scherz Satire Ironie etc.* act. II. Nicolai Klimm iter subterraneum facetissime ab Holbergio descriptum minus ad nos pertinet.

nisi cum Meinekio fallor, huiusce generis vestigia habes apud Cratinum in Archilochis. Archilochum enim esse ἅλμην illam, cuius sales quendam vexaverunt in fabula (fr. 6), probabiliter vir doctissimus suspicatus est. Qui non potuit induci nisi umbra: nam ex fr. 1 vides brevi post Cimonis mortem rem agi.[1]) Castigaverat autem sale suo Archilochus haud dubie poetam quendam. Iam quod antiquis *σοφιστάς* vocatos esse poetas narrant Diogenes et Clemens, firmant hoc Archilochorum versu (fr. 2): *οἷον σοφιστῶν σμῆνος ἀνεδιφήσατε.* Quod ad poetarum turbam ex terra missam spectare potest[2]), qui sane cur *Ἀρχίλοχοι* vocati sint, non plane perspicio. Certe parii poetae cum ceteris quicunque erant Archilochis (cf. Cratini *Κλεοβουλῖναι*) certamen esse potuit. Quod non inepte ex fr. 7 conliges poetam conlocavisse ibidem, ubi Minervae cum Neptuno conclamatum fuerat certamen: id quod video etiam Kockio in mentem venisse.[3]) Sed dubia mittamus.

In Orcum certamen primo ab Aristophane relegatum videtur (Pherecr. fr. 94?). Quae simul cum Ranis docta est (Ol. 93, 3), Phrynichi *Μοῦσαι* in fabula de Sophocle et Euripide pro Musarum tribunali iudicium fuisse Meinekii est suspicio. De Orco scaena (Graf. 70) non constat[4]); accuratiora qui quaerat, aerem captet.

Sed iam redeat quaestio ad Aristophanem. Cuius Gerytades similis Ranis et consilio et indole fuisse videtur. Quam cum et ipsam post egregiorum tragoediae ingeniorum mortem doctam vulgo credant, ante Ranas ponit Usener Ann. Fleck. CXXXIX 375 sq. Ac veri similius sane videtur Agathonis in urbe versantis, non apud Archelaum iam absentis,

---

1) Vivus in scaenam productus videtur in Diphili Sapphone Ath. XI 487 A.

2) Verbis *οἱ περὶ Ὅμηρον καὶ Ἡσίοδον* antiquiores omnino recentibus videtur opponere Diogenes. — *Ἀναδιφᾶν* (*aufstöbern*) = evocare??

3) Teleclidis Hesiodos similis cum Archilochis argumenti fuisse ex inscriptione et poetis Philocle et Nothippo commemoratis satis veri simile est. De inferis nemo cogitabit.

4) Etiam si Meinekii suspicio recte habeat, quid obstet e. g. ne poetas defunctos ad Musarum iudicium sive in Heliconem sive alium in locum evocatos esse credamus?

mores in ea castigatos esse. Quod vel annum doctae fabulae constituit, non aeque mihi persuasit. — Ex reliquiis discimus haec: pompa misella ad mortuorum 'occulta', ut cum Polydoro Euripideo dicit aliquis, deveniunt singuli a quaque 'arte' delegati pessimi poetae iidemque famelici macilentissimi (*ᾀδοφοῖται*)[1], ut poesi emorienti auxilium vires praecepta ab eis qui defuncti sunt summis poetis adferant. Inridens portitor (?) inferorum periculum fore dicit, ne pluma leviores illi diarrhoeae fluvio (ad instar fluminum Orphicorum e. g. Phaedon. 113 A) deripiantur. Ut in Ranis est, ad ipsam deinde Plutonis portam videntur penetrasse fr. 162, ingressi incidisse in poetas, qui in Plutonis domo fortasse item versantur atque in Ranis. Sermones cum illis serunt: praecepta complura inridendo prolata audiunt a defunctis esuriones multum propter gracilitatem sugillati; ipsi vice versa mortuis nuntiant de vivis, quae item sale facetiarum condita sint (cf. frgg. 154—157; 163; 166 al.).

Verbum addam oportebit de eis qui praeter quod supra dixi certamen sunt comoediae Ascensus.[2]) In quibus praeclare eminent duae fabulae: Cratini *Χείρωνες* et Eupolidis *Δῆμοι*. Educuntur in eis clarissimorum, qui quondam praeerant reipublicae, virorum umbrae, ut reipublicae suae labanti praeceptis subveniant. Atque apud Cratinum Solo evocatus (D.L. I 62 = Kock. fr. 228) item ac Chironum senex chorus, *ὑποθήκας* canebat. Ipsi evocationi suo iure Bergkius tribuisse videtur fr. 232; quo fortasse et pertinet fr. 234 isdem numeris compositum; facile crediderim fr. 229 sq. ex Solonis oratione fluxisse Musarum et musicae perpetui cultoris. In

1) Oportebit conferre Phrynichi fr. apud Ath. 44 D *ἄνθρωπος ὑδατοπότης, μινυρὸς ὑπερσοφιστής, Μουσῶν σκελετός, ἀηδόνων ἠπίαλος, ὕμνος Ἅιδου.*

2) Miror tale Ascensus argumentum, quod facetiis et lepore minime careat, a nostratibus paene non esse excultum. Duo innotuere exempla: Joannis Falckii *Wiederkunft der Griechen und Roemer*, quo carmine (non inscite fictum!) antiquorum umbrae quaedam in saltantium nostri aevi concilium intrantes finguntur, a saeculi genio ductae, et historiola in Masii *Deutsches Lesebuch* II[8] p. 81 sqq.

Legibus eiusdem poetae Bergkius item putabat Solonem evocatum esse. Sed Solonem eundem in duabus fabulis (atque eodem ut videtur consilio) ad lucem vocatum esse a poeta vix credo. Quare fr. 127 m. q. s. a Legum venerabili choro dictum malo, quae in fabula cecinissent *θεσμούς* illos. Nec Solonei versus parodiam fr. 128 arbitror necesse ipsi Soloni tribui.

Pulcherrimum vero et certissimum exemplum est Eupolidis *Δῆμοι* comoedia. Qui ut erat *ἀναγαγεῖν ἱκανὸς ἐξ Ἅιδου νομοθετῶν πρόσωπα καὶ δι' αὐτῶν εἰσηγούμενος ἢ περὶ θέσεως νόμων ἢ καταλύσεως* (Platonius dicit), egregie imagines Solonis iterum, dein Marathonii victoris, Aristidis, qui exposuit, quo modo iustus factus esset, Periclis *κεφαληγερέτου* adumbravit.[1])

Verum etiam in litterarum genere, quod pedestri quidem sermone, sed poetico colore consilio cultu compositum paene poetis ascribendum est — philosophiam dico inprimis Platonis poetico velut superfusam et penitus infectam spiritu — de inferis non modo frequens est sermo, sed novum etiam genus de inferis cogitandi exsistit, quod Descensus etiam forma exhibetur. Cuius, veluti undae, ad postrema usque tempora penetrarunt orbes.

Inferorum Platonicae doctrinae prima quasi vestigia in apologia habes; ubi suam Socrates, si mortuus esset, beatitudinem *τοῖς λεγομένοις* magis nixus praedicat: iustorum enim iudicum iustam sententiam (Minois Rhadamanthi Triptolemi, quode cf. Rohdius Ps. 268 adn. 1) et cum summis antiquitatis vatibus et heroibus (similem iniuriam passis) consuetudinem beatam sperat (40 E sqq.).[2]) Excultae magis istae opiniones extant in Gorgiae de iudicibus celebri mytho (523 A): iam in eo *λειμών* commemoratur, qui nescio an ex

1) De Damone (Platon fr. 191) cf. Wilamowitz. Hermae XIV 319 adn. 1 et de Plat. fr. 68 Cobetum obs. crit. Plat. 95.

2) Etiam huius quem sui ipsius quis fingit Descensus infra (cf. ad Rom. lyricos poetas) alia inveniemus exempla.

Homeri asphodeli prato ortus sit; iam in eo animae cicatricibus propter scelera notatae apparent (524 E), iam signa illa, quae iudicatis a quaesitore severo affiguntur (526 B), iam illic triplex illud discrimen inter bonos et *ἰάσιμα ἁμαρτόντας* (cruciatibus ad meliorem vitam educandos) et *ἔσχατα ἀδικήσαντας* (qui propterea *παραδείγματα* fiunt in aliorum nimirum commodum, aeternis capti poenis).[1]) Tertius gradus in Phaedonis ultimis capitibus continetur maiestate moventibus animum: ubi praeter daemonem cuique adiectum (113 D) pravaeque animae miseram sortem (108 A cl. Plut. de Ser. N. Vind. 682, 3 sqq. Dueb.) singularem pingit fluminum imaginem: quae (velut ab anima mundi[2]) pulsa) in solum modo mergunt, modo e Tartaro erumpunt. Poenasque simul certiore stilo adumbrat, Orphicos potissimum secutus. Modeste enim qui vixerint, post iudicium ad Acherontem ductos lacu purgari[3]); qui nimia peccaverint, in Tartarum detrudi[4]); qui magna, sed quae expiari possint, semel quoque anno fluviorum inferorum[5]) undis tolli ad Acherusium prope lacum nec prius in lacum admitti quam veniam impetrarint ab eis, quibus mala fecerunt. Perfectissimam vero et diligentissime depictam harum, quales secundum Platonis mentem erant, rerum imaginem in reipublicae X tenemus. Quod qui in III libri initio poetarum de inferis carmina

1) In Phaedro, cuius grandes imagines p. 246 sqq. non ita ad nos faciunt, animarum migratio iam accuratius tractata est.

2) Ad p. 112 B *ὥσπερ τῶν ἀναπνεόντων* vide Philostr. Ap. Ty. V 2: *τὸν Ὠκεανὸν* (cf. Phaedon. 112 E) *ἐλαυνόμενον πνεύμασιν .. χωρεῖν .. καὶ ἀναχωρεῖν .. ἐπειδὰν ὥσπερ ἆσθμα ὑπονοστήσῃ τὸ πνεῦμα.*

3) Cf. 154 Abel. *ἐν καλῷ λειμῶνι βαθύῤῥοον ἀμφ' Ἀχέροντα.*

4) *Ἡ προσήκουσα μοῖρα ῥίπτει εἰς Τάρταρον* cf. Abel. ibd. *ἄδικα ῥέξαντες ... κατάγονται ὑπὸ πλάκα Κωκυτοῖο Τάρταρον ἐς κρυόεντα.*

5) Orphicum et in his exemplum cognoscitur. Notissimum illud est de caenoso flumine cf. fr. 227 et 155 (vix in hoc antiqua opinio) et Ran. vv. 145 et 272. Vide nunc Rohdium Ps. 288 adn. 1. Etiam aliae gentes similia figmenta praebent: de Indis cf. Weber *Ind. Stud.* I 398 adn. † init. (Vaitarâni undis fervens fluvius cum scelestis); de Germanis Simrock Enchirid. 176 sq. (Slidhr flumen caenum ensesque volvens; veneni in fluvio sicarii et periuri.)

'oblita' et ex sua civitate sublata voluerit, idem tamen copiose de eis exponit, nemo sanus reprehendet: prorsus enim Platonis doctrina a poetis Homero et Hesiodo discrepat, minime ut illi animum infringens[1]) (cf. Proclus p. 13 ed. Pitr.). Nec quod mytho rem involvit: ut 'ipsa quaerendi veri ianua mendacio' polluta sit (Macrob. II Somn. 4), cum Colote Epicureo vituperabimus. Non inepte Proclus et Macrobius magistrum defenderunt: cf. Procl. p. 13 sq. et 16 vers. 7: *ὅτι τοῖς ἠθικοῖς πλάσμασι μάλιστα δεῖ ποιητικῆς χάριτος κτλ.* Ut inter delectandum discerent, mythos suos Plato induxit, populi ingeniis facultatique percipiendi aptos. Veniamus ad rem ipsam. Er enim Armenii filius, Pamphylius[2]), pugna caesus cum *δωδεκαταῖος* revixisset, quae interea vidisset, secundum Platonem haec narravit:

1. Egressus quidem e corpore in *τόπον τινὰ δαιμόνιον*[3]) venit, in quo terrae et caeli sibi opposita bina ora conspiciuntur. Inter quae sedent iudices. Iudicatorum pii dextram versus per caeli alterum hiatum surgunt, sinistram versus per terrestrium alterum descendunt impii, signis utrique — alteri *ἐν τῷ πρόσθεν*, alteri *ἐν τῷ ὄπισθεν* — praediti.[4]) Ipsi a iudicibus praecipitur: contempletur omnia, ut nuntiet deinceps hominibus. Veniunt ex alteris oribus ad iudicium animae, ex terreno foedae sordibus, e caelo descendentes candidae. Utraeque inter se conloquuntur salutantes: de itinere mille[5]) annorum alterae querentes, adspectus alterae *ἀμηχάνους τὸ κάλλος*[6]) enarrantes — peccatorum enim decuplae luuntur poenae, multiplex est etiam bene factorum compensatio.

---

1) Cf. etiam initio narrationis (614 B) opposita *Ἀλκίνουν* et *ἄλκιμον ἄνδρα.*

2) Mira de Ere ariolati sunt antiqui interpretes cf. Proclus l. l. p. 15 sq.

3) = *λειμών* Gorg. 524 A.

4) cf. supra de Gorgia.

5) Phaedr. 249 A: *τῷ χιλιοστῷ (ἔτει) ἀφικνούμεναι ἐπὶ κλήρωσιν.*

6) Cf. Phaedr. 247 C: *τὸν δὲ ὑπερουράνιον τόπον οὔτε τις ὕμνησέ πω τῶν τῇδε ποιητὴς οὔτε ποθ' ὑμνήσει κατ' ἀξίαν.*

2. Videt deinceps hominem improbissimum, suae gentis alicubi ante multum tempus tyrannum, Ardiaeum, qui cum nefariis sociis effugiendi 'spem concepit' per ostium. Sed hoc cum accedentibus illis mugiat[1]), ab igneis, qui iuxta positi sunt, viris correpti, catenati, per spinas tracti ad Tartarum ducuntur sceleraque eorum cum poenis carnifices illi praetereuntibus pronuntiant.

3. Septem in prato diebus peractis cum ceteris ascendit ac venit, unde lucis columnam, quem lacteum orbem volunt esse, per totum mundum tensam erat videre.[2]) Ad ipsam lucem cum pervenerit, ex eius extremis Necessitatis[3]) aptum

---

1) In hoc Orci ore mugienti cui non Christianorum Inferni fauces in mentem veniunt (cf. praes. Jesaiae V 14: *καὶ ἐπλάτυνεν* [cf. Gesenium s. v. רחב] *ὁ ᾅδης τὴν ψυχὴν αὐτοῦ καὶ διήνοιξε τὸ στόμα αὐτοῦ*) et Infernum persona monstrosa indutum, inde a Nicodemi evangelio usque ad medii aevi picturas (cf. et 'Acheruntem bestiam' in Tundalo p. 7 ed. Schadianae Progr. Academiae Regimont. 1869)? Cf. etiam Tylor. l. l. I 334 sq. Grimm. Myth.^{4} 673. — Recte Proclus p. 49 v. 15 et 20: *τὸ μὲν δὴ μύχημα τοῦ στομίου πᾶσαν ὑπερβαίνει τραγικὴν διασκευήν* (perversa p. 49, 28 sqq.).

2) Cf. Zeller I 404 sqq., praes. 404 adn. 2. Haec lux quomodo caelum complexa sit, nec ego plane intellego (vereor, ne *ὑποζωμάτων* comparatio non quaesitius interpretanda sit, sed proprie cum Boeckhio intellegenda). Cf. et Parmenid. Stob. ecl. I 195 W. *τοῦ δὲ πυρὸς ἀναπνοὴν (εἶναι) .. τὸν γαλαξίαν κύκλον.*

3) *Ἀνάγκην* i. e. certum mundi ordinem (propterea adamantinus scapus) unde sumpserit Plato, mihi non liquet. Suum rerum ordinem *Ἀνάγκην* item vocaverant Heraclitus (Plut. Plac. I 27; Zelleri Hist. Philos. I^4 606) et Parmenides (Stob. I 195 W coll. Zellero l. l. 522 adn. 3 et Karsteni Parm. rel. p. 230 sqq.), apud quem deam (similiter atque in rep. eius filia) *τὰς ψυχὰς πέμπειν μὲν ἐκ τοῦ ἐμφανοῦς εἰς τὸ ἀειδές, ποτὲ δὲ ἀνάπαλιν* (nimirum in animarum migrationibus; sed cf. Zellerum l. l. 530 adn. 3) Simplicius dicit (in phys. 9 r): Platonem tamen Parmenide in *Ἀνάγκῃ* usum, ut e. g. in bigae celeberrima imagine Phaedr. 246 sqq. eum imitatus est, non ausim affirmare (cf. adn. seq.). Etiam Pythagoricae *Ἀνάγκης*, quade pauca constant, in Platone vix vestigia cum Zellero (l. l. 403 adn. 1) agnoscere licebit, praesertim si eam recte eandem putat ac *τὸ περιέχον πῦρ*. Quam Damascius in Hieronymi theogonia fuisse testatur, Herculis monstrosi illius coniunx *Ἀνάγκη, φύσιν οὖσα ἡ αὐτὴ καὶ Ἀδράστεια* (cf. Phaedr. 248 C *Ἀδραστείας θεσμός* et Comm. Vrat. V 71 sqq.), *ἀσώματος*

videt fusum, cuius scapus et hamus adamantini, ex pluribus metallis constat verticillus. Hic autem verticillus octo ex verticillis compositus extat, ollarum instar, ἐν ἀλλήλοις ἐγκειμένοις, ut unum videantur efficere. Accuratiora ut de obscurissimis mitto addere.[1]) Fusus in Necessitatis genibus vertitur. In octo verticilli circulis illis singulae sedent Sirenes, certam quaeque vocem emittentes, unde oritur concentus.[2]) Circa matrem tres Necessitatis filiae, candidis vestibus[3]) coronisque insignes, paribus intervallis item sedent, ad Sirenum carmen canentes 'quae sunt, quae fuerunt et quae ventura trahuntur.' Clotho circumvertit exteriorem, interiorem fusi περιφοράν Atropos Lachesi in vicem fessarum munus subeunte.

4. Iam venit ad Lachesim vitarum παραδείγματα[4]) genibus tenentem et sortes: propheta[5]) sortes de Lachesis 'vir-

---

διωργυιωμένη (Kopp. διωργανωμένη) ἐν παντὶ τῷ κόσμῳ, τῶν περάτων αὐτοῦ ἐφαπτομένη (id quod imagine ap. Plat. repraesentatur) = fr. 36 Ab. ex antiquiore vix sumpta est memoria (cf. Zeller. l. l. 82). Videas magnificam imaginem senis, cui Ἀνάγκη in fronte inscriptum est, in Chamissonis pulchra *Adalberti fabula: Sein Gewand war gestirnter Azur* etc.

1) Scapus mundi axis, verticilli sunt planetarum et fixarum q. d. stellarum caeli orbes — id quod diu intellectum est. Singula vero quomodo recte et accurate explicentur, multi laboravere. De quibus disputatio quoniam ad astronomiam pertinet, non ita ad nostrum consilium: relego ad Bergerum *Geschichte der wissensch. Erdkunde* II 27 sqq., qui Platonis imaginem cum Parmenidis στεφάναις περιπεπλεγμέναις cohaerere arbitratur.

2) Pythagoreorum sphaerarum concentum ingenua imagine proponi videbis. Cf. Hillerum Eratosthenis carm. rell. 50 sqq., praes. 53 et Porph. Vit. Pyth. c. 31: τὰ δ' οὖν τῶν ἑπτὰ ἀστέρων φθέγματα καὶ τῆς τῶν ἀπλανῶν . . . καὶ τῆς . . . ἀντιχθόνος τὰς ἐννέα Μούσας εἶναι (cf. Jambl. Vit. Pyth. c. 18: ἡ ἁρμονία ἐν ᾗ αἱ Σειρῆνες et Roseum Arist. pseud. p. 202).

3) Parcarum ornatus opinor Orphicorum prodit doctrinam: vocabantur enim eae in Orphei carminibus λευκοστόλοι teste Clemente (fr. 253 Abel.).

4) Prima habes forte illarum βίων πράσεων vestigia.

5) Prophetam quod induxit, ad eandem causam redit, ad quam daemones: dei enim sublimes nec consuetudine hominum uti nec cum eis conloqui possunt, nisi per alios qui medium quendam inter ipsos et homines locum tenent: hinc propheta, hinc genii.

ginis' genibus sumptas, quibus ordo eligendi statutus est, ante singulorum pedes iacit, professus: *αἰτίαν ἑλομένου, θεὸν ἀναίτιον* esse, virtutis vero ubique locum.[1]) Hoc in vitarum delectu[2]) animarum virtutes patefiunt: temerarii enim *παραδείγματα* splendida quidem, sed eadem foedis rebus referta eligunt[3]); contra qui ultimus accedit Ulixes, miseriis educatus, prudentissime se et modestissime omnium gerit.[4])

5. Iam praeparatur partus. A suo quisque receptus genio[5]) ad Clotho ducitur, ut vita delecta sanciatur, dein ad Atropon, quae irrevocabilia stamina reddat; denique subter Necessitatis solium permeatur, Oblivionis[6]) planum arido iti-

1) Totam illam de sortibus narrationem iam vides adumbratam in Phaedro 249 A.

2) Animarum migratio unde ad Graecos venerit, nescimus; sed erat vetus fama (*παλαιὸς λόγος* Phaedon. 70 C) et ab Orphicis et Pythagoricis videtur recepta tantum (de Orph. cf. fr. 221—26 Ab.). Etiam in animalia migrare animas vetus opinio erat (in Pythagoram acerbum Xenophanis epigramma notum est D. L. VIII 36; quod epigramma magis in novos Pythagoreos quadraverit cf. Phil. Ap. Ty. V 42 et VI 43). Has opiniones vulgatas etiam in Timaeo 90 E—92 C (ut in Phaedone 81 E sqq.) exornavit Plato. Quarum opinionum argumentum continetur in hoc: pro animae ratione mutatur corpus. Quae sententia sublimis et summo philosopho digna videtur. — Ad Aiacem leone hominem mutantem cf. Tim. 91 E *τὸ πεζὸν καὶ θηριῶδες γέγονεν ἐκ τῶν μηδὲν προσχρωμένων φιλοσοφίᾳ κτλ.* Leo etiam Amasis rex factus erat secundum Apollonium Tyaneum Philostr. Ap. Ty. V 42.

3) Eos praecipue, qui in caeli beatis regionibus adhuc versati sint, illa splendida, sed fallacia *παραδείγματα* eligere quam apte et vere a poeta fingitur!

4) Laetatur enim summopere simplicis civis sorte accepta (620 C). Iam in Gorgia vitam privatam laudare videtur philosophus: *ἐνίοτε δ' ἄλλην εἰσιδὼν ὁ Ῥαδάμανθυς ὁσίως βεβιωκυῖαν μετ' ἀληθείας ἀνδρὸς ἰδιώτου ἢ ἄλλου τινὸς ψυχὴν* (526 C). Vide Luc. Necyom. 21. Tiresiam in Menippi aurem susurrantem haec: *ὁ τῶν ἰδιωτῶν ἄριστος βίος*.

5) Daemones ex popularibus religionibus assumpsit (substantiam inter mortalem immortalemque mediam Min. Fel. Oct. 26 = Plat. Conv. 202 E), qui in Phaedone 107 D sqq. aeque ad vitam, per vitam, ad vitae iudicium ducendi munus administrant.

6) Oblivionis planities item apud Arist. Ran. 186, qui locus primum simul certum Lethes est testimonium (de Simonid. epigr. 184, 6 et

nere ac molesto petitur, ubi Ameletae fluvii cuique certus modus potandus est.

6. Media nocte fragore caeli exorto [1]) emittuntur ceterae animae in *γένεσιν ὥσπερ ἀστέρες ᾄττουσαι* [2]), Er in rogo expergiscitur.

Complectamur quae iam de singularum rerum exemplis diximus: Platonem usum esse Orphicis (*λειμών, Μοῖραι λευκοστόλοι, μετενσωμάτωσις, Λήθης πεδίον*) et Pythagoricis (lucis columna? harmonia) populique (*δαίμων, ἀστέρες?*) opinionibus apparere videtur. [3]) Sed suo ingenio ex illis omnibus imaginem contexuit, quae, licet non prorsus eam intellegam, tamen sublimitate me iterum iterumque percussit: *ὁ τόπος ἐν ᾧ σὺ ἕστηκας γῆ ἁγία ἐστί.*

Quaeritur, unde Eris mythum ipsum sumpserit. Quod ad me, idem fere sentio ac Proclus: *εἴτε δὲ ἔχει τὰ τῆς ἱστορίας οὕτω εἴτε μή, ζητεῖν ἄτοπον τοῦ Πλάτωνος τὰ τοιαῦτα πλάττοντος μὲν οὐδαμῶς, κατὰ δὲ τὴν χρείαν τῶν προκειμέ-*

---

poet. inc. ap. Plut. consol. ad Apoll. cf. Bergkium opp. II 716). Ex mysteriis quin eam sumpserit Plato, nemo dubitabit. Nunc cf. Rohd. Ps. 290 adn. 2.

1) Fragore et tonitru Plato significare videtur voluisse naturam ipsam novi partus, ut mutationis summi momenti, testimonium edere. Eadem ni fallor est ratio Dantii in Purgatorio, qui cum Statii anima purgata ad novam caelestem vitam ascensura est, moveri fingit purgatorium: *Tremaci quando alcuna anima monda Sentesi si che surga oche si mova Per salir su* XXI 58 sqq. coll. XX 126 sqq.

2) An et hac imagine ad vulgatam superstitionem adludere voluit, cf. Arist. Pac. 829 sqq. *οὐκ ἦν ἄρ' οὐδ' ἃ λέγουσι κατὰ τὸν ἀέρα 'Ως ἀστέρες γιγνόμεθ' ὅταν τις ἀποθάνῃ* (cf. Plut. de Gen. Socr. p. 714 v. 21 sqq.)? Utrobique certe anima corpore vacua stellae comparatur. Alio modo cum stellis animas iungunt Litthavienses, quibus fama est haec: femina fati potens (*werpeja* i. e. quae net stamina) nascentium hominum coepit stamina ducere in caelo (cf. in caelo *'Ανάγκην*), quorum quaeque exeunt in stellam; moriente homine scinditur filum, decidit pallens stella cf. Grimmium Myth. [4] 602, qui iam contulit similem Gallorum quandam superstitionem.

3) Vides pleraque a poeta sapientissimo ad populares religiones (nam Orphicae doctrinae acceptissimae populo erant) scite adumbrata esse.

νων ἀεὶ παραλαμβάνοντος κτλ.[1]) Possis sane suspicari rem mere fictam esse, ad exemplar fortasse Pythagoreae catabasis; sed vix quicquam obstat, quin ex oriente statuamus, fabularum quasi *πρυτανείῳ*, de redivivo quodam famam accepisse philosophum, cui certe multo plura adderet quam accepisset. Quod probabile censeo, non spondeo.

Causam, quam propter descenditur, similem excoluit Pythagoreae catabasi: deducitur enim Er ex corpore dei *προνοίᾳ*, ut mundi secretis perceptis ad meliora converterentur cum ipso alii. Idem fortasse secutus exemplar cum animae ad Orcum Descensu coniunxit ad lucis oras fontesque Ascensum.

Ipse divinus Plato quid mytho voluerit, ex ea quam Descensus finxit causa efficitur: voluit et ipse *ἄγγελος ἀνθρώποις γενέσθαι τῶν ἐκεῖ* (614 C), ut meliora capesserent *τῆς ἄνω ὁδοῦ ἀεὶ ἐχόμενοι* (621 D). Cf. 621 C *πειθώμεθα!*[2])

---

1) P. 15 v. 31 sqq.

2) Platonicae gemellam historiolam ex Clearcho Aristotelis discipulo (quem Pitra p. 17 adn. 2 iniuria Pseudoclearchum vocat, vide Jac. Bernays, *zwei Abhandlungen über d. Aristot. Theorie* etc. p. 90 sqq.) affert Proclus: Cleonymum enim Atheniensem, amici morte afflictum, ipsum narrat defecisse et tandem mori visum esse. Inter ultimos matris amplexus tertio die vitam recepisse. Hic quae dein narrasse dicitur, ad Platonicos fontes redeunt: *τὴν ψυχὴν οἷον ἐκ δεσμῶν ἀφειμένην ἀρθῆναι* p. 17 (apud Schoellium l. [p. 259 adn. 1] l. p. 63, lin. 4—16) = Plut. d. Gen. Socr. 22, p. 713, v. 1 sqq. Dueb. *τὴν ψυχὴν ἀναπνεῦσαι δοκεῖν στεινομένην τέως καὶ πλείονα γίγνεσθαι* (quod opinor iam Wyttenbachius contulit) coll. de Ser. Num. 22 p. 681 v. 37 sqq. Dueb. Ad Platonis terram, cuius pars nostra sedes sit (Phaedon. 109 sq.), respicere puto illos in terra locos, colore et specie varios (l. l. v. 20); de *ῥεύμασι* cf. Plut. d. G. Socr. 22, p. 713 v. 20 sqq. 31. Etiam *ὁ χῶρος ἱερὸς τῆς ἑστίας* Platonem sapit: Phaedr. 247 Vesta sola in deorum domo manet, utpote quae centrum mundi significet. Doctrina Pythagorea est: *πῦρ περὶ τὸ κέντρον ὅπερ Ἑστίαν τοῦ παντὸς καλεῖ* (Philolaus) Stob. I 196 W. Quae in illo sunt *δαιμόνιαι δυνάμεις ἐν γυναικῶν μορφαῖς ἀπεριηγήτοις* l. l. v. 22, Necessitatem et Parcas digito monstrant. Ut Er, sic Cleonymus et alius quidam, qui eodem forte venit corpore abreptus, monentur voce quadam (cf. Plut. d. G. Socr. l. l. v. 44 sq.), ut omnia animadverterent; ut Er, iudicia et poenas animarum spectant. Duo illi quod postea in terra sibi

Stringam Axiochum dialogum. De cuius auctore quaestionem mitto, ut a meo consilio alienam: nam post Platonem eum ortum eamque quae ad nos pertinet partem in Platone positam esse quis negabit? Hac autem quam diximus parte Socrates narrat, quae ipse a Gobrya mago[1]) de immortalitate didicerit, ex antiquissimis ea quidem Delorum aeneis tabulis hausta.[2]) Terrae enim mundo in medio conlocatae[3]) inferiorem partem tenent inferi. Per Plutonis propylaea ferreis clavibus conclusa ingressis Achero, post Cocytus traiciendus est. Veritatis tum planum patet[4]): cum Minoe et Rhadamantho, qui decipi non possunt. Campi piorum tenerrimo stilo descripti Orphicos et mysteria plane sapiunt (comoediae monent[5])); praecipui initiatis honores servati.[6]) Opponitur, Orphicis item terro-

---

obvii statim se agnoscunt invicem: memoriam mihi suscitat mulierculae, quae cum somnio in deorum concilium sublata ad Iovis solium hominem catenis ligatum animadvertisset et comperisset *ἀλάστορα (εἶναι) τῆς Σικελίας καὶ Ἰταλίας*, Dionysio postea obvia facta *ἀλάστορα* illum exclamans (cf. Proclus l. l. v. 30 *ἀναβοῆσαι*) agnovit. Qua de re ad Meinekium Anal. Alex. epimetr. IV p. 355 sq. relego. — Vide etiam, quae de Polycrito Aetolo novem post menses, de Euryno Nicopolitano XV post dies redivivo ex Naumachio (quode cf. Rohdius Mus. Rhen. XXXII, 335 sqq.) sumpta apud eundem Proclum extant (p. 18): paulo alius generis sunt Philinnii celeberrimae nuptiae (ibd.; cf. Rohdius l. l.). — Inter medii aevi, quae eodem nituntur fundamento, fabulas principem locum tenet Tundali visio (vide p. 308 adn. 1) Quod Proclus de Ere suspicatur, *ὅτι . . πάντως ὑπελείπετό τι ζώπυρον περὶ τὴν καρδίαν* p. 18 v. 33, diserte de Tundalo traditur: calor modicus in sinistro pectore . . senciebatur p. 3 v. 15. 16 Schad.

1) Cum oriente mysticae res libenter copulantur (cf. Er Pamphylus; Luc. Menipp. 6 magus Mithrobarzanes), aeque ac cum Hyperboreis (Opim et Hecaergum dico, cf. Crusium apud Roscher. p. 2806 sqq.; Orph. fr. 267; Luc. Philops. 13).

2) Ex more erat fraus ista tabulis quibusdam antiquissimis fidem ementiendi seu carminibus seu doctrinis, cf. Lucian. Pseudomant. 10 *δέλτοι χαλκαῖ*, Orph. fr. 242, Suid. s. v. *Ἀκουσίλαος*, Plut. de fac. 26, 16.

3) Cf. e. g. Phaedon. 108 E *ἡ γῆ ἐν μέσῳ τῷ οὐρανῷ* et Zeller II 1, 681 adn. 2.

4) Platonis habes *τόπον δαιμόνιον* vel *λειμῶνα;* aliud nimirum est *το ἀληθείας πεδίον* Phaedr. 248 B.

5) Illas *αὐτοχορηγήτους ειλαπίνας* dico cf. infra ad Luciani Ver. Hist.

6) De poetae in Axiocho vestigiis vide Welcker. opp. II 500 et Stud. Lips. IX 18 sqq.

ribus reformidanda, improborum sedes: chaos in inferis positum animadvertas et Orphicam poenam in vasa perforata aquam gestandi ibi primum in litteris ad Danaidas translatam [1]), etiam beluas et Poenas taedis continuo scelestos urentes.

Fontes igitur Plato et mysteria. Novi praeter minutiora quaedam nil. Consilium patet.

Nec inter Aristotelis discipulos, qui hisce rebus operam darent, defuere. Nil artificiosi de inferis eos ipsos excogitasse nemini mirum videbitur, quippe qui ab aëriis suspicionibus ad naturam magis conversi essent. Tamen quae in libris suis conlegere Heraclides (*περὶ τῶν ἐν ᾅδου*), Clearchus, Dicaearchus, copiosissima videntur fuisse. Ac Dicaearchi, celeberrimi viri, dialogus complurium librorum *ἡ εἰς Τροφωνίου κατάβασις*, quid continuerit ex reliquiis [2]) m. q. s. nequaquam conligi potest. Chaeronem (Cic. ad Att. VI 2) quendam in oraculum descendisse fraudesque sacerdotum et luxuriem detexisse existimant. Sed reputandum est dialogum librum fuisse et, quae ad sacerdotum luxuriem spectare putantur, ad nescio quam aliam rem re vera pertinere possunt (cf. cetera fragmenta). Putabam antea, ut etiam Ervinus Rohde fabb. Romm. 260 adn. 3, Plutarchum in Timarchi *εἰς Τροφωνίου καταβάσει* (cf. infra) forma quidem se adplicasse ad Dicaearcheum exemplar. Legimus enim apud Ps. Plut. Plac. V 1, 4 (= Dieles. p. 416) Aristotelem et Dicaearchum *τὸ κατ' ἐνθουσιασμὸν παρεισάγειν καὶ τοὺς ὀνείρους*. Quocum videatur congruere, quod Timarchus Plutarcheus in specum degressus ignorasse dicitur, *εἴτ' ἐγρήγορεν εἴτ' ὠνειροπόλει* (de Gen. Socr. 22). At quoniam *ἁρμονίαν τῶν τεσσάρων στοιχείων* tantum Messenius animam existimavit (Nemes. *περὶ φυσ.* p. 68, Zeller II 2 890 adn. 3), etiam inspirationem et somnia ex natura hominis repetivisse iudicandus est ut Aristoteles (Zeller l. l. 551, 4 et 790). Quod si recte concluditur, somnio

1) Cf. Plato rep. II 363 C *τους ἀνοσίους κοσκίνῳ ὕδωρ ἀναγκάζουσι φέρειν*. Cf. Hirschium de animarum ap. antiq. imaginibus diss. Jen. 1889 p. 52 sqq.

2) Apud Franciscum Schmidt (l. p. 259 adn. 1 l.) p. 31 sqq.

quemquam divinitus misso ut Timarchum edoceri vel animam ut Timarchi a corpore solvi visam non credes finxisse Dicaearchum.[1]) Audeamus fateri de ea unde nomen duxit Dicaearchi dialogus *εἰς Τροφωνίου καταβάσει* nil nos exploratum habere.

Iam vero Alexandrinorum in aetatem devenimus. Quae ut epici carminis gravitati et vigori non par erat (*βροντᾶν δ᾽ οὐκ ἐμόν*), grandes inferorum imagines ingentiumque heroum ad inferos itinera descripta, quantum ex reliquiis conligere licet, paene non praebet. Tamen maximi ad nostram rem tempus momenti est. Primum enim aetas erat, qua messis quaedam multorum saeculorum horreis conderetur et a palea liberaretur: quo tempore optima, quae ad illos Descensus illustres (*λ*; Ranas) adnotata invenimus, conscripta sunt. Etiam Herculis Descensum, quem apud 'Apollodorum' legimus, ex nescio quo poeta, sed poeta certe haustum, eidem industriae debemus (quode cf. Exc. I.). Dein vero *καταβάσεων* quarundam vestigia perspicue cognoscuntur, ex quibus indoles propria et iudicium aevi simul egregie eminet. Num quis Herculis iter copiosa narratione celebraverit, nescimus; unus Rhianus respiciendus erit. Hoc vero scimus obscuriorem mythi formam[2]) eos indagasse et propagasse, qua ferebatur Hercules Acherusio e specu prope Heracleam (quam coloniam Megarenses in Mariandynorum fines deduxerant) evexisse canem: illic enim

---

1) Recte etiam Zeller l. l. 891 adn. 4. Aliter sane res haberet, quod et Aristotelem attinet et eius discipulum Dicaearchum, si vera traderet Clearchus ap. Procl. p. 21 Pitr. Ubi haec extant: *ὅτι δὲ καὶ ἐξιέναι τὴν ψυχὴν καὶ εἰσιέναι εἰς τὸ σῶμα δυνατὸν, δηλοῖ καὶ ὁ παρὰ τῷ Κλεάρχῳ τῇ ψυχουλκῷ ῥάβδῳ χρησάμενος ἐπὶ τῷ μειρακίῳ καθεύδοντος καὶ πείσας τὸν δαιμόνιον Ἀριστοτέλη, καθάπερ ὁ Κλέαρχος ἐν τοῖς περὶ ὕπνου φησίν, περὶ τῆς ψυχῆς, ὡς ἄρα χωρίζεται τοῦ σώματος . . . τῇ γὰρ ῥάβδῳ πλήξας τὸν παῖδα τὴν ψυχὴν ἐξείλκυσε καὶ οἷον ἄγων ὑπ᾽ αὐτῆς πόρρω τοῦ σώματος* (sic restituit Bernaysius *Zwei Abhandlungen* p. 91; cf. Schoellii editionem in Anecdot. II p. 64 sq). Sed nec Jacobus Bernays, qui Clearcho vel propter Judaeos egregie favet, ea credidit; nec nos ceteris de Aristotelis sententia testimoniis respectis credemus.

2) Quam iam memoraverant Herodorus Heracleensis (fr. 25 ap. Mueller. FHG II p. 35) et Xenopho Anab. VI 2, 3.

aconitum ortum esse e canis sive spuma sive vomitione, quae herba nomen sive traxisse dicebatur a vico Ἀκόναι proxime sito sive imposuisse ei.[1]) Obscuram igitur habes famam cum 'αἰτίῳ' omnibus numeris absoluto coniunctam.[2]) Quo quid magis ad animum hominis 'Alexandrini' esse potuit? Euphorio hanc mythi formam in Ξενίῳ secutus est, Nicander Alexiph. 12 (ex Alexandrino Ovid. Met. VII 415 sqq.). Simile est αἴτιον apud Apollonium III 844 sqq. (Prometheum herba venenosa ex sanguineo herois liquore (ἰχώρ) orta).[3]) Argumentum igitur Herculei itineris ingens animo concipere nequibant: pusillam saltem adnectebant fabellam.[4]) Deinde Orphei, vatis suavissimi, iter infernum novo more invenimus tractatum: ab Hermesianacte (Ath. 597 B) Leontio [5]): sed etiam quae vulgata est forma, primis ab Alexandrinis exculta est. Ad Alexandrina enim exempla procul dubio redeunt Verg. Georg. IV 452 (cf. Cul. 268)[6]) et Ovid. Met. X 1 sqq., rediisse veri simile est

1) Locos contulere iam Meinekius Anal. Alex. p. 64 et O. Kaemmel *Heracleotica* (*Progr. d. Realsch. i. Plauen i. V.* 1869) p. 51 adn. 11 sq. et 15. Cf. Emmeness. ad Verg. Georg. II 152.

2) Acceptissimum erat quod cum loco certo αἴτιον illud cohaerebat (Ἀκόναι). Ex parte magna huc pertinent Rohdii verba (fabb. Rom. p. 92): *Doppelt willkommen waren (die aetiol. Legenden) den hellenistischen Poeten, wenn sie sich auch örtlich fixieren liessen, indem sie obendrein mit der Bedeutung besonderer Ortsnamen .. in Verbindung getreten waren.*

3) Aconitum a Promethei sanguine deducit Auson. Technopaegn. IX 10 sq.

4) Nescio an altera quoque fabula cum Herculis Descensu iuncta ab eis culta sit: nimirum ex qua populum albam ex inferis attulerat (cf. e. g. Paus. V, 14, 2; Serv. Aen. V 134 al.). Alexandrinum enim ni fallor aperte sapit Servii ad Aen. VIII 276 scholium: qui (Hercules) cum ad inferos descendens fatigaretur labore, dicitur de hac arbore corona facta caput velasse: unde foliorum pars temporibus cohaerens et capiti albuit sudore, pars vero exterior propter inferorum colorem nigra permansit (corrigas ex Servio Myth. Vat. II 150). Ipse Hercules in alia pugna mutatus dicebatur i. e. calvus factus sec. Lycophr. v. 37 c. schol.

5) Cf. Bergkii opp. II 158 sqq. De mytho cf. Zoega *Bassiril.* I p. 193 sqq.

6) Ad Vergilium cf. Ribbeck Rom. Poes. II 52 sq. Inter Vergilium et Ovidium (et Senecam H. f. 569 sqq. et H. Oe. 1061 sqq.) quaedam intercedunt similitudines, quae Ovidium Vergilio usum esse, utroque Senecam doceant.

Lucani Orpheum. Itemque vasorum, quae in inferiore Italia reperta sunt, non pauca Orphei in Orco canentis imaginem exhibent, quae item haud dubie ab arte Alexandrina pendent.[1]) Ac vatis Orphei Descensus, quem amore motum tenebras adiisse perhibebant, quem umbras et Furiarum angues cantu movisse et mulsisse, nonne totus Alexandrinorum ingenio aptus erat; qui, si quo in genere, in amore et affectibus omnino ad animi humani fidem describendis excellebant[2])?

Quas hoc loco percensere licet. Est autem sane cavendum, ne nimium argumenti similitudinibus tribuamus: namque vulgata fabulae forma tum iam constabat. Item constabat poenarum Ixionis aliorum descriptio, certis imaginibus culta (a rhetoribus praecipue). Sed inveniuntur imitationes satis multae eaeque non ambiguae. Per 'Taenara' (Verg. 467. Ovid. 13. Sen. H. f. 587. H. Oe. 1061) Orpheus 'manes adiit' (Verg. 469 = manes adit Sen. H. Oe. 1062), vadens 'per umbras tenues simulacraque luce carentum' (Verg. 472 = per leves populos simulacraque functa sepulcro Ovid. 14). In poenis Ovidianis 'stupuit Ixionis orbis nec carpsere iecur volucres' (42), quod cf. cum (Verg. 484 Ixionii vento rota constitit orbis et) Seneca H. Oe. 1068: haesit non stabilis rota: increvit Tityi iecur. An Vergilii 'caeruleos implexae crinibus angues Eumenides' (482), cantu Orphei stupentes, adludunt ad Horatii Carm. II 13, 35, ubi 'intorti capillis Eumenidum recreantur angues' Alcaei et Sapphus propter cantus (hoc scriptum post 724; Vergili locus post 728)? At potest etiam ipse uterque ista invenisse vel e communi fonte hausisse. 'Immemor' deinde 'respexit' vates (Verg. 491 = dum respicit immemor H. Oe. 1085) et 'ibi omnis effusus labor' (Verg. 519 = Ovid. 52 aut inrita dona futura). Revoluta est Eurydica 'invalidas tendens palmas' (Verg. 498), item Orpheus Ovidianus 'bracchia intendens' (58) et 'prendere captans nil nisi cedentes arripit auras' (59) = Verg. 501 prendentem nequiquam umbras. Reversurum portitor Orci non 'amplius obiectam passus transire paludem' Verg. 502; frustra iterum transire volentem portitor arcuerat Ovid. 72. Septem per menses apud Vergilium flet sortem vates (507), septem per dies cibo abstinet apud Ovid. 73. Videtur Ovidius Alexandrino exemplo, quod eum legisse maxime probabile est, tamen paene non usus Vergilium praesertim expressisse ita ut de suo rem exornaret (cf. etiam Ov. l. l. 21 sqq. = Verg. Aen. VI 400 sqq.). Alexandrinum, quem Vergilii auctorem statuimus, iam Bader amicus suspicatus est fuisse Nicandrum, quem in Ophiacis (cf. Verg. 457 sqq.) ea tractavisse prona est coniectura (cf. Macrob. Sat. V 22, 9).

1) Vide Winklerum in Comm. Vrat. III fasc. V.

2) Primum illo tempore Ixionis apud inferos vexati testimonium inveniri dignum est, quod memoretur: nimirum A. Rh. Γ 62 sq. (vinculis

Necdum vero Homeri exemplum antiquissimum cessabat, sed novas usque iterum excitabat imitationes. Quod enim ex ipso epico Descensu vires ducebat, genus parodicum ad comoediae antiquae exemplum (nam tum quidem comoedia eius generis sales paene dedidicerat) primum recipiebatur a philosophis. Ac feliciter quidem. Scholasticae enim disciplinae homo, quid ipse sentiret, ieiune exposuisset, adversa placita deinceps omnia redarguisset — quae ratio populi animos minime movet. Aliter homo ingenii pollens animique populi peritus: pro sicco enim doctrinarum recensu ipsos viros, qui dissentiebant principes fecit conloquentes (cf. p. 301 sq.): quod fere[1]) — nisi rhetoricam optabant formam[2]) — fieri non potuit, nisi aut in Olympo (cf. Iul. Caesares) aut in Orco. Namque defuncti iam erant plurimarum principes disciplinarum.

Novum deinde parodiae isti philosophi hoc addidere, quod ipsos Homeri versus detortos adhibebant, ut lusus plenus voluptatis exsisteret, cum verba ambigue, immo triplici saepe notione intellegenda essent. Accedebat maiestas versuum Homericorum ab argumento parvo et vili plane ridicule distans.[3]) —

---

rotae aeneis inligatus videtur; similiter postea serpentibus ligatus fingebatur cf. Verg. Georg. III 38 et *Annali dell' Inst.* 1873 tab. IK.). Erravit Wilamowitzius (*Hom. Unters.* 203 adn. 4), qui primum testem Diodorum existimat, quamquam ipse paulo ante Apolloniani loci schol. adlegavit. Qui eundem apud Ap. Rh. *A* 640 occurrit, Aethalidem, mirum Argonautarum praeconem, modo apud homines, apud inferos modo, ut pater Mercurius, versantem, qui cum Pythagora arte cohaeret, iam Pherecydes memoraverat cf. schol. A. Rh. *A* 645 (vide D. L. VIII 4 ex Heracl. Pont.; Tzetz. Chil. II 717 sqq.).

1) Vivorum certamina apud Platonem: Socr. et Protag., Socr. et Gorg., al.

2) Cf. Hermiae Irris. c. 7 sqq. p. 653 Dieles. *Ἀναξιμένης ἀντικέκραγεν . . . Ἐμπεδοκλῆς μέγα βοῶν . . ἐπὶ θάτερα Πρωταγόρας ἀνθέλκει με κτλ.*

3) Detortis necyiae versibus etiam Matro Convivium suum adornavit (Corp. poes. lud. I p. 43 et II p. 63 sq.). Lepide ipse Plato necyia usus est Protag. 315 BC, quem modo video iam Wachsmuthium afferre in Add. ad priorem poes. lud. fasc. = fasc. II p. 221. Cf. et Vahlenum in indice schol. Berol. 1890/91.

Ac si Cynicus quidem — quod probabile est (cf. infra) — philosophis suis carminibus Orcum primus scaenam tribuerit, non temere id quidem accidisse censuerim. Quorum enim magis interesse poterat Orcum eligere quam Cynicorum? Cum virtutis Cynicae in Orco praeclare gloria perspici posset, in quo omnium rerum inopia esset, una carendi ars — in quo fuco famaque liberi quales erant omnes apparerent! Hoc certe Lucianus Cynicae disciplinae per tempus aemulator bene perspexit (cf. de eo infra).

Ac Cratetis Cynici philosophi quae satirarum servata sunt, ex eis dubites an recte efficiatur, ut non modo Homericae necyiae ex parte versibus adornatum fuerit carmen (detortis nimirum), verum etiam necyiae ultro specie indutum. Videtur enim perlustrasse uno simul conspectu poeta philosophorum singulorum vitas. Ac probabiliter Curtius Wachsmuth inferos statuit carminis scaenam fuisse ad vitae terrestris imaginem depictos (*ἐν μεγάροις* fr. 1, 2). Quod quantum perspicitur aequales tantum Cratetis exagitantur, non impedit, quin sic statuatur: potuit eis superstes ista scribere. Sed extra dubitationem res non est. Possis etiam tibi fingere: ut Charontem (Contempl. 7 sqq.) et Icaromenippum (c. 14 et sqq.), mira quadam re omnia perspiciendi facultatem nanctum poetam vidisse singulos philosophos, suam quemque cupiditatem explentem (ad *ἐν μεγάροις* cf. Icaromen. 15 *ἑώρων σαφῶς τὰ γιγνόμενα καὶ οὐ τὰ ἐν ὑπαίθρῳ μόνον, ἀλλὰ ὁπόσα οἴκοι ἔπραττον οἰόμενοι λανθάνειν*; ad *τὴν* '*ἀρετήν*' *κτλ.* cf. *Πτολεμαῖον μὲν συνόντα τῇ ἀδελφῇ*): quod figmentum nescio an ex Cynicis sibi sumpserit Lucianus.

Iam ad Timonem transeatur Phliasium. Eius enim Sillos necyiam continuisse post Meinekium a Curtio Wachsmuth praeclare evictum est. Cuius vel accuratiorem fingere licet imaginem, quam Wachsmuthii legens vestigia adumbrabo. Narrat poeta nuper se in Orcum descendisse, ut, quis in tanta philosophorum discordia probandus esset, cognosceret. Quam causam etiam propterea ei tribuerim, quod eadem est in Luciani Necyomantea, quae ad necyiam Menippi Timonis aequalis

ficta putatur, nescio an iure. Cf. Luc. l. l. 5 et 6; et infra. Nec dubito, quin Wachsmuthius eadem re ductus ista coniecerit. Versibus dein, qui quo magnificentius ab Homero dicti, eo magis risum movent, philosophiae recenset heroas quosdam — et heroinas (Zenonem dico fr. 8).[1] Iam oritur rixa. Volgus enim philosophos cingens 'blaterantem morbum' excitat. Cuius certaminis partes quaedam lepidissimae (vide praes. Zenonem lentes coquendi artem docentem) adhuc perspiciuntur (cf. Wachsm. p. 45). Pugnae velut undas placat inter rixantes repente ingressus Pyrrho *γαληνός* ipse (*ἄτυφος*, qui inter mente captos *ἐμπέδους φρένας* unus servat ut Tiresias *κ* 493).

Altera carminis parte Xenophanes, qui alio nomine Tiresiae est similis (cf. Wachsm. p. 47), philosophorum singulorum qui adparuere disciplinas recenset.

Ac certamen inferorum iam Aristophanes in Ranis descripserat (cf. etiam Ran. v. 760 (sqq.) *στάσις νεκρῶν* i. e. rixa, seditio), ex sepulcro vocatorum Cratinus in Archilochis (? cf. p. *303*), sed multis novis rebus auxit et ampliavit sillographus illorum imaginem.

Nostrorum poetarum Xeniorum similitudo (praesertim inde ab 332) cuivis Timonem legenti in mentem venit; cf. et Wachsm. p. 40.

Iam Menippi Necyia (D. L. VII 8, 99) adferenda est, qua philosophorum fastus quin castigatus sit, nemo dubitabit: simulacrum eius videmur tenere in Luciani *Μενίππου νεκυομαντείᾳ* quade vide postea. Deinde vero inferorum parodias composuerunt etiam qui dicuntur phlyacographi: quorum

1) Magna pars voluptatis talium carminum in ratione est ni fallor, qua singuli describuntur. Uniuscuiusque enim morum vitaeque summa — id quod fieri non potuit nisi in eis quorum vita morte extabat perfecta — leviter epithetis tangitur ita quidem, ut recordandi quaedam exsistat audienti voluptas animo quae strictim adumbrata sunt fusius e memoria perpingente. Cuius voluptatis causa fere eadem est, atque quae in imaginibus spectandis cf. Arist. Poet. 4: *ὅτι συμβαίνει θεωροῦντας μανθάνειν καὶ συλλογίζεσθαι τί ἕκαστον* ... e studio discendi haec quoque voluptas videtur nasci.

de fabulis paucissima nota sunt. Sotadis εἰς Ἅιδου κατάβασις (Suid. s. v.) certe et lascivissima et sale acerbissima erat. An mythici argumenti erat, ut Ilias et Adonis eius videntur fuisse, Offenbachianae fabulae in modum? Ut et Sopatri νέκυια erat (Ath. IV 160 C), qua paene certum est Ulixis Descensum inrisum fuisse. Quid istud apud Athenaeum frg. Ἴθακος Ὀδυσσεὺς τοὐπὶ τῇ φακῇ μύρον Παρέστι κτλ. sibi velit, nec ego inveni. Sed nescio an non supervacuum sit admonere sororis Ulixis Φακῇ nomine (Ath. 158 C D). Doctiores videant.

Iam longum per tempus, quo orbis conversus est Christi evangelio atque etiam imperatorum instituto, philosophorum Stoici campum tenent et Epicurei [1]: qui ad nos non pertinent. Sed novorum q. d. Platonicorum et Pythagoreorum disciplina sensim exoritur, antiquorum temporum imagini similis in flumine turbido et impuro repercussae, et latius usque patescit. Istorum opinionum mysticae et tenebrosae profunditati, quae superstitionem paganam conruentem sustinebat, acrius acriusque se opponit, quae eius comes exsistere solet, satira, acerbitate, quaecumque putrescere videntur, diluens. Harum duarum sentiendi rationum duo duces egregii iam in cursu nobis obviam fiunt: Plutarchum dico et Lucianum.

Ac Plutarchus, ut totus omnino ab antiquis pendet, etiam labanti patrum religioni (ut alii quoque tum temporis) subvenire novasque ei vires parare studet, cum deum ipse pie veritus, tum philosophia ex antiquarum fabularum rudi simplicitate novos quosdam et sublimes sensus eliciens. Sed pium eius studium iam daemonum nimia superstitio similisque generis doctrinae splendentes infecerunt. Hanc et viri et temporis indolem etiam in duobus qui ad nos pertinent eius libellis perspicue videmus expressam.

---

1) Allegorice utrique et inferna interpretabantur. Lucretium Epicureorum adfero, qui antiquioribus e Graecis sua hausit: III 990 sqq. Qui locus opinor et Stoicus esse possit. (Conferre iuvabit earundem rerum interpretationem e recentibus Platonicis sumptam Macrob. in Somn. I 10, 9—16 Jan. cf. etiam Tantali interpretatio Max. Tyr. Disp. IV 4). De Stoicis cf. Zeller III[3] 1 335 (Ulixes).

Ac libello pulchro, qui inscriptus est *περὶ τῶν ὑπὸ τοῦ θείου βραδέως τιμωρουμένων*, *κολοφῶνα* quendam imponit Aridaei Solensis ex morte olim redivivi mythum, in quo imitationem antiquorum illorum primum pervestigare licet diligentius.

Aridaeus enim, homo antea voluptatibus, postea etiam turpissimo cuique vitio obnoxius, cum ex alto in cervicem delapsus et mortuus *τριταῖος* [1]) revixisset, haec adspexisse se narravit:

1. Magnopere initio quidem perturbatum respirasse se totum (nimirum ut corpore liberum) et anima velut uno oculo patefacta [2]) se spectasse sidera maxima et ingenti luce splendentia [3]); per quae animam luce [4]) latam pernavigasse leni cursu. Ac vidisse se animarum varias sortes [5])

---

1) *Δωδεκαταῖος* Er Platonicus.

2) De anima oculo cf. Wyttenb. et praes. Platon. rep. VII 533 C ex eius locis. — *Τυφλωθῆναι τὴν ψυχήν* Phaedon. 98 E.

3) Ut est in Platonis *ἀληθινῷ οὐρανῷ* Phaedon. 109 A. Cf. et Cic. Somn. Scip. III 7 (= rep. VI 16): erant autem eae stellae, quas nunquam ex hoc loco videmus, et eae magnitudines omnium, quas esse nunquam suspicati sumus.

4) Item Platonis est. Nam vis lucis respondet Platonis *τῷ πτερῷ* (Phaedr. 246 E) cf. Plut. Amat. 20, 9; cuius *ἡ δύναμις πέφυκεν ἄνω ἄγειν τὸ ἐμβριθές*. Quae vis terrenis et humilibus admota perit cf. Phaedr. ibd. et infra.

5) Quod dicit *τὰς ψυχὰς τῶν τελευτώντων ἀνιούσας πομφόλυγα φλογοειδῆ ποιεῖν ἐξισταμένου τοῦ ἀέρος*: difficile est intellectu. Ac quam affert Wyttenb. ex Luciano bullam (*ἐπισκοπ.* p. 515, non 514 ut Wytt. = c. 19), eam prorsus abhorrere ab illo loco comparatus Lucianus docebit. Rectius poterit adlegari Lycophronis locus (v. 686), qui *πεμφίδας* (i. e. bullas; cf. Curtius *Grundzüge* [4] n. 625; perversa Tzetzae aliorumque ad. l. ratio) animas vocat. Quod quidem Papius s. v. scribit: *von den abgeschiedenen Seelen, die in Gestalt eines feurigen Hauches oder einer Feuerblase gen Himmel fahren*, id nescio an ex Plutarcheo solo hauserit loco. Sed, quantum ex reliquo vocis usu perspicitur, ab initio sane etiam ignis notio ea contineri videtur (bullas enim febri ortas et solis radios significat). At obscura obscurissimi carminis voce obscurus Plutarchi locus non conlustrabitur. Quae ergo propria vis est molestissimae illius bullae? *Ὄχημα* recentiorum Platonis discipulorum, quode cogitavit iam

pro ipsarum virtute aut leniore aut rapidiore [1]) motu currentium.

2. Ducis munus subiisse animam affinis pridem defuncti.

Wytt., puto significari. Hoc enim, ut nota moneam, corpus est, quo anima ipsa se induit, aethereum: quo non accepto fieri non potest, ut cum corpore anima iungatur: necesse enim est medium quoddam inter terrestre et divinum intercedere. Cf. Stob. I 385, 5 W.; 311 ibd. (ex Hermeticis IV/V saec.) ἀδύνατον τὸν νοῦν ἐν γηΐνῳ σώματι γυμνὸν αὐτὸν καθ' ἑαυτόν ἑδράσαι (Plat. Tim. 30 B) . . ἡ δὲ ψυχὴ καὶ αὐτή τις θεία οὖσα καθάπερ ὑπηρέτῃ τῷ πνεύματι χρῆται: nam etiam πνεῦμα vocatur corpus illud sublime cf. Porph. Sent. 32: τὸ πνεῦμα ὃ ἐκ τῶν σφαιρῶν συνελέξατο Zeller III 2 657, et idem vocatur, quod Wytt. iam adtulit, αὐγοειδὲς σῶμα: quod nomen ad nostrum locum insigniter quadrat. Cf. Zeller l. l. 650. — Sunt non satis concordantes de isto corpore philosophorum opiniones. Velut plurima istius generis corpora inter animam et corpus inseruit Proclus (Zeller 814; Procl. in Tim. 330 D), ut hominem scillae instar complicatum finxerit. Inprimis autem de fatis ὀχήματος philosophi illi inter se differebant. Alii enim (Procl. in Tim. 311 A; locum indic. Wyttenbachius) τὸ ὄχημα καὶ τὸ ἄλογον — hoc enim usque cum vehiculo iungitur — interire volebant post mortem (οἱ παλαιότεροι); alii (Porphyrius) dissolvi ea τινὶ τρόπῳ in orbes caelestes, unde sumpta essent (cf. supra Porphyrii loc.); alii denique (Iamblichus) interire aut dissolvi ea omnino negabant. Cum nulla opinionum istarum Plutarchus opinor congruet. Apud quem τὸ ἄλογον non simul interire sequens quae est de animis turbatis et affectibus obnoxiis descriptio probat. Tamen ὄχημα illud significari obtinuerim. Quod cum ideo tantum induatur, ut corpus cum anima coalescere possit, consentaneum erat id deleri anima corpore liberata, non item consentaneum erat simul deleri τὸ ἄλογον. Singularis ergo et simplicissima opinio statuenda erit vix Plutarchi ipsius, sed Platonicorum. — Cur bullam quidem flammeum istud corpus efficiat, non prorsus intellego. Videtur, ut crassum aera quam maxime a nuda anima removeat, dum in lucis fines aethereos illa venerit. Namque licet non diserte dixerit scriptor, aëre demum superato bullam solvi videtur finxisse. Tum vero comparari potest, quem Wytt. (qui simile quoddam sensit) comparavit, locus Tullianus (Tusc. I 17. 18. 19), ubi de anima sermo est pro ipsius ignea natura sursum tendenti (ex Stoic.): necesse est ferantur (nimirum aer et ignis in animo iuncti) ad caelum et ab iis perrumpatur et dividatur crassus hic et concretus aer . . Calidior est enim vel potius ardentior animus quam hic est aer (c. 18).

2) Ἔκφρονες καὶ διεπτοημέναι p. 682, 3 Dueb. cf. πεπτοημένη Phaedon. 108 B, qui locus omnino exemplar erat.

A quo novo nomine non temere composito (*Θεσπεσίου*)[1]) adpellatum se et edoctum esse primum de se ipso: tum enim demum comperisse se nondum mortuum[2]) esse; cui documento fuisse, quod umbram[3]) ipse faceret, ceterae animae non aeque, sed lucidas eas fuisse; alias prorsus candidas, alias cicatricibus maculisque atris foedas, alias oblitis iam notis.[4]) Adrasteam[5]) illic (sic docuisse ducem) praepositam esse sceleribus puniendis tribusque uti ministris, Poena, quae corpore iam punitos leviter castigaret[6]), Iustitia, quae pravos corrigeret, cum eos bonis parentibus ostenderet detestandos, alioque cruciatu[7]), denique Furia, quae insanabiles[8]) deiceret *εἰς τὸ*

1) Aridaeum ad Ardiaeum Platonis adludere apparet. Plutarchum suam nominis formam legisse apud Platonem (ut legisse videtur *Ἁρμόνιος* pro *Ἀρμενίῳ*, qu. conv. IX 5, 2, 2) propterea non dixerim.

2) Altera animae pars elata est, altera (*τὸ θνητὸν* nimirum Plat. Tim. 69 C) remansit.

3) De umbris illud lepide excogitatum a Pythagoreis recepit cf. quaest. Graec. 39 (attulit Wytt.) *τῶν ἀποθανόντων οἱ Πυθαγορικοὶ λέγουσι τὰς ψυχὰς μὴ ποιεῖν σκιὰν μηδὲ σκαρδαμύττειν* et Lobeck. Agl. 894. Hoc mortuorum et vivorum discrimine Dantius (nescio an ipse invenerit; namque num Plutarchum in latinum quidem sermonem versum legerit, dubium est) felicissime usus est e. g. Purg. III 16: *Lo sol che retro fiammeggiava roggio* R o t t o *m' era dinanzi alla figura Ch' aveva in me de' suoi raggi l'appoggio* et q. s. praes. 88 sqq. cf. V 4. Hoc invento imaginem multo vividiorem exsistere apparet. Cf. ad Vergilii Aen. VI 413.

4) *Μώλωπας* illos in Gorgia primum animadvertimus (524 E sqq.). Ad illas *ἀμβλείας ἀμυχάς* cf. Luc. *καταπλ.* 24 *ἀμαυρὰ πάνυ καὶ ἀσαφῆ στίγματα ἐξαλήλιπται, μᾶλλον δὲ ἐκκέκοπται* (nimirum philosophiae ope). Similes metaphoras adtulere Wytt. ad l. et Ellissenus ad Mazarim (*Neugriech. Analekten* IV. p. 317). Etiam egregium ex Iuliani Caesarum Convivio (309 C D) exemplum iam adlegarunt Tiberium: *ὑπό τε ἀκολασίας καὶ ὠ μ ό τ η τ ο ς ψωραί τινες καὶ λειχῆνες οἷον ἐγκεκαυμέναι.* Cf. etiam Philost. Vit. Apollonii III 42: *δοκεῖ μοι καὶ τὸν προγνωσόμενον ἄνδρα ὑγιῶς ἑαυτοῦ ἔχειν καὶ μήτε κηλῖδα προσμεμάχθαι τῇ ψυχῇ μηδεμίαν μήτε οὐλὰς ἁμαρτημάτων ἐντετυπῶσθαι τῇ γνώμῃ* (et alio nisi fallor loco) et ulcera et vibices animae Ambros. de off. I 12, 46.

5) *Ἀδράστεια* Phaedr. 248 C, de Adrastea apud novos Platonicos Comm. Vrat. V 74.

6) Platonis *σώφρονες* Phaedon. 113 E sqq.

7) Eiusdem *ἰάσιμοι* ibd. 8) Eiusdem *ἀνίατοι* ibd.

ἄρρητον. Sequitur copiosa de coloribus animarum, egregiis libidinum symbolis explanatio.[1])

3. Venisse se pergit ad magnum χάσμα, circum quod animas ut alites in se conlectas ambulasse, transgredi non ausas. Ubi ipsum cum ceteris, qui illuc descendissent, lucis portantis vi destitutum esse subito.[2]) Ex hiatu enim, cuius interiora Bacchicis[3]) antris similia essent, florum et vini odores exhalari: quibus haustis adcolentes voluptate gaudio deliciis ebrios fieri.[4]) Nomen loco Λήθης.[5])

4. Celeriter a loco pernicioso abreptum ad cratera amplissimum ductum se esse: in quem variorum colorum[6]) fluctus ingruentes se vidisse. Adpropinquantibus colorum lusum evanuisse. Iuxta tres daemones ἐν σχήματι τριγώνου[7]) sedisse, qui certos quosdam fluctuum modos commiscerent: hinc somnia oriri ex veri falsique non aequis quodque partibus mixta.[8])

---

1) Libidinibus expulsis etiam colores expelluntur, ut σύγχρους et αὐγοειδής exsistat anima (Plato Phaedon. 80 B: τῷ μονοειδεῖ ὁμοιότατον εἶναι τὴν ψυχήν cf. de ideis Phaedr. 247 C ἀχρώματος οὐσία). Alia colorum in Octaviani anima Iul. Caes. 309 est ratio.

2) Platonem auctorem agnosces Phaedr. 246 E: τὸ θεῖον καλὸν σοφὸν ἀγαθὸν .. τούτοις δὲ τρέφεταί τε καὶ αὔξεται μάλιστά γε τὸ τῆς ψυχῆς πτέρωμα, αἰσχρῷ δὲ καὶ τοῖς ἐναντίοις φθίνει τε καὶ διόλλυται. De iis qui Bacchico antro delectantur, Plato dixisset δοξαστῇ eos χρῆσθαι τροφῇ (Phaedr. 248 C).

3) De antris Bacchicis cf. Philostr. Imag. p. 315, 27—316, 6 Kays.

4) De Baccho ad inferos degresso (p. 684, 5 sqq. Dueb.) cf. Roscheri Lex. 1047 sq. et Boettigeri opp. p. 79 adn. 1.

5) Alia est profecto ac Platonis illud Λήθης πεδίον. Sunt fere eadem illic gaudia, quae vulgus suo Elysio tribuit, a Plutarcho damnata: et quod memoria aeterni voluptatibus deleri videtur, ab Oblivione adpellat locum.

6) Colores varii item in Luciani somniorum insula apparent ἀλ. ἱστ. II 33.

7) Platonis est πέριξ δι' ἴσου τρεῖς rep. 617 C.

8) In eis quae sequuntur, fateor mihi aquam haerere. Hoc videtur constare Noctis et Lunae oraculum nusquam gentium fixum, sed errans intellegendum esse illum craterem. Ab eo loco, ubi tum positum est, perspicitur tripus (fons quidam lucis), unde sacra lux Delphos effluat (??). — Quae subito ingruit, in Luna sedens Sibylla inlustrari potest duobus locis, altero d. Gen. Socr. 714, 10: σελήνη δαιμόνων ἐπιχθονίων οὖσα φεύγει τὴν Στύγα i. e. Orcum: ex Luna rapido cursu Orcum praetervolanti audit

5. Iam ad castigatos iter vertisse se. Inter quos et amicos vidisse et patrem [1]), e barathro [2]) cicatricum plenum extantem, coactumque scelera et poenas suas enarrantem.[3]) Qua re perterritus cum fugere moliretur, duce pristino repente abrepto [4]) alios genios visu crudeles ipsum propulisse, ut cetera quoque spectaret: nimirum eos, qui, cum virtute simulata scelestam animam tegere quondam studuissent, acerbe prae ceteris cruciarentur animaeque interiora cogerentur evertere [5]), deinde alios odio (?) invicem se vorantes Tydeos meros [6]); in metallorum lacus alios demissos a daemonibus, avaritiae miseras poenas luentes.[7]) Miserrima vero condicione uti eos, quorum

---

Sibyllam, et altero loco qui legitur de Pyth. or. 9: *ὁ μὲν Σεραπίων ἐμνήσθη τῶν ἐπῶν ἐν οἷς ὕμνησεν ἑαυτὴν* (sc. *ἡ Σιβυλλα ἡ πρώτη*), *ὡς οὐδὲ ἀποθανοῦσα λήξει μαντικῆς· ἀλλ' αὐτὴ μὲν ἐν τῇ σελήνῃ περίεισιν τὸ καλούμενον . . . γενομένη πρόσωπον*) cf. de Is. et Os. 41. Cf. etiam Ervinum Rohde fabb. Rom. 269 adn. 1.

1) Sic Carolus Germanorum rex, quem Crassum vocant, ferebatur patrem suum Ludovicum cognomine Germanicum vidisse apud inferos in labro (*bacino*) aquae ferventis positum. Cf. d'Ancona *Precursori di Dante* p. 75.

2) Farinatae Dantiani memoriam mihi redintegrat Inf. X 35: *ed ei s' ergea col petto et colla fronte* et totum locum (etiam v. 52 sqq.).

3) Sic Ardiaei scelera poenaeque a carnificibus proclamantur Plat. rep. 616 A.

4) Admonet christianarum fabularum istud, in quibus angelus dux repente evanescat, animam diabolis per tempus cruciandam concedens (cf. Tundalus ed. Schadianae p. 7 v. 11: ante bestiam angelus disparuit et misera (anima) sola permansit).

5) Conferas Dantianam poenam Inf. XXIII.

6) Idem Dantius de iracundis (sed cave imitatum eum esse dicas) VII 110: *vidi genti fangose in quel pantano . . questi si percotean . . trocandosi coi denti a brano a brano* cf. etiam tremendos versus Inf. XXXII 124 sqq. (*Ugolino, Ruggieri*).

7) Nescio an liceat conferre cum daemonibus illis, qui, *ὥσπερ οἱ χαλκεῖς, ὀργάνοις ἀναλαμβάνοντες καὶ καθιέντες ἐν μέρει τὰς ψυχάς*, tum propter rigorem fractas, iterum confingunt, fabularum medii aevi diabolos e. g. Tundal. p. 12 sq.: qui item *ὥσπερ οἱ χαλκεῖς* 'occurrerunt cum ignitis forcipibus', animarum globos conglutinantes, per aërem iactantes eas, iterum iterumque refingentes. Item atque apud Plutarchum 'pena'

peccata in posteros redundassent. Namque iam liberos poena ab illis in Orcum degressis accusari iterumque tortoribus tradi: nonnullis nepotum animas vespertilionum in morem insidere *τετριγυίας*. Denique ad eas animas ventum esse [1]), quae in novam *γένεσιν* ruiturae essent: inter quas se agnovisse Neronem [2]): qui cum iam vitae crudelissimae destinatus [3]) esset, voce quadam e luce imperante [4]) in bestiolam canoram circa paludes versantem coactum esse. [5])

Mulierem denique ingentem, baculum ignitum, ut melius

---

est 'eorum, qui cumulant pecuniam super pecuniam'. *Nel liquido metallo ardente sono i sacrileghi* in Alberici visione cf. Ancona *Precursori* p. 64.

1) Ut apud Platonem; sed pro vitarum electione rudius quoddam substituit.

2) Clavi igniti illi, quibus Neronis anima fixa est, vereor, ut cum Wytt. comparandi sint imagini celeberrimae, qua voluptates clavi dicuntur. Illae enim propterea clavis comparantur, quod animam nimis arte cum corpore conligant; at Neronis clavis ignitis anima perfossa est: genus poenae est. Cui poterit componi poena *delle donne, che negarono il latte ai fanciulli* in Alberici visione, quae sunt *infisse per le mammelle a lunghi e spinosi rami* (Ancona p. 64). — Nero a quibus praesertim recentiorum scriptorum qualisque pictus sit, lepidissime composuit Ellissenius ad Timarionem p. 186. Addendus est Grabbius *Scherz, Satire* etc. act. III 6: ubi Nero diaboli calceamenta apportat.

3) Viperam illam (p. 686, 16) Pindaricam (? cf. Bergk.[4] ad fr. 276) inlustrare potui in primis uno Germaniae veterum litterarum loco Physiologi de vipera capite (= *Hoffmann Fundgruben* part. I p. 21), Aristotelei loci cuiusdam oblitus, dum me Lauchertus (*Geschichte des Physiologus* 1889) docuit Aristotelis locum in Hist. An. V 34 (*ἐνιότε δὲ καὶ τα ἔσω διαφαγόντα αὐτὰ (τα μικρὰ ἐχίδια) ἐξέρχεται*) et praeterea extare antiquiorem egregiam narrationem Herod. III 109 cf. Lauch. p. 14 sq., 241, 289. Adde Konradi de Megenberg *Buch der Natur* p. 285 ed. Pfeiffer. et vide in Tundali visione l. l. p. 11 eos, qui 'intus mordebantur in visceribus more viperino prole concepta'.

4) De voce cf. p. 330 adn. 5.

5) Quod Graecis suis concessit Plutarchus. Inter causas enim propter quas Neronis paululum mitigatur sors, praecipua est haec, quod Graecos *τὸ θεοφιλέστατον γένος* liberavit *σωφρονέστερόν τι ἑαυτοῦ γνούς* (Phil. Ap. Ty. V 41): qua de re nunc relegare licet ad *Bulletin de corresp. Hellén.* XII 510 sqq.

singula memoria teneret, admoturam[1]) prohibitam esse ab altera ipsumque confestim turbine rapido[2]) ad corpus delatum esse.

Fundamenta et formae — etiam quod simul ad inferos descendentem et ascendentem ad caelum Thespesium finxit — et argumenti Platonica esse iam patet: videtur Platonicorum nescio quem in singulis multis secutus. Nec consilium cum Platone discrepat: ad mores respicit; id enim agit, ut audientis anima divinis poenis praemiisque futuris perceptis ad rectiorem viam percussa se vertat, ut se vertit Thespesii anima. Quod

---

1) Videtur veluti pictor encausticus admoto baculo ignito inustura esse ei, quaecumque viderat.

2) Platonis est *ἐξαίφνης* illud (v. 31 Dueb.) cf. rep. X 515 *ἐξαπίνης*. Pro tonitru et terrae motu Plutarchus procellam posuit. Quod vento rapitur anima, nescio an cohaereat cum Orphicis ista opinio cf. fr. 241 Ab.: *φησὶ γὰρ (ὁ ἐν τοῖς Ὀρφικοῖς ἔπεσι καλούμενος λόγος) τὴν ψυχὴν ἐκ τοῦ ὅλου εἰσιέναι ἀναπνεόντων, φερομένην ὑπὸ τῶν ἀνέμων* (Arist. de anim. I 5) et cetera apud Abelium. Cf. etiam Lobeck. Agl. 755 sqq. Eiusdem opinionis apud Philostratum Ap. Ty. V 2 videmur tenere vestigium: *τὸν γὰρ χρόνον, ὃν πλημμυρεῖ τὸ (τοῦ Ὠκεανοῦ) ὕδωρ* (apud Gades), *οὐκ ἀπολείπουσιν αἱ ψυχαὶ τοὺς ἀποθνήσκοντας ὅπερ οὐκ ἂν ξυμβαίνειν εἰ μὴ καὶ πνεῦμα τῇ γῇ ἐπεχώρει*. Tritopatorum (Suid. s. v.) cultum iam alii composuerunt cum illa doctrina (cf. Rohd. Ps. 227, 1). — Vis rapiendi (cf. *πνεύματι νεανικῷ κτλ.*) ad id spectat opinor, quod ex aeternae tranquillitatis orbe in mortalitatis turbinem anima corpore retrahitur, cui adhuc coniuncta est. Certe etiam apud Philonem extat locus (de Gig. c. 3), quo animae — quamquam non redeuntes, tamen — ineuntes in corpora *ὑπὸ σύρμου δίνης β.αιοτάτης* rapi narrantur. (Discernit illic scriptor inter eas animas, quae *πρὸς τὴν φορὰν ἀντισχεῖν δυνηθεῖσαι . . . ὅθεν ὡρμήθησαν, ἐκεῖσε πάλιν ἀπέπτησαν* [sunt *τῶν ἄνωθεν φιλοσοφησάντων*; similiter ceteris maturius *εἰς τὸ αὐτὸ ὅθεν ἥκει ψυχὴ ἑκάστη . . ἀπέρχονται* philosophorum animae Phaedr. 248 E] et eas, quae se totas dabant iis rebus, quae *ἐπὶ τὸν συμφυᾶ νεκρὸν ἡμῶν . . ἢ ἐπὶ τὰ ἀψυχότερα τούτου, δόξας λέγω . . . ἀναφέρεται*. Ad quae cf. Phaedri imaginem 248 B sqq. et praesertim eam, quam brevi descripturi sumus, Plutarchi fabellam (de Gen. Socr. c. 22 p. 714, 28—36 Dueb.: Platonicus uterque est mythus). — De syringe illa (d. s. n. v. p. 686, 31 D.) et ego despero. Pro *σπασθέντα* fortasse *ἁρπασθέντα* ut est etiam apud Philonem l. l.? An in *σύριγγος* latet, quod ibidem extat, *συρμοῦ* (quod etiam de vento usu venit; cf. Axioch. 370 C; Anth. VII 498 ?)?

consilium etiam magis quam apud Platonem eminet apud Plutarchum: namque Aridaeus istis spectaculis ex pravo homo frugi factus, cui apud Platonem respondeat, non habet.[1])

Multis cum hoc libello numeris iuncta est Timarchi *εἰς Τροφωνίου κατάβασις*, quam in dialogo *περὶ τοῦ Σωκράτους δαιμονίου* inscripto, dum Thebanorum tyrannidis excidium praeparatur, Simmias, coniurationis particeps, sociis enarrat.

Iuvenis enim Timarchus, quam Socratis *δαιμόνιον* vim haberet ut a daemonibus doceretur[2]), in Trophonii specum Lebadeae descendit.

Duos post dies egressus laeto ore haec rettulit:

1. Ac primum quidem (narrabat) anima egredi visa est cum dolore per *ῥαφάς* capitis[3]), deinde respirare[4]) atque expandi.

2. Dulci voce tactus insulas conspicit molli flamma lucidas, usque colore fluctuantes, quarum motu vibratus aether

---

1) Ut Thespesius ad melius convertitur, ita et Eurynus Nicopolitanus *δικαιότερος ὤφθη μετὰ τὴν ἀναβίωσιν* (Proclus in remp. p. 18, 5 sqq. Pitr.). Vel magis in medii aevi fabulis hoc consilium praevalet cf. Tundalus Thespesius quidam Christianus. Ipsa Inferni supplicia, Gregorius inquit (dial. IV.), cum demonstrantur, aliis ad adiutorium, aliis vero ad testimonium sunt, ut isti videant mala, quae caveant, illi vero amplius puniantur, quo Inferni supplicia nec cognita vitare voluerunt.

2) Ergo ut quid comperiat ab inferis, visit eos: idem movet Timonem cf. p. 319, Luciani Menippum cf. p. 334, Apollonium Tyaneum, qui in eundem Trophonii specum descendit (*βούλομαι γάρ*, inquit, *καταβῆναι ὑπὲρ φιλοσοφίας* cf. Philostr. Vit. VIII 19.), Faustium denique nostrum ad 'matres' descensurum (part. II act. 2). Cf. Apio et Homerus p. 295 adn. 1 sub II b.

3) Quod separari animam sensit, ad physicam rationem spectare potest: etiam Hieronymus Cardanus (de varietate rerum c. 43; Tylor l. l. 432), vir recentioris aevi († 1576), omnibus se sensibus se ipsum suo arbitrio liberare posse aiebat: ante autem secerni aliquid sentire se prope ipsum cor, anima quasi evolaret. Cf. cetera ap. Tylor. l. l. Et ipse ex bonae fidei auctore audivi de homine, qui nuper defunctus est, eius modi affectibus obnoxio: qui animam per capitis spiracula sive foramina illa tenuissima (*πόρους*) dissolvi dicebat sibi videri.

4) Ad *ἀναπνεῖν* cf. d. S. N. V. 22 *ἀναπνεῖν ὅλος* et Plut. frg. libror. de anim. vol. V p. 9, 16 Dueb. *τὴν ψυχὴν ἀποπνέοντος τοῦ σώματος ἀναπνέουσαν αὐτὴν καὶ ἀναψύχουσαν.*

vocem illam mittit. Mare per eas effusum coloribus splendens aethereum, in quod inrumpunt ferventis ignis fluvii duo.[1])

3. Infra χάσμα μέγα[2]) apparet οἷον ἐκπεπληρωμένης σφαίρας nocte 'undanti' refertum.[3]) Hinc ingentes clamores 'animalium' audiri (infantium, virorum, mulierum).[4])

4. Rogatur a voce[5]) quadam non visa (quae ducis ei vice est), quid discere velit. Statim professo: omnia, respondetur Proserpinae tantum partem licere inspicere. Similiter, ac Thespesius a propinquo, docetur a voce rerum principia[6]):

1) Platonicam narrationem immortalem excoluit quae est de vero caelo Phaedon. 111: cf. praes. 111 A: ἐν νήσοις, ἃς περιρρεῖν τὸν ἀέρα. Etiam novi q. d. Platonici purae lucis esse caelum putabant (cf. Zeller. III 2 p. 566 adn. 1). Dantii imago Parad. I 76 sqq. Plutarcheae simillima est: ... *Parvemi tanto allor del cielo acceso Dalla fiamma del sol che pioggia o fiume Lago non fece mai tanto disteso. La novità del suono* (sc. harmoniae aeternae) *e il grande lume* etc. (79—82). Pulcherrime illam beatam lucem depinxit versibus non morituris: *E vidi lume in forma di riviera Fulgido di fulgore intra due rive Dipinte di mirabil primavera. Di tal fiumana uscian faville vive Ed' ogni parte si mettean nei fiori Quasi rubin che oro circonscrive. Poi, come inebriate dagli odori, Riprofondavan sè nel miro gurge, E s' una entrava, un' altra n' uscia fuori.* (Parad. XXX 61 sqq.) — quamquam ipse mox discit umbram tantum veri se spectasse. Imaginem habes similem Plutarcheis fluminibus, quae contrarium quoddam sunt Phlegethontis. — Flumen ignis caeleste, ex sudore angelorum, qui Dei solium sustentant, cotidie denuo oriens Iudaei novere cf. Weber *Lehre des Talmud* XII § 33 p. 161.

2) Simile est Homeri βέρεθρον, χάσμα Hesiodi.

3) Opponitur mari lucis noctis gurges.

4) Clamores damnatorum procul audiri et in aliis est narrationibus e. g. Luc. ἀλ. ἱστ. II 29 fin., item in medii aevi fabulis.

5) De voce docente cf. p. 327 et Ancona l. l. p. 80: *una voce gli* (i. e. monacho ad caelestia abrepto) *respose.* Cf. p. 312 adn. 2. Videtur vox alicuius ex eis geniis, qui de fac. Lun. 30 nominantur Τροφωνιάδες.

6) Sunt vita motus ortus interitus. Quorum priora duo a Monade (cf. τὸ ἕν Platonis et Plotini, Zeller. II 596 adn. 3 et III 2 p. 491) iunguntur (vita enim et motus separari nequeunt cf. τὸ ἀεικίνητον ἀθάνατον Phaedon. 245 C) κατὰ τὸ ἀόρατον; alterum cum tertio a Mente καθ' ἥλιον (quia nimirum mentem a sole εἰς γένεσιν praeberi putabant de fac. Lun. 28 sqq.; Serv. Aen. XI 591, quocum conferas Macrob. in Somn. I 12 sqq. et Lobeck. Agl. 925, quem adtulit Ianus ad Macrob.; νοῦς comparatur saltem soli — ut anima lunae — a Plotino, Zeller. III 2 536 adn. 2); tertium cum quarto

quorum vinculis praepositae sedent Moerae, ut apud Platonem eaedem sedent circa matrem. Lunae, quae *ἐπιχθονίων δαιμόνων* (cf. de fac. orb. lu. 28 sq.) et animarum omnino est sedes [1]), semel *ἐν μέτροις δευτέροις ροζ'* [2]) discit adpropinquare Noctis orbem, qui Stygis nomine adpellatur, multo cum Lunae incolarum clamore: multas enim tunc animas ad noctem rapi [3]), recipere ex Orco Lunam alias, quibus *εἰς καιρὸν ἡ τῆς γενέσεως τελευτὴ ἐνέπεσεν*. Impuras adhuc mugiendo [4]) repelli a Luna accessuras et ad novam *γένεσιν* lacrimantes ferri.

---

a natura *κατὰ τὴν σελήνην* (Luna enim media quaedam est mortis et vitae sedes, unde animae sive purgatae ad veram lucem altius ascendunt sive corporis vitiis adhuc involutae in corpora iterum ruunt. Luna corpus *εἰς γένεσιν* praebet cf. Serv. et Macr. l. l., quod oritur et interit, vel *ψυχήν* (de fac. 28 coll. 30, 12 sqq.), quam ipsa deinceps recipit (de fac. 30, 7) cum corpore iungitur. Cf. Exc. II). Fontes certos non contigit indagare. Platonicos fuisse paene constat. Cf. de Parcis de fac. 30 fin. et Schmertoschium de Plutarchi sententiarum quae ad divinationem spectant origine p. 32 et adn. 4.

1) I. e. *ἐν ταῖς ἐκλείψεσιν* (de fac. 29, 6 = p. 1155, 44 et quae antecedunt).

2) *Ἐνίας δὲ καὶ τῶν ἐκεῖ περὶ τὰ κάτω τερπομένας οἷον ἐς βυθὸν αὖθις ὁρῶσι καταδυομένας* de fac. 28. Cf. et Phaedr. p. 248.

3) Cum Plutarchi imagine non dubito quin cohaereat Ioannis Pauli Richteri fabula quam praefixit narrationis *Quintus Fixlein* alteri editioni: *Die Mondfinsterniss*. Saeculo enim quoque fingit oriente tum, cum terrae frigida umbra lunam tangat, e luna eas animas quae nondum in terra fuerint, cogi in corpora migrare. Ut pavent animae Stygem ap. Plut. de Gen. p. 714, 14, ita apud Richterum pavent malum serpentem illum. Cf. etiam Exc. II.

4) Platonis *στόμιον μυκώμενον* agnosco rep. 615 E. Cf. de facie 29 = p. 1155, 45 sqq., ubi facie ipsa illa *βλοσυρόν τι καὶ φρικῶδες ὁρωμένη* improbi deterrentur (cf. nunc Roscher *Selene* adn. 84) et 1154, 48 sqq.: *πολλὰς ἐξωθεῖ (ἡ σελήνη) καὶ ἀποκυματίζει γλιχομένας ἤδη τῆς σελήνης*. Eo facilius lunam Plutarchus fingere potuit mugientem, quod Hecata quae a posterioribus praesertim eadem ac Luna putabatur, et *ταυροκάρανος* et mugire ferebatur (cf. Roscherum l. l. adn. 135 et p. 177). Ut Luna ap. Plut. de facie l. l. et in Roscheri locis adn. 84, Hecata ap. Luc. Philops. 22 *τὰ ἄνω Γοργόνι ἐμφερής, τὸ βλέμμα φημὶ καὶ τὸ φρικῶδες τῆς προσόψεως*, dicitur.

5. Stellarum [1]) specie Timarchus videt animas vibrantes, partem decidentes, partem sursum tendentes; partem quae exardescant, partem quae exstinguantur. Quod autem lucet, genius est, quam Mentem nuncupat vulgus. [2]) Qui cum reliqua anima (*τῷ ἀλόγῳ*) vinculo iunctus est: quod prout anima respicit, sive contra enitens sive obsequens ei, aut turbatur ipsa aut leni vehitur cursu: ex *εὐηνίοις* vatum et theologorum oritur genus (Hermotimus).

1) Stellarum comparatio debetur Platoni rep. 621 C *ἄττοντας ὥσπερ ἀστέρας* cf. p. 311 adn. 2. Cf. Plut. de def. or. 13 et Valkenari diatribam p. 56 b sqq.

2) Mentem non hominis partem, sed deum homini adiectum intelligit (ut dixit quidem mentem genium iam Xenocrates cf. Schoemanni opp. I 372 et Stoici quoque dixere). Idem novi Platonici cf. praes. Proclum ap. Zellerum III 2 813. Et concedendum est Platonis illum, ubi mens definitur, locum (Tim. 90 A) non iniuria eis videri potuisse ipsorum opinioni tuendae adhiberi: *τὸ δὲ περὶ τοῦ κυριωτάτου παρ' ἡμῖν ψυχῆς εἴδους διανοεῖσθαι δεῖ τῇδε· ὡς ἄρα αὐτὸ δαίμονα ἑκάστῳ δέδωκε τοῦτο ὅ δή φαμεν οἰκεῖν μὲν ἡμῶν ἐπ' ἄκρῳ τῷ σώματι, πρὸς δὲ τὴν ἐν οὐρανῷ ξυγγένειαν ἀπὸ γῆς ἡμᾶς αἴρειν.* Ad personam magis quam ad rem ista videntur pertinere. Deinde vix dubium est, quin etiam propter ipsum Socratis *δαιμόνιον* posteriores mirum istud statuerint. — Qua utitur egregia comparatione: *οἷον ἀκρόπλουν (τὸ καθαρώτατον) ἐπιψαῦον ἐκ κεφαλῆς τοῦ ἀνθρώπου, καθάπερ ἐν βυθῷ δεδυκότος ἄρτημα κορυφαῖον ὀρθουμένης περὶ αὐτὸ τῆς ψυχῆς ἀνέχον ὅσον ὑπακούει* (p. 714, 33 Dueb.: sana?), ea inlustrabitur Plotini doctrina: is enim duplicem animam docebat in homine esse: alteram (*τὴν λεγομένην φύσιν*) *ἴνδαλμα* et *γέννημα* esse alterius caelestis, quae quidem Plutarchi 'menti' respondet. Hanc dicit *οὐκ ἐξίστασθαι τοῦ νοητοῦ, ἀλλὰ συναψαμένην, οἷον ἐκκρεμαμένην ἔχειν τὴν κάτω.* De eadem dicit *κάρα αὐτῇ ἐστήρικται ὑπεράνω τοῦ οὐρανοῦ* (cf. *Δ* 440 sqq.). Vide Zeller. III 2 577 sq. Ad *ὑποβρύχιον ἐν τῷ σώματι φερόμενον* p. 714, 37 Due. cf. Phaedr. 248 B *ὑποβρύχιαι* (*αἱ ἀδυνατοῦσαι ἕπεσθαι* i. e. frustra *τὸ τῆς ἀληθείας πεδίον* in cursu adspicere studentes) *συμπεριφέρονται*, unde fortasse tota Plutarchi imago orta et conficta est. Cf. p. 328 adn. 2. Ceterum et aliae gentes artam daemonis cum homine coniunctionem credebant; velut septemtrionales illae Europae gentes cf. Maurer *Die Bekehrung des norwegischen Stammes zum Christentum* II 67 sqq.: *Den Gegensatz zwischen Seele und Leib im Menschen prägt die nordische Anschauung so scharf aus, daſs sie die erstere personifiziert* (fylgjur i. e. genius) *und dem letzteren gegenüberstellt; natürlich wird bei dieser Vorstellungsweise auch der Körper nicht als*

6. Denique mortis tempore comperto rursum cum magno capitis dolore experrectus est, tertio post mense mortuus.[1])

Textam iterum vides e Platonis et Platonicorum opinionibus fabulam. Consilium in fronte mythus prodit: animae doctrinam Plutarcheam eo inlustrari manifestum est.

Inter hanc et Dicaearchi *εἰς Τροφωνίου κατάβασιν* quae intercedat ratio, disceptari iam nequit (cf. etiam p. 314 sq.).

Ad virum contrariae indolis cursus pervenit L u c i a n u m. Qui ut omnino deorum res, ita etiam de inferis superstitiones, quae ipsi videbantur, sale sagittisque quibusdam leporum obruit, simul — ut sillographi quoque, quibus non uno nomine comparandus est, ad suas opiniones defendendas Orco usi erant — Orci sub specie suam de terrestrium rerum futtilitate sententiam defendens. Atque optime hanc potissimum speciem sibi sumpsit. Nam Cynicus (tum quidem) erat. Et Orcus, quae Cynicis fingi potuerit, optima erat respublica; illic *ἰσοτιμία*, nihil in honore nisi constantia (cf. Crates p. 319, Menippus p. 320). Itaque mortuorum in dialogis novis usque modis hoc tractavit: mortem omnes aeque omnibus bonis spoliare, ut hinc *καρτερεῖν* et *ἀνέχεσθαι* homines doceret. Glorias divitias pulchritudines Orco detersas ostendit, modo Menippum et Diogenem producens ditissimum quemque acerbe vexantes, modo adulatores ante dominum vita defunctos lamentantes, tyrannos modo de veneno querentes, philosophos ab ipsorum doctrina turpiter cedentes, principes gloriolae somnio et tum captos. Praesertim memoria dignum indico dialogum X.[2]), in quo multo cum sale mortui producuntur suas

---

vollständig unbeseelt gedacht und die Persönlichkeit des Menschen wird an ihn, nicht an seine Seele geknüpft et q. s. Plane Plutarcheam opinionem habes — ut Sophus Bugge fortasse Germanorum illam sentiendi rationem e Platonicis repetere velit!

1) Plutarchi cum descriptione conferas Ioannis Pauli Richter nostratis de universo somnium in fabula *Der Komet* (*Ernste Ausschweife des 6. Vorkapitels*), quod multifariam cum illa imagine concordat.

2) Quem ceterum expressit 'tragedia' Ioannes Sachs noster (*Der Caron mit den abgeschidnen Geisten* = Keller. vol. VII p. 3 sqq.).

quisque opes deponentes ne 'sutilis cumba paludem hauriat', pulchri pulchritudinem, carnes coronasque athletae, barbas placita fucum philosophi exuentes; Menippus solus ut ubique, nulla re egens et veluti victor miseriarum, etiam festive ceteros inridens. Idyllium quasi Orcinum in *Κατάπλῳ* tenes: in quo dignum videtur memoratu, quod mortuorum catervae secundum aetatem et sortem secerni coeptae sunt (infantes, senes, Marte occisos, peremptos amore habes etc. c. 5 et 6; aliter in Philops. 24 Eucrates umbras ait vidisse *κατὰ φῦλα καὶ φρήτρας* distributas): id quod ante Romanos scriptores (Verg., Sil. It.) inveniri non credo. De animae cicatricibus (c. 24. 25. 26. 28: *ὅλος οὗτος πελιδνὸς καὶ κατάγραφος, μᾶλλον δὲ κυάνεός ἐστιν ἀπὸ τῶν στιγμάτων*). Cf. p. 324 adn. 4. Ingeniose etiam tyranni poena ficta est: ab aqua enim Lethae prohibitus cum praeteritae felicitatis memoria in Tartarum deicitur.

Sed haec quae provinciae nostrae velut finitima sunt, iam missa faciamus provinciamque ipsam strenue administremus.

In *Μενίππου νεκυομαντείᾳ* Menippus amico, quem versibus primum adloquitur Homericis, quippe Homeri ipsius a conloquio modo reversus, ad inferos iter enarrat. Quod breviter complectamur. Adulescens enim quid verum esset sciscitatus Menippus non invenit neque in deorum cultu nec in philosophorum disciplinis, quorum et sermones inter se sibi ipsos oppositos et vitam sermonibus contrariam videret. Itaque in Orcum descendere statuit[1]), ut Tiresiam consuleret, *τίς εἴη*

1) Simili de causa ascendit Icaromenippus (c. 5–10), quem libellum omnino Menippi necyomanteam ad caelestia translatam dixeris (cf. c. 5: *μηδὲν ἅτερος θατέρῳ λέγοντες ἀκόλουθον* et Men. Nec. 4). Inde vero, quod bis paene eandem causam hic ascendendi, illic descendendi Menippo quidem tribuit, nescio an veri simillimum fiat istam ipsam causam iam invenisse Lucianum apud Menippum. Timonis simile consilium cf. p. 319. Homiliarum, quae falso Clementi Romano ascriptae sunt, locum iam Hemsterhusius comparavit, quem Ervino Rohde debeo. Ut Menippus, scriptor ille *ἐκ παιδὸς ἡλικίας ὢν ἐν τοιούτοις λογισμοῖς* (de animae post mortem fato) *χάριν τοῦ μαθεῖν τι βέβαιον εἰς τὰς τῶν φιλοσόφων ἐφοίτα διατριβάς*; ut Menippus, *οὐδὲν ἑώρα ἕτερον ἢ δογμάτων ἀνασκευὰς καὶ*

ὁ ἄριστος βίος καὶ ὃν ἄν τις ἕλοιτο εὖ φρονῶν. Magum adit, ex Zoroastri discipulis quendam, Mithrobarzanem. Multumque ieiunio et lustrationibus [1]) exercitus lembum cum mago conscendit leonina pelle pileo lyra instructus, quibus Orci victorum insignibus faciliorem sibi aditum compararet. [2]) Loco appulsi, qui trans (!) eum est lacum [3]), in quem Euphrates funditur, deserto, silvis obscuro, sole destituto oves in scrobem mactant [4]): advocatis deis inferis [5]) rumpitur solum [6]), inferorum regna patent. [7]) Descenditur. Lyra et leonina pelle visa Cerberus et Charo mitigantur; quin viam Charo eis monstrat. Mago praeeunte

1. in asphodeli pratum venitur cum animis strepentibus (τετριγυῖαι Ψ 101). Iam ad Minois tribunal accedunt, circum quod Poena Alastores Furiae. [8]) Ubi ab ipsorum

---

ἔρεις καὶ φιλονεικίας κτλ. Tandem constituit in Aegyptum profectus προφήταις φιλιωθῆναι, ut animam ipsi evocarent (ubi verba τὴν λεγομένην νεκρομαντείαν nescio an glossatorem sapiant). Sed desistit consilio, Iesum petit (edit. Lagard. p. 13 sq.).

1) Ieiunia et lustrationes item in Trophonii antrum descensuris observanda strinximus p. 298 adn. 1.

2) Conferatur Bacchus in Ranis.

3) Vide Strabonem XVI 4 τὰ ἕλη τὰ κατὰ Χαλδαίους, ἃ ποιεῖ παρεκχεόμενος ὁ Εὐφράτης; Euphrates non perdurat in pelagus (Mela III 8).

4) Etiam melicreto videtur libari cf. c. 9 in.

5) Ἄσημα illa ὀνόματα papyris magicis nunc quidem satis inlustrantur. Voces barbarae in magicis sacrificiis frequenter memorantur. Velut Iphigenia decantat carmina barbara μαγεύουσ' ὡς φόνον νίζουσα δή Iph. T. 1337; cf. Luc. Pseudomant. 13. Ex Philopseude locos conlegit Diltheyius Mus. Rhen. XXVII 378 adn. 3, quem videas.

6) Ut in posteriorum necyomanteis cf. Lucan. VI, Stat. Theb. IV, Sen. Oed., Sil. XIII. Vide Luc. Philops. 24: εἶτα ἑώρων τὰ ἐν Ἅιδου πάντα τὸν Πυριφλεγέθοντα, τὴν λίμνην (cf. Menipp. c. 10).

7) Tremunt mortui, ut fere Amphiarao in inferos ingruente Stat. Theb. VIII 4 sqq. Ad Rhadamanthum τεθνεῶτα μικροῦ δεῖν ὑπὸ τοῦ δέους cf. Timar. c. 44: οἷός τ' ἦν ἀποπνῖξαι τὸν Ἰταλόν, εἰ μὴ κτλ. (p. 88 Ell.) et Senec. H. f. 565: et mortis dominus pertimuit mori. Vide et Xen. Oec. fin.: ὥσπερ ὁ Τάνταλος λέγεται ἐν Ἅιδου τὸν ἀεὶ χρόνον διατρίβειν, φοβούμενος μὴ δὶς ἀποθάνῃ et Ellisseni ad Tim. adn. 70.

8) Cf. nos ad Senec. H. f. 662 sqq.

umbris [1]) accusantur homines mortui, quippe quae usque eos secutae sint. Dionysius a Dione reus factus Aristippi Cyrenaici oratione liberatur. [2])

2. Iam in punitorum loco crudelissimas spectat poenas, quibus vulgi superstitiones inrideri videntur: alii enim igne torrentur, tormentis alii vexantur, alii a Chimaera et Cerbero trahuntur dilacerantarque. Divites autem prae pauperibus cruciantur. 'Paradigmata' ista strictim (14 fin.) recensentur.

3. In Acherusia planitie heroes et heroinae ceteraque turba, alter super alterum positi, iacent, tabe paene perempti antiqui, optime servati Aegyptii. Potentium humiliumque, pulchrorum turpiumque, idem omnium aspectus: ossa sunt. [3])

4. Concilio denique interest mortuorum [4]), cuius amico decretum recitat: divitum enim animae sanctum est ut ex

---

1) Hoc nunc quidem ipsum invenisse Lucianum opinor: simillimum est de lecto lampadeque testibus istud *καταπλ.* 27. Erat cum popularia in eo vestigia mihi viderer indagavisse. Recentiores enim Graeci hominis genium *ἴσκιον* i. e. *σκιάν* vocant cf. B. Schmidt *Volksleben* p. 181 sq. Genius autem dicebatur ad iudicium ducere animam sec. Phaedon. 107 D. Propterea umbram accusantem finxisse Lucianum putabam. Vereor, ne quaesitior sit opinio. Simpliciter ei rei Lucianus studebat accusatoris munus tribuere, quae cum vita hominis maxime esset coniuncta: incidit in umbram.

2) De iudiciis eius modi cf. Ellissen. ad Timarionem p. 174 adn. 198.

3) Imagines inferorum miscet Lucianus, prout res consiliumque fert: modo enim mortui ossa sunt, ut nostro loco coll. *νεκρ. διαλ.* 18 *τουτὶ τὸ κρανίον Ἑλένη* et 20 (toto), modo carne induti — certe vix aliter interpretari poteris Menipp. c. 18: *διφθήκει τὰ σκέλη*, Socrates videlicet — modo eos fingit umbras, cf. Menipp. c. 11 *περιεπέτοντο τετριγυῖαι* animae, cicatricibus etiam facinorum praeditas. Quin sepulcra super imposita vel in Orco sentiunt mortui Menipp. c. 17; *νεκρ. διαλ.* 24, 2 fin. (de Mausolo). In eodem capite (*νεκρ. διαλ.* l. l.) cum mortui pedem fere quisque terrae obtinere dicantur (in quo spatio *ἀνάγκη ἀγαπῶντα κατακεῖσθαι*), reges tamen *ταριχοπωλοῦντες* docentesve elementa sive in triviis mendicantes producuntur. Num iam Menippus in sua necyia opiniones de inferis contrarias item confuderat? Dubito. Haud enim scio an talis inconstantia levi magis lepori conducat, quam gravitati satirae, quae sic videtur imminui.

4) Ad exemplum fortasse Cynicum etiam contio facta est: plane gemellam tenes in Icaromenippo 29 cum senatus consulto in philosophos edito (c. 32). Furiarum contionem conferas Claud. in Ruf. I 25 sqq.

Orco iterum emittantur in asinos[1]) ante XXV annorum myriadas ad inferos non rediturae, quod decretum magistratu populoque inferno probante (Brimo etiam et Cerbero adclamantibus i. e. mugiente illa, hoc latrante) ratum fit.

5. Tandem adit Tiresiam, pallidulum 'senecionem', a quo (licet lege Rhadamanthi vetitum sit) ut dicat, quod optime vivendi sit genus, impetrat. Responsum fert hoc: *ὁ τῶν ἰδιωτῶν ἄριστος βίος.*[2])

6. Per Trophonii sacrum, unde velut rima lux infundebatur, ex inferis ascendit.

Lucianum in hoc componendo libro Menippi necyia usum esse veri simile est; in quantum usus sit, nescimus. Quod in Babylonia descendit Luciani Cynicus, fortasse iam Menippus finxerat Gadarensis: sed et Lucianus Syrus est, et uterque magorum usus illos (c. 7 sqq.) optime novere. Cynicum exemplar commendant tota inridendi ratio et Menippus Homeri versus suo more detorquens (licet Lucianus hunc morem omnino ipse receperit). Cynicorum est vita cum Fortunae pompa comparata, modo hac veste, modo illa ministros induentis, modo in ipsa pompa subito *σχήματα* mutantis eademque cum theatro comparata: quam pulchram comparationem iam Bio excoluerat.[3]) — Quantum video, et argumentum et in singulis

1) *Ὄνους* quidem elegisse videtur cum propterea, quod a pauperibus onere gravati aguntur (c. 20), tum quod gulosum est animal cf. Phaedon. 81 E et Plotin. III 4, 2 Zeller. III³ 2 591.

2). Ad hoc cf. Plat. rep. X 619 et nostrae operae p. 310 adn. 4.

3) Telet. rell. ed. Hens. p. 3, 2 (coll. p. 40, 2): *δεῖ ὥσπερ τὸν ἀγαθὸν ὑποκριτήν, ὅτι ἂν ὁ ποιητὴς περιθῇ πρόσωπον, τοῦτο ἀγωνίζεσθαι καλῶς, οὕτω καὶ τὸν ἀγαθὸν ἄνδρα ὅτι ἂν περιθῇ ἡ Τύχη. Καὶ γὰρ αὕτη, φησὶν ὁ Βίων, ὥσπερ ποιήτρια ὅτε μὲν πρωτολόγου, ὅτε δὲ δευτερολόγου περιτίθησι πρόσωπον καὶ ὅτε μὲν βασιλέως, ὅτε δὲ ἀλήτου.* Vide et imaginem Plotini III 2 c. 17 de deo poeta (ad nos faciunt praes. quae in p. 131 Dueb. leguntur inde a. v. 22—30) quam praecepit Henseus l. l. p. XCI sqq. Cuius copiis addas Philostr. Ap. Ty. V 14: *τρεῖς Ῥωμαίων αὐτοκράτορες* (Galba etc.) .. *ἀπολοῦνται θᾶττον ἀποβαλόντες τὸ προσωπεῖον ἢ οἱ τῶν τραγῳδῶν τύραννοι.* Cf. et de vita *δράματι* Rohdium fabb. Rom. 281 adn. 5. — De pompa vide Lob. Agl. p. 174 adn. mm.

multa Menippo adtribuenda erunt. De descendentis consilio in adnotationibus dictum est. Luciani consilium in promptu est. [1])

Mentione etiam dignum videtur Philopseudis c. 28. Ubi narrat aliquis quondam, cum per multos dies febri vehementer vexatus esset, a iuvene pulchro alba veste induto in Orcum (διὰ χάσματος) ex corpore ductum ad Plutonis sellam se venisse. Quem indignatum ministri errorem remisisse se, ut cuius nondum completus esset fusus, alium ὑπερήμερον iussisse arcessi. Vulgaris fabulae exemplum habes. (Cf. p. 341 adn. 4.)

Nec veras quas a contrario inscripsit Lucianus, historias licet omittere. Quibus quid voluerit, ipse libri initio (I 2) professus est: *τῶν ἱστορουμένων ἕκαστον οὐκ ἀκωμῳδήτως πρός τινας ᾔνικται τῶν παλαιῶν ποιητῶν τε καὶ συγγραφέων καὶ φιλοσόφων πολλὰ τεράστια καὶ μυθώδη συγγεγραφότων κτλ.* De his auctoribus indagandis bene meritus est Ervinus Rohde (fabb. Rom. 192 adn. 4). Nos nostra curamus. Narrat enim Lucianus itinere in occidentalem Oceanum (cf. *Ἀτλαντίς*) suscepto multa iam passum se insulae adpropinquavisse, unde odora aura, quasi ex Herodoti Arabia felici, suavissimorum florum efflaret. [2]) Quam pulcherrimum propius accedentibus eam praebuisse adspectum fluviis pellucidis quiete euntibus, pratis, arboribus, quarum rami leni aurarum strepitu moti dulcia susurrarent carmina. [3]) Roseis dein, cum appulissent, catenis ligatos et ad regem insulae Rhadamanthum ductos se

1) Philosophos divites tyrannos una cum vulgi superstitione (cf. etiam *περὶ πένθους*) inridet, philosophos inprimis. Quorum fucatam sapientiam quot modis castigaverit, quis nescit? Cf. Vitarum Auctionem, Hermotimum, Fugitivos, Convivium al. Debemus huic odio etiam Ascensum philosophorum nobilissimorum in Piscatore (adumbratum similem habes in Hermotimo c. 29 *θεῶν τις ἀναβιῶναι ποιήσειε Πλάτωνα καὶ Πυθαγόραν καὶ Ἀριστοτέλην κτλ*). Cf. et Gallum.

2) Cf. Pherecyd. fr. 109 K. 'Fragrantia' beatorum arvorum in medii aevi fabulis fere memoratur.

3) Idem de paradisi arboribus est in visione Iosaphat illius somniantis (Rodolphi Amisiensis suavissimae fabellae *Barlaam und Iosaphat* p. 308 v. 7 sqq. ed. Koepk.): *sô sich von einem winde Senfte sueze unde linde Der loeiber dicke undertranc, Sô wart ein also suezer klanc* etc.

esse: quem heroum nobilium causis celeberrimis disceptatis veniam ipsis dedisse per semestre cum beatis vitam degendi.[1]) Beatorum condicionem [2]), oppidum, convivium [3]) exornat. Multifarie et critici (ficto cum Homero conloquio [4])) et philosophorum

1) Elysii imago ex vulgi superstitionibus aureae aetatis coloribus exornata est (cf. infra). Homericus Rhadamanthus adhuc regnat. — Inter heroum nobiles causas Thesei et Menelai de *προεδρίᾳ* certamen nomino: simile (de eadem re) habes *νεκρ. διαλ.* 12 Alexandri et Hannibalis; quod quaedam communia habet cum Alexandri et Caesaris certamine in Iuliani illa nobili Caesarum *κρίσει*. Cf. et locum Ellisseni p. 336 adn. 2 laudatum.

2) *Τὸ λυκαυγές* illud Rohdius scholio rectius conlocato ad Antonium Diogenem (quode cf. p. 341 adn. 3) iure videtur referre, qui sive Cimmeriis sive septemtrionalibus trans Thulen regionibus id tribuisse potest.

3) Elysii gaudia vel inde verisimile est vulgaribus ex superstitionibus picta esse, quod cum Axiocho multifariam congruunt; cf. *εἰλαπίνας αὐτοχορηγήτους* 371 D cum Luciani convivio: ubi venti ministrorum munere funguntur. Cum his iam Rohdius locum composuit, quem gavisus eram invenisse me ipsum Philostr. Vit. Ap. III 27: Brachmanorum describuntur *αὐτόματοι τρίποδες* (quorum exemplar ut ipse ait Philostratus est Homericum Σ 373 et 376 *αὐτόματοι*; *jedem Herrscher folget sein Thron wohin er gebietet* Goethius Achilleide). Cf. praesertim quae sequuntur: *ἡ δὲ γῆ ὑπεστόρνυ πόας .. τραγήματα καὶ λάχανα .... πάντα ἐν κόσμῳ ἐφοίτα* (quam Damidis narrationem a Luciano inrideri etiam scholiastae videtur visum esse cf. Rohd.). Etiam Apulei ventos Psychae ministrantes (cf. Met. V 3 fercula tantum spiritu quodam impulsa subministrantur al.) iam comparavit idem. Ad unguentorum vini lactis etc. fontes fluviosque frequentissimos (c. 13) conferre licebit fontes quos fuisse in Aeetae domo dicit Ap. Rhod. Γ 222 *γάλακτος οἴνου ἀλοιφῆς ὕδατος*. Avium et vatum chori contendi possunt cum *μουσικοῖς ἀκούσμασι* et *θεάτροις ποιητῶν* in Axiocho l. l.; cf. etiam Verg. Aen. VI 645; 662. 667 et Pindari frgg. saepius laudata. Ad *ἡδονῆς καὶ γέλωτος πηγάς* contulit Rohdius fluvios voluptatis et tristitiae, qui fuisse ferebantur in 'Anosto' Ael. Var. H. III 18; cf. et Rohd. l. l. 206 adn. 3.

4) Homeri conloquio, quo criticorum acumen infelix sugillatur, memoriam excitari historiolae illius de Apione, mundi cymbalo, qui prodidit se evocasse umbras ad percontandum Homerum, quanam patria quibusque parentibus genitus esset, non tamen ausus profiteri, quid sibi respondisse diceret (Plin. Hist. Nat. XXX, 1, 18), tetigit iam Rohdius (cf. Welcker. Ep. Cycl. I² 182 sq.). Quocum non alienum erit conferre, quod Philostrati *ἀμπελουργός* narrat Heroic. p. 196 Kays.: *Φησὶ μὲν (ὁ Πρω-*

ἐπίσημοι[1]) castigantur. *Θανατουσίων* certamen et pugna cum Tartaricolis commissa felicissimi ingenii sunt inventa. Etiam quas Helenae semper amantis et ex Luciani sociis cuiusdam propter amorem expulsi visunt[2]), Tartari insulae[3]) ex vulgi mente ornatae felici terrorum[4]) exaggeratione de-

---

τεσίλ.) εἰδέναι (τὴν πατρίδα καὶ τοὺς γονέας Ὁμήρου), Ὁμήρου δὲ παραλιπόντος αὐτά, ἵνα αἱ σπουδαῖαι τῶν πόλεων πολίτην αὐτὸν σφῶν αὐτῶν ποιοῖντο, οὔτ' ἂν ταῖς Μοίραις οὔτ' ἂν ταῖς Μούσαις φίλα γε ἔφη πράττειν, εἰ τοῦτ' ἐκφέροι κτλ. (De grammaticorum *ἀπορίαις* etiam Apollonii cum Achille conloquium vide Vit. Ap. IV 16.) Optime Luciani salibus arrogantes et ineptae eius modi ariolationes castigantur. Homerus *γινομένων τῶν ἐν Ἰλίῳ κάμηλος ἐν Βάκτροις ἦν* sec. Gallum c. 17. Imitatus ni fallor Lucianum Ionathan Swift in Glubdubdrib insula manes citat Hannibalis, qui num acetum re vera ad saxa Alpium destruenda adhibuisset rogatus, se tunc ne minimum quidem eius rei secum habuisse respondet (ratione simile est Luc. c. 20: *περὶ τῶν ἀθετουμένων στίχων* rogatus Homerus *ἔφασκε πάντας αὐτοῦ εἶναι*), Homeri deinceps vocat et Aristotelis umbras, a quibus interpretum turmae innumerae quam maxime remotas se tenent, quod infandum in modum eorum sensus detorserunt, pudibundi (*Gulliver's Travels* III c. 7).

1) Ad Aesopum *γελωτοποιόν* (c. 18) conferas eam quam in Plutarchi Convivio VII sapientum gerit personam (cf. etiam *ἐπὶ δίφρου τινὸς χαμαιζήλου* Plut. c. 4). Verbis *εἶδον δὲ καὶ Σωκράτην . . ἀδολεσχοῦντα μετὰ Νέστορος καὶ Παλαμήδους* (c. 17) adludit ad Plat. apol. c. 40. Ut Diogenes disciplina prodita (? cf. Solan. ad locum in ed. Bip.) Laiden duxisse dicitur (c. 18), apud Grabbium (*Scherz, Satire* etc. act. II, 2) Posa, omnis virtutis apud Schillerum exemplar, leno factus in Inferno tabernam condidisse narratur.

2) Iam procul damnatorum lamenta audiuntur; ut Plutarchus finxit de Gen. Socr. 713, 39 Dueb.

3) Insulam Inferni item in S. Brandani fabula habes: quae item ac Lucianea fumo insignis est cf. Sanct Brandan ad Schroeder p. 29, 10—29: discooperta a fumo et a se spumans flammas etc.

4) Mireris fortasse picem et sulpur Inferni iam hic occurrere (cf. *ὀσμὴ οἷον θείου καὶ πίττης . . καιομένων* c. 29). Pix certe ad scelestos torquendos adhibebatur cf. Lucr. III 1015 et Plaut. Capt. 596. Ex ecclesiae opinionibus, cui pix in Inferno paene necessaria videbatur, Dantius recepit illud *bollia una pegola spessa* sqq. Inf. XXI 16. Indidem (non ex antiquis opinionibus) videntur recentes Graeci (*τὴμ πίσσα νἄχῃ ὁ Κωσταντὴς στόν ᾅδη ὁποῦ κοιμᾶται* B. Schmidt *Volksleben* p. 247).

lectant.[1]) Tenella denique et lepide excogitata est somniorum[2]) insulae imago.[3])

Confecimus iter dimidium. Ad Byzantinorum enim fetus Timarionis et Mazaris *εἰς Ἅιδου καταβάσεις* cursum vertere non vacat. Pauca tamen de eis addam: primum Timarionem dialogum, ut Mazarim ex Luciano potissimum confictum, sed lepore et ioco multo Mazari praestantiorem[4]), in primis ver-

---

1) Fluviorum terrores cum Silio fere congruunt (XIII 564 sqq.). — Ad terram spinas et enses ferentem vide Plat. rep. X 616 *ἐπ' ἀσπαλάθων κνάμπτοντες* (Ardiaeum carnifices). Etiam S. Brandani comes a Brandano diabolis ereptus *was gemerlich erzert erkrumpt und erkraczt von den stauden und dornen da in der tewfel durch geczogen hette* (p. 172 ed. Schroed.).

2) Somniorum sedes silvis cincta est, ut apud Ovid. Met. XI 592 herbis soporiferis circumdata est somni regia (cf. *μήκωνες ὑψηλαὶ καὶ μανδραγόραι* c. 33 = Ovid. 605), cf. Stat. Theb. X 84 sqq. (lucus iners). Etiam apud Vergilium (VI 284) sub arboris foliis haerent somnia. — Ad *περίβολον ἴριδι τὴν χρόαν ὁμοιοτάτην* iam contulimus somniorum craterem Plutarcheum cum fluctibus procul coruscantibus (cf. praes. *τὸ δέ, ὁποῖον ἶρις ἐξανθεῖ τὸ ἁλουργόν* p. 684, 17 Dueb.).

3) Quos praecipue in ista inferorum (c. 5—32) imagine derideat Lucianus, nescitur. Cum Rohdio (p. 193 adn.) Tartari exemplar Antonium Diogenem putare incertius videtur esse. Is enim *ἐν τοῖς ὑπὲρ Θούλην ἀπίστοις* Dercyllidem Diniae fecerat errores suos enarrantem et *ὡς (ἐν τοῖς καλουμένοις Κιμμερίοις) τὰ ἐν Ἅιδου παρ' αὐτοῖς ἴδοι καὶ πολλὰ τῶν ἐκεῖ μάθοι διδασκάλῳ χρωμένη Μυρτοῖ θεραπαινίδι οἰκείᾳ, πάλαι τὸν βίον ἀπολιπούσῃ καὶ ἐκ τῶν νεκρῶν τὴν δέσποιναν ἀναδιδασκούσῃ* (Phot. cod. 166). Antonii Cimmerios item ac Rohdius (p. 260 adn. 2) Italos putaverim. Descensus ea, qualis est in λ, necyomanteae similis forma ponenda erit: quod conlegerim ex verbis *Μυρτὼ ἐκ τῶν νεκρῶν τὴν δέσποιναν ἀναδιδάσκουσα*. Sed accuratiora de ea re non traduntur. Quare etiam ex alio *τῶν παλαιῶν ποιητῶν καὶ συγγραφέων* Lucianus sumpsisse sua potest.

4) Timario propter falsam *νεκραγωγῶν* opinionem maturius ex corpore raptus, deinde remissus potest comparari cum Cleodemo in Philops. (cf. p. 338), qui item errore *νεκραγωγοῦ* maturius deducitur (ut Tim., febri antea vehementissime vexatus). In Gregorii dial. IV 'illustris vir Stephanus ductus ad inferni loca vidit multa quae prius audita non credidit. Sed cum praesidenti illic iudici (cf. Luc.) praesentatus esset, ab eo receptus non est, ita ut diceret: non hunc deduci, sed Stephanum ferrarium iussi' (cf. *Δημύλος χαλκεύς*, qui *ἐν γειτόνων* Cleodemo habitabat, ut Steph. ferrarius 'iuxta' alterum Stephanum 'habitabat'). Cf. etiam similem fabulam in Plut. de anima fragmentis = Eus. Praep. XI 36 Dind.

sari in medicinae placitis et regulis deridendis, deinde recentiorum Graecorum iam in eis opinionum vestigia extare[1]) — quod editores videtur fugisse. Ceterum ad Hasii (*notices et extraits des manuscrits* 1813 P. II) et Ellisseni optimas editiones relego.

Mentionem inseram Alexandri ad beatorum terram itineris (Pseudocallisth. II 39 sqq. Mueller.), qui ex loco obscuro (*τόπος ὁμιχλοειδής*) equabus ducibus primum ad minus obscurum (*οὐ πάνυ σκοτεινόν*) cum vitae fonte penetrat, dein ad ipsorum *μακάρων νήσους* (ubi vident *αὐγὴν ἄνευ ἡλίου καὶ σελήνης καὶ ἄστρων*)[2]), quas ne intret arcent ipsum duae aves hominum oribus praeditae (*μακάρων νήσους πατεῖν οὐ δυνήσει*). Quem Descensum etiam recentium Graecorum fabellis excultum invenis.[3]) Apud eosdem et alii de eis, qui vivi ad inferos penetrarunt, mythi per ora adhuc volitant.[4])

Iam, navicula mea, extremum incipe currere iter et contingat tibi, quod Dantius dicit: *Minerva spira e conducemi Apollo!*

1) Certissima duo habeo: stringitur mos mortuorum manibus inserendi, quae pridem defunctis referant, Timar. c. 47: *ὅρα ὅπως εὑρήσεις τινὰς νεοθανεῖς, οἷς παραρτήσαντες καθ' ἕν τι τῶν ἐντεταλμένων τῷ σοφιστῇ* (cf. c. 46) *στελοῦμεν πρὸς αὐτόν* cf. Mazaris c. 20: *μεθ' ἑνὸς τούτων* (*νεκύων*) *ἐμοὶ γράψον . . . τῷ ἐν Σπάρτῃ διατρίβοντι ἀοιδῷ Μόσχῳ . . ἐγχειρίσας τὴν ἐπιστολὴν δός* (qui brevi moriturus est). Cf. B. Schmidt *Volksleben* 241 et eiusd. fabularum XXV. p. 125. — Deinde Tim. 26. (*ἐγὼ* (i. e. anima Timarionis) *διὰ μυκτήρων* (moriente corpore) *ἐξήχθην καὶ στόματος*) contuleris cum B. Schmidt. l. l. p. 228: *Es ist die Vorstellung eines wirklichen Herausziehens der Seele aus dem Leibe des Menschen von seiten des Charon vorhanden. So fordert dieser in einem samothrakischen Liede bei Passow No. 432, 41 einen jungen Hirten auf seinen Mund zu öffnen, damit er seine Seele herausnehmen könne.* Cf. *Α* 409. Mirum in modum conspirat cum hac Malayorum opinio: *Die Malayen sagen, dass die Seele des Sterbenden durch seine Nasenlöcher* (cf. *διὰ μυκτήρων*) *von dannen geht*, Tylor l. l. p. 425. Vulgi ex ingenio opinio originem ducit.

2) Cf. Pind. Ol. II 61; Verg. VI 640 sqq.; Ar. Ran. 154 *ἐντεῦθεν ὄψει . . φῶς κάλλιστον.*

3) B. Schmidt *Sagen* etc. p. 147.

4) Cf. Schmidt *Volksleben* p. 244 et quos de Hahn *Neugr. Märchen* I p. 60 sqq. composuit.

II. *De Romanorum fabulis.*

Romanorum litterae Graecis comparatae cum eadem ratione contineri videantur, qua discipulus et magister: Descensuum genus si apud Latinos acceptum cultumque non esset, inde tantum posses explicare, quod Romanorum indoles quam maxime aliena fuisset ab eius modi poesi. Verum enim vero ita non alieni erant Latini ab istis rebus, ut totam per eorum vitam consuetudo quae est inter manes ac superstites insigniter valeret. Quamque late patuerit manium iste cultus, vel inde adparebit, quod Iulius Lippert ad suam de religionibus ex mortuorum cultu natis opinionem probandam Romanorum ritus inter validissima argumenta posuit.[1]) Neque igitur poetis Romanorum Graeca Descensuum exemplaria imitaturis erant difficultates neque, populo Romano ne expressa ista non placerent, erat periculum. Nil mirum, quod et Latinus ager largam talium carminum messem tulit. Mythi id genus utrum antiquitus per ora Romanorum virorum volitarint, locis secretis religione et sacrosanctis velut prope Avernum orti an etiam in his hebetius Romani hominis ingenium a Graeca Gratia excitatum sit, disceptare iam nequimus: nullum certe istius modi carmen novi, quin Graecum exemplar prodat.

Primum quantum scimus de inferna expeditione carmen Livii Andronici Odusiam legere Romani, quam cum inde a pueris (ad Horatium usque) manibus versarent, magnam vim et in puerum Romanum et in totum Latinarum litterarum cursum habuisse manifestum est.

Ad istud exemplar Naevium Aeneae apud Cumas Descensum iam finxisse nemo credet. Qui vero Naevium secutus est, Ennius vir summus a Faunorum versibus ad Parnasi culmina adspirans pro studiis suis Graecarum litterarum impensissimis et Ascensuum et Descensuum formas sibi inde sumpsit.

---

1) *Die Religionen der europäischen Culturvölker* p. 413 sqq.: *Die Religion der Römer als consequentester Seelencult.*

Ut enim Annalibus suis somnium praetexuerat[1]), quo Homerum finxit in bicipiti Parnaso ipsi visum de rerum natura suaeque animae de migrationibus se edocuisse[2]) — fere ut Callimachus iambis suis Hipponactem fecerat praefantem: ita eam, quam Epicharmus inscripsit, rerum de natura explanationem aeque somnii specie involvit. Huius enim, quam primam Latinorum novimus, philosophicae catabasis initio quin poeta somniatus sit umbram se cum Epicharmo, comoediarum poeta Siculo, in Orco congredi, dubitari non licet: fr. 1 V. *nam videbar somniare med ego esse mortuum.* Simillimum in modum Rabener somnii enarrationem, quo silentum regna festivo stilo pinxit, incipit a verbis hisce: *Mir träumte, ich sei gestorben.*[3]) Cetera fragmenta ex sermone amborum deprompta esse satis pronum est. Sed undenam sermonem istum composuisse poeta putandus est? Ad liquidum rem perducere non valemus; quod maxime probabile est, in hoc acquiescamus: Epicharmum enim, quem vel discipulum Pythagorae finxerunt (D. L. VIII 3, 78),

---

1) Cf. Callimachi *Αἰτίων* prooemium cum Schneidero II p. 114 et de somniorum fictionibus a poetis haud raro usurpatis Diltheyum Cydippa p. 15.

2) Hoc somnium mihi vere ex eburnea porta semper visum est prodiisse. Quomodo enim Homerus Ennium docere possit suam animam in illum migrasse, non magis concoquo quam Goettlingius (opp. II 234 sqq.). Nisi forte ἄψυχος ψυχή Homerus fingendus erit. *Homer müsste in diesem Traum gleichsam mit seiner eigenen Seele monologisiert haben, welches doch ziemlich albern wäre* (Goettlingius opp. II 235). Pro viribus inquisivi an simile indagare possem. Nil habeo, quod adferam nisi hoc fortasse: apud Maurerum l. p. 332 adn. 2 l. de Norvegis q. d. antiquis hoc relatum extat: *die fylgjur* i. e. genii quos plane confundunt cum anima (cf. adn. l.) *mögen von feiner organisierten Menschen gesehen werden und selbst gröbere Naturen können sie, wenigstens im Traume, der die Sensibilität auch bei ihnen steigert, erblicken* (p. 69). At alia nostra res est: nam in Orco simul versatur Homeri anima (Lucr. I, 125)! Tertulliano et scholiastis fidem cum Goettlingio denegare audacius videtur; sed desperata est res et dignus vindice nodus. Quae quidem Goettlingius exposuit, certe quae legantur digna sunt. De pavone adstipulor Victori Hehn *Kulturpflanzen*[3] 312 (cf. 308).

3) *Satiren I p. 17 Reutlingen* 1777. (*Ein Traum von den Beschäftigungen der abgeschiedenen Seelen.*)

Pythagoricas opiniones comoediis suis expressisse certum est. *Περὶ φύσεως* carmen fuisse, quod Epicharmi nomine circumferebatur, ex eius sententiis conglutinatum (Ribbeck *Röm. Dichtung* I 45) non improbabile est. Hoc Ennium Epicharmo suo liberius vertisse demonstrari quidem vel minus poterit. Nam Pythagorea — id quod praesertim exspectaveris — in Ennii fragmentis nulla insunt.[1] Tamen primum dicendum est etiam Epicharmum, quantum ex eius fragmentis licet cognoscere, liberiore philosophia usum, non merum Pythagoreum videri fuisse[2], deinde fragmentorum Ennianorum semper respicienda erit penuria. Denique in Ennii reliquiis sunt quaedam[3], quae Epicharmi memoriam videantur prodere. Etiam quod Epicharmio versu carmen suum composuit (ut sane et alia), Ribbeckii opinioni favet. Euhemeri nudo nomine similiter librum Latinus poeta inscripsit, quem ex famosissima eius historia confinxerat. De suo aliisque e fontibus cultissimum poetam haud pauca addidisse verisimile duco. Haec sunt, quae cum quadam probabilitate dici videantur. — Similem

1) Quod contra Lorentzium (*Leben und Schriften des Epicharm* p. 99 sqq.) iam monuit Zeller. III 2³ p. 84 adn. 2. Ac profecto ne illud quidem de ignea mentis natura ad Pythagoream quae tunc erat disciplinam quadrat: qui de anima, quod nos sciamus, alia docuere cf. Zeller. I⁵ 412 sqq. Quae Lorentz. adlegat (105), ea recentioris Epicharmo aetatis sunt: velut Pythagoreus ille Alexandri q. d. iam alia cum Pythagora conflavit, Zeller. III 2³ p. 91 sqq. Num forte Heracliti placitum receperit poeta Siculus, qui 'animam dixit stellaris essentiae scintillam' (Macrob. in Som. I 14 cf. Ennium 'de sole sumptus' et Zeller. I⁴ 642 adn. 4), nescimus. De Hippaso quidem Pythagoreo hoc traditur Zeller. I⁴ 457 sq.

2) *Wir sehen, dass Epicharmus .. keiner Schule ausschliesslich anhing, sondern von den Meinungen seiner philosophirenden Zeitgenossen in freierer Weise für sich verwandte, was ihm Beachtung zu verdienen schien* Zeller l. l. 463.

3) De quattuor elementis fragmentum (III; ex Epicharmo?) cum Vitruvii testimonio optime congruit (fr. B 12 Lor.). Atque etiam notissimum illud: *Ova parire solet* etc. fr. Annal. 12 Vahl., licet paulum diversum sit ab Epicharmo, tamen videtur ex eius frg. B 42 duxisse originem. Sed cf. Zeller. I⁴ 462 adn. 6 et 461 adn. 3. — Ad totam rem nunc vide Wilamowitzii Herculem I p. 29 adn. 54 et Dielesii *Sibyllinische Blätter* p. 34 adn. 1.

igitur personam Epicharmus Ennianus egisse videtur atque apud Timonem Xenophanes.

Tragoedia Descensum, ut fere Graeca quoque, ante oculos ponere non est ausa: qui minus terribilis est quemque non tantae molis erat inducere, Ascensus satis frequenter adhibitus est: velut Acci in Troadibus (?) super tumulo [1]) adparuit Pelidae umbra [2]) dramatis nectens nodum; eadem et in Ennii Andromacha et praesertim in Hecuba sermone descripta videtur fuisse. In hac fabula Polydorum ad Euripidis exemplar ascendisse, Ribbeckii [3]) ingeniosae coniecturae adsensus certum puto. Ilionae somnianti (ut ab Aeschylo fingitur Clytaemestra Eumenidibus somnio adparens: *ὄναρ . . ὑμᾶς καλῶ* Eum. 116 K.) Deiphili filii squalida [4]) umbra in scaena se ostendit (Pacuvi in Iliona [5])) animosque matris et spectatorum permovit.

Sed ut ad nostrum revertamur genus: sicut apud Graecos, mature etiam apud gentem togatam satiricae indolis Descensus finguntur. In Varronis enim Menippea, quae erat *περὶ ἐξαγωγῆς*, iam a Ribbeckio (*Röm. Dichtung* I p. 264) dictum est descendisse videri aliquem: qui ut comperiret, nex voluntaria utrum fas esset necne, apud inferos nobilissimum quemque virorum, qui ipsi sibi mortem consciverant, consuluerit. Frgg. I et III Buech. cum Ribbeckio interpretanda sunt. Si (id quod probabile sane est) fr. IV Varronis ipsius sententia continetur, fas esse necis genus istud indicavit.

Necyomanteam si quis pro Descensu substituerit, non ita

---

1) De umbris super tumulo visis vide p. 293 adn. 5.

2) Cf. Ribbeckium in Tragoedia p. 417 sq. — Ut cum terrae motu et totius naturae turba apud Accium et Senecam (Troad.) summi viri exsurgit simulacrum, ita etiam apud Philostratum (Heroic. p. 155 Kays.) *κατόπιν αὐτοῦ* (in Troiana regione adparentis) *ζάλη ἀνέμου εἰλεῖται πομπὸς τοῦ εἰδώλου.* Ad Senecae: 'pontus suum Adesse Achillen sensit ac stravit vada' v. 177 L. comparare licet, quae defuncto Achille accidisse a Philostrato narrantur ibd. 205 Kays.: *ἡ θάλαττα ἀνοιδήσασα ἐμυκᾶτο κτλ.* De Polyxena cf. praes. Ricardum Foerster Hermae XVII 193 sqq.; XVIII 475 sqq.

3) l. l. p. 142.

4) Cf. Hector Verg. Aen. II 277; Sen. Tro. 449.

5) Ribb. l. l. p. 232 sqq.

repugnabo. Cf. etiam infra Laberium. Swiftii exempli recordemini (p. 339 adn. 4). Utrumque bene cogitatur. Sed fr. III priorem magis opinionem videtur commendare. Si ergo descenderit quis, causam descendendi eandem habes atque apud Timonem Menippum Timarchum Apollonium Tyanensem (videas supra p. 329 adn. 2).[1])

Saturae *Τριοδίτῃ Τριπυλίῳ* ab Empedotimi Syracusani visione[2]) nomen indidisse Varronem ex Servio in Georg. I 34 paene certum est, quam visionem toti *περὶ ἀρετῆς κτήσεως* disputationi fundamentum videtur iecisse.

Haud ita diversa illius ecstasis est ab ea forma, quam apud Graecos philosophos cum Descensu iunctam supra vidimus: dico ad caelestes rerum fontes Ascensus. Quorum unam, quantum novi, Latinorum habemus imitationem Somnium

---

1) Fortasse ex frgg. incc. alterum ad hanc satiram referendum est: 'Trisulcae fores Pessulis liberatae dehiscunt graves Atque nixae in pigros cardinum turbines' — ut Orci ianuam significari putes. Cf. e. g. Axioch. 371 A: *πρόπυλα τῆς εἰς Πλούτωνος ὁδοῦ σιδηροῖς κλείθροις καὶ κλεισὶν ὠχύρωται.* Accurate haec porta pingitur a Timarione c. 14 s. f. Ell. (ad *μόχλους* qui illic memorantur *ἀδαμαντίνους* cf. 'vectes ferreos maximae quantitatis prostratos' portis Inferni aeneis, quos episcopus videt apud Gervasium p. 18 Liebr.: uterque et Timario et Gerv. medii aevi eiusdemque fere temporis sunt, medii aevi in utroque de inferno habes pingues opiniones). Sed apage ariolationes.

2) Legisse eam Reatinum apud Heraclidem Ponticum, fabularum illam *γραῦν συλλεκτρίαν*, (in libro *περὶ τῶν ἐν ᾅδου*?) plenissime nunc constat ex Procli ad remp. commento cf. p. 19 fin. et 20 Pitr. Quem secundum vidit *πᾶσαν τὴν περὶ ψυχῆς ἀλήθειαν ἐν αὐτόπτοις θεάμασιν.* Cf. etiam fr. Iuliani 9 H. et Lobeck. Agl. 935 sq. Ervinus Rohde, cui excerptum Procli latinum tantum tum notum fuerit, in Mus. Rhen. XXXII 331 mirari videtur, quod venantem tradunt Empedotimum *θεάματα* sua spectasse. Graeco nunc Proclo Latinum excerptum confirmatur. Sed nescio an etiam apte venando quidam fingatur talia conspicere: quippe cum in deserta facile abripiatur, qui rei venatoriae operam dat, ubi dei semper sunt proximi. Inter medii aevi fabulas — ut exemplum adferam — est historiola, qua Hugo Toscanae marchio in venando dicitur damnatorum poenas conspexisse. *Piacendosi egli assai nella caccia giunge un giorno dilungatosi dai suoi seguaci a un luogo ove vede uomini neri . . che con pesanti martelli tormentano anime,* Ancona *Precursori* p. 78.

Scipionis. Illo quae Paulli filium somnio abreptum maior Scipio docet (quem Cicero Ennii vaticinio perfecto [1]) in summo caelo conlocat), Pythagoricas et Platonicas ea doctrinas [2]) et auctores aperte sapiunt. Hanc mythi umbram, quam Platonem aemulatus corollam quandam suae reipublicae Tullius imposuit, ex Graecae Musae pannis consutam disquirere pannorumque suo quemque auctori philosopho restituere alius ac meae opellae erit.

In Varronis quidem illis reliquiis, qui primus inter Romanos ἀνθινοῖς τὴν φιλοσοφίαν induit, non ita ἀνθινά illa nobis quidem obfulgent, quam severus Philosophiae vultus: festiva inrisio et levis Iocus Leporesque in duobus Laberi mimis videntur lusisse, Lacu Averno nimirum et Necyomantia. Quibus, ut phlyacographorum in fabulis, mythos quosdam derisos esse facile crediderim. Quod deridendi genus imperatorum praesertim aevo procedente magis magisque increbrescebat (cf. Teuffeli Litt. Hist. § 8, 5). Frustulorum, quae ex uberrima illa (certe lascivissimorum) iocorum dape gustanda nobis relicta sunt, saporem priorem iam nulla produnt: nisi quod in fr. I necyomanteae de alicuius umbra evocata sermo esse possit, qui, 'dum diutius (apud inferos) retinetur', propinquorum familiariumque oblitus eos non agnoscat.

---

1) 'Si fas endo plagas caelestum ascendere' etc. fr. Epigr. 3 V.

2) Lacteus orbis (c. 16), quem beati incolunt, Pythagorae videtur cf. Porphyr. de antr. 28. Apte comparabitur Manilii I 756 (An fortes animae .. huc (in γαλαξίαν) migrant ex orbe) et locus, quem Bergkio debeo opp. II 708: lacteus circulus, quem alii dicunt animis heroum antiquorum refertum et merito resplendere Plac., Gloss. Mai coll. Vat. III 481. Cf. Bergk. l. l. 708 sq., Stob. I 378 W., Luc. encom. Dem. 50 τὰς εἰς οὐρανὸν ψυχαῖς νομιζομένας ὁδούς (quem locum Grimmius adtulit Germ. Myth.[4] Addit. p. 106) et Lobeck. Agl. p. 935 sq. Ex populi superstitionibus Pythagorei adsumpsisse videntur opinionem. Nam et aliae multae gentes cum animis γαλαξίαν coniunxere: Tylor l. l. 353 sqq., Grimm Myth. I[4] 295 sq. Sphaerarum concentum (c. 18) Pythagorae esse pueri sciunt. Item de luna illud, quae mortalia ab aeternis discriminat (c. 17 f.), Pythagoreorum est cf. Exc. II. Terram in medio mundo positam Plato docuit e. g. Phaedon. 108 E. — Cf. Useneri iudicium Mus. Rhen. XXVIII 397. — Ex Academico fonte haec omnia fluxisse videntur.

Iam summum, quod ut Homerus longe soles suos radiavit, Romanorum de inferis carmen Vergilii necyia tractanda erit. Quae ut est 'doctrina altiore et sententiis referta' (Servius in Aen. VI prooemio), inter omnia fere Vergili carmina hac maxime sequens et praesertim medium quod dicitur aevum delectatum est, dum Dantius id, cuius semina quaedam in Vergilio contineri putabat, aeterno ore explicuit. Ac poetae quidem in his praecipuum esse decorem nemo negabit: summa enim cum moderatione ac prudentia tota res discripta est nec in terroribus, ut servum solet imitatorum pecus, nimius est. Et primum argumentum adumbremus, ita ut locos vel auctorum vel imitatorum, licet plerique conlecti sint (multi nondum, cf. W. Ribbeckii indicem cum meis), e nostro quidem penu infra adnotemus: hoc enim solo modo integra Vergilianae imitationis imago proponetur.

1. Patris imago somnianti [1]) Aeneae visa monet, ipsum in Elysio visat.

2. Oraculum Apollinis, qua ratione ad inferos venire liceat, pandit. Ramum aureum a dis adiutus (cf. columbas [2])) repperit.[3])

3. Descenditur per specum altum inferiis institutis.

4. Post Ditis numina advocata [4]) poeta pergit ad

---

1) Cf. Babylonium Nimrod de Elysii via somnio edoctum p. 257. — Cf. κ 490: *ἀλλ᾽ ἄλλην χρὴ πρῶτον ὁδὸν τελέσαι καὶ ἱκέσθαι εἰς Ἀΐδαο δόμους* = Aen. V 731: Ditis tamen ante Infernas accede domos. Mortuorum imagines apud Romanos primae apparent in Enni Annalibus: Homerus et Iliae visus Aeneas (fr. 34 V.); apud Vergilium praeterea Sychaeus et Creusa (Aen. I 353 et II 772 cl. Welckeri Ep. Cycl. II 270 adn. 65) mortui rediisse narrantur.

2) Aves duces saepius narrantur, e. g. Arr. Anab. III 3, 5 sq.; ubi vide Sinten. Ad infernam virginem duas aves volitando viam monstrare in Esthnica fabula est secundum Schwartzium *Indogerm. Volksgl.* p. 173 adn. 1. Fides penes auctorem erit.

3) Sacrificia = λ 30 sqq. Hecaten vocat (ut Iaso A. Rh. III 1211) atrasque hostias sacrificat: Nocti ovem, Proserpinae vaccam sterilem — ut Ulixes oves mactat, *στεῖραν βοῦν* Tiresiae se postea immolaturum esse vovet. Item ad Homeri exemplum Iaso *ἀρνίον τάμε λαιμόν* A. Rh. l. l. 1207. Mugiens solum, iuga trementia, canum ululatus Apollonio debentur l. l. cf. v. 1039.

4) Sen. H. f. 658 L.

5. ipsum iter depingendum: a) Lux maligna.[1]) b) Incidunt in primis faucibus Orci in malorum προσωποποιίας.[2]) Ulmus[3]) ibidem somniorum. c) Pervenit ad Acherontem, quem cumba caerulea[4]) Charo[5]) pervehitur, glauca ulva praetextum.

1) Dumque iter horrendum per opaca crepuscula carpit Ov. Met. XIV 122 (de eodem Aenea). Sen. H. f. 669: non caeca tenebris incipit primo via: tenuis relictae lucis.. nitor fulgorque dubius (Verg.: incertam 270) ... ludit aciem e. q. s. Apud Lucianum in Elysio est τὸ λυκαυγές, ἀλ. ἱστ. II 12).

2) Lusum posteriorum vocat Wilamowitzius Vergilii de monstris figmentum in Homer. Quaest. p. 140 adn. Sed quae illic disputavit, nescio an iniuria disputata sint. Etenim, nisi fallor, iam multo ante Vergilium in Orco positae sunt monstrorum umbrae, quod vel ex Ranarum loco conligi licet ex tragico poeta desumpto v. 473 sqq., ubi praeter Gorgonas Tithrasias Echidna, Argi Panoptae spolium, memoratur (473). Quid? etiam ille θηρίων δεινοτάτων τόπος v. 143. 278. (cum Empusa) nonne optime cum Vergilio congruit? Non magni momenti est, quod Vergilii locus extra flumen, intra est Aristophanis. Ex vulgi opinionibus (et mysteriorum fortasse?) persuasum mihi est poetam hoc sumpsisse. Nec video, cur Gorgo Homerica φάσμα, non umbra sit accipienda. Etiam Milchhoefer (*Anfänge der Kunst* 229 adn. 1) Vergilianum illud ex vulgo repetit. Num vero illa monstra praecipue Etruscorum in sculpturis (iam ante Vergilium) in Orco posita fuerint (Centauri saltem et Chimaera), ut arbitrantur Milchhoefer p. 229 et Elardus Meyer *Ghandarven u. Kentauren*, ego archaeologiae cum universae tum Etruscae vix mediocriter peritus non discepto.

3) Ulmum funestas inter arbores fuisse quod sciam disertis testimoniis firmari nequit: nisi quod circum Eetionis sepulcrum nymphae πτελέας ἐφύτευσαν Z 419 cf. *Reling u. Bohnhorst Unsere Pflanzen etc.* p. 43; vide Philostratum (Her. p. 140 Kays.), qui imitatur Homerum circa Protesilai tumulum ulmos mirae naturae conlocans; Leuca insula, Achillis sedes, λεύκαις et πτελέαις funestis arboribus fertur obsita ibd. p. 211 K. Sed ulmus, praesertim quam 'pendulam' vocant, fronde nigra Orco somniisque bene convenit.

4) Et cumbae color pingitur Alexandrinorum more minuta quaeque et in grandibus spectantium: licet iam Aeschylus μελαγκρόκον ναυστόλον θεωρίδα dixerit (Sept. 836), 'caerula' illud vere Alexandrinum est epitheton; conferas hos locos: Hermesianactem Ath. XIII 571 B: Χάρων κυανῆν ἕλκεται εἰς ἄκατον; Theocr. XVII 49: πάροιθ' ἐπὶ νᾶα κατελθεῖν κυανέαν; Propert. II 28, 39 sq. Baehr.: caerula ratis. Huc eodem facit quod et ulva glauca memoratur: iam Polygnotus ulvam in Acheronte pinxit Paus. X 28, 1; item poetae Alexandrini illi, qui verbis pinxerunt, Hermesian. l. l. δόνακας; Verg. Georg. IV 478: Cocyti deformis harundo (ex Alexan-

d) Inhumatorum iuxta flumen errat turba, qui Homericis versibus describuntur. Palinurus ad Elpenoris expressus exemplar mortem narrat.[1]) e) Charo ramo viso mitigatus[2]) ad ipsum Orcum Aeneam cum Sibylla transmittit. Aenean cumba umbrarum aegre sustinet.[3]) f) Cerberum offa medicata sopit sacerdos.[4])

---

drino); Prop. II 27, 13; Stat. Silv. V 283: alga; cf. Auson. Cupid. Cruc. 6. Item harundo glauca in Acheronte picta est in tabula Esquilina, qua Ulixis necyomantea repraesentatur (= Baumeister. tab. 939). Cf. et imagines, quas composuit Duhnius Diurn. Arch. 1885 p. 2 sqq. et Roscher s. v. Charon.

5) Charontis imago Etruscorum Charunti quaedam videtur debere, quo de cf. Ambrosch de Charonte Etrusco, Muelleri *Etrusker* II² 102 sq., Duhn. Diurn. Arch. 1885 p. 2, Roscheri Lex. s. v. Cf. etiam Dantium Inf. III 109 *con occhi di bragia;* 97 *lanose . . . occhi di fiamme;* quae apud Vergilium respondeant, vides.

1) Ad v. 310 cf. Dant. Inf. III 112. — Ut Elpenor tecto, navi Palinurus delapsus est, uterque somno captus. Per genitorem (*πρός τ' ἀλόχου καὶ πατρός* λ 67) et spes surgentis Iuli (*Τηλεμάχου κτλ.* 68) obsecrat Palinurus Aeneam, aut sepeliat ipsius ossa (λ 72 sqq.) aut secum trans fluvium traducat ipsum (hoc apte Vergilius de suo addidit).

2) Etiam illud: *nullae insidiae — limen* vv. 399 sqq. imitati sunt complures poetae: Ov. Met. X 21: non huc . . . descendi . . . uti villosa colubris Terna Medusaei vincirem guttura monstri; Stat. Theb. VIII 95: nam nec ad Herculeos . . . raptus: Nec Venerem inlicitam . . ausi Intramus Lethen: fugiat ne tristis in antrum Cerberus aut nostros timeat Proserpina currus; Dant. Inf. XII 90: *non è ladron nè io anima fuia* (Pro Dantio haec Vergilius loquitur, ut pro Aenea illa Aeneidis verba Sibylla).

3) Cumba, quae sub pondere Aeneae 'multam accepit paludem', vivi mortuorumque discrimen egregie pingit: ipsis rem oculis videris videre, corpus herois ingens et leves umbras. Rhetorice exornavit Seneca H. f. 775: cumba populorum capax Succubuit uni: sidit et gravior ratis etc. Decorem Vergilii crassis coloribus oblevit. Melius et ad Vergilii mentem Dantius re usus est Inf. VIII 28: *Tosto che il duca ed io nel legno fui, secando se ne va l'antica prora* (Phlegyae) *dell' acqua più che non suol con altrui.* Vivum et hic Dantium inter tenues umbras quasi oculis vides. Qui etiam aliis alibi artificiis suam vivi imaginem a mortuis eximie distinxit: velut inde quod montium labem solus pedibus movet, nondum mortuum eum esse Chiro sentit Inf. XII 29 sq. 80: *Siete voi accorti Che quel di retro move ciò ch' ei tocca?* In Purgatorio, ubi iam non nox inferna regnat, umbram solus faciens ab animis distat cf. de Plutarcho p. 324 adn. 3. Quod vivi poetae et defunctorum discrimen etiam Goethius significavit (*Auswaert. Litterat.* 1826 part. XXIX 611 sq. ed. Hemp.).

4) Cf. Apulei. Met. VI 18 cum Friedlaenderi Morum Hist. I⁵ 488 et

6. Orci variae sedes turbaeque describuntur: a) Infantium locum vagitu[1]) strepentem b) excipiunt[2]), qui falso damnati crimine mortis, cum Minoe. c) Qui manus sibi ipsi intulere, et[3]) in silva murtea amore perempti sequuntur.[4]) d) In ultimis arvis bello claros[5]) videt et prisci aevi et Troianae militiae socios armatos (Deiphobus). Via cum in duas se

---

501 s. f. Vide etiam Mercurium Lethaeo vimine 'ferrea lumina' Cerberi sopientem Stat. Theb. II 30. Dantius VI 26: *il duca mio .. prese la terra e .... la gittò dentro alle bramose canne* (di Cerbero). Cf. Schmidtii fabulas recentiorum Graec. p. 80sq.: ubi triceps draco, qui in antro (cf. Cerberi antrum e. g. Stat. Theb. VIII 97) habitat, item placatur terra in os iniecta.

1) Cf. Sil. XIII 549.

2) Iuxta videntur conlocati, quia nihil utrique peccarunt iustoque maturius periere (ut fere iam Heynius).

3) Hae turbae quomodo vel num omnino segregandae sint, ambigo.

4) Didonem animadverte (typum qui dicitur irascentis) ad Aiacis exemplar adumbratam λ 543. Redit hic typus in Statii Theb. IV 609, ubi minus exspectaveris: Laium dico, qui ad sanguinem non accedit 'immortale odium spirans'. — Quod ipsum se insontem Didonis morte Aeneas adfirmat culpa in deos conlata, Homeri est λ 559: *Ζεὺς οὐδέ τις ἄλλος αἴτιος*, quamquam iure maiore Aeneas illud (v. 461) dicit. Cf. *T* 86 (cl. 273 et *α* 33). Nescio, num animadversum sit Schillerum Homericos illos locos expressisse Mariae Stuart act. III, 4 (certe antiqua est sentiendi ratio): *Ich bin nicht schuldig, Ihr seid auch nicht schuldig; Ein böser Geist stieg aus dem Abgrund auf, Den Hass in unsern Herzen zu entzünden.* Imitatur Vergilii locum etiam Silius XIII 73: Diomedes Aeneae pacem ferens haec dicit: 'quicquid ad Idaeos Xanthum Simoentaque nobis .. sudatum .., haud nostrum est, egere dei duraeque sorores': cf. Vergil.: sed me iussa deum . . . egere 460. 463. Non temere etiam vocem illam Silium expressisse dico: nam vel minutias et ipsas praesertim minutias Silius exprimit imitando.

5) Qui multo minores quam in λ partes agunt. — Deiphobus dolo uxoris peremptus quodammodo Agamemnoni Homerico respondet (λ). Id quod tetigit iam Heynius ad l. — Quod Ribbeckius in v. 486 *frementes* cum P praefert (ed. min. cf. etiam adnot. crit. in ed. mai.), *frequentes* codicum M R repellit: adsentior, tamen non ob eam causam, quam Prolegg. 294 defendit: pulchrum, inquit, videtur Troianos etiam apud inferos visu Aeneae pugnae quodam studio exardescere cf. v. 489. 90. Immo vero quae subsequuntur censeo ostendere fremendi verbum de murmure positum esse laetantium et cupide undique quaeritantium. Cf. turbam sonantem Aen. VI 753 et de fremendo ibd. X 96 et XI 132 et Val. Fl. II 119.

partes findat, quarum altera ad Tartara itur, altera ad Elysium [1]), hanc incedunt. e) Tartari sequitur imago muris saepti [2]), Phlegethonte circumfusi: ad portam Tisiphone. Longe it clamor punitorum.[3]) Nam Rhadamanthus subigit peccatores fateri. 'Paradigmatum' continuatur, sed nobilis et rebus et forma, recensus.[4]) f) Ramo in regia Orci deposito in laeta

1) Cf. Prop. IV 7, 55: nam geminast sedes turpem sortita per amnem Turbaque diversa remigat omnis aqua: Unda Clytaemestrae stuprum vehit altera ..... Ecce coronato pars altera vecta phaselo etc. (Simile discrimen ap. V. Fl. I 832).

2) Ut Θ 13; Hes. Theog. 732.

3) De clamore damnatorum iam procul audito cf. p. 330 adn. 4. Dantius Inf. IV 26 in primum circulum intrans audit *di sospiri Che l'aura eterna facevan tremare.*

4) In peccatorum recensu de vv. 600 sqq., ad quem pertineant, vehementer disputatum est. Qui, si sana omnia sunt, ad Ixionem et Pirithoum necesse est referantur. Quod quibusdam non placuit. Ac potest quidem memoriae res defendi. Duo enim loci, quos iam praeceptos videbam, patroni vulgatae lectioni exsistere videntur: V. Fl. II 192 sqq. et Stat. Theb. I 712 sqq. Lemnias enim uxores cum viris, quos necaturae sunt, dicit accubare Valerius, ut 'adcubat attonitum Phlegyan et Thesea iuxta Tisiphone saevasque dapes et pocula libat (Tormenti genus) et nigris amplectitur hydris'. Quas signavi voces, apud Vergilium item occurrunt v. 605. 6; epulae v. 604 = dapes. 'Tormenti genus' ex Aen. VIII 487 sumpsit. Furia, inquit poeta, scelestis illis pocula praegustat dapesque famem eorum vexatura. Quod recte explicatum esse docet Statii ille locus: Megaera Ieiunum Phlegyan subter cava saxa iacentem Aeterno premit accubitu: dapibusque profanis Instimulat: sed mixta famem fastidia vincunt.' Hinc elucet famis poenam non solum Tantalo, sed etiam aliis illo tempore tributam esse et eos qui aliis eam tribuerunt in descriptione Vergiliano illo ancipitis interpretationis loco usos esse. Ac Pirithoi et Ixionis cupiditatem eius modi poena apte vindicari dixeris, cui Vergilius doctissimus poeta etiam saxi poenam addere potuerit. Ex Servio quidem redargui ista non possunt. Qui etsi Tantali fabulam ad locum quode agimus adscripsit (quae propter similitudinem ab eius auctore comparata esse potuit), tamen eundem locum in v. 616 scholio refert ad Ixionem. Sed poena apud Verg. et illos non eadem est. Hoc enim interest, quod apud illos Furia eorum ieiunia ad foedissimas dapes etiam invitat, apud hunc a splendidissimis ferculis arcet. Quare cum splendidae illae dapes cum saxo iunctae Tantalum paene videantur monstrare, deinde semper tenendum sit (ac praecipue in sexto: cf. de eo Jul. Hyginum) in opere

loca deveniunt suo sole inlustria, Eridano irrigata.[1]) Qui de aliqua re meriti purique sunt, vates, sacerdotes, inventores ibi congregati sunt: nivea omnes (innocentiae signo) vitta sunt cincti. Suum quisque, quod vivum delectavit, munus exercet. g) Patrem videt.[2]) h) Filio Anchises Lethen[3]) cum futuris ostendit. i) Ingenioso iactu adnexuit poeta recensum gentis Aeneadum (intertexto nobili Marcelli episodio). k) Per Somniorum portam[4]) elephanto insignem discedit.[5])

---

non perfecto nos versari, nescio an ad Tantalum haec liceat referri sive lacuna posita 'quos super' mutabis cum Ribbeckio in 'quo super' (est in R) sive ad calcem v. 599 adicies 'et' Madvigianum. — Phlegyas (quem ceterum et apud Indos indagavere [Bhṛgu]!), ut Ixio Pindaricus in velocivola rota aeria iubet *τὸν εὐεργέταν ἀμοιβαῖς . . ἐποιχομένους τίνεσθαι* (Pyth. II 24), miserrimus admonet: discite iustitiam etc. (Procul tenendus est Dantius Par. XVIII 91.)

1) Pindari haud ambigua imitatio in nonnullis cognoscitur, scil. fr. Thren. 129. 30: *τοῖσι λάμπει μὲν μένος ἀελίου* (coll. Ol. II 61 sq. = solem suum v. 641 Verg.) *καὶ τοὶ μὲν ἵπποις γυμνασίοις τε* (pars in gramineis exercent membra palaestris et seq. 642), *τοὶ δὲ φορμίγγεσσι τέρπονται* (pars pedibus plaudunt choreas et carmina dicunt). — Vireta beatis tributa pratorum monent, in quibus initiati versari putabantur, cf. e. g. Axiochi 371 D: *παντοῖοι λειμῶνες ἄνθεσι ποικίλοις ἐαριζόμενοι*; Ar. Ran. 326. Etiam in Germanorum fabulis ad vireta decedunt boni: Grimm. Mythol. II[4] 686: praes. cf.: *swer im selber den tôt tuot, den geriuwet diu vart und ist im ouch verspart diu wise, an der Blancheflûr spilt mit andern genuogen, die sih niht ersluogen* (ex *Flore* carmine). Cf. Simrock Mythol. Enchir. p. 175 et Mannhardtii *German. Mythen* p. 444 sqq. — Vide etiam Dantium paganorum Elysium adumbrantem Inf. IV: vireta manserunt (111. 118 *prato di fresca verdura*); purpureus sol factus est *un foco ch' emisperio di tenebre vincia* (68, cf. 103. 116 *loco luminoso*), Eridanus *un bel fiumicello* (108). Nec beati sunt incolae: *sembianza avevan nè trista nè lieta* (84).

2) = Anticlea λ 152 sqq. Frustra ter amplectitur simulacrum (cf. Patroclus Ψ 99, Anticlea λ 206. 7).

3) Cf. Plato rep. 621 A. Ad v. 748 vide Platonem ibd. 615 A: *εἶναι δὲ τὴν πορείαν χιλιέτη*; Phaedr. 248 E.

4) Quamquam singulare est figmentum portarum, quarum veris umbris (nimirum somnio apparentibus) altera patet, altera somniis falsis (i. e. eis quae sub foliis haerent v. 283?), minime tamen videtur, quod vv. 893–96 simpliciter eiciamus et mutemus v. 898 cum Nauckio satis

Aeneae quidem Descensum unde sumpserit poeta, quaerentibus prima eius initia in ipso mytho indagare licet. Mythum enim procul dubio secutus Naevius heroem pinxerat Cumis Sibyllam consulentem. Cui quae Naevius dedit, sive foliis istis sive voce sola indicata, legere videmur apud Vergilium inde ab II 441 Heleni divino ori tributa: *tibi Italiae populus venturaeque bella Et quo quemque modo fugiasque ferasque laborem, expediet.* Quae promissa nescio an in sexto quidem (83 sqq.) non

---

sobrio poetae iudice in *Mélanges Gréco-Rom.* III 89 sqq. Iam Statius ad versus adludit Silv. V 3, 288: inde (ex Orco) tamen venias (o pater) melior, qua porta malignum cornea vincit ebur, somnique in imagine monstra, quae solitus.

5) Non parvae voluptatis est inter se comparare Vergilii carmen et, qui (ad Gallicum exemplar, Prolegg. Behagheli CXLII sqq.) hoc expressit, poetae Henrici de Veldekin descriptionem (*Eneit* 586 sqq.). Anchisae iussu cum Sibylla degressus heros ad flumen venit flammis undans, iuxta quod nudae, nive glacieque et ab dracontibus leonibus aliis bestiis vexatae, currunt animae *die vor menegen jâren somige wâren dare komen, den dat leven war benomen von her selves skulden end dâ dolen solden nôt ende arbeit, went es den meister dochte tît, dat man sî fûrde over die floet* 2987. Hi Vergilii sunt insepulti! *Cârô* Phlegethontem nigra rate navigans diabolus factus est unguibus acutis terribilis: conto (*skaltboum*) verberat animas. Transmissus Aeneas (magnopere veritus, ne cumba mergatur) animas ex fluvio, cui *Oblivió* nomen est, videt potantes. Ferrum vagina eripere, item ac Vergilianus Aeneas, iubetur a vate (Aen. VI 260), sed ut gladii luce tenebras dissipet (*lochte dir dâ mede* 3187 cf. Behaghel. ad v. in crit. append.)! Cerberum ad Inferni portas positum magicis verbis sopit Sibylla. Per portam ingressi infantes conspiciunt (3281 *nacket ende blôt*), dein *die da tôt wâren van minnen* (3295), denique eos qui mortui erant *dorch ridderskap*: propinquos cum viderit, pudet Aeneam (3331), quod eos deseruit (pulchrum). Tartarum spectat (*eine grôte borch . . . mûre was îserîn ende gloede van fûre*: *Flêgetôn dar ombe flôz*, 3355 sqq.). Lamentis auditis Sibyllam sciscitatur, quae poenas depingit. In trivio deinde ramum (quem e solo! traxerat) infigit, ut reverso signum sit (*dat he sich dâ bekende, als he weder wende*)! In laeta loca intrat frustraque patrem osculatur (3605). Ad fluvium purum (gemmis alveus ornatus) futuram gentem futurasque urbes ostendit Anchises. — Aeneas in istis misellam personam agit quodcumque monstrum pavens. Et ut gladiatores duo (Shakespearius ait) Christiana et pagana opiniones ubique se verberant.

plane facta videantur (Anchises illud pro Sibylla docet cf. VI 890 sqq.). Iam Naevius Cimmeriam suam Sibyllam appellaverat (fr. 19 B.), utpote quae necyomantei celeberrimi esset sacerdos illius, quod Ulixem visisse dicebant Graecorum auctores gravissimi[1]) quodque Naevio Campano notissimum non esse non potuit. Pronum ergo erat hinc Descensum nectere.

In re exornanda quos imitatus sit, ad singulos plerumque locos dictum est: Homerum Apollonium Pindarum in primis adhibuit. Philosophica in parte Platonicis et Stoicis usus est sententiis. Quarum alteras a populi ingenio non alienas fuisse notum est; Lethe vero Platonica ad necyiae et carminis omnino consilium ei opus erat (vide infra).[2]) — Quod diversorum philosophorum conflavit opiniones, nemo cavilletur: carminis gratia oportebat; quid disciplinam curabit poeta? Falsi

---

1) Iam in Hesiodeis carminibus Ulixes errans in Italiam pervenerat: cf. Eratosthenes Strab. p. 23 C., [Theog. 1013 Rz.], de Catalogis Kirchhoff *Die Odyssee* p. 318 sq. et Wilamowitz *Hom. Unters.* p. 169. Fortasse ad Avernum Ulixem duxerant Aeschylus in *Ψυχαγωγοῖς* (cf. Fritzschium ad Ar. Ran. 1266) et Sophocles in *Νίπτροις* (fr. inc. 682). Deinde videas praesertim Strab. 244 C. et Lycophr. 695 sqq. (e Timaeo?) Cf. etiam schol. A. Rh. *Γ* 41, Philetam apud Parthen. II, Nitzschii ad Odyss. ad Odysseam Adn. III p. XXXIII sq.

2) Aliquid simile est, quod ex Romanorum opinione genii i. e. defunctorum animae hominibus nascentibus (a Mania?, quae est mater aviave ⟨manium⟩ secundum Festum) ex Orco remitti videntur cf. Mueller *Etrusker* II² 94 et 105 et Preller Myth. Rom. I³ 78 et 84. — Stoicos aperte sapit illud v. 730 sqq. (cf. Zeller. III 1, 195; Cic. N. D. III 14, 36: nil esse animum nisi ignem; etiam cum Enn. Epich. fr. 5 V. 'vigor igneus' Vergili consentit cf. Zeller III³ 2, 84 adn. 2) et etiam ea quae antecedunt (*νοῦς* Stoicus est *εἰς ἅπαν τοῦ κόσμου μέρος διήκων* D. L. VII 138 cf. Zeller. Hist. Philos. III 1, 138 sqq.). Etiam plura in philosopha hac parte Stoicis deberi voluit Hirzelius *Untersuchungen z. Ciceros philos. Schriften* II 1 p. 25 adn. 1. Etenim Vergilii versuum inde a 679 argumentum ex Zenonis republica contendit desumptum esse, hanc enim, quam contra Platonis librum cognominem scriptam statuit, ut illum, mytho, etiam ad Platonici exemplar composito, conclusam fuisse: quo mytho Stoicorum eum doctrinas cum vulgaribus conflavisse. Quod vel propterea probabile ducit, quod istum librum traditur Zeno scripsisse *ἐπὶ τῆς τοῦ κυνὸς οὐρᾶς*. — Duae sunt res, quibus Hirzelius in primis

profecto sunt, qui Vergili omnino in carminibus certae philosophiae rationes indignentur non inveniri (Falsissime m. q. s. Teuffel. Litt. Hist. § 225, 6). Suam philosophiam habet ut poeta.

---

nititur. Primum (ait) Vergilius inferior ingenio iudicandus est, quam ut ipse ex philosophis et vulgi opinionibus tam grandem imaginem contexuerit. Quod nego. Aliud enim est invenire (quod Vergilio non ita contigit), aliud scite eligere electisque apte uti. Eligere autem omnium quoscumque novi Romanorum et antiquorum paene omnino poetarum optime scivit Vergilius. Ac Stoicas doctrinas quod intexuit, non mirabitur qui meminerit etiam alibi eas poetam intexuisse (Georg. IV 219). Nescio omnino, num Epicureus Vergilius ista scripserit. Notissimum enim sane est Sironis eum iuvenem disciplina usum esse; sed praeter locum iuvenilis carminis bucolicorum (VI 31 sqq.) minime Epicureus videtur poeta. Sed Stoica doctrina inest posterioribus poematis cf. Georg. l. l. et necyiae locum. Quid? inde non pronum est putare postea Vergilium se magis Stoicae adplicasse disciplinae? Nec mirum quod Letham ex Platone adsumpsit, nam et poeticam vim non exiguam illa fabula habet et vel maxime ad consilium Vergilio tali fabula opus erat (vide infra). 'At (ut ad alterum transeam argumentum) Zenonem Vergilio similem finxisse mythum probabile est: Zeno enim solus fortasse Stoicorum piorum animas non in aëriis campis (cf. p. 375 adn. 1), sed in Orci templis conlocavisse traditur (Lact. Inst. VII 7).' Unde sequitur ad populi religiones eum accommodavisse doctrinam: ex mytho istud sumptum esse, ne dicam mytho Vergilio simili, non sequitur. 'At sunt tamen in ipso Vergilio, ex quibus Stoicum mythum exemplar fuisse suspiceris.' Inspiciamus. Imprudentes animas a sapientibus post mortem erudiri Stoici docebant teste Tertulliano de an. 54. 'Unde Anchisae sermonem ad talis apud Zenonem orationis exemplum fictum esse facilis est coniectura.' Estne? Omitto quod istam Stoicorum opinionem num et Zeno professus sit, ne constat quidem: nam ad eos Stoicorum Tertulliani verba pertinent, qui 'sapientes sub lunam relegavere, imprudentes prostraverunt circa terram'; quod Zeno non fecit (cf. supra). Sed eius modi de rerum principiis poenisque orationem inserere nonne poetae satis pronum fuisse censes? Cf. etiam p. 359 adn. 1. In poenarum deinde ratione (inde a 735) inveniri, quae Stoicos monstrent, concedendum est conlato Lact. Inst. VII 20: ex Zenone num ista fluxerint, nemo scit. Sunt autem quaedam voces Vergilio et Lactantio communes: Lact. l. l. ineluibilem trahunt fucum labemque terrenam . . et Verg. 744. 47 infectum eluitur scelus . . concreta labes; Lact.: quae (labes) cum temporis diuturnitate penitus inhaeserit

Iam quae ipse invenerit, percenseamus.

Nova est singulorum locorum et turbarum diligens discriptio[1]) — ut accuratissima omnino est compositio, arte et consilio adumbrata, arte quidem Homero superior; nova

et Verg. 737 sq.: penitusque necesse est multa diu concreta modis inolescere miris. Unde fortasse concludendum opineris ex Varrone ista ab utroque sumpta esse (quem sane Zenone et ipsum uti potuisse concedo). At incertissimum est. Facilius inde istas similitudines explicem, quod Vergilii versuum memor Lactantius haec scripserit. Videtur autem non nullius momenti esse cum Lactantio poetam non conspirare in hac re, quod quemque fecit manes suos patientem: nam Stoicorum ap. Lact. de poenis doctrina ad 'impios' pertinet, quorum fucus ineluibilis est. Ad Vergili opinionem melius quadrat Seneca ad Marciam 23: 'antequam obducerent et altius terrena conciperent, liberati leviores ad originem suam revolant (animi ab humana conversatione cito dimissi) et facilius quicquid est illud obsoleti illitique eluunt', cf. 25: 'paulum dum expurgatur et inhaerentia vitia situmque omnis mortalis aevi excutit'. Zenonem talia docuisse non proditur certe. — Denique Letham ex Zenonis republica sumptam esse, qui Platonis imagine usus videatur, verisimile putant — haec enim Hirzelii ni fallor mens est. At primum eius modi doctrinam apud Stoicos viguisse equidem ignoro (Sen. ep. 36, 10 afferre possis: sed aliter interpretatus est Zeller III^3 1 204 adn. 5 cf. etiam ibd. p. 155 adn. 1 s. f.). Deinde num Zenonis interfuerit illud fingere, nescimus: satis contra profecto erat, cur Vergilius Letham iuduceret: in qua nepotum recensus nititur cf. p. 360. Cur re certa missa incertiora optemus? Facile ergo credes ex Platone, quem poeta doctissimus optime novit, eum illud sumpsisse. Zenonis igitur in honorem imminui Vergilium non patior.

1) Incertissima et tenuissima Orcum eiusque turbas discernendi initia apud Hesiodum (Theog. 746—806) et Aristophanem (Ran. 141 post *λίμνην οφεις καὶ θηρία.. εἶτα βόρβορος πολὺς καὶ σκῶρ* (145) *ἐντεῦθεν* (154) .. *ὄψει φῶς κάλλιστον*) habes. Vergilius primus locorum accuratam et perspicuam imaginem adumbravit. Gradatio egregia haec est: Homerica poesis simplicissime in viros et feminas dispertit defunctos, Elysium et Tartarum ex deorum arbitrio, non ex animi virtutibus, certis quibusdam tributa fingit; Vergilii totus Orcus secundum peccata tripertitus est, medius ille inter Elysium et Tartarum locus secundum vitae genera descriptus vel adumbratus; Dantii ad amussim accurate concepta est trium illorum regnorum dispositio, quae tota pendet a vitiorum virtutumque discriminibus! Simplicitas apud Homerum, ratio optima in Vergilio, animi altitudo ingens cum ratione iuncta in Dantiano carmine. — Cf. et p. 334.

illa, quae aevum sola permovere potuit[1]), philosophicae doctrinae cum argumento artissima coniunctio. Poetae vero ars in eo perspicitur, quod non solum apte intexuit, quae omnes tum animo versarent, sed etiam ad carmen suum rerumque cursum magnum inde fructum cepit egregio illo nepotum recensu invento. Quod inventum quam ingeniosum fuerit, etiam summi post poetae imitationibus suis agnoverunt.[2]) Novam dein induxit virgam illam auream, quam ex antiquis populi superstitionibus videtur sumpsisse[3]) — nec profecto temere, sed Aeneae, si per se spectas nimis audax facinus, deorum sic adsensu ut iustum disque gratum sancitur; quod ni fecisset, Aeneae praecipuam vim, quae est in pietate, imminuisset. Nova est offa illa, qua 'sepelitur somno' Cerberus, quam cum *μελιττούτῃ* illa ad placandum canem mortuis

---

1) Talia de summis rebus carminibus intermixta in deliciis poetae populusque habebant inde ab Euripide et Alexandrinis. Cf. Ap. Rhod. *A* 1494 *ὡς γαῖα κτλ.* (inter fr. Orph. (35) recenset Abel; iure?). Inter Romanos vide Enn. Annal. init. fr. 9 V.; Verg. Aen. I 740: Iopas (non recte versus intellegit Roscher *Selene* adn. 314); Georg. IV 219 (prudentia apum ansam praebuit); Sil. It. XI 456: Teuthrantis carmen; Stat. Theb. VI 360: ipse Apollo coram Musis de rerum natura canit; Claud. Rapt. Pros. I 245: originem mundi acu pingit Proserpina (cf. Orph. fr. 211 Abel.), stellas auro accendit, flumina purpurea fundit etc. (unde cum Ditis domus postremo acu pingat, aptissime et tenerrime ad argumentum poeta transitum parat); denique cf. Propertium, qui et in elegiam talia intexuit III 5, 23.

2) Cf. Heynii ad Aen. VI Exc. XIV.

3) Ad mythum, eis qui tum legebant notum (mysteriorum?), verba 'longo post tempore visum' (v. 409) spectare patet; ad quemnam, me latet. — In fabulis popularibus per flores ad occulta aditum patefieri saepius narratur, id quod ex eis etiam quae Schwartzius conlegit (*Indogerm. Volksglaube* p. 71 sqq.), cuius ceterum rationem nili facio, satis constat (cf. praecipue p. 74 [de visco quae a Celtis 'arbos auri' dicitur; vix recte errorem poetae sumit Keck Ann. Fleck. CXVII 792 sqq.] et p. 78; quod secundum Sax. Gramm. p. 31 H. Suecorum regem Hading refert a muliercula fasciculi florum vernorum — cicutarum — ope ad inferos deduci, temere refert; cf. locum). Vide etiam Mannhardtii *Germanische Mythen* p. 153.

data ratione artiore teneri iam Heynius animadvertit.[1]) — Ab Homeri exemplo in multis et praecipuis rebus Vergilium recedere consentaneum erat: prorsus alia est inferorum imago; forma eadem fere est, sed 'spiritus' qui 'intus alit' diversissimus. In primis respicias mortuos sanguine non potato cum vivo conloquentes, armatas vulneraque gerentes umbras, Elysii formam etc.

Consilium multiplex erat. Aeneas enim pietate magis etiam admirandus apparuit, qui eo paterni amoris processit, ut inferos non tremeret patris visendi ergo. Item virtute maior exsistit (ut Ulixes); tum gloria gentis in nepotum animis visa reparat vires vigoremque et victoriae fiduciam (ut Ulixes Tiresiae vaticinio firmatur ad labores instantes sustinendos). In hoc enim cardo causaque vertitur illius partis et totius necyiae: incenditque animum famae venientis amore 889 cl. V 737. Etiam Augusti Romanorumque causa, quibus Iliadem et Odysseam scripsit, quivis videt haec inserta esse; Augusto tamen adsentandi consilium in primis causis numerandum esse cras — ac ne cras quidem — credam. Denique suam quoque de inferis persuasionem poetam voluisse exprimere aequalesque istorum secretorum monere facile putaverim.

Quid mirum, quod λαμπάδιον ὥσπερ κατασείσαντος multi sequentium poetarum egregium artis illud exemplum suis poematis exprimebant — usque ad Dantium, qui primus par ei fere ingenio ita imitatus est, ut novis quas addidit rebus imitationem plane obduxerit?

Ac primum de Culice poemate corpori Vergiliano adnexo dicendum est. De quo quid sentiam, libere profiteri non opus erit. Etenim inferorum quae in Culice est descriptio quin a Vergilio aliena sit, vix dubium est. Pastori enim culicis, cuius beneficio salvus manserat, ab ipso interfecti effigies somnianti se ostendit — non ita sepulturam flagitatura, quam Cimmerios lucos lucis egentes descriptura: peccatorum recensum (ad fastidium

---

1) Schol. Ar. Lys. 601 et Hermanni Antiq. Priv.[3] 368 adn. 3 (ad Philostrati loc. cf. Luc. Dial. Mort. III 2 μᾶζα).

singuli terrores picti), heroinarum catalogum[1]), summo dein ardore et multo orationis flumine cultissima bestiola decantat Troici belli heroas — ut paene magis culicis interesse videatur illorum condicionem sciscitari quam in Vergilii sexto Aeneae, Romani denique populi rhetorumque celeberrima exempla.[2]) Tandem discedit, ut 'Phlegethontem patiatur'. — Alexandrinum fuisse Culicis exemplar — sive imitamentum Maroniani sive ipsius Vergili Culicem putabis aliena manu inquinatum — cum aliunde tum argumento ludibundo probabile fit (cf. etiam finem 397—414). Quo parodia quadam tenera suavique lepore parvi culicis tristem sortem descriptam fuisse censeo. Cuius leporis et in nostro culice vestigia apparent. In hoc exemplari vel in Maronis Culice num inferorum sedes descriptae fuerint, ignoramus (apud Donatum nil extat); si quidem erant, magnum haud dubie distabat descriptio ab eis, quales nunc extant, narrationis ambagibus, quae aperte rhetorum scholam sapiunt. Consilium, quo necyia intertexta est, nimirum ut pastor culicis miseriis motus bestiolam sepeliat, bene per se habet; sed prorsus nunc quidem videtur oblitum. Primum enim, cum 'praeda Charonis' iam 'agatur', cur sepultura egeat animal, non intellegitur nec nisi tangendo res memoratur (223 sqq. 379), dein quo paene gaudio Troianos et Graecos viros fortes pingit, eo misericordiam minime movet.

Iam quem Vergilius primum nanctus est imitatorem, Ovidius (Met. IV 431 sqq.) adumbratum breviter a parcissimo poeta Iunonis ad Acherontem cursum Aen. VII 263 largius explanavit (alia sane est res, sed idem Iunonis consilium) Vergilii in sexto coloribus procul dubio usus: per silvas iter est[3]), ut Aen. VI 271. Nec ea, quae 'pars umbrarum celebrant anti-

1) Cf. p. 363 adn. 3.

2) In plerisque Vergilii exemplar cognosci ipse vides, singula taedet enumerare.

3) Funestas primus posuit taxi arbores; ac nescio an hinc Vergilii ulmus illa 'opaca ingens' (VI 282) a Seneca et Silio (ad quos vide nos) in taxum immutata sit; quamquam non tantae molis erat hoc ipsum effingere. Cf. p. 374 adn. 2.

quae imitamina vitae' (Ovid. 445), prodere eundem Vergilium negabis, qui l. l. 653 (licet de Elysio): quae gratia, inquit, currum armorumque fuit vivis . . eadem sequitur tellure repostos. Ut in VI Tisiphone ante portam adamantinam, sedent apud Ovidium 'carceris ante fores clausas adamante' Eumenides (453). Paradigmatum catalogum ex rhetorum fabrica fluxisse vides. Tamen quia istis ita utitur, ut cum Iunonis consilio scite conectat (465 sqq.), bene inseruisse indicandus est. Et quae omnino Nasonis insignis est virtus, pingendi artem nec in his desideres: urbem cum foro et regia proponit aditus innumeros pandentem. De Orphei autem carmine, quia notioni Descensus nil eo novi adicitur, hoc loco agere supersedemus.[1]) — Sed omnino ab Ovidii indole grande illud argumentum magis erat alienum, quae teneris maxime rebus tenere depingendis delectata est: qua de causa etiam psittaci illud Elysium, piarum volucrum sedem, obscaenarum expertem, large et feliciter pinxit (Amor. II 6, 50), ac quae item ad Orcum pertinet, Somni regiam illam lepide ludens adumbravit 'prope Cimmerios' sitam, nebulis obrutam et crepusculis tantum dubiae lucis inlustrem (cf. Aen. VI 270), adlutam Lethe fluvio, herbis soporiferis cinctam Somnumque ipsum cum 'vanorum somniorum' (somnia vana Aen. VI 284) grege torpentem.[2])

Iam reliquos Vergilii imitatores paululum differamus tractandos et intra hoc Vergilii aevum nos contineamus: nam sequentis saeculi poesis satis ab eo differt et peculiaris indolis est.

---

1) Cf. p. 316 adn. 6.

2) Met. XI 592 sqq. Quam descriptionem consentire cum Statio X 84 sqq. ex parte iam exsecutus est Deipser Diss. Arg. V 169 sqq. Confer etiam 'dubiae crepuscula lucis' (Ov. l. l. 596) et 'tenuis nitor' (Stat. l. l. 115); deiu Somnum apud utrumque aegre percipientem iussa Iunonis et Iridem graviorem excedentem Stat. 135; Ov. 629 sq. Utrobique προσωποποιΐαι, apud Ov. somniorum (cum Phantaso cf. satrapam insulae somniorum Phantasionem ap. Luc. ἀλ. ἱστ. II 33, cuius collega Taraxio Phobetori (Ov. 640) respondet), apud illum Quietis aliarumque rerum. Cf. etiam p. 341 adn. 2. Fontem eorum non novi.

Invenimus autem duo Descensuum genera, quae apud Graecos item extabant, primum integra in huius aevi carminibus. Ac lyricos apud et elegorum poetas illius Descensus invenis exempla, quem aperte fingit fictumque confitetur poeta (cf. p. 305): quod genus illis inprimis poetis aptum esse apparet. Sic enim Horatius modo a morte salvus infernas Elysiasque sedes cum vatibus celebrat illic quoque corda, vel monstrorum, moventibus [1], inter quorum sanctam turbam iam deventurus fuerat (Carm. II 13). Sic Tibullus coloribus ex aurei saeculi laudibus depromptis suum, quo Venere ducente [2]) mox se putabat venturum, Elysium amantium plenum (I 3 57), sic pinxit lepide Propertius, ut etiam trans Lethen spretis heroinis fidem puellae servaturus esset (I 19). Qui idem Cynthiae ex manibus reduci egregiam de Elysiis sedibus orationem [3]) tribuit, quaė popularium e mysteriorum memoria

1) Confert Kiesslingius, qui omnino inspiciendus erit, Simon. fr. 184. Vates canentes apud inferos vide p. 339 adn. 3.

2) Cf. Venerem filium inter deos ducentem Ov. Met. XIV 605 sqq.; Thetidem Achillem Pind. Ol. II 79; Minervam [Diomedem Pind. Nem. X 7 et] Herculem in solio Amyclaeo Paus. III 18, 11, alia.

3) Cum heroinarum nobilissimis (Andromeda et Hypermestra) in Elysio degit. Id quod saepius de feminis defunctis praedicant poetae. Sic Stat. Silv. V 1 255 iubet Proserpina veteres heroidas Priscillam salutandi causa lumine purpureo tristes laxare tenebras sqq. Sil. It. XIII 632 Pomponia moratur, ubi Alcidae genetrix, ubi sacro munere Leda. In Regillae Herodis Attici uxoris carmine sepulcrali (epigr. 1046 Kaib.) est: *αὐτὴ δὲ (Ῥηγίλλη) μεθ' ἡρῴνῃσι νέκασται ἐν μακάρων νήσοισιν κτλ.* (v. 8 sq.). Cf. et Philostr. Her. p. 143 Kays.: *Λαοδάμειαν* (dicit Protesilaus) *εὐδοκιμώτατα γυναικῶν πράττειν ἀριθμουμένην, ἐν αἷς Ἄλκηστίς τε .. καὶ Εὐάδνη .. καὶ αἱ ταύταις ἴσαι.* Vide Weil. ad Choeph. 355 (*πάρεδρος* Persephonae Alcestis). In Goethii *Euphrosyne* elegia cognominis tragoeda cum heroinis poetarum arte, inprimis tragicorum, celebratis in Orco sermones serere dicitur. — Atque defunctis omnino haud infrequenter celeberrimorum hominum tribuitur consuetudo et sermo. Quae voluptas etiam Socrati videbatur pulcherrima Plat. Apol. 41 AB. Seneca Marciam consolatur (c. 25): 'ad excelsa sublatus (filius tuus) inter felices currit animas Scipiones Catonesque' e. q. s. Statius Silv. V 3 284: 'Ite pii manes Graiumque examina vatum Illustremque animam (patris Statii) Lethaeis spargite sertis' etc. (cf. II 1 194 sq.: Blaesus inter Ausonios pro-

videtur profecta[1]) (V 7, 55 sqq.). — Etiam derisoriae, ut brevi nomine comprendam, catabasis prima, quam quidem absolutam integramque tenemus, imitatio huius temporis est: Horatii dico Serm. II 5. Ulixem enim, quem in omni Descensuum poeseos genere adhibitum constat[2]), descendentium paene omnium parentem fingit Horatius post Homericas istas vaticinationes (λ 98—138) quaerentem e Tiresia, quanam ratione rem perditam reparet: atque abunde ab eo de hereditates captandi arte edocetur. Somniati sunt multi multa, utrum Horatius Menippum eiusque *νέκυιαν* expresserit necne, rixantes. Quoniam autem et Luciani necyomantea Cynicum multo apertius sapit, quam probabile est ad Menippi exemplar compositam esse, Horatiano autem carmini nil cum eo est commune nec, quo Cynicum exemplum statuere cogamur, praeterea quicquam inest: concedamus Horatio argumentum ita quidem, ut Descensus forma ad iocandum utendi consilium ceperit Menippi aliorumque id genus scriptorum memor. Quam autem apta illa forma ad cuiusvis modi cavillationem esset, reputanti facile liquere necesse erat. Accuratiore sane stilo illa loca infera supersedit describere: voluit enim Orcum tenerum velut amictum suis

---

ceres seriemque Quirini). Apud Hyperidem in *Ἐπιταφίῳ* Troici belli heroes. Miltiades Themistocles, omnes omnino, quicumque patriam iuvere, dicuntur laeti *δεξιώσασθαι* bello Lamiaco peremptos (c. XII sqq.; cf. etiam *H. Meuss die Vorstellungen vom Dasein nach dem Tode bei den attischen Rednern* Ann. Fleck. CXXXIX 812 sq.).

1) Elysias rosas v. 60 = Pind. fr. 129 Bgk., quod saepe laudavi: *φοινικορόδοις ἐνὶ λειμώνεσσι*; Luc. *ἀλ. ἱστ.* 6 *ῥοδίνοις στεφάνοις*. Qua numerosa fides etc. = Pind. l. l. *φορμίγγεσσι τέρπονται*; coll. Luc. l. l. 15.

2) Apud inferos post Homerum Ulixes obvius est in Aeschyli *Ψυχαγωγοῖς*, [in Achaei Aethone?], in Sopatri fortasse Necyia; uberior Homericae necyomanteae narratio fuisse videtur in Sophoclis et Pacuvii *Νίπτροις* (cf. Soph. fr. 682 N.[2] coll. fr. 419) et in Philetae Mercurio (fr. 2 Bach.), est in Lycophrone 695 sqq. Etiam saltationibus Ulixes degressus videtur repraesentatus secundum Luc. de Salt. 46. Nec Plato Ulixem praetermissum in sua necyia voluit rep. X 619: ut apud hunc modestissimus omnium apparet, Horatii temporibus virtutis exemplar idem a Stoicis praedicatus est (una cum Hercule, cf. Zeller III 1[3] 269. 335 et Hirzelii Quaest. Cic. II 875 adn. 2), a quo exemplari lepide discrepat Horatianus Ulixes.

praeceptis iniectum, quae, ne aliis rebus imminuerentur, adumbravit ista magis quam pinxit.

Adnectere liceat ultimam quam quidem Romanorum novi satiricam κατάβασιν, Senecae q. d. Apocolocyntosin. In qua [1]) Claudius postquam a deorum Talthybio ad inferos ex Olympo tractus est, a manibus eorum, quos duci iusserat, de adventu per Narcissum edoctis ad ius rapitur, ad Aeaci tribunal, qui lege Cornelia quae est de sicariis quaerebat. [2]) Aeacus accusante Pedone, advocati munere fungente Petronio damnat Claudium altera tantum, ut is solebat (cf. naeniae v. 22), parte audita. De supplicii genere dubitantibus [3]) novum in mentem venit: alea ludere pertuso fritillo instar poenae cogitur. C. Caesar eum, quem plagis vivus saepe vexarat, servum acceptum Aeaco, 'hic Menandro liberto tradidit, ut a cognitionibus esset'. [4]) In eis quae sequebantur nunc deperditis num Claudius cucurbitam induerit, ut divites apud Lucianum, qui Cynicum sequitur, asini fiunt Menipp. 20, ut Claudianus Senecae in Rufino (cf. p. 387) imitator bestiis damnatos suos induit (in Ruf. II 483) — nescimus. [5]) Quemnam secutus sit Seneca in

1) Qui initio positus est, Parcarum et Mercurii sermo lepidissimus Luciani *Κατάπλουν* revocat, ubi item cum Mercurio Clotho verba serit. In Orco vero eos, ut illic, conloqui vel propter Phoebum Neronis stamina laudantem vix credes. Fortasse certum huius conloquii locum sibi omnino non finxit poeta. Ceterum quidem illo Senecae tempore Parcas a Romanis in Orcum relegatas probant Lucan. III 18 et Stat. Silv. V 1, 269; Theb. VIII 26. (Item in Orco habes Parcas in sarcophago Ostiensi ap. Gerhardum *Antike Bildwerke* I 28.)

2) Expressit ni fallor Claudianus in Rufin. II 458, ubi Rufinum lacus infernos adeuntem item umbrae ab ipso peremptorum ad ius rapiunt. Simillimum est Clarencii egregium somnium apud Shakesp. Ricardo III (act. I 4).

3) Cf. p. 371 adn. 4.

4) Simile quoddam in mentem venit Guenthero nostrati, qui in satirarum alterius libri prima de homine sibi inviso, quem Iuppiter damnavit: *Man both den Tadler aus .. Silen erbarmte sich ... erstand ihn .. und gab vor seinen Leib zwei gantze Betteldreyer ... und schlug ihn unverhoert zu einem Sattelknechte.* Cf. p. 386 adn. 1.

5) In cucurbitam transitus in antiqua doctrina niteretur, qua Empedocles primus, postea Platonici et Pythagorei recentes hominis animam in herbas arboresque posse migrare docebant.

accuratiore descriptione, non perspicitur. In Menippeis argumentum simile ante Senecam tractatum fuisse facile putaverim.[1]) Consilium invisi hominis deridendi apertum est. Novavit in singulis plura, in maioribus hoc novasse videtur — certe apud eum primum hoc deprendimus — quod manes occisorum ipsi, qui occidit eos, modo mortuo obviam euntes fecit, felicissime.

Iam epicorum qui primo p. Chr. saeculo erant ad carmina convertamus.

Ad quae antequam singula adgrediar, in universum de indole illorum carminum, quatenus ad nos pertinet, pauca praeludenda sunt. Erat enim nihil modici in aevo illo: luxuries augebatur indies et quae fere vicina est luxuriae crudelitas. Poetisque si quid placere volebant, exquisitae sententiae (ut in cenis nova et rara tantum delectabant) proferendae erant; si animos percutere, horrendarum formidabiliumque rerum modus ille, qui vulgatus et suetus erat, etiam superandus erat. Accedebat, quod deis patrum spretis novae magicae, foedarum rerum plenae, religiones increbrescebant, quas nobis quidem ex alterius praecipue saeculi scriptoribus pernoscere licet (Lucianum [Philopseude, Pseudomante al.] et Apuleium dico, postea Aelianum et Philostratum). Memoria deinde dignum reor, quod, ni fallor, inferorum dei, qui iusti antea fuerant severique iudices, infesti paulatim apparent superis nec iam vindices solum sunt scelerum, sed pravi deperditique ipsi — id quod mire convenit cum eius saeculi condicione, quo Jesu Christi fide terras ingenti vi superante Inferni opinio iam incipiebat exsistere. E. e. Pluto Statianus, quia fratre laesus fremit et Tisiphonam emittit foedissima quaeque perpetraturam Theb. VIII 65 sqq., et ipsa Tisiphona, quae 'magnas ridebat fulminis iras' XI 88, paene diaboli vocandi sunt; cf. et Capaneum, qui, Iovis contemptor, 'laudatur ab omni coetu Ditis' XI 70. Non ita multum ab inferis, quales nunc pin-

1) Si Lucilium recte suspicatur Ribbeckius (Poes. Rom. I 237) Lentuli Lupi etiam apud inferos fata in primo pinxisse, hunc, cuius deorum concilium Annaeano non dissimile est (cf. Marx Stud. Lucil. 54 sqq.), exemplum Senecae putaverim.

guntur, distant Pluto Dantii, *il maledette lupo*, Minos dentibus infrendens et — quae serpens est — cauda terribilis, Dis ipse, quem a Plutone ille discernit.

Sic fiebat, ut qui superos celebrabat, ei paene necesse esset etiam inferos tangere: quippe qui illis contrarii et adversi essent.

Quibus de causis carmina, quae istud protulit aevum, rebus Acheruntícis scatere non miraberis. Ac necyomanteas, quas Seneca Lucanus Valerius Silius Statius excoluere, iam Liedloffius [1]) conlegit et comparavit. Sed nescio an ex re fuerit τόπους q. d. evocationum istarum comparando diligentius constituere. Quod eorum, quos nos conlegimus, locorum ope administrare in animo est, ita quidem ut, quibuscumque manes sive dei inferi vocantur, obsecrationes respiciamus.

In silva enim densissima [2]) funestis ultro arboribus fere reformidanda [3]), per quam manes dicuntur volitare [4]), cui tristis

1) De tempestatis necyomanteae inferorum descriptionibus Dissert. Lips. 1884.

2) De silva uberrime exposuit Liedloffius p. 18, ad quem relego qui legunt. Atque silva fere in eis locis fuisse dicitur, quae aditus inferorum putantur: quod arte cum illa re cohaeret: sic Avernum apud, Aen. VI 179 (Sil. XII 122; Petron. de Bello Civ. 75; Prop. IV 17 umbrosus Avernus coll. Strabone 244 C.); Ampsancti valles densis frondibus atrae Verg. Aen. VII 564 coll. Servio; Taenarum silvis densis commemorat Sen. H. f. 663 L.; apud Cimmerios nemus tacitum V. Fl. III 399 (coll. Stat. Theb. X 84 sqq.); Iuno viam descendit funestam nubilam taxo Ov. Met. IV 432. (An etiam Ap. Rh. II 733 ἀμφιλαφεῖς πλατάνιστοι in Acherusia rupe huc faciunt?) Cf. et Verg. VII 82, Sil. VI 146. Item Germanorum inferi silva densa saepius a reliquo orbe secreti sunt, Grimm. Myth.[4] 668, Simrock. Enchir. Myth. 472 sq.

3) Lucan. VI 465: Phoebo non pervia taxus, Sen. Oed. 530: ilicibus niger lucus; cupressus. Item in nemore inferorum in Thyesta illo (654) 'nulla est, quae laetos solet praebere ramos, arbor .. sed taxus et cupressus et nigra ilex' (cf. Lucan. III 419 in simili nemore: taxi). Sacrum Elissae manibus exstructum apud Sil. I 82 (ubi inferi vocantur cf. vv. sqq.) 'abdiderant taxi circum et piceae coelique arcebant lumine'. Item ubi inferorum sunt aditus, interdum istae arbores recensentur: Ov. Met. IV 432 est via — nubila taxo, Petron. de Bell. Civ. 75: saxa (apud Avernum) ferali circum tumulata cupresso.

4) Sen. Thy. 669 (cl. Lucan. III 418). Iuxta silvam illam terrigenarum proelia' Stat. Theb. IV 436.

etiam additur fons [1]), lugubri veste indutus sacerdos [2]) pecudes atras [3]) vittis et sertis tristibus ornatas [4]) in scrobem [5]) mactat, etiam lacte melle 'baccho' effusis. [6]) Etiam arae [7]) fere eriguntur, in quibus pecudes (semineces interdum et salientes adhuc [8])) comburuntur. Dein (si femina est, capillis passis [9])), sacerdos Acherontis numina vocat. [10]) Atque carmen si satis validum est, iam dehiscit tellus panditurque Chaos et 'accedunt' Tartara [11]); si minus, carminis vel horribilioris minis

1) Sen. Oed. 545 coll. Thy. 665 (= Lucan. III 411).

2) Sen. Oed. 551: ipse funesto integit vates amictu corpus .. squalente cultu .. mortifera canam taxus astringit comam, ubi nescio an v. 554 melius expellatur, qui langueat et optime desideratur; Sil. I 94: Stygia veste cf. Hor. Serm. I 8, 23: nigra palla, ARh. I 1204: ἀμφὶ δὲ φᾶρος Ἕσσατο κυάνεον. — Vel magis formidabilis vestitus memoratur ap. Lucan. VI 654: discolor .. vario furialis amictu (Erichtho obsecratura) induitur .. coma vipereis substringitur ... sertis (cf. Hor. Epod. V 15: Canidia brevibus implicata viperis crinis).

3) V. Fl. I 775: sordidus et multo pallens ferrugine taurus; Sen. Oed. 556: nigro bidentes vellere .. atrae boves; Stat. l. l. 445: velleris obscuri pecudes armentaque atra; Sil. XIII 430: ater taurus coll. I 119. Cf. Horat. Serm. l. l. 26: pulla agna, Ov. Met. VII 244: velleris atri guttura.

4) 'Caeruleae per' tauri 'cornua vittae', qui veteris stat sub nocte cupressi V. Fl. l. l. 775 sqq.; Stat. l. l. IV 449: fera caeruleis inter cornua sertis.

5) Sen. Oed. 550: effossa tellus; V. Fl. l. l. 735: in scrobibus cruor stagnat; Sil. XIII 427: ferro cavare refossam — humum; Stat. l. l. 451: tellure novies (coll. Georgic. IV 480) cavata. Cf. Hor. Serm. l. l. 28: cruor in fossam confusus; Ovid. l. l. 244: egesta tellure scrobibus .. sacra facit .. patulas perfundit sanguine fossas.

6) Sen. Oed. 578; Stat. l. l. 451 sqq.; Sil. XIII 434 cf. Ovid. l. l. 246. Ubique usurpata bacchi' vox.

7) Tristibus ramis coronatae cf. Stat. l. l. 460: cupressus intexit latus, vide Muelleri ad l. auctores.

8) Sen. Oed. 558: vivumque trepidat igne ferali pecus; Stat. 466: semineces fibrae.

9) Sen. Med. 755: tibi (Hecata) vinculo solvens comam; Sil. I 93: crine effuso. Cf. Verg. Aen. IV 508: crinis effusa sacerdos; Hor. Serm. l. l. 24: passo capillo. Etiam nudo pede eas opus adgressas memoratur Med. 753 coll. Hor. l. l. 24 et Verg. IV 518.

10) Sic Canidia, Ovidii et Senecae Medea, Senecae et Statii Tiresias, Valerii Thessalis (I 737), Lucani Erichtho, Silii sacerdos (I 94), etiam Vergilii Dido (IV 510).

11) Passim.

frangitur inferorum pertinacia.[1]) Dehiscente iam solo optimus est locus vulgata Tartari illa pingendi: flumina, monstra, iudices cum reis: quae omnia fere ex Vergilii penu adornantur.

Sed necyomanteis iam missis etiam illos q. d. *τόπους* adferamus, quibus praeterea manium cum vivis ratio excolitur. Lugent enim manes — quippe qui noverint, quae futura sunt — ea quae tristia sciunt suis imminere[2]), dum Plutonis familia novos hospites excipere parat.[3]) Et accipiunt mortui,

1) Luc. VI 730, Stat. IV 501, qui ex Lucano hausit. Quaeritur, quis sit ille, quem pavent inferi, deus Luc. 744, Stat. 517. Quod Preller (Myth. Rom. II³ 78) de diabolorum quodam principe cogitavit ex oriente translato, videri possit commendari eis, quae apud Lucanum extant 748: 'indespecta tenet vobis qui Tartara': sed vereor ne videatur tantum. Mihi quidem persuasum est summum deum, *ῥίζαν* rerum omnium, esse intelligendum: nam d e i nomen diabolis (i. e. inferis quales tum cogitantur) maiori est timori quam diaboli. Sic Faustius Goethianus parte I: *Du sollst mich hören stärker beschwören ..... Bist Du ein Flüchtling der Hölle? .... Kannst Du ihn lesen? Den Nieentsprossnen, U n a u s g e s p r o c h n e n, Durch alle Himmel Gegossnen Freventlich Durchstochnen? .. Ich versenge Dich m i t h e i l i g e r L o h e* (idem de simili daemonum obsecratione Min. Fel. Oct. 27, 6: orationis i n c e n d i i s). Ad d e u m solum Statii vox quadrat 'triplicis mundi summum, quem scire nefastum'. Magorum illum deum esse talemque, qualem statuimus, probant luculentissime papyri magicae cf. Albrecht Dieterich papyrus magica Musei Lugdun. Batavi 1888 p. 174 sqq., qui ab Orphicis (frg. 238 Abel) originem istius tremendi dei repetit. Cum iis de quibus disputamus locis cf. etiam papyrorum a Wesselyo (*Denkschrift der kais. Akad. z. Wien 1888. Phil. hist. Kl.*) editarum nonnulla, quae nostro intellectui egregie favent l. l. p. 51: *σὲ τῶν ἄστρων τυφῶνα δυνάστην σὲ τὸν ἐπὶ τῷ στερεώματι δεινὸν ἄνακτα σὲ τὸν φοβερὸν καὶ τρομερὸν καὶ φρικτὸν, σὲ καλέω, τύφων, ὥραις ἀνόγνοις*(?) *ἀμέτηρτοις, σὲ τὸν ἐπὶ ἀσβέστῳ πυρὶ ... σὲ τὸν ἄνω χιόνων κ ά τ ω δ ὲ π ά γ ο υ ς σ κ ο τ ί ν ο υ* cf. et Lobeck Agl. 458. Est idem deus qui a Gnosticis excultus Iao Abraxas etc. saepissime appellatur, cuius in Statii et Lucani locis et in Orphicis tenemus primordia. Cf. et p. 279 adn. 2.

2) Lucan. VI 785 'effera Romanos agitat discordia manes'; belli civilis ventura mala flent nobiles magnorum Romanorum umbrae; exsultant abruptis catenis Catilina (cf. Aen. VIII 668), Marii, Cethegi; quod expressisse Statius videtur in Theb. IV 580, ubi inde quod maerentes conspicit 'Argolicos manes', T h e b i s Tiresias belli meliora auguratur.

3) Luc. III 14 sqq. Eumenidas tenentes faces civilibus armis quatiendas vidit Iulia, praeparantem innumeras puppis Charontem, in multas

quae apud homines facta sunt: Fama enim et ad manes extremos volat [1]) et gloriam nepotum narrat parentibus aut, qui occiduntur, nomen postea victoris sui referunt umbris [2]) aliaque nuntiant, quae illae nondum audivere: quae opinio cum illa, quam supra tetigi, non videtur congruere. Ut, quae ipsorum magnopere refert videre, spectent, ad superos etiam ascendunt. [3]) Vergilianum dein exemplum secuti poetae producunt Furias aliosque terrores, ad diem laetum emergentes, inquinantes eum, totam naturam turbantes; saepius 'sensisse' [4]) diem, alia Furiarum Ascensum poetae dicunt [5]); quod ingenue dictum videtur: pontus dies terra quamquam res sunt neque oculis praedita, sentiunt adventum; ut sensu solo interdum formidabile quoddam adesse divinamus, quod oculis non perspicimus: montes vallesque resultant pavore et matres ad sinus premunt infantes. [5])

---

laxari Tartara poenas; ibd. VI 800 pallentes aperit sedes Pluto, abrupta saxa 'asperat et durum vinclis adamanta paratque Poenam victori'; Theb. XII 772: Argolici manes pandite Tartareum Chaos ultricesque parate Eumenides: venit ecce Creon. Cf. Octavia 619: ultrix Erinys impio dignum parat Letum tyranno verbera et turpem fugam Poenasque. Poena vel deliciae cuidam paratae in medii aevi fabulis haud raro ostenduntur ei, qui animo abreptus est cf. Ancona *Precursori* p. 67 adn. 1 et p. 80 adn. 2; Dant. Parad. XXX 133 sqq. 1) V. Fl. V 82.

2) Sen. Herc. Fur. 639: nuntiet Diti Lycus me iam redisse; Agam. 1005 sq.: perferre prima nuntium Phrygibus meis Propero (Cassandra) repletum ratibus eversis mare; Sil. I 398: narrabis Hamilcaris umbris Hanc dextram; II 2; IV 287; XI 257. V. Fl. IV 314: Pollux ego .. nomen mirantibus umbris hoc referes. Iam apud Maronem *τόπος* iste: Aen. II 547.

3) Manes ab Amyco peremptorum 'pater orantis ad mediae spectacula pugnae emittit, summi nigrescunt culmina montis' (V. Fl. V 258), inde (?) Statius XI 420: Ogygios .. Tartareus rector porta iubet ire reclusa manes: Montibus insidunt patriis tristique corona Infecere diem (fratrum caedem spectaturi). Sic Sthenelus Argonautas ipsius tumulum praetervehentes ad lucem emersus spectat V. Fl. V 82 sqq. = A. Rh. *B* 916: *ἧκε Φερσεφόνη ψυχὴν λισσομένην τυτθόνπερ ὁμήθεας ἄνδρας ἰδέσθαι.*

4) Stat. Theb. I 97 dies (coll. IX 148 sensere acies), Lucan. VI 439 Claud. in Ruf. I 131: sensit ferale Britannia murmur sqq.; al. (cf. Sen. Tro. 176: pontus suum adesse Achillen sensit).

5) Stat. I 122: ipsa suum genetrix gremio Palaemona pressit. Cf. eos locos, quos omisso Statio in auctorum Vergilii indice Woldemarus Ribbeck adtulit ad Aen. VII 518.

Cum Furiis *προσωποποιίαι* illae, plerumque eae, quas a Vergilio primo Romanorum in Orcum relegatas vidimus, emersae diem turbant.[1]) — Etiam in his umbris ascendentibus[2]) duplex illud consilium animadvertere licet, quod supra (p. 256) statuimus, sed fere hoc uno consilio isti poetae mortuorum inducunt simulacra, ut formidabilium voluptati satisfaciant. — Neque hoc tacendum videtur, ut Orcum significent, adamare poetas 'Chaos' nomen: quod de Orco, quod viderim, apud priores non occurrit, nisi in Axiocho (372 A: *ἄγονται πρὸς ἔρεβον καὶ χάος διὰ Ταρτάρου*) et in Hesiodi recentiore loco Theog. 814; Romanorum poetarum primo a Vergilio ad Orcum translatum est VI 265. Accepere vocem magna sonantem imitatores.[3])

Sed iam ex isto chao ad singulos poetas paucis, quoad nostri consilii est, secundum indolem adumbrandos progrediamur.

Ac Seneca omnium horum facile poeta quidem vilissimus typis illis inferorum a prioribus excultis, rhetorum schola tritis ita utitur, ut quadam sane arte eos componat varie, id solum spectans ut magnifica quaedam novisque coloribus grata sententia inde effulgeat, quae etiam ad movendos animos valeat. Quotiens apud illum Tantalus sitit, torquetur Ixion, volvit Sisyphus![4]) Super terram evolantes apparent umbrae verberatae

---

1) Sen. H. f. 96 sqq. et Oed. 590; V. Fl. II 204; Petron. de Bell. Civ. 255; Sil. II 458. Iam apud Ovidium est iste *τόπος* Met. IV 484.

2) Cf. p. 294 et 346.

3) Ov. Met. X 30; Sen. H. f. 861; Medea 741 et alibi; V. Fl. I 831; IV 123 (nunc chaos implet Orion cf. λ 572 *πελώριον*); VII 402: profundum Per chaos occurrunt caecae sine vocibus umbrae; Lucan. VI 696; Petron. de Bell. Civ. 74; Sil. XIII 439; Stat. Silv. III 3 210, Theb. IV 520 (Elysium! chaos), VIII 52 et 100 (ex Ovidii l. l.), XII 770. Cf. Claud. Rapt. Pros. I 96; Anth. Lat. p. 18 v. 7 Ries; alia.

4) Cf. praeter H. f. Thyestae init. et 152 sqq. (quode loco simile dicere poteris, quod Lucianus (*πῶς δεῖ* 57) de Euphorione: *πόσοις ἔπεσι τὸ ὕδωρ ἄχρι πρὸς τοῦ χείλους τοῦ Ταντάλου ἤγαγεν*), Medea 749 al. Animadvertas unam praesertim rationem ista *παραδείγματα* enumerandi videri Senecae prae aliis propriam: facit enim saepe aliquem illas poenas conclu-

a Furiis: velut Tantali umbra, ne nova scelera in domum nefastam congerat, reversura (Thyest. 67 sqq.)[1]) itemque Thyestae, quem idem pollutae gentis Pelopidarum (Ag. 12 sqq.) horror capit. Agrippinam Stygia face filii nuptiis praelucentem (in Oct. 593 sqq.) respicere non oportet. Sed, ut ad eas umbras transeamus, quae describuntur tantum: necyomanteae in Oedipo narratio in primis animadvertenda erit (530 sqq.).[2]) Lai umbra illic apparet pudore se ceterarum a grege separans (ap. Stat. IV 609 odio[3])), geminata demum prece (promissis Tiresiae ap. Stat. 610 sqq.) vultus tollens e tenebris. Dein totus ille parentum grex (ex parte id, quo quisque insignis erat, [Zethus Amphio] gerentes — ut rhetoricum quoddam epitheton[4])) auras diemque nemoris latebris evitantes: quibuscum una Maronis illae erumpunt personae: Luctus, Morbus etc., ut ipsa Manto

---

matissimas ad se vel ad alium, omnes ex ordine, transferentem. Cf. Phaedr. 1232 sqq.: me ludat amnis sqq., Thy. 3: peius inventumst siti? .. Sisyphi numquid lapis gestandus .. venit? aut membra celeri differens cursu rota sqq., Herc. Oet. 942: Sisyphia cervix cesset et nostros lapis impellat umeros sqq. Cf. Octav. 619: Erinys parat letum poenasque, quis et Tantali vincat sitim sqq. (nimirum Neroni). Item in Apocolocyntosi c. 14: de genere disputatur poenae: Sisyphum satis diu laturam fecisse, Tantalum siti periturum etc. Cf. Claud. in Rufin. II 507 et quae ad Claud. diximus. Etiam hac re confirmatur auctor saturae Seneca. — Cf. et Hor. Epod. XVII 65.

1) Similiter Statii Laius (Theb. II 68), ne nova scelera in nefastam domum congerat, refugiturus.

2) Difficilis est de Statii (Theb. IV 419 sqq.) et Senecae necyomanteae descriptionibus quaestio, quo vinculo teneantur. Cum enim Tiresiae et Mantus umbrarum vocatio apud utrumque, et eisdem sensibus exculta, extet, alterum altero vel utrumque communi exemplo usum esse efficitur. Ac Braunio (Mus. Rhen. XXII 243 sqq.) placuit Senecam vel, quem statuit Pseudosenecam pendere e Statio; mihi quidem, qui Oedipum Annaeanam fabulam censeam, veri simile videtur Statium Senecae vestigia legisse, licet etiam communi fonte posse utrumque usum esse concedam. Quantum enim Statium novi, sensus, quibus caruisse interdum videtur, ab aliis mutuatur ita, ut eos suaviter et vel suavius ipso auctore nonnumquam variet.

3) Comparasse Statii et Senecae locum etiam Liedloffium video l. l.

4) Similiter Ausonius in Cupidine cf. p. 388.

stupeat.[1]) Sed et praeterea inferorum partes sunt. Achillis umbram omni terrorum apparatu ascendentis (Troad. 181) supra (p. 346 adn. 3) strinximus. Sanguineum gerens insigne regni Laius filii 'petit vultus' infestus[2]) (Phoeniss. 40). Per Pelopeae arcis lucum dei inferi catenisque manes gravati, nocte gementes, volitant (Thy. 668), quod Statiani loci (IV 427) monet. Ac quam pronus est chorus ad regna infera celebranda! Cf. Herc. f. 558; Oed. 169; Troad. 157 et 397; Herc. Oet. 1060 sqq. 1550 sqq. 1916 sqq. — sed si Senecae Stygios illos locos percenseremus, serum finem inveniremus. Quare iam ad unam quae eius est catabasin animum vertere praestat. Herculis enim facinus illud conclamatum, quod sapientior eo[3]) Euripides leviter tantum strinxit (H. f. 23—25, 607—621), Seneca utique pleno ut ita dicam penicillo coloribusque sat pinguibus depingendum censebat, quamquam Amphitruo modo morte liberatus parum aptus videtur, qui Theseum roget, ut longum ad manes iter enarret (H. f. 662 sqq.). Summa sequar fastigia rerum.

1. Advocatis inferorum numinibus (Aen. VI 264 sqq.) incipit Theseus.

2. Specum per altum[4]), lucis tenui nitore inlustratum[5]), iter ingredientem sponte deducit.[6])

---

1) Apud Statium multo aptiorem personam gerit Manto: non stupet, sed optime eius (ut purae vatis) aequus et tranquillus animus formidini regis scelesti opponitur 488—493. Hunc autem regem haud scio an Sexti Pompei qui est apud Lucanum memor depinxerit, qui 'Magno proles indigna parente' in necyomantea 'tremit', 'exanimi defixus lumina vultu' (VI 658). Et aptissimam Statius causam manes describendi invenit: necesse enim erat caecum patrem a filia de singulis, quae apparent, edoceri et ipse iubet eam monere 'suam per singula noctem' 548.

2) Expressit Octaviae scriptor v. 614, ubi Agrippinam coniunx dicitur infestus agitare flammisque vultus eius petere.

3) Cf. et R. Werner de L. Annaei Senecae Hercule etc. p. 11 et 12.

4) Ad Taenarum silvis densum cf. p. 367 adn. 2.

5) Cf. p. 350 adn. 1.

6) Viam, quae ipsa deducit, unde Seneca sumpserit, invenire non contigit. Excolitur, sed novo et singulari modo Vergilianum 'facilis descensus Averno'. ('Η ἐπ' Ἄιδος ἀτραπὸς) ἰθεῖα ᾗ μάλιστα καὶ κατακλινής

3. Intra Lethen[1]) portentorum turbae cum taxo.[2])

4. Circa regiam Ditis campus, in quo ipse animarum recentium iudicium exercet[3]): complures ei adsunt indices, Minos et Rhadamanthus (etiam Vergiliani) et Aeacus.

Breviter poenarum ratio[4]) adumbratur.

Stob. Floril. 120, 9. Cf. etiam Apocoloc. XIII: omnia proclivia sunt, facile descenditur.

1) Quod Lethen posuit pro Acheronte, nil est, cur mireris. In fluminibus enim inferorum describendis poetas illos inconstantissimos esse constat. Velut sulpureae undae modo Cocyto tribuuntur (Stat. I 90), modo Pyriphlegethonti, modo Acheronti (Sil. XI 476 'flammis Acheronta sonantem', quem idem Silius postea dicit sanie et veneno aestuantem XIII 571), cf. Cocyti atrum sanguinem Sil. XIII 566. Sic Hercules Lethen navigare dicitur Sen. H. f. 777 et brevi post hydra Stygiae paludis ultimos quaerit sinus (780), quos sinus item ad Lethen referendos esse censeo. Sic Charo ap. Stat. Theb. XII 559 vocatur Lethaei portitor amnis, ibid. IV 479 plena redit Styga portitor alno (cf. IV 622), flagrantis undae portitor est apud Luc. VI 704. Ut aptum videtur cuique loco, variant fluviorum et colores et nomina mirum in modum.

2) Quod intra Lethen taxus illa contineri videtur, a Vergilio discrepat: ex eius enim ulmo taxum adumbratam esse vides. 'Infera taxus' (Theb. XI 93) magis inferis convenire videbatur, cuius arboris frequens est usus apud istos poetas: Tiresias taxo cinctus Sen. Oed. 555; taurus manibus sacer taxo coronatur Val. Fl. I 777 (coll. Theb. IV 449); taxo confectae Furiarum taedae Theb. IV 485, VIII 10, XI 93; taxum in necyomanteae locis vide p. 367 adn. 3. Valde ceterum infracta et debilitata Vergili lepidissima videtur imago. Sopor enim sub taxo sedens fingitur pro somniorum sub ulmi foliis haerentium turba.

3) Quod Pluto ipse iudicans fingitur, a Vergilio recedit; sed vulgata tum temporis est opinio cf. Stat. Theb. VIII 21 Amphiaraus ante ipsius Plutonis solium 'crimina vitae poscentis' decidit (cl. IV 525); ap. Sil. XIII 601 Dis suggestu residens cognoscit crimina regum (Cf. et Aesch. Eum. 269 et Suppl. 220 K.). Quod Heynius in Exc. ad Aen. VI a principe Romano sumptum arbitratur: non enim potuisse imperatorem cogitari ait, nisi et crimina cognoscentem. Probo. Compares etiam Luc. Philops. 24: *ὁ Πλούτων ὥσπερ βασιλεύς τις καθῆστο ἐπιλεγόμενος τῶν τεθνηξομένων τὰ ὀνόματα,* in ipso *δικαστηρίῳ* una cum Aeaco Parcis Furiis.

4) V. 35: quod quisque fecit patitur sqq. (735). Ex Stoicorum doctrinis ista originem vix ducunt, in diligentissimae compensationis iure posita. Vulgaris potius videtur opinio. Poteris comparare Plotini locum, qui — si animae migrationem demes — simillimus est, certe prorsus eodem

Adnectit 'paradigmatum' copiosum et sollemni more excultum catalogum.

Charo impexus, squalidus, luminibus ardens Vergili est.

Quae iam sequuntur, ad herois mythum peculiarem spectant, qui non est huius operae: Excursum I adeas. Ac quoniam, quid de Senecae Descensu iudicemus, supra dictum est, ad eius affinem Annaeum Lucanum transeamus. Qui licet Stoicus fuerit etiam in carmine, inferos tamen in carmen admisit. Huius in foedissima obsecratione singularis generis (cf. Liedloff. l. l. p. 18), quae terrores accumulavit, qui sufficiant ad animum percutiendum et fastidio implendum, rhetorica tamen egregia ars et nobilis sane vis et impetus ingenii compluriens effulget: quam non meum duco fusius persequi. — Laetiorem vitae post mortem imaginem in Pompei sui maiorem gloriam adumbravit: quem, ex mago iterum Stoicus[1]), post fata 'convexa Tonantis' fingit petentem: namque 'innocuos vitae patientes aetheris imi Ignea virtus' facit. Pulcherrimo rem claudit versu: mortalium enim iam prorsus securus 'risit sui ludibria trunci'.[2]) Etiam alii Pompeium ad caelum relegavere. Quod docet epigramma Anth. Lat. (406 Ries.), ubi frustra impius manes evocat Magni: sed 'stulte, poeta inquit, quid infernis Pompeium quaeris in umbris? Non potuit terris

---

iure nixus, Enn. III 2, 13: *ἦν ποτε ταῦτα ποιήσας* (homo), *ἃ νῦν ἐστι πάσχων. Καὶ μητέρα τις ἀνελὼν ὑπὸ παιδὸς ἀναιρεθήσεται γενόμενος γυνὴ καὶ βιασάμενος γυναῖκα ἔσται ἵνα βιασθῇ* sqq. cf. capitis exordium: *ἐκ δεσποτῶν τῶν πρόσθεν δούλους ποιῶν* (*ὁ λόγος*), *εἰ ἐγένοντο κακοί* cum v. 737 sqq. Senecae l. l.: vidi . . impotentis terga plebeia manu Scindi tyranni. Cf. sqq. ap. Plot. et Zeller. III 2[3] 591 sq.

1) Phars. IX 1 sqq. Stoica est doctrina. Versu 7 sq. illud: 'Quodque patet terras inter lunaeque meatus, Semidei manes habitant', Tertulliani loco illustratur, quem Zellero debeo III 1[3] 202 adn., de anima 54: 'apud Stoicos sub lunam' (sublimantur animae sapientes), cf. c. 55.

2) Conferas, si tanti est, ad Pompeium terram alta nocte mersam superne spectantem Ciceronis Scipionem, qui astra item miratur, cui item prae eis 'terra . . parva visa est' (rep. VI 16); Icaromenippum; Dantium Parad. XXII 128 sqq. *vidi questo globo Tal, ch'io sorrisi del suo vil sembiante;* denique, si per te licet, Iulii Mosen nostratis carmen egregium *Ritter Wahn 15. Abenteuer.*

spiritus ille premi'. Largiorem inferos describendi materiam praebuisse possunt ea, quae aetatem non tulere poemata: nimirum Catachthonia et Orpheus (cf. vitam Lucani p. 78 Reiff. et Stat. Silv. II 7, 57). De priore nil accepimus, de altero perpauca. Alexandrinum poetam atque Vergilii et Ovidii descriptiones (cf. p. 316 adn. 6) secutum credibile est Lucanum suum Orpheum contexuisse splendidissimisque rhetorum coloribus exornavisse: ex paucissimis fragmentis (Serv. ad Georg. IV 492; libr. monstr. a Hauptio editi[1]) I 6 et II 8) paene nil lucramur.

1) Quod Hauptius opp. II 219 Servii illud scholium iam p. 286 sq. laudatum Aen. VI 392 ad Lucani Orpheum refert, iniuria refert, si quid sapio. Primum enim, quantum ego Servium novi, in libris adferendis in praepositionem cum ablativo iungit non libri, sed scriptoris, nisi aut diserte scriptoris nomen additur (G. IV 492 Lucanus in Orpheo al.) aut notissimi sunt libri, velut Aeneis et Ilias: cf. e. c. Aen. III 57: in Petronio lectum est; VII 1: in philologis lectum est; IX 759: in Sereno legi; VIII 461: in Homero lectum est (cl. 479); Georg. II 389: in Orpheo lectum est. Etiam hunc postremum locum, qui Hauptii opuscula edidit, Lucano vindicare voluit (l. l.). Frustra. Nam primum subsordida historiola illa ad Orphicos bene quadrat, quibus talia non ignota erant (cf. fr. 215 Abel); in Lucani carmen quo modo inseri potuerit, certe non patet. Deinde dubitare fortasse poteris, an alio loco istam vocem 'et — lectum est' conlocare praestet. Possis post 'cillentur' (p. 254, v. 5 Thil.) inserere, ut ad Erigonae fabulam spectent ista, quae in Orphicis tractata erat cf. fr. 12 et 166 Abel. Equidem proposuerim, ut conlocentur post 'pertinere' (v. 11 Thil.). Illud enim 'pertinere ad purgationem animae Liberi patris sacra' de Orphicis iure dici videtur. Sed triplex ista purgatio, quam Servius dicit coll. Aen. VI 741, num in Orphica doctrina fuerit, nescio. Dein vero nonne mirum esset, si Servius, qui Orpheum satis frequenter laudat (cf. Abeli frgg.), tam ambigue — nam 'in Orpheo lectum est' ex Serviano usu significare potest et 'apud Orpheum poetam', quae usitata significatio esset, et 'in Orpheo carmine', quod singulare esset — Lucani carmen attulisset? Certe non fecit in loco, qui unus certo ad Lucanum refertur Georg. IV 492. Igitur Lucano illum locum tribuendum esse minime demonstratum est. Cf. Lobeck. Agl. 581 sqq. Etiam in frustulo carminis ap. Serv. Ge. IV 492 Lucanum elegantem rhetorem magis quam poetam agnoscis: 'fragor' enim 'Averni' (cf. Vergilii locus) inde ortus ab eo fingebatur, quod 'gaudent a luce relictam Eurydicen iterum sperantes Orphea manes' — exquisita profecto sententia. (Fragmenta a Hauptio l. l. indagata nihil ad nos pertinent.)

Modum Vergilii qui unus illorum poetarum servare calluit, Valerius, etiamsi non peculiare de Orci infandis terroribus carmen Argonauticis suis inseruerit, tamen et vividissimas et poetico sane spiritu perfusas confecit imagines: velut Phlegyam cum Theseo Furiarum dapes ieiunos patientes II 192 (cf. p. 353 adn. 4); velut Herculem et Thesea ex Acheronte salvos, pallentia oscula iungentes IV 700; denique Coeum Tityo Saturnoque vocato Tartara effugiturum, iam remensis fluviis repulsum a cane III 224. Quae magnae profecto artis sunt exempla. Pulchrae indolis etiam Mopsi lustratio est[1]) III 377; libera fere saeculi vitiis necyomantea libri I et Medeae sacra magica sunt VII 323 sqq. —

Sed ne nimium aliena curemus: ad Silium convertamus. Qui in Punicis suis ut deorum machina abutitur[2]), et inferis ubique aditum permisit, sed decore et Musarum ope saepius destitutus, quod vel uno exemplo satis confirmatur. Non enim furias solas, ut ceteri poetae, in pugnas cogit, sed Tisiphonam ad Saguntum fidissimam[3]) urbem diruendam educit

1) In lustratione (quacum cf. Orph. Arg. 530—576) nonnulla animadvertas. Celaeneus ille — nam sic videtur utique scribendum —, apud Cimmerios sedens ensifer, nescio an ex memoria Massylae illius sacerdotis Aen. IV 481 originem ducat, quae in 'ultimo Aethiopum loco Oceani finem iuxta' sedem habebat (480 sq.; cf. Val. 399 Cimmerii): ut Celaeneus ille carmina volvens insontes errore luit (407), illa 'carminibus promittit solvere mentes' (487). — Ad serpentes umbrarum famulos dapes rapientes V. Fl. l. l. 458 cf. Verg. V 91: serpens libavit dapes .. famulus parentis (95). Hunc locum Valerio obversatum etiam hoc ostendit, quod vocem 'libavit dapes' (Verg. 92) de serpente usurpatam ad Mopsum transtulit: libavitque dapes (457). De serpentium ad manes ratione cf. Rohd. Psych. I praesertim 223, 5 et 232, 2; Roscheri Lex. 2466 sqq.; Prelleri Myth. Rom.[3] cap. X 2; Bernhardi Schmidt *Volksleben d. Neugr.* 184 adn. 1; Lipperti *Die Religion d. europ. Kulturvoelker* p. 41 sqq. et 300 sq. — De Valeri inferis extat libellus satis diligens: Alip Tonder *Die Unterwelt nach Val. Fl. Progr. d. Obergymn. Boehm. Leipa* 1880.

2) In memoriam vocat poetam recentem, qui item inferos et superos historicis suis poematis immiscere non dubitavit, modo plane carens: Ioannem Pyrker cf. Tunisiadem et Rodolphum Habsburgensem.

3) Quod ibidem narratur Fidei cum Furia certamen arto vinculo cohaeret cum Statiano Pietatis et Furiae Theb. XI 482.

non modo cum personis sollemnibus (p. 371) illis comitibus sed cum Cerbero[1]) etiam II 552. Iam vero ad necyomanteam eius transeamus diligentius describendam, quae Descensuum omni ornatu praedita est, ut etiam in illa 'dubium' videatur — id quod Lucanus de obsecrationis suae loco dicit VI 653 — Scipio 'quod traxerit illuc, Aspiciat Stygias an, quod descenderit, umbras.' Scipionem enim suum facit manes in XIII° consulentem ita quidem, ut ad Homeri magis ac Vergilius se adplicans formam argumentum ex Marone potissimum suo sumpserit, ipsius doctrina adiecta. Argumentum age disponamus — quod si Silius fecisset, melius opinor rem gessisset.

1. Percepta parentis patruique morte Scipio Puteolis forte moratus luctu paene superatur.

2. Petit ergo (non ut apud Vergilium iussus) Autonoen Cymaeam Phoebi sacerdotem, ut carissimos ipsi manes evocet. Circa necyomanteum loca terribilia ex apparatu Vergiliano adumbrantur.

3. Intempesta nocte[2]) piacula fiunt, quae ad eundem auctorem describit[3]): in scrobem mactantur, cui Scipio gladio stricto adsidit, ut umbras arceat.

4. Iam ascendunt umbrae, quarum regna simul dehiscunt.

5. Insepulti umbra Appii Claudi, cui vox ad id tempus mansit (Elpenor, Palinurus). Stupenti Scipioni fata sua enarrat, sepulturam poscit.[4]) Promittens iuvenis miram illam

---

1) Noctu sane Cerberum abiecta sera errare etiam Propertius refert IV 7, 90 Bhr.

2) Solis sub ortus Aen. VI 255.

3) Plutoni taurus ater mactatur, Proserpinae vacca sollemnis = Verg. 251 sq.; Eumenidibus oves: ut apud Stat. Theb. IV 456 (satis Acheronte nefasto), ut apud Vergilium Eumenidum matri (250 i. e. Nocti, et Terrae) agna. Mella vina lac ad λ exemplum: hinc indidem scrobem et Scipionem, ut umbras arceat, ei stricto gladio adsedentem repetendum esse taedet addere.

4) Item Vergilii Palinurus, Elpenor Homeri alteri cuidam stupenti mortem narrant et ut sepeliantur, obsecrant. Sunt autem in Appio etiam, quae ex Patroclo Homerico originem ducant: ut ille, obsecrat ut sepeliatur, quamquam sepulturi sunt propinqui (sed lenti nimis). Quod non

de variis gentium sepeliendi rationibus degressionem adnectit.[1])

6. Iam Sibyllae Vergilianae procedit imago.[2]) (Comites interea cum Autonoa recedentes viscera flammis imponunt pecudum.[3])) Fata pandit, ultionem victoriamque vaticinatur. Recessuram precatur[4]) Scipio, sistat et Stygis secreta reseret ipsi.

7. Orci descriptio: decem portas[5]) constituit: per quas intrant belligeri (a)[6]), legum latores (b), agricolae (c), poetae (d), naufragi (e)[7]), scelesti, quibus imperat Rhadamanthus (f)[8]), feminae (g) ad Proserpinae lucos, infantium (h) vagiens turba[9]), Elysii[10]) grex (i)[11]), denique eae animae, quae *εἰς*

---

temere statui probat v. 465: da..vago..portas quam primum Acherontis adire, qui versus ex Ψ 71 expressus est: *θάπτε με ὅττι τάχιστα πύλας Ἀίδαο περήσω* (nam 'portas Orci adire' non vulgaris poetarum est sermonis).

1) Ex Chrysippo videtur cf. Cic. Tusc. I c. 45. Tales quaestiones sive ad naturam sive ad gentium mores sive ritus pertinentes aetati placuere (cf. etiam p. 359 adn. 1): cf. Lucan. V 86 (de oraculi Delphici natura), X 194 (de siderum potestate ac Nili fontibus [ex Senecae Nat. Quaest.] Caesari Aegyptius quidam narrat a versu 194 usque ad 331), etiam VI 492 sqq.; deinde Stat. Theb. I 717 (de Apollinis apud gentes vario nomine), III 474 (de variis divinationis generibus). Cf. Sil. III 46 de aestu et recessu maris.

2) Tiresiae respondet.

3) Et hoc accuratam ad amussim Homeri imitationem ostendit: sic Ulixis comites pecudes imponunt flammis, dum ipse loquitur cum mortuis λ 44 sqq.

4) Iterum minutiarum Homericarum imitationem habes in 517 sqq. Ut enim breviter respondet Tiresiae Ulixes (*τὰ μὲν ἄρ που ἐπέκλωσαν θεοὶ αὐτοί* λ 139 = Sil. 517 sq.) statim adnexa quaestione, item Scipio. Ad tales quisquilias usque exemplar exprimit Silius, diligens sane poeta.

5) Quarum mille luserat Ovidius (Met. IV 439). Cf. *Ἅιδου πύλαι*.

6) Bello clari Verg. VI 478.

7) Et illud 'naufraga porta rapit: sic illam nomine dicunt' 441 Vergilio debet Silius cf. Aen. VI 441: lugentes campos: sic illos nomine dicunt. Videlicet et ipse, ut Vergilius, nomen novum voluit inducere.

8) Verg. 565. 9) Flentes Verg. 427.

10) Quod Vergilium non secutus extra Stygium regnum ultra Oceanum ponit ad Homericum exemplar relapsus (δ 563 sqq. cf. Pind. Ol. II 138).

11) V. 555 diu me vexavit. Quem si probas, animarum, quibus altera

γένεσιν ruunt (i): quae ultima porta ʻadmoto splendet ceu sidere Lunaeʼ.[1]) Fluvii sollemniter pinguntur, nisi quod augentur terrores, adicitur Lacrimarum fluvius[2]). — Malorum personae, ceterum ex Vergilio adumbratae, tamen in ipso Orco, non in propylaeis, videntur versari, aeque ac Cerberus. Prope vasta — non ulmus, sed ut apud Senecam taxus, sub qua bubones strigae monstra (Harpyiae). Ut Seneca, hoc loco ponit solium iudicis tremendi Plutonis.

8. Iam matris advolat umbra (*πατρὸς δ' οὐδεὶς λόγος*). Iove eum natum esse filio narrat. Ter colla matris petit, ter mater fefellit eum: ad heroum matres in Elysium recedit.[3])

9. Tandem, quos ut conveniret, facinus audax subiit, pater et patruus adpropinquant. Miseratur filium pater propter pericula, ut fere Aeneam Anchises (VI 692). Mortem uterque narrat — ut Anticlea. Iuvenis tristitiam dissipat eorum hostium clade nuntiata, ita ut laeti[4]) in Elysium revertantur.

10. Iam ceteros belli socios respicit[5]), quorum cum nullo praeter Paullum conloquitur; nam

11. ceteras antiquorum virorum umbras ardet appellare.[6])

---

corpora debentur, definitio v. 851 *quae potant oblivia* non recta est: quae definitio et ad hos et ad Elysii incolas quadrat, quorum alteris Letham potandam se tribuisse significaverat tantum poeta v. 559 (*oblitae Ditem*), beatis diserte tribuerat v. 555. Offensionem statuere satis habeo.

1) Lunae commemoratione adludit ad opinionem, qua antiqui magnam lunae in nascentes vim esse credebant: luna nascentium dux audit ap. Varr. Ling. Lat. V 69 (*προστάτις γενέσεως* Porphyr. de Antr. 18 N.) cf. Roscher *Selene* p. 55 sqq. Cohaeret cum ea re Platonicorum de luna geniorum sede doctrina, quade cf. Exc. II.

2) Claudiani Cocytos (in Rufin. II 468) volvit lacrimas. Quod modo video iam comparatum esse, item ac Stat. Theb. VIII v. 29 sq. Persarum opinionem, ex qua infernum flumen mortuorum lacrimis credebant oriri, nunc nescio, ubi invenerim.

3) Cf. Anticlea et p. 363 adn. 3.

4) Ut laetatur Palinurus Verg. VI 382 sq.; ut *γηθοσύνῃ φοίτα κατ' ἀσφοδελὸν λειμῶνα* Achillis anima (λ 539).

5) Item atque Ithacus ceteros socios post Agamemnonem et Achillem.

6) Cf. Sil. 719 sq. cum λ 565 sqq.: *ἔνθα χ' ὅμως προσέφη . . ἀλλά*

Ac Romanae historiae spectat clarissimos viros.[1]) Poenorum admittit Hamilcarem immortale odium spirantem[2]), Graecorum Alexandrum, non uno nomine Scipionis ipsius similem.[3])

12. Iam Homerici carminis heroas 'stupet', quos Homero in Elysio limite apparente non inepte adnexuit poeta (cf. 798 gratantur suarum laudum praeconi). Homerus Marcelli Vergiliani ornatu praeditus et Castor memorandi sunt.

13. Sed 'tempus' erat 'manes femineos' cognoscere: inter quos Romanae tantum gentis heroinae recensentur.

14. Punitorum aspectu turbatus[4]) quaerit, qui illic crucientur et cur.[5]) (Tullia in Pyriphlegethonte natans[6]), ab Ortho cane eviscerata[7]) vestalis incesta, Tarpeia proditrix arcis ab aquila lacerata.[8]))

μοι ἤθελε θυμός (= raptabat amor) . . *τῶν ἄλλων ψυχὰς ἰδέειν κατατεθνηώτων* (= priscos cognoscere manes coll. λ 630 *προτέρους ἀνέρας*).

1) Brutus 'saeva securi' nomen meritus adludit ad Aen. VI 819. Heroum illorum partem invenit ipse, partem ex Vergilio (819 sqq.) sumpsit.

2) Est et hic typus ille irascentis, sed valde oblitus et infractus.

3) Ni magna sacerdos .. admoneat 756 cf. cum Verg. VI 292: 'ni docta comes . . . admoneat'; quod ni fallor expressit (semper tenendum est in Silio nos versari).

4) Sil. 831: subito aspectu turbatus . . .: quae poenae causa etc. = Verg. 559: strepitumque exterritus hausit: quae scelerum facies sqq.

5) Et in hoc quod Romanos inter punitos recenset, praeierat Vergilius, qui in scuto Aeneae Catilinam 'minaci pendentem scopulo furiarumque ora trementem' finxerat VIII 668 sq. Ut Verg. Catilinam in damnatis (cf. Lucan. VI 779 sqq., Luc. Pseudom. 25, supra Neronem p. 327, 2), in beatis Catonem (l. l. v. 670, cf. p. 363, 3) describit, sic poetae Christiani iam ante Dantium recentioribus popularium suorum caelum vel infernum ex arbitrio tribuere cf. Ancona l. l. 70 sqq.

6) Recte contulit Liedloffius Phaedon. 114 *πατραλοίας κατὰ τὸν Πυριφλεγέθοντα*. Cf. et Ar. Ran. 149 in caeno mersi, qui *πατρὸς γνάθον ἐπάταξαν*. Dantius Inf. XII 47 sq.: *La riviera del sangue, in la qual bolle Qual che per violenza in altrui noccia* etc.; 104 cf. Ancona l. l. p. 64: *gli omicidj in un lago di sangue bollente* (in visione fratris Alberici); vide supra p. 306, 5.

7) Cf. Cerberum Tzetz. ad Ar. Ran. 142 (coll. eodem all. Odyss. p. 288 Matr. et Plut. Thes. c. 31, 7); Luc. Menipp. 14; *Κέρβερος* nomen a *βρώσκειν* deductum *Gruppe Kulte* I 113, 7; cf. supra p. 279, 2.

8) Vel Tityi vel (ut Ernestius) Promethei (qui et ipse in inferis ponitur Hor. Carm. II 13, 37) ad exemplar.

15. Vergilio debet recensum animarum ad lucem mox iturarum satis brevem.[1])

16. Vaticinatione Sibyllae (863 sqq.) tristis iuvenis erigitur Hannibalis miserrima sorte praedicta, ut laetus ad suos redeat.

Hanc Descensus vere saturam (*Farce* dixit H. Blass Ann. Fleck. CIX 473) ut conmisceret, exemplaria magna Homerus ac Vergilius Silium incitarunt. Fortasse etiam Ciceronis exemplum, qui minorem Scipionem secreta mundi spectantem fecerat, aliquid movit (?). Singula, ut qui musivum opus componit ex Homero Vergilio Seneca (vel eius auctore?) conlegit. Ac quibus illi rem certam quandam exornavere, colores interdum aliena in re adhibet, ut nisi acriter inspiciendo imitationem non videas. Sed quando quidem eorum, quae auctores ipsius excoluerant, nil in suo carmine desiderari vellet, rudem molem congessit, quam Musa eius satis tenuis disponere non valebat. Non ille cogitabat, quae Aeneas inferos permeans optime videret, ea non omnia optime Scipionem, ad scrobem positum, videre, non reputabat Orci longa descriptione et matre antea inserta infeliciter differri parentis aspectum, quem unum petierat iuvenis, non apte Maronem suum cum Homero conflavit, quorum de inferis iudicia discrepare non perspexit. Quasdam imagines satis fausta Minerva invenit, velut decem portas istas, dummodo melius invento scivisset uti. Dividendi enim et disponendi q. d. principio quo usus sit Silius, nemo assequitur: nam infantes agricolas naufragos ad prorsus diversas dividendi rationes pertinere in aprico est. Deinde, quo ductus inferos omnino intexuit, consilium ex imitandi studio nimio et ex formidinis cupiditate depingendae primum repetendum videtur. Verum etiam cum toto carmine artius rem conexuisse poetam confitendum erit. Scipio enim, Punicorum caput et cardo, pietate nobilior apparet — id quod sane ipse paene delevit poeta. Vaticinio et divina origine

1) Quae de Pompeio et Caesare dicuntur, Vergilium et in singulis monstrant: Sil. 864: Quantas moles cum sede reclusa Hac tandem erumpent terraque marique movebunt; Verg. 828: heu quantum inter se bellum, si limina vitae attigerint, quantas acies stragemque movebunt.

comperta — quamquam res ipsa subridicula est — animum viresque in bellum futurum reficit, ad quod gerendum velut sacratur mythi illius Prodicei demum imitatione (XV 18).

Iam vero laetiorem ad poetam Statium cursus tendit. Qui poetico est spiritu teneroque sensu vividaque res animo perspicue proponendi vi, sed ut trita fugiat, altissima quaeque petit culmina, dum solis nimium propinquo velut alteri Icaro poeseos pinnae defluant humumque ipse ex sublimi decidat. Talis etiam in inferorum usu apparet. Tenellas enim in Silvis defunctorum imagines ad Elysium devenientium adumbrat 'mitis solator acerbis auditus tumulis et descendentibus umbris' (V 5, 40).

Quarum consolationum summa fere haec est. Nec a cane nec a Charonte, qui comiter eam transducit, anima vexata [1]) in Elysia nemora intrat laetaque pompa beatorum salutatur: heroinae facibus sertis floribus Elysiis insignes obviam fiunt coniugi bonae, poetae vatum Graecorum nobilis turba. Invenit puerulus et illic, qui ipsum amet mutasque Elysii volucres et pallidos flores dono det. Ante Plutonis solium recentes illae umbrae positae superstitibus additos annos a Fatis petunt.[2])

In Thebaide deinde 'horror silentum' prae Elysii deliciis praevalet. Sed quamquam et Furiarum et umbrarum in usu paulo nimius est, nonnullae res egregie sunt inventae velut XI 443, XI 587, XI 14 al.[3]) Nobis Amphiarai catabasis

1) Cf. II 1, 187; III 3, 22; V 1, 252; 3, 281.

2) III 3, 30; V 1, 259.

3) Qui in necyomanteae luco meridie (lucis adhuc medio Theb. IV 439) apparere dicuntur manes, me movent, ut eis, quae Bernhardus Schmidt de deis daemonibusque meridie visis congessit *Volksleben der Neugr.* p. 95 sqq., addenda proferam nonnulla. Ipse Statii locus fortasse ex Lucano adumbratus est III 432: medio cum Phoebus in axe est Aut coelum nox atra tenet pavet ipse sacerdos Accessus luci (monstris infamis). Empedotimo (cf. p. 347 adn. 2) ἐν μεσημβρίᾳ σταθερᾷ Plutonis et Proserpinae contingit ἐπιφάνεια (Procl. in Plat. remp. p. 19 v. 37 Pitr.). Anthol. IX 64 (Asclep.) Hesiodo meridie apparent Musae. Long. Pastor. II 4 sqq. Philetae se Amor ostendit ἀμφὶ μέσην τὴν ἡμέραν. Et in medio aevo mansit superstitio: Gervasius enim Tiburiensis de daemonum genere narrat 'in ipsius diei fervore et circa solis occiduum' apparente p. 30 Liebr.

ceteris potior est (VIII 1 sqq.). Quae cum unum certi *Καταβάσεων* generis, nimirum *Καταπόσεων,* extet exemplum, quod uberius descriptum sit, iam hac in parte eam enarremus. Manibus territis vates decidit ante ipsum 'ducis Erebi' tribunal[1]): quem iuxta Furiae Mortesque Parcae Cocytos et Phlegethon[2]) conlocati sunt. Fratris superi adrogationem increpitans[3]) Pluto ultionem statim parat Tisiphona ad monstra foedissima (fratrum caedem etc.) perpetranda sursum missa. Quod non inepte Statius invenit, cum etiam magis cum toto carminis stamine Descensus nectatur ita. Sensim Amphiaraus fit umbra, dum se defendit coram Plutone affirmans, nec canem nec dominam inferorum ut raperet, se venisse.[4])

Huius modi catabasis num 'in' Antimacho 'lecta fuerit', nescimus; qui *αὐτόν τέ νιν καὶ φαιδίμας ἵππους* solo rupto ad Orcum rapi simpliciter fingere poterat. Me si audis, haec Statiana est. Quod sane demonstrare non potero. Sed ni fallor totum carmen VIII 1 sqq. indolem aevi imperatorum insigniter prodit. Inventum si Statii est (Ponticum fortasse Liedloffius evocabit), non parva laude dignus est. Etenim Amphiarai illa cataposis egregium locum praebebat inferos describendi neque quaesitum: et satis modeste rem gessit.[5])

Est alterius saeculi Apulei fabula Met. VI 17, ut flos amoenus herbis venenosis, inserta metamorphosibus.

Rem breviter adumbrare opus erit. Psyche enim a turri sese praecipitatura[6]) — sic enim ad iussos inferos rebatur recte se posse descendere — arcetur ab ipsa turri: quae viam

---

1) De Plutone iudice cf. p. 374 adn. 3.

2) Fluviorum inferorum personas et alibi habes *Κωκυτὸν δ' ἀθέμιστον ὑπ' ὀφρύσι μειδήσαντα εἶδε* (Orpheus) Hermesianact. Leontii fr. 2 v. 9.

3) Iam Jeepius adtulit Claudianum sui Plutonis iram (Rapt. I 32 sqq.) ad Statii hunc locum expressisse.

4) Cf. Aen. VI 392 et p. 351 adn. 2.

5) Cf. p. 373 adn. 1.

6) Idem Aristophanes in Ranis 130—133: *ἀναβὰς ἐπὶ τὸν πύργον τὸν ὑψηλόν . . . εἶναι σὺ σαυτόν* (haec inter brevissimas vias est, *ὅπῃ τάχιστ' ἀφιξόμεθ' εἰς Ἅιδου κάτω*).

ipsi indicat. Per conterminam ergo Lacedaemonii Taenarum, ubi spiraculum Ditis (= Verg. VII 568) erat, per portas hiantes, iter invium incedit offas polentae mulso concretas manibus duas, duas ore stipes gerens. Incidit in asinum 'lignorum gerulum' cum agasone: cui, delapsa ligna tollat, roganti Psyche iussa non obsequitur.[1]) In flumine mortuorum est Charo, cui stipem ex ore sumendam porrigit.[2]) Transvehentem senex e gurgite precatur, ut in navigium se trahat, qui item non auditur[3]); nec, in quas post flumen incidit, 'telam struentes anus textrices'.[4]) Canis ante ipsa 'atra atria' Proserpinae excubans offula offrenatur.[5]) A dea ipsa, cuius 'opipare prandium' recusat[6]), pyxidem illam aufert. Recalcans priora vestigia offa et stipe alteris datis ad lucem redit lucemque adorat. — Praeter ea, quae in adnotatis dicta sunt, Friedlaenderianis quod adiciam, nil habeo.[7])

Restant tractandi Claudianus et Ausonius. Ac quos alter in Rufinum composuit mortuum libellos (ut in defunctum

1) An isto in agasone et asino Ocni eiusque asini paene oblitteratum vestigium extat? Quode cf. Paus. X 29, 2 et Cratin. fr. inc. 348; etiam imagines.

2) Nimirum ut plane emortua videatur, ne dat quidem ipsa.

3) Ex memoria eorum, qui in fluviis poenas pati dicebantur infernis (cf. p. 306 adn. 5), senem natum puto.

4) Parcas istarum anuum exemplar fuisse mihi veri simillimum est. Ac qui sententiam repellit, Hildebrand (ad l.) argumentis non validis utitur. Quod enim nent Parcae, anus istae textrices dicuntur, neminem fabularum vulgarium etiam mediocriter peritum offendet. Quarum ex indole est res personasque liberrime variare et inmutare. — Comparari poterit, quod Fatorum deae, 'sive ex Germanorum Parcis (Nornis) sive ex Romanis ortae sunt' (Grimm. Myth.[4] 344), in fabella Germanorum 'turpes anus' finguntur (fab. de III mulieribus, quae nent stamina, Grimm. fabell. pueril. 44).

5) Cf. p. 351 adn. 4.

6) Communis est superstitio ab inferis non licere cibum accipere cf. grana Proserpinae et Tylor. l. l. II 50 (etiam Rohd. Ps. 221 adn. 1).

7) Mor. Hist. I[5] 468 sqq. Nisi libellis ab illo adlatis addita voles Progr. Woblauense anni 1885 de Apulei fabellae per Ludovici XIV. saeculum apud Gallos forma et Bernhardi Schmidt *Neugriech. Märchen* praefationis adnotationem quae est in p. 14 (Zacynthi fabulam eandem ferri).

Claudium Seneca), iam compluriens tetigimus. Ipsi Claudiano adscribenda videtur Furiarum illa inferna contio [1]), cuius et ira furibunda et locus exprimuntur optime.[2]) In fine alterius libri argumentum Senecae est cf. p. 365 adn. 2. Locus, quo Rufinus degreditur, ex Vergilii opibus instructus est (quod apud Jeepium in indice auctorum II p. XCII non adnotatum est). Vergilii est Tartarus: ut eum, Phlegethon adluit etiam Claudiani 'locum'. Turris (469) porrecta ad auras Vergili item est (VI 554), solido rigens adamante — ut Tartareae portae solido adamante sunt columnae apud Vergilium (552). 'Quaesitorem Minoem', licet munus eius, ut iam apud Senecam (H. f. 733), magis amplum sit, ex Vergilianis memineris. Voce 'nolle fateri' (478) poeta lepide adludit ad Vergilianum 'subigitque fateri' (567). Conferas locos! Platonicorum, praesertim recentium, doctrinam in eis tenes, quae de poenarum ratione exponuntur inde a v. 480.[3]) Iam iterum in Platonica incidimus v. 491:

1) Claudiani contionem imitatione expressit Guenther nostras in saturarum alterius libri prima (cf. p. 365 adn. 4): ubi Barbariem cum Vitiis de hominibus a litterarum vero cultu seducendis contionantem describit. Qui deinceps eligitur stultitiae sospitator, Crispinum respondere Rufino facile est videre.

2) Ad locum, quo ascendisse dicitur Furia, pridem descendisse Ulixes (I 123 sqq.: extremum, qua pandit Gallia litus) cf. Strabonem 149 sqq. C., qui Ulixem in Iberia putat descendisse (ex Asclepiade Myrl.??) coll. Muellenhoff. *Altertumskunde* I 118 sq. (Erebea palus) et eis, quae de mortuis e Gallia in Brittiam insulam traiectis perhibebantur secundum Tzetzam ad Hes. Ἔργ. 169 et Procopium de bell. Got. IV 20 (cf. Plutarchum de fac. 26; de def. or. 18), vide Grimm. Myth. Germ.[4] p. 692 et praes. 694 sqq. et Eckermanni *Lehrbuch der Religionsgeschichte* vol. III[2] 30 sqq., qui locos et antiquorum et posterioris famae optime composuit; vide et Beauvoisium *Revue de l'histoire des religions* VII 273 sqq. et VIII 673 sqq., qui tamen in antiquis testimoniis mira simplicitate rem gessit: velut credit Ulixem a Celtis ad Graecos Elysii septemtrionalis famam pertulisse vel Plutarchi in dialogo de fac. orb. Lun. esse Sullam, qui loquitur, *le dictateur Romain;* sed de Celtarum superstitionibus uberrime disputavit et, videtur, eruditius.

3) Cf. Plato Phaedone 81 sqq. (lubidini obnoxii asini, rapaces lupi etc.) et Plotin. IV 3, 12 fin. *ᾧ ἂν ὁμοιωθεῖσα ᾖ, φέρεται ἡ μὲν* (*ψυχή*) *εἰς ἄνθρωπον, ἡ δὲ εἰς ζῷον ἄλλη ἄλλο* (coll. Zeller. III 2[3], 575, 590,

dico illud iter ter mille annorum, quod animis conficiendum est, priusquam in hominem revocentur.[1]) (Quamquam non prorsus cum Platonis mente conspirat Claudianus.) Item inustae pectori maculae (504 sq.) Platonis e disciplina adumbratae sunt: cf. Gorg. 524 E *οὐλὰς ἡ πρᾶξις ἑκάστου ἐξωμόρξατο εἰς τὴν ψυχήν* et quae ad Platonem dicta sunt.[2])

Sed ut etiam Senecae saturam, quam sublimiore poeseos veste induit Claudianus, in eo indagemus: ut Claudium ad tribunal Aeaci ducunt, 'quos praemiserat' c. 13. 14, Rufino occurrentes animae eorum, 'quos peremit', ipsum 'ad iudicis urnam' trahunt; ut apud Senecam deliberatur, quo famosorum suppliciorum Claudius afficiendus sit, omnibus deinde reiectis (c. 14), sic Rhadamanthus (Verg. VI 566) singulas illas poenas enumerat quasi Rufinum eis cruciaturus, deinde reicit et infra Tartarum et Chaos eum relegat (506 sqq.). Concedo duos poetas in simili re idem facile invenire posse, sed nisi fallor, imitatio statuenda erit vel si malis, eodem uterque fonte usus videatur. — Sed etiam laetiora de inferis lusit sera illa Romanae Musae proles, quem non ultimum amavit. Velut omnes quasi Cupidines ludunt per Orci illas nuptias de Rapt. II[3]) —

---

praes. adn. 1. Vide ad Lucianum p. 337 adn. 1. De gnosticis et recentissimis similium doctrinarum defensoribus Tylorum adeas l. l. II p. 17.

1) Comparata iam sunt *χιλιετὴς πορεία* de rep. 615 A; Vergilii mille anni (VI 748); Silii mille lustra (XIII 558).

2) Etiam alibi Claudianus novae Platonicorum doctrinae vestigia praebet velut de Raptu II 297: cuncta tuis . . cedent animalia regnis (Proserpina), Lunari subiecta globo, qui septimus auras Ambit et aeternis mortalia separat astris cf. Exc. II. — Non satis valeo ad dirimendam quaestionem de Claudiani patria non simplicem, sed si Alexandrinus fuerit, ille novorum Platonicorum color optime explicetur. Alexandria enim Platonicorum tum arx erat: memineris tantum Hypatiae, quae non multum post Claudiani mortem ab aeterni amoris apostolis insania bacchantibus dilacerata est, et eius cultoris Synesii.

3) Imitationem Statii in Claudiani Raptu affero hanc a Ieepio omissam: Ceres nimirum filiae sortem tristem divinans III 66 sqq. ad Atalantam Theb. IX 575 sqq. expressa est. Cf. Claud. 74: Stabat praeterea luco dilectior omni Laurus = Stat. 585: Nota per Arcadias felici robore silvas Quercus erat; Claud. 76: Hanc imo stipite caesam vidit = Stat. 593: Hanc

ut in suavissimis rebus suavissime depingendis exempla antiqua omnino aequiperat Claudianus (cf. praes. illa Veneris sedis et itineris descriptio tenerrima et omni decore insignis in nuptiis Honorii et Mariae). His Plutonis nuptiis ut omnis tristitia Acherontis laetitiae cesserit, plane egregie describit II 322. Illa arbor 'fulgens viridi metallo' Elysia videtur Vergilii ulmi, Senecae, aliorum taxi contrarium quoddam (II 290). Achero lacte tumens, Lyaeo Cocytus aureae aetatis monent: cuius rei duo minus trita exempla affero Luc. *τὰ πρὸς Κρόνον* 7 et 20.[1])

Ausonii denique tangamus lepidum de Cupidine cruciato epyllium: quo laetus deus forte ad inferos (somnio quidem) delatus a heroinis, quas sagittis fixerat, amore peremptis cruciatur in myrto famosa (v. 57 sq.): ea, qua quaeque mortem passa est, re urgent puerum, roseo serto ipsa Venus castigat. Singularum heroinarum imagines satis miro artificio adumbravit. Similes sunt epigrammatum corpusculo, quorum singulis singularum mors comprehenditur brevissime. Cf. Senecae Zethum p. 372.

Vergilii 'murteis campis' se excitatum istud lusisse ipse et in epistula et initio carminis profitetur; de argumenti auctore cf. epistula. —

Iam portus adest. Ingens aravimus aequor. Qua re sicubi non recto cursu tetendimus, ne nimis indigne feratis. Iam enim Plato: *ἔστι δέ,* inquit, *ἡ πορεία οὐχ ὡς ὁ Αἰσχύλου Τήλεφος λέγει· ἐκεῖνος μὲν γὰρ ἁπλῆν οἶμόν φησιν εἰς Ἅιδου φέρειν· ἡ δ' οὔτε ἁπλῆ οὔτε μία μοι φαίνεται εἶναι.*

In hoc denique fine Descensus quoscumque tractavimus brevi conspectu iterum perlustrare non alienum erit, per singula quidem litterarum genera eos enumerantes.

---

multo proscissam vulnere cernit deposuisse comam; Cl. 78: quaerentique nefas Dryades dixere gementes Tartarea furias debellavisse bipenni = St. 597: quaerenti nympha cruentas Maenadas atque hostem dixit saevisse Lyaeum.

1) Sic etiam Bacchis furore captis videbatur melle et lacte et vino solum tumere cf. Eur. Bacch. 142 N., Plato Ion. 534 A, Phil. Apoll. Ty. VI 10; VI 11 p. 213. 223 K.

Ac primum Descensus vestigium extabat apud Homerum. Quo non multo recentior est qui primam in λ necyiam contexuit. Hoc necyiarum est exemplar et origo. Artissimo cum λ vinculo consentaneum est contineri epicorum (A) carmina. Quorum primum incidimus in Nostos Minyadem Thebaidem Hesiodi de Theseo et Pirithoo epyllium. Nec Heracleae Pisandri Panyassidis Rhiani al. tacendae sunt. Inter Romanorum epicos Livius in Odusia primum exhibuit Descensum. Sequitur Vergilius in Aen. VI. Ex quo primus pendet Ovid. Met. IV 431. Idem in decimo imitatus est epyllium, quod de Orphei itinere Georgicis Vergilius inseruit, ut fortasse Alexandrinum huius exemplar item didactico carmini insertum erat. Senecae epicam in H. f. narrationem (658 sqq. ex Sophoclis Phaedra?) epicis licebit adscribere. Ex primi p. Chr. saeculi poetis epicis Lucano in Orpheo (et in Catachthoniis?), Silio in XIII, Statio in Theb. VIII Descensum adornare placuit. Tenello stilo Ausonius in Cupidine Cruciato Cupidinis anxia de Orco somnia descripsit. Huic quod simile lepido argumento fuisse videtur, Culicis exemplar num Descensum continuerit, non constat; quem nunc legimus, is rhetorum aperte olet ampullas. Agmen claudit Claudianus libri in Rufinum alterius fine.

Tragoediarum (B) quae prima ad nos facit Aeschyli *Ψυχαγωγοί*, ex Homero necyiarum fonte vel argumentum petit. Praeter quam unum certum tragici Descensus exemplum est Critiae Perithus. Satyricas fabulas duas licet adferre, quibus ad inferos iter potest celebratum esse: Achaei Aethonem et Sophoclis *Ἡρακλέα ἐπὶ Ταινάρῳ.*

Elegorum apud scriptores (C) et lyricos omnino poetas parca messis est. Namque tenerum hoc genus grande argumentum fugiebat. Orphei tantum iter scimus tractatum esse ab Hermesianacte Leontio. Nisi hoc additum voles, quod suas ipsorum, quas sibi fingunt, ad inferos degressorum sortes saepius describunt: Hor. Carm. II 13; Tibull. I 3; Prop. I 19 (cf. Plat. Apol. 40 *E* sqq.). (Stesichori *Κέρβερος* fortasse huc facit.) —

Frequentissimus vero catabasis formae usus est in comici satiricique (D) generis scriptis. Primum (a) respiciatur co-

moedia. Cuius tria discerni possunt genera. Unum est earum fabularum, quibus aureae aetatis in Orco beatitudinem quis videt: (*Κραπάταλοι* [et *Ταγηνισταί*?] cf. *Μεταλλέων* narrationem): quae paene ad solam audientium voluptatem spectant. Altero litterae castigantur, ita ut recentium imbecillitati sublimis defunctorum ars opponatur (*Βάτραχοι* et *Γηρυτάδης* cf. Archilochorum Ascensum). Tertiam classem eam dico, cui quid consilii fuerit, iam non perspicere licet: faciunt huc complurium poetarum *Τροφώνιοι* et Laberi Lacus Avernus et Necyomantia. Fortasse inprimis *δεισιδαιμονία* eis carpta est. Iam ad alias (b) parodici generis convertamus *Καταβάσεις*. Inter quas primum (α) eas respicimus, quae vel maxime ad populum spectabant. His praecipue usi sunt Cynici ad genera vel hominum vel vitae quaedam deridenda: scilicet Menippus in *Νεκυομαντείᾳ* et, qui eam imitatus est, Lucianus in eiusdem inscriptionis dialogo. Cf. Luciani Mortuorum dialogos et *Κατάπλουν*. Etiam Verae eius historiae huc pertinent. Ex Luciano toti pendent Byzantinorum Timario et Mazaris. Huic classi adscribimus etiam Senecae in Apocolocyntosi (e Lucilio?) et Horatii in Sermonum II 5 descriptiones. Species huius classis minoris notae sunt Phlyacographorum *Καταβάσεις* (Sotadis et Sopatri).

Inter hoc et quod statim appellaturi sumus genus videntur (β) medium quoddam tenuisse Cratetis Cynici (?) et Timonis in Sillis Descensus, quibus philosophos unos petebant. Similis indole et colore videtur fuisse Varronis *Περὶ ἐξαγωγῆς* Menippea cf. *Τριπύλιος Τριοδίτης*. Ennii quoque Epicharmum ad medium hoc genus revocaverim.

Altissimas etiam de summis rebus disputationes philosophi (E) Descensus forma involverunt, ut ad animos movendos apprime idonea. Cf. carmen *Ὀρφέως εἰς Ἅιδου κατάβασις*, Pythagorae Descensus, Platonis reipublicae libri X finis, unde pendet Plutarchus in dialogis *Περὶ τῶν ὑπὸ τοῦ θείου βραδέως τιμωρουμένων* et *Περὶ τοῦ Σωκράτους δαιμονίου*. Item Heraclidis Pontici Empedotimus (cf. Procl. in remp. p. 19 sq.) poterit commemorari.

Denique in fabulis popularibus (F) Descensum licet comprehendere. Cuius exempla habemus Apulei Psychae iter infernum, Luciani Philopseudis c. 25, personati Callisthenis de Alexandri expeditione narrationem, [Antonii Diogenis *τὰ ὑπὲρ Θούλης ἄπιστα*].

Excursus I.

DE HERCULIS AD INFEROS ITINERE.

Huius capitis initio venia primum mihi praefanda erit. Etenim qui singulorum de deis heroibusque degressis mythorum supra promiserim (p. 254) saltem historiolas, nunc unius Herculei itineris formas per litteras secuturus sum. Nam licet nunc quoque eis quae, de illis mythis dicta sunt, non nulla addere possem, temporis vi valde vexatus tamen satius duxi alio loco et uberius quam nunc poteram eos enarrare. Quare de Theseo (cf. Volkmann Anal. Thesea) Orpheo Amphiarao Baccho Cerere (Foerster *Raub der Pers.*) Hecata (schol. Ambr. Theocr. II 12) et de eis, quos item tractandos proposueram, *Ἑτερημέροις*, Proserpina Dioscuris Adonide Aethalide notos mythologorum et archaeologorum (Prelleri Roscheri Zoegae aliorum) interim adeas libros.

Iam Herculis mythum enarro, quode uno aliquid copiosius nunc disputare possim. In quo describendo valde me doluit, quod ea re, quae semper cum litterarum testimonio iungenda erit, non ut par erat uti licuit, imagines dico antiquas, quippe archaeologicae disciplinae rudi adhuc et tironi.[1] Haec praefatus ad rem adgredior:

Forma quae Homeri tempore erat mythi haec fere videtur statui posse: Hercules Eurysthei iussu (*Θ* 262 *T* 122 [*λ* 621])

---

1) Quod etiam ceteram dissertationem conscribentem dolebat. Quamobrem etiam Polygnoti tabulam (cf. Niciae imaginem Plin. N. H. XXXV 132) tractare omisi.

Minerva[1]) (Θ 366 sqq. [λ 626]) [et Mercurio λ 626] adiuvante ad Stygis flumina devenit, Cerberum, qui nondum videtur nomen accepisse, detracturus (Θ 369, λ 623). [Ipsum Orcum ἐν πύλῳ ἐν νεκύεσσι sauciat. Cui Apollo in Olympum fugienti medetur *E* 397.] Uncis extrema ista inclusi, quia num recte adiciantur, ex vocis ἐν πύλῳ ἐν νεκύεσσι interpretatione difficillima pendet. Sunt enim qui πύλῳ pro feminina voce antique dictum putent; sunt qui oppidum velint significari, alteri ad Cerberi eductionem referendum locum rati, alteri alienum ab ea esse. Lances pendam. Ac si vox statuenda erit singularis πύλος, hi scrupuli exsistunt. Licet aliorum nominum duplices producantur formae, velut χόλος χολή φθόγγος φθογγή τῖμος τιμή (cf. Eusth. ad *E* 397), tamen in loco, qui duplicem admittit interpretationem, novum et singulare prae simpliciore eligere rationis non est. Videtur etiam lex alia esse nominum istorum, nimirum ad illorum exemplum πυλή, non πύλη illam gemellam formam exspectaveris. At Herculis cum Orco apud inferos pugnae videtur sane extitisse memoria. In antiquo enim scypho Argivo (cf. Conzium in Diurn. Arch. 1859 t. 125) vibrat lapidem contra Orcum Hercules, pone quem Cerberus uniceps est. Et per se profecto veri simile est secundum antiquam fabulam non inertem fuisse Orcum, cum raperet canem heros. Dubitaverunt an falsario pictura sit tribuenda (cf. J. Schneider in diss. Lips., quam de XII Herculis laboribus publici iuris fecit 1888 p. 24 sqq.), sed quantum ex archaeologis comperi, non est, cur scyphus damnetur, et ipse Schneider dubium esse iudicium concedit. — Iam audiatur altera pars. *Πύλον* si oppidum intelleges, primum offendit illud ἐν νεκύεσσι βαλών. Sed constructio q. d. defenditur similibus cf. praes. ἐν κονίῃσι βαλών *E* 588 al. Nec illud parvi pendes — quod iam alii indicavere — quod Mars ipse Diomede aegre evitato in simili re ἦ τε κε δηρόν, inquit, αὐτοῦ πήματ' ἔπασχον ἐν αἰνῇσιν νεκάδεσσιν *E* 885 sq. cf.: Faes. ad l. Tum sensus hic exsi-

1) Quae ubique huius facinoris comes apparet. Alexandrina videtur singularitas, quod apud Stat. Theb. VIII 513 Hercules Minervae etiam in hoc certamine sibi comitem exsistere negat licuisse.

steret: Orcum deiecit Hercules inter mortuorum acervos ad instar mortui cadentem. Deum autem immortalem inter ipsos mortuos iacere, quorum tactum reformidat, nefas est: et vim ita sensus haberet. Sic re ipsa quodammodo excusatur singularis ista iunctura ἐν νεκ. βαλ. Deinde apud Pylum, licet 'Apollodorus' unus diserte prodiderit Orcum vulneratum esse, tamen pugnavisse cum Hercule deum inferorum iam Pindarus dicit (Ol. IX 33). Ergo mythum antiquum habemus, ad quem res ista referatur. Et quae illius pugnae apud posteros fertur occasio, in ipsa Iliade extat (Λ 691 sq.): scilicet Hercules Neleo[1]) bellum infert. Item potuit iam tum in mytho esse etiam deos, Pyliorum patronum Neptunum Orcum alios, Neleo auxiliatos esse. Orcum enim cum Pyliis et Nestoris praecipue gente arte cohaerere probavisse videtur H. D. Mueller in Graecarum gentium mythologia p. 157 sqq.; cui licet non assentiar totam Nelei familiam in Plutonis ὑποστάσεις dissolventi, tamen multa Nelidarum nomina ab Orco petita esse ostendit (cf. nunc Rohd. Ps. I 194, 1). Ut nec videntur errare, qui oppidi nomen cum ianua Orci iungunt aditum ad inferos Pyli creditum esse arbitrati. Quamquam concedendum est tradi quidem illud de Eliaca Pylo sola, ad quam et pugna ista a posteriore aevo tralata est, cf. Paus. VI 25, 2 ἱερὸς τοῦ Ἅιδου περίβολος.

Hinc Orci cum Hercule quandam pugnam mature Pyli conlocatam esse veri simillimum opinor; iam Homeri temporibus ibi conlocatam esse demonstrari sane nequit.

Trutina quantum video fere in aequilibrio est: utra interpretatio Iliadis loco apta sit disceptare me nequire confiteor. Pronus sum ad alteram. In ἀπορίαις eius modi nos ignorare haud turpe est profiteri. Sed prorsus frustra non disputavimus. De mytho enim ex eis quae exposui hoc cum probabilitate, puto, statuere poterimus: ab initio quidem Πύλος illud locum quendam significavisse, ubi Ἅιδου πύλαι credebantur esse (cf. etiam Usenerum de Iliadis carmine quodam

1) Belli causa vix iam erat Iphiti caedes non purgata (Ap. II 6, 2), cf. Nitzschium ap. Emersonum de Hercule Homerico p. 23, quem sero inspexi; aliam causam ipse Emersonus statuit p. 25 et probabiliorem.

Phocaico, qui *Σίπυλον* optime adlegat); hoc deinceps loco (nescio qui fuerit ac ne hoc quidem scio, num ab initio oppidum fuerit cf. *Σίπυλος*) famam fuisse Herculem degressum esse et Orcum telo ipsum fixisse, postea re ad Messeniam Pylum tralata et, quae erat cum Neleo, pugna adglutinata mythi formam corruptam esse.[1]) — Quam simplicissimam statuendam esse Homericam fabulae formam, necdum de pelle et clava in lucta depositis (cf. schol. ad *Θ* l. l.), quae posteriores addiderunt, nec de Theseo liberato cogitandum esse vix est quod dicam.

Non ita multum post Homerum Thesei fabula cum mytho conflata videtur, cf. Hesiodi carmen p. 278 et Minyas p. 283. Heraclearum qui feruntur auctores Cinaetho Cono Demodocus Diotimus Phaedimus Pisinus vana sunt nomina. Copia materiae omnes laborasse illos Aristotelis reprehensio docet, qui eos satis habuisse dicit de uno viro carmen pangere, cum 'mythum' necesse sit unum esse (Poet. VIII). Magis dolendum est Stesichori carmen *Κέρβερος*, quo Herculis videtur Descensum celebrasse, plane periisse. Etiam Pisandri Rhodii, quode primum accuratiora praesto sunt, vestigia in eo quod nos quaerimus evanida sunt facta: qui Herculis certamina ad certum numerum primus coercuisse a Welckero putabatur coll. Theocr. epigr. VI (XX), clavam et pellem induxisse dicitur a Strabone XV 668[2]); sed prioris rei gloriam eripere ei studet Wilamowitzius *Herakles* I 308 sq., non iniuria videtur; gloriam alteram ex parte eripit archaeologia (clavam cf. Furtwaengler ap. Roscherum 2138). Nec de Panyassidis Heracleae XIV libris ad nos fructus redundat, nisi quod Theseum et Pirithoum pro adligatis eum concretos cum saxo finxisse tradunt (Paus. X 29, 9).[3]) — Plenissima pugnae enarratio ex-

---

1) Ad totam quaestionem cf. Preller Myth. Gr. II 239 sq., Roscher Lex. Myth. 1781 sq., Boeckhius ad Pindari Ol. IX 31 sqq., Ahrens in Philolog. XIX 401 sqq., nimis tamen sua ratione obstrictus ille quidem.

2) Alios alii volebant cf. Ath. 512 F 513 A.

3) Cf. schol. ARh. *Α* 101: *καθεσθέντες αὖθις καταστῆναι οὐ δεδύνηνται.*

tat in Apollodori q. d. libro, ex poeta ea haud dubie excerpta. Quam secundum ultimum Hercules certamen subiturus ad Eumolpum antea Eleusinem proficiscitur: a quo propter Centaurorum caedem lustratus mysteriis initiatur (cf. p. 286 adn. 2 et de eius omnino cum mysteriis ratione Roscher. Lex. 2185 sqq.). Taenari in Laconico promunturio in terram ingreditur. Fugiunt eum animae[1]) praeter Medusam et Meleagrum.[2]) *Πλησίον τῶν Ἅιδου πυλῶν* Theseum et Perithoum invenit *δεθέντας*[3]) manus tendentes *ὡς ἀναστησομένους διὰ τῆς ἐκείνου βίας*. Theseum manu prensa avellit, Perithoum terra perculsa mittit, Ascalaphi saxum devolvit. Sanguinem ut animis suppeditet, bovem Orci gregis mactat. Menoetes pastor lucta ab ipso victus Proserpinae precibus servatur. Cerberum a Plutone petens iubetur armis depositis domare. Quem invenit in Acherontis portis: thorace saeptus et 'leonis tegimine' tectus capite manibus presso devincit eum.[4]) Per Troezenium specum canem evehit iterumque in Orcum portat. Quis huius narrationis auctor sit, certo dici nequit. Duo de eo tamen dici possunt: primum non antiquissimum eum fuisse, quoniam pellis leonina iam occurrit (cf. supra); deinde cum mysteriis Eleusiniis eum artius iunctum fuisse, quod probant initiatus Hercules Ascalaphus (qui 'grana Proserpinam gustasse prodidit' [Myth. Vat. I 7) Apollod. I 5, 3] Proserpina intercedens. Alterum hoc ad Panyassin quadraret, qui Cereris errores

1) Expressum opinor ad λ 605: *ἀμφὶ . . μὶν* (Herc.) *κλαγγὴ νεκύων . . ἀτυζομένων*.

2) 'Subita formidine' in horrendam Gorgus faciem gladium vibrat, dum a Mercurio edocetur, *ὅτι κενόν ἐστιν εἴδωλον*. Quod ad Aeneam suum transtulit poeta Romanus Aen. VI 290, qui item aciem strictam (nisi quod iam stricta erat 260) monstris offert, dum admonet vates 'tenuis sine corpore vitas volitare cava sub imagine formae'. Puto Vergilium ipsum legisse carmen, unde 'Apollodori' caput haustum est. — De Meleagro cf. schol. Φ 194 et p. 284 in.

3) Non de vinctis, sed de saxo fixis hanc vocem intellegendam docent ea quae sequuntur.

4) *Καίπερ δακνόμενος ὑπὸ τοῦ κατὰ τὴν οὐρὰν δράκοντος*, ut est etiam in picturis e. g. in vasibus Canos. et Altamur.

(fr. 16) et Triptolemum (fr. 24, hunc fortasse in Ionicis cf. Kinkel. ad l.) memoraverat certe; item Theseus et Pirithous, saxo adhaerentes quadrarent. Sed ad auctorem evincendum ea non sufficiunt. — In Sophoclis Phaedra de canis raptu a Theseo narratum esse probabile videtur ex fr. 625² N. cum Senec. H. f. 810 sqq. conlato; cf. etiam fr. 624. Praestat huic opinioni se adplicare, quam Welckero (Trag. I 399). Quamquam nimis longa de inferis narratione Sophocles non putandus erit audientium animos a fabulae argumento avertisse[1], ut avertit Seneca. Eiusdem Sophoclis σάτυροι Ἡρακλῆς ἐπὶ Ταινάρῳ idem fortasse Herculis facinus celebraverunt: cf. Toupius apud Nauckium² p. 178 et fr. 210; fortasse etiam fr. 207 inferorum est: poteris enim comparare Cyclopum educta caminis moenia Aen. VI 636. (Vide et Odofredum Mueller *Kl. Schr.* I 468).

Alexandrinos deinceps pro indole et obscuriorem de catabasis loco famam excoluisse (Ἀχερουσίας ἄκρη) et argumento ingenti adnexuisse ludicram paene de aconiti origine fabellam supra expositum est cf. p. 316.

Ac quando quidem de Rhiani Heraclea nil quod nostrae rei sit notum est, Seneca tandem tractandus erit. Per Taenarum degressus Charontem accedere propius vetantem ipsum trans amnem transmittere cogit, cumba pondere herois immersa utrimque Lethen bibit.[2]) Iam pugna incipit: 'uterque timuit'[3]), ut in vasorum picturis (Gerh. *Ausg. Vas.* II 129) Hercules aspecto cane metu paene concidit.

1) Brevis eius modi narratio etiam in Euripidis Ἱππολύτῳ Καλυπτομένῳ fuisse potest cf. fr. 443 N.

2) Cf. Verg. VI 414 et p. 351 adn. 3. — Versus 772: 'siste properantem gradum' Vergilii est 'comprime gressum' (VI 389). Ad monstra fugientia cf. H. Oe. 1925 sqq. — Quid poenae propter indulgentiam passus sit Charo, ex Orpheo narrat Servius Aen. VI 392 (= Myth. Vat. II 150), cui similem recentis Graeciae fabulam comparaverim, quae extat apud Bernhardum Schmidt *Volksleben* I 235. Ad Charontem coactum Schmidtius comparavit Zachi herois Descensum, ubi simili terrore corripi dicitur portitor l. l. 244.

3) Utique sic legendum; nili est Madvigii 'leviterque'.

Clava ictus ingeminans et pelle defensus[1]) monstrum perdomat. Nova haec fabulae forma, ex qua clava Cerberus edomatur, unum apud Quintum praeterea invenitur VI 265: id quod vidit Liedloffius l. l. p. 27. Quo uterque fonte usus sit, certo dici nequit: Alexandrinus videtur fuisse (nam Phaedra fortasse Quintum usum esse non credo).

De mytho in universum dicta adnecto quaedam. Quod multa oppida Herculis Descensum sibi vindicabant, Herculis persona vulgo acceptissima et iucundissima facile explicatur.

Atque de loco quidem Descensus satis constans erat fama: Taenarum putabant Apoll. l. l. § 3; Eur. H. f. 6; Paus. III 25, 4; Senec. l. l. 665; Serv. Georg. IV 466; praeterea Acherusiaca rupes sola respecta esse videtur, quade cf. p. 315. Ascensu suum oppidum celebratum voluere Hermionenses (Eur. H. f. 615; Paus. II 35, 10 per *γῆς χάσμα ἐν τῷ Κλυμένου,* ubi erat et Acherusius lacus), Troezenii (Paus. II 31, 2; Apoll. l. l. § 9), Boeotii Laphystii accolae (Paus. IX 34, 4 *Ἡρακλῆς Χάροψ!*). Taenarum solus Seneca ponit. Utrum reduxerit canem necne, varia videtur exstitisse memoria; diserte, quod sciam, reductus Cerberus memoratur solum apud Apollodorum l. l. § 9: *πάλιν ἐκόμισεν εἰς Ἅιδου.* — Singula quaedam addo: fabula quae est apud Ovidium Met. X 615 de homine propter Cerberum conspectum in lapidem verso Alexandrinorum videtur. Eurysthei timor (dolium) vulgi mythis, dein comoedia cultus videtur esse (etiam in imaginibus, e. g. Mon. Inst. VI 36). A posterioribus mythographis etiam Alcestidis fabula cum Herculis itinere conglutinatur: Myth. Vat. I 92 (ubi ad Tricerberum cf. Serv. Aen. I 133).

Euhemeristicas interpretationes habes Hecataei (Paus. III 25, 4), Philochori (fr. 46 Muell. = FHG I 391 sq. cf. Plut. Thes. c. 31 et 35, Ael. Var. Hist. IV 5 [tribus his locis Cerberus in Thesei reductione memoratur tantum, non diserte abductus dicitur], Tzetz. Chil. II 36, 406, etiam Anon. de Incred. VI

---

1) Cf. schol. *Θ* 368: *τῇ δορᾷ ἐχρήσατο ἀντὶ ἀσπίδος*; Apollod. l. l. *τῇ λεοντῇ.*

p. 322 West., qui sic fere videtur corrigendus: *Ὅτι Κέρβερος* ⟨*κύων* vel *κύων μέγας*⟩ (quod etiam animo tantum suppleri fortasse licet) *Ἀϊδωνέως ἦν βασιλέως Θεσπρωτῶν*: nam hominem a furibus *ἐξαιρεθῆναι* quis dixerit?), Palaephati XL p. 302 sq. W., Heracliti de Incred. XXI (coll. Artemid. Onirocr. II 55 et Philochori fragmento laud.) et XXXIII, Servii ad Aen. VIII 276 = Myth. Vat. II 150.[1])

Excursus II.

DE LUNA ANIMARUM SEDE.

Scripseram ante annum fere haec: 'De luna quicquid antiquis creditum sit, si penitus exhaurire volueris, librum facile ac lepidissimum compleas.' En prodiit. Roscheri Selenen dico, in qua physicae tantum opiniones desunt. Quo libro quamquam etiam de Luna defunctis tributa copiosius egit (p. 120 sqq. et praef. adn. 357), mea, qualiacumque ipse conscripseram, tamen proferenda duxi, quia non nulla addere potero et paulo diversa mea est ratio.

---

1) Illo capite postquam Charontis poenam (= Serv. Aen. VI 392) narravit mythographus, sic pergit: Sed Hercules quidem obiecta (rest. Maius; cod. abrepta) sibi Megaera a Junone dicitur territus exhorruisse. Quod mire additum nisi fallor ex Lucani quodam loco hausit. Erinnys enim civilis a Lucano talis urbem cinxisse dicitur, qualis Agauen impulit 'aut qualem iussu Junonis iniquae Horruit Alcides viso iam Dite Megaeram' I 576 sq. Quam alteram comparationem ad Herculis furorem spectare (de Megaera cf. Sen. H. f. 102) nemo negaverit. Aliter visum est scholiastis Lucani Berol. et Lips. (B Le Lb). Qui ut obiter legebant fabulaeque vix mediocriter periti erant, ad Herculem apud inferos versantem illud enuntiatum rettulere; quod conlegisse videntur ex verbis *viso iam Dite*, quorum egregium acumen plane eos fugiebat. Item perperam mythographus, opinor, (vel quisquis eius erat auctor) intellexit locum, qui propterea aptus videbatur, quem Herculei ad Cerberum itineris narrationi adnecteret.

Quantum scio, primi Orphici incolis lunam habitari docebant, fr. 81 Ab. (coll. Plut. Plac. II 13 = p. 343 a 11 Dieles. κόσμοι ἀστέρες). Quod idem tum docuere Pythagorei[1]) (Plut. Plac. II 30 p. 361 a 4 et 64 Diel.), ita ut lunam iam meliorem et puriorem terram quandam statuerent (Zeller I[4] 395 adn. 2). Iidem iam *ἰσθμὸν ἀθανασίας καὶ γενέσεως τὸν περὶ τὴν σελήνην δρόμον* (ut postea dicit Ocelus de Univ. II 1, Zeller III 2 p. 134 adn. 1) professi videntur, cf. Philolaum Stob. I 173 W. Item Aristoteles mundum divisum voluit in duas partes, caelestem et terrestrem (Zeller. II 2[3] 434 sqq.), quas luna discriminatas dixit (Plut. Plac. II 4 p. 332 Diel.). In ipsa autem luna eum alius ac nostrae condicionis animalia posuisse ex ipsis eius scriptis cognoscere licet: Gen. An. III 11 p. 761 B 13 *τὸ δὲ τέταρτον (τῶν ζῴων) γένος οὐκ ἐπὶ τούτων τῶν τόπων δεῖ ζητεῖν, καίτοι βούλεταί γε τι κατὰ τὴν τοῦ πυρὸς τάξιν εἶναι· ἀλλὰ δεῖ τὸ τοιοῦτον γένος ζητεῖν ἐπὶ τῆς σελήνης* coll. de Respir. 13 p. 477 A fin. et Zeller. II 2[3] 553 adn. 4 fin.[2])

Num primi Pythagorei iam lunam tribuerint manibus vel daemonibus, certo sciri nequit, cum testimonia extent posteriorum tantum (Iambl. Vit. Pyth. 82; cf. 30 *οἱ δὲ τῶν ἐν σελήνῃ κατοικούντων δαιμόνων ἕνα (Πυθαγόραν) ἐφήμιζον*). Primus ni fallor rei certus testis est Plutarchus, qui fortasse a Platonicis[3]) hoc sumpsit, sicut illi fortasse sumpsere

1) Etiam Anaxagoras *κόσμον* dixit lunam, cf. Dieles. Dox. 356, 9 et Zeller. I 902 adn. 6 et Platonis demiurgus *σπεῖραι τοὺς μὲν εἰς γῆν, τοὺς δ' εἰς σελήνην κτλ.* dicitur Tim. 42 D.

2) Animalia magnitudine saltem a nostris diversa Lunae adscripsit Anaxagoras, cf. Mein. Anal. Alex. 84 sqq., etiam Plut. de fac. XXIV 6. Affert Meinekius Epimenidis versus: *καὶ γὰρ ἐγὼ γένος εἰμὶ Σελήνης κτλ.* Hoc versu num ipse loquatur Epimenides, nescio — ut Musaeus Lunae proles dicebatur. Hanc quidem fabulam inde explicandam, quod unus ex geniis ille, ut postea Pythagoras (Vit. Iambl. § 30), creditus sit, quos fortasse iam tunc in luna conlocarent, non asseruerim. Sua ratione eam interpretatur Proclus Tim. 326 C (Musaeo *Σεληνιακὴ ψυχή*). — Ova parere lunares feminas docuerunt et Neocles Crotoniates et Herodorus Heracleota cf. FHG II p. 35 sq. et Eust. ad Odyss. p. 1686 et 1488.

3) Ex Xenocrate, quem mira captavisse et valde pythagorissavisse

aeque ac multa alia a Pythagoreis. Argumentati vero sunt isti philosophi hoc modo. Proficiscebantur a lunae quae in mundo est media quadam conlocatione et ratione physica.[1] Sic luna, quae meta mortalium rerum et immortalium statueretur, apta erat. Hinc lunae globum mediae cuiusdam virtutis stellam finxerunt, Platonis Phaedon. 109 A sqq. terrae verae similem i. e. nobiliorem et puriorem nostra[2]) et γῆν ὀλυμπίαν dixere caeli et terrae nominibus coniunctis.[3]) In eius modi stella daemones i. e. animas sive ad puriora sidera ascensuras sive in corporis carcerem redituras conlocare pronum erat.[4]) Namque etiam τὸ δαιμόνιον γένος μεταξύ ἐστι θεοῦ τε καὶ θνητοῦ (Plat. Conv. 202 E). Eadem de luna posteriores docuere Pythagorici cf. Iambl. locos supra laud.[5]); et similia

---

scimus? Ad quem ut recedit initium c. 13 de def. or., etiam ea quae sequuntur recedere videntur. Saturnum de fac. 26 in insula Britannica catenatum et a geniis, qui totam illam de luna narrationem hospiti nuntiasse dicuntur (c. 30, 15), custoditum et Parcas ibd. 30, 13 sq. ex Xenocrate petita Schmertoschius suspicatur l. l. p. 14 et 32 (cf. etiam de fac. 29, 4 Xenocratem adlatum).

1) Cf. Plut. de fac. 10, 3: τοσοῦτο τῇ γῇ προσκεχώρηκεν, ὥστε εἰ τοῖς τόποις τὰς οὐσίας διαιρετέον ἡ γῆς μοῖρα καὶ ὥρα προσκαλεῖται σελήνην .. καὶ οὐδὲν οἶμαι πλημμελοῦμεν ὅτι .. ἀπολείπομεν .. τῷ κάτω περιδρομὴν καὶ πλάτος, ὅσον ἐστὶν ἀπὸ γῆς ἐπὶ σελήνην. Cf. 15, 5 et de def. 13: μικτὸν σῶμα καὶ μίμημα δαιμόνιον (ἡ σελήνη) τῷ τῇ τούτου τοῦ γένους συνᾴδειν περιφορᾷ, φθίσεις φαινομένας δεχομένη καὶ αὐξήσεις καὶ μεταβολάς .. Ὥσπερ οὖν εἰ τὸν ἀέρα τις ἀνέλοι καὶ ὑποσπάσειε τὸν μεταξὺ γῆς καὶ σελήνης, τὴν ἑνότητα διαλύσει .. τοῦ παντὸς, οὕτως οἱ δαιμόνων γένος μὴ ἀπολείποντες.

2) Cf. de fac. 21, 12. Huc eodem ni fallor etiam Antonii Diogenis γῆ καθαρωτάτη spectat i. e. terrena labe quam maxime vacua; quam vocem aliter intellexit Rohdius fabb. Rom. p. 268 adn. 2.

3) Cf. Lobeck. Agl. 500 (Macrobii locus legitur p. 57 = c. XI 7 et 8 Jan.) et de facie 21, 15.

4) Similem in modum Aristophanes Platonicus trium illorum hominum generum τὸ ἀμφοτέρων (ἄρρενος καὶ θηλέος) μετέχον in luna conlocat, ὅτι καὶ αὐτὴ ἀμφοτέρων μετέχει. — Favebat huic toti doctrinae etiam quae credebatur lunae in nascentes vis et Hecatae cum Luna confusio, cf. Roscher l. l. p. 55 sqq. et 115.

5) Cf. etiam Ioann. Lyd. de Mens. IV 53 et de Ost. 16 (qui fortasse

recentiores Platonici illi. Cf. Porphyr. de Antr. p. 69 N.: *σελήνη οὖσα γενέσεως προστάτις*; idem ap. Stob. I 448 W.: *αἰνιττόμενος (Ὅμηρος), ὅτι ταῖς τῶν εὐσεβῶς βεβιωκότων ψυχαῖς μετὰ τὴν τελευτὴν οἰκεῖός ἐστι τόπος ὁ περὶ τὴν σελήνην, .. Ἠλύσιον .. πεδίον εἰκότως προσειπὼν τὴν τῆς σελήνης ἐπιφάνειαν* (ad seqq. cf. Plut. de fac. 27, 5 et de Gen. Socr. p. 745, 50 Dueb.) et Eunap. Vit. Soph. p. 37 Boiss., quem locum Rohdio debeo l. l.: *σοὶ* (Eustathio coniugi futuro ait mira illa Sosipatra) *περὶ σελήνην ἡ χορεία κτλ.*[1]) Ad Platonicorum placita redit etiam Iulianus Conv. 307 C: *ὑπ' αὐτὴν τὴν σελήνην ἐπὶ μετεώρου τοῦ ἀέρος ἐδέδοκτο τοὺς Καίσαρας δειπνεῖν· ἀνεῖχε δὲ αὐτοὺς ἥτε τῶν σωμάτων κουφότης .. καὶ ἡ περιφορὰ τῆς σελήνης.*[2])

Nescio an ad Platonicos et Servii hi loci pertineant: Aen. V 735: Elysium secundum theologos circa lunarem circulum ubi iam aer purior; VI 40 (= Myth. Vat. III 6, 12): prudentiores dicunt animas recentes a corporibus sordidiores esse donec purgentur; inde est quod aliae animae lunarem circulum, aliae solstitialem (Myth. Solarem) retinere dicuntur;[3]) VI 887. Etiam Stoicos similia docuisse de orbe lunari videbis ex eis quae adtuli p. 375 adn. 1.

---

ex Labeone vel Nigidio ea hausit). De geniorum etiam apud priores Pythagoreorum novorum sede vide Zeller. III 2, 139 adn. 1.

1) Cf. Wyttenb. ad l.; vide Macr. Somn. I 11, 6 et 7 (lunares populi); nostrae diss. p. 387 adn. 2; etiam Zeller. III 2 p. 570 et 669.

2) Iuliani Orcus item ac Plutarcheus in aëre fingi videtur lunae propinquior, nam 310 D *ἀποστεφανωθέντα τὸν Νέρωνα ὁ Κωκυτὸς εὐθέως ἥρπασεν* coll. 310 B. De luna cf. praeterea Iul. 149 D et 434 C.

3) Mira doctrina est ap. schol. Bern. Lucani II 2: 'ad lucem animae post resolutionem corporis perveniunt purgatae primum lunae aquis, post solis igni.' Desperat Usener in adn. crit. de indagando auctore. Suspicor Manichaeorum vestigia nos tenere. Duo enim primum regna, quae scholii initio memorantur, congruunt cum duplici noctis et luminis Manichaeorum regno. Item congruit, quod e confusione quadam mundus dicitur generatus, cf. Herzog *Realencyclopaedie*² IX p. 235. Quod mundum inter duo regna contentione quadam vagari in scholio obscure dicitur, ad illud fortasse spectat, quod Manichaei mundum suspensum essse volebant Herzog. l. l. 235 (contentio = *Anspannung?*). Praesertim vero prorsus de purga-

Hanc de luna animarum sede opinionem quisquis primus philosophorum induxit, videtur sumpsisse ex populi superstitionibus, suis deinde firmasse argumentis. Nam et aliis ea gentibus nota est: velut Indi mortuos ad lunam primum docebant ascendere; unde qui illic versando acquiescerent, ad novam *γένεσιν* cogi redire, Weber *Ind. Stud.* I 398 adn. †. Idem mireris apud gentes Americae terrae septemtrionales credi: *Die Osagen glauben, dass die Seelen der Toten sich auf dem Monde aufhalten*, Theod. Waitz *Anthropologie der Naturvoelker* III[1] 197. Alia composuit Tylor l. l. II 69 sq. Inde videntur omnes finxisse, quod defunctorum animas in eam stellam quae nobis proxima est traducere a simplici animo non ita alienum est.[1])

---

tione animarum utraque conspirat doctrina. Per Columnam enim Gloriae mortuorum animae primum in Lunam ascendere dicebantur Manichaeis, ubi quindecim per dies lavantur lacu bona aqua, deinceps in Solem, ubi purgantur igni; denique ad veram admittuntur lucem cf. Walch *Historie der Ketzereien* I 764 et Herzog *Realenc.* l. l. 236. Cf. Plutarchum ex luna ad solem? animas ducentem de fac. 28 coll. 30, 11.

1) Recentiorum Jean Paul Richter (cf. p. 331 adn. 3) lunam paradisum quendam describit in narratiunculis *Die Mondfinsterniss* vol. III 31 sqq. H. et *Der Mond* l. l. p. 48 sqq.

INDEX.[1]

1) Qui post virgulam positus est numerus, indicat adnotationem.

CORRIGENDA ET ADDENDA.

Ad p. 259 adn. 1: Cum Wyttenbachii locum quem adtuli non accuratius (praeter adnot. p) inspexissem, ex retractato haec cognovi: 1. Democriti frg. illud falso me 'nuper repertum' dixisse, ut quod iam Morus descripserit, 2. Wyttenbachium etiam de redivivis antiquorum libros illic composuisse l. l. p. 414—418.

p. 264 v. 14 a. f. lege *putes* pro *putares*.

p. 272 v. 2 scribe *Eustathium* pro *Eusthatium*.

p. 275 v. 3 a. f. lege *hoc* pro *hac*.

Ad p. 279 adn. 2: Quod Spiro de Euripidis Phoenissis adn. 82 ianitorem Orci quendam sibi indagasse visus est, vereor ne Cerberus ille sit cf. Hor. Carm. III 11, 16 cum Verg. Aen. VIII 296 et Silii II 552, III 36. At in Lucani, quem in adnotatione laudavi, loco (VI 701 sq.) sane extat ianitor singularis. Quem Cerberum (cui viscera spargere dicitur) non esse apparet. (Fortasse, si audacius coniectare licet, Anubis vel Hermanubis, animarum apud Aegyptios dux [cf. Roscheri lex. 386], intellegendus erit, qui etiam Romae et Lucani quidem aetate colebatur [cf. Drexler ap. Roscherum l. l. 2308]. Quem Statius Silv. III 2, 112 Lethaeum ianitorem vocat. Atque in necyomanteis magorum, quos Lucanus in Erichthus obsecratione compluriens sequi nobis videbatur [cf. p. 369 adn. 1], eum adhibitum docet Drexler l. l. 2312. Ut thois vel canis caput tribuitur deo, ita cum cane ad pedes eius locato saepius, velut in alterius saeculi nummis [Drexler 2311], in-

venitur repraesentatus — id quod cum Lucani loco bene convenire vides.)

Ad p. 283. Nullam mythi formam extare, qua Thesei vindicatio a Cerberi raptu secreta sit, celerius fortasse dixi. Secus enim sentit Zoega *Bassirilievi* II p. 58 sqq. in vase et scriptoris quodam loco nixus. Atque in vase villae Albani (Zoeg. tab. LXII) inter Herculis labores haec est Orcini facinoris descriptio: Theseus ab heroe liberatus ita repraesentatur, ut Cerberus s o l i u s loci indicandi causa adpositus sit raptu nulla re significato. Unde nil concludere possum nisi eius qui rem invenit (fortasse homo Atticus erat) maxime interfuisse Thesei reductionem exprimere: duplex Herculis ad inferos iter ei notum fuisse tum demum veri simile ducerem, si alia accederent argumenta. Atque argumentum accedere videbatur Zoegae Plutarchi Thes. c. 30 fin.: *οὐ μὴν ἀλλὰ μᾶλλον ἄν τις πρόσχοι τοῖς πολλάκις ἐντυχεῖν αὐτοὺς* (Theseum et Herculem) *ἀλλήλοις ἱστοροῦσιν καὶ τὴν μύησιν γενέσθαι Θησέως σπουδάσαντος καὶ τὸν πρὸ τῆς μυήσεως καθαρμόν.* Quoniam autem *μύησις* illa fere ante ipsum Descensum facta fertur, *ἱστοροῦντας* illos altero quodam ad Orcum itinere Theseum ab Hercule reductum statuisse videtur patere. Sed quaeritur, qui fuerint illi, quos Plutarchus dicit, *ἱστοροῦντες*. Nisi fallor, Philochorus erat. Quem quidem dissentientem ab Herodoro dixisse saepius Theseum cum Hercule congressum, non demum cum *πεπαυμένῳ τῆς πλάνης ἤδη καὶ τῶν ἄθλων* docet Thes. c. 16, 1 et Philochori fr. 46 Muell., quod est de Thesei liberatione: quam Herodorus omnino non agnovisse iudicandus est (cf. etiam fr. Herodori 25 Muell.). Deinde atthidographus cum Theseum non ex inferis, sed ex Aidonei Molossorum regis potestate ereptum faceret, apparet non duos Herculis Descensus eum statuisse, quid? ne unum quidem potest statuisse, qui Cerberum ex fabuloso monstro in canem regis mutaverit. Secernere igitur debuit initiationem ab itinere Orcino. Quare facillime Theseo partes in ea primarias tribuere potuit, quem celebrandi ut Atheniensis quamlibet arripuit occasionem. Ac Plutarchus, ut saepe in Theseo, etiam in liberati regis narratione sequitur Philochorum cf. diss. nostrae p. 397 fin. Quae cum ita sint, Philochorum *ἱστοροῦντας* illos intellegendos probabile puto, Plutarchum quidem vero *μύησιν* cum itinere Orcino non credidisse coniunctam apparere videtur. Sed ut recte disputaverit Zoega: antiquis temporibus ingens ad Orcum ullius itineris facinus a d o l e s c e n t i Herculi tributum esse, ut visum est Welckero, nemo opinor erit, quin mecum neget. Igitur disputationis nostrae summa utique stare poterit.

p. 289 v. 6 lege fr. 14 Vahl.

p. 293 adn. 5. Ad Lucan. III 11 cf. Jeverii adnn., quem temere neglexeram.

p. 296 adn. 1. Nuperrime iterum Erysichthonem argumentum Aethonis

fabulae copiose defendit IOSchmidtius Comm. in hon. Ribbeckii 112 sqq., sed nec post illum de argumento dubitare desii, praesertim fr. 11 N.[2] explicans mihi non satisfacit.

p. 302 adn. 2. Adde Wielandii *Gespraeche im Elysium* (cf. eiusdem *Goettergespraeche*, praes. V.).

p. 303 v. 12 *Parii* scribendum pro *parii*.

p. 304 adn. 2. Quam adlegavi historiolam ex Masii libro *Deutsches Lesebuch* II[8] (= Meissner *Skizzen*, quem inspicere non licuit), ea repetita videtur ex lepidissima comoedia Nicodemi Frischlin, ultimi illius humanistarum q. d., cui inscripsit Julius redivivus, ubi Caesar et Cicero ex inferis dimissi discunt Germanorum gloriam (inventorum factorum litterarum) et in peius mutatum sui populi statum, quem sane aliquid solatur Eobanus.

p. 313 adn. 2. Cf. Dictyis Cretensis prologum (coll. Darete). Eadem ratione novas suas doctrinas studebat firmare Smith, sectae Mormonum princeps.

p. 314 v. 14 virgulae post *continuerit*, non post *κατάβασις* locus est.

p. 325 adn. 8 v. 7 legas praetervolan*te*.

p. 328 adn. 2 v. 14 a. f. scribe *συρμοῦ*. Ibd. v. 6 a. f. deleas uncum. Ad rem cf. Roscher *Hermes der Windgott* p. 54 sqq.

p. 330 adn. 1 v. 2 a. f. lege *semper* pro *cotidie*; ibd. v. 1 a. f. scribas XII § 35 p. 169 coll. § 34 p. 161.

p. 330 adn. 6 v. 4 a. f. dele verba *cum corpore iungitur*.

p. 331 adnotationes 1—3 non eis quibus debebant locis adpictae sunt: adn. 1 pertinet ad *ροζ'* (v. 4), adn. 2 ad *rapi* (v. 4 a. f.), adn. 3 ad *ἐνέπεσεν* (v. 3 a. f.). Adde ad adn. 4: Roscher de fr. Orph. 253 non accurate refert l. l. adn. 84; dicendum erat ita: Orpheus vocabat secundum Epigenem lunam ipsam *Γοργόνιον*.

p. 332 adn. 2 v. 6 a. f. lege *fylgja*.

p. 334 v. 14 deleas punctum post *στιγμάτων* et scribas deinceps cf. per c litteram minusculam.

p. 335 v. 2. Ad Mithrobarzanem ducem cf. Sibyllam Aeneae comitem (coll. Silii Autonoa). Fere via descripta tantum dicitur cf. nostrae diss. p. 257, 5; 298, 4; 384 sq. Baccho matrem reducturo *τὴν ταύτῃ (ἐν Ἄργει) κάθοδον δεῖξαι* ferebatur Polymnus quidam, Paus. II 37, 5 coll. Tzetz. ad Lycophr. 212. Cereris *ὁδηγητήρ* audit *Δυσαύλου παῖς* Hymn. Orph. XLI v. 6 Ab., cf. etiam Foerster *Raub der Pers*. p. 45, 1.

p. 337 adn. 3. Cf. etiam Duemmler *Akademika* p. 3 sqq. (coll. Henseo l. l. p. LXIII). Suppeditavit hunc locum vir ill. Otto Immisch, qui omnino, ut in plagulis corrigendis me comiter iuvit, compluriens sua doctrina et emendavit mea et auxit. Quod grato animo hoc loco profiteri liceat.

p. 338 v. 3 legas c. 25, non 26.

p. 340 adn. 1 v. 5 corrigas Lai*dem*.

p. 340 adn. 4. Alia tormenta ad Orcum translata habes in Luc. Menipp. c. 14.

p. 348 adn. 2 v. 6 a. f. scribendum *Tylor l. l. I.*

Ad p. 350 adn. 2. Sero inspectus Heynii ad Vergilii locum commentarius me docuit iam illum et Aristophanem et Etrusca adlegasse. Deinde nunc video me demonstrare sane non posse neque Echidnam 'Argi spolium' illi ap. Arist. poetae intellectam fuisse nec Gorgones umbras ei visas. Attamen Vergilium istas monstrorum umbras primum finxisse non credo, quem beluarum quandam in Orco congregationem ex antiqua petiisse memoria Aristophanes ostendat. Praeterea Gorgus umbra iam in Apollodorea de Herculis descensu narratione occurrit — id quod nescio an non soli Homero debeatur. Cf. etiam Chimaeram Luc. Menipp. 13 sq.

p. 351 adn. 4. Adde Collitz *Dialektinschriften* n. 413 v. 5 et 6 cum Meisteri adnotatione p. 393: quem locum Rohdio debeo Ps. I 229, 1.

p. 362 adn. 2 v. 4 a. f. lege *satrapae ins. somn. patrem.*

p. 363, 3. Cf. in illo Marcelli epigrammate sepulcrali (Kaibel. 1046 a) etiam vv. 55—60; adde Rohd. Psych. I 279, 1.

p. 356 v. 6 a. f. scribendum *qui a* pro *quia*.

p. 367 v. 1 corrigas maledett*o*.

p. 368 adn. 2 v. 3 lege desider*e*tur.

p. 369 adn. 1. Qualem statuimus, deum apud Statium indicari etiam vidit scholiasta ad l., qui illum vocat demogorgona: de qua voce cf. Mueller-Deecke *Etrusker* II 39 et praesertim, quem ille laudat, Heynium in opp. acad. III 291 sqq.

p. 375 v. 10 lege *qua* pro *quae*.

p. 346 adn. 1 pro eis quae extant inde a *Deinde* (v. 13) usque ad *nescio* (v. 12 a. f.) haec velim inseras: *Deinde scimus Erigonae fabulam in Georgicis Orphicis tractatam fuisse, cf. fr. 12 Ab.; nec quicquam obstare videtur, quin ab Orphicis eam et qui inde nati dicebantur ritus praeterea et copiosius descripta fuisse statuatur. Cf. etiam Lobeck. Agl. 584 sq.* In versu 6 a. f. scribas *illos locos tribuendos* et deleas verba inde a *Cf.* usque ad *sqq.*

p. 380 adn. 4. Ex eis quae mihi adnotaveram nunc cognovi Persicum illud extare apud Jacobum Engel in programmate Stralesund. sive anni 1881 sive 1882 p. 5; locum ne accuratius significem, impedit me erepta illos libros interm inspiciendi facultas.

Attischer Volksbeschluss über Samos.

Für die Geschichte des peloponnesischen Krieges in seinem letzten Stadium von grossem Interesse ist ein Beschluss des athenischen Volkes über Samos aus dem Archontat des Alexias, der im Jahre 1888 auf der Akropolis zu Tage gekommen ist. Es ist das erste von drei auf Samos bezüglichen Psephismen, die auf einer Tafel vereinigt waren. Das zweite und dritte aus dem Archontat des Eukleides waren mit geringen Resten des ersten auf der untern Hälfte des Steins schon 1876 gefunden und zuerst von Kumanudes im fünften Band des *Ἀϑήναιον*, dann von Köhler *C. I. A.* II n. 1[b] veröffentlicht. Die ganze Inschrift ist von Lolling im *Δελτίον ἀρχαιολογικόν* von 1889 S. 25 ff. in Minuskelschrift wiedergegeben worden. Ich darf mich begnügen hier den ältesten und wichtigsten Beschluss mit Benutzung eines Abklatsches gleichfalls in Minuskeln zu wiederholen. Man erkennt, was aus dem Druck im *Δελτίον* nicht ersichtlich wird, dass die Inschrift *στοιχηδόν* geschrieben ist und jede Zeile mindestens 58 Buchstaben enthält, die Mehrzahl aber 59—61, da der Steinmetz Wortbrechung möglichst vermeiden wollte. Die Ergänzungen sind mit wenig Ausnahmen gesichert und grossentheils schon von Lolling gefunden; wo ich von ihm abweiche, gebe ich seine Lesung unter dem Texte.

Κηφισοφῶν Παιανιεὺς
ἐγραμμάτευε
Σαμίοις ὅσοι μετὰ τõ δήμο τõ Ἀθηναί
ων ἐγένοντο

ἔδοξεν τῆι βολῆι καὶ τῶι δήμωι Κεκροπὶς ἐπρυτάνευε Πολύμνις Εὐωνυμεὺς
ἐγραμμάτευε Ἀλεξίας ἦρχε Νικοφῶν Ἀθμονεὺς ἐπεστάτει γνώμη Κλεσόφο
καὶ συνπρυτάνεων ἐπαινέσαι τοῖς πρέσβεσι τοῖς Σαμίοις τοῖς τε προτέρο
ις ἥκοσι καὶ τοῖς νῦν καὶ τῆι βολῆι καὶ τοῖς στρατηγοῖς καὶ τοῖς ἄλλοις
Σαμίοις ὅτι ἐσὶν ἄνδρες ἀγαθοὶ καὶ πρόθυμοι ποιε͂ν ὅτι δύνανται ἀγαθὸν
καὶ τὰ πεπραγμένα αὐτοῖς ὅτι δοκõσιν ὀρθῶς ποιῆσαι Ἀθηναίοις καὶ Σαμί
οις καὶ ἀντὶ ὧν εὖ πεποιήκασιν Ἀθηναίος καὶ νῦν περὶ πολλõ ποιõνται καὶ
ἐσηγõνται ἀγαθά δεδόχθαι τῆι βολῆι καὶ τῶι δήμωι Σαμίος Ἀθηναίος εἶναι
πολιτευομένος ὅπως ἂν αὐτοὶ βόλωνται καὶ ὅπως ταῦτα ἔσται ὡς ἐπιτηδειό
τατα ἀμφοτέροις καθάπερ αὐτοὶ λέγοσιν ἐπειδὰν εἰρήνη γένηται τότε περὶ
τῶν ἄλλων κοινῆι βολεύεσθαι τοῖς δὲ νόμοις χρῆσθαι τοῖς σφετέροις αὐτῶν
αὐτονόμος ὄντας καὶ τἆλλα ποιε͂ν κατὰ τὸς ὅρκος καὶ τὰς συνθήκας καθάπερ
νῦν κεῖται Ἀθηναίοις καὶ Σαμίοις καὶ περὶ τῶν ἐνκλημάτων ἃ ἂν γίγνηται
πρὸς ἀλλήλος διδόναι καὶ δέχεσθαι τὰς δίκας κατὰ τὰς συμβολὰς τὰς ὄσας
ἐ]ὰν δέ τι ἀναγκαῖον γίγνηται διὰ τὸν πόλεμον καὶ πρότερον περὶ τῆς πολι
τ]είας ὥσπερ αὐτοὶ λέγοσιν οἱ πρέσβες πρὸς τὰ παρόντα βολευομένος ποιε͂ν
ἡ]ι ἂν δοκῆι βέλτιστον εἶναι περὶ δὲ τῆς εἰρήνης ἐὰγ γίγνηται εἶναι κατὰ ταὐτὰ
κ]αθάπερ Ἀθηναίοις καὶ τοῖς νῦν οἰκõσι ν Σάμον ἐὰν δὲ πολεμε͂ν δέῃ παρασκ
ε]υάζεσθαι αὐτὸς ὡς ἂν δύνωνται ἄριστα πράττοντας μετὰ τῶν στρατηγῶν

ἐά]νδὲπρεσβείανποιπέμπωσινἈθηναῖοισυμπέμπενκαὶτὸςἐξάμοπαρόντας
ἐάν]τιναβόλωνταικαὶσυνβολεύενὅτιἂνἔχωσινἀγαθόνταῖςδὲτριήρεσι
ταῖς]ὅσαιςἐςΣάμωιχρῆσθαιαὐτοῖςδο̃ναιἐπισκευασαμένοιςκαθότιἂναὐ
τοῖςδο]κῆιτὰδὲὀνόματατῶντριηράρχωνὧνῆσαναὗταιαἱνῆεςἀπογράψαι
τὸςπρέσβ]εςτῶιγραμματεῖτῆςβολῆςκαὶτοῖςστρατηγοῖςκαὶτούτωνεἴπο
τιὑπάρχειἀν]αγεγραμμένονἐντῶιδημοσίωιὡςπαρειληφότωντὰςτριήρες
ἅπανταἐξαλειψά]ντωνοἱνεωροὶἁπανταχόθεντὰδὲσκεύητῶιδημοσίωιἐσ
πραξάντωνὡςτάχιστακα]ὶἐπαναγκασάντωνἀποδο̃ναιτὸςἔχονταςτούτων
τιἐντελῆγνώμηΚλεσόφοκαὶσ]υνπρυτάνεωντὰμὲνἄλλακαθάπερτῆιβολῆι
δο̃ναιδὲτὴνδωρειὰντοῖςἐξάμοἥ]κοσινκαθάπεραὐτοὶαἰτο̃νταικαὶνέμαι
αὐτὸςαὐτίκαμάλαἐςτὸςδήμοςκαὶτὰ]ςφυλὰςδεκαχᾶκαὶτὴνπορείανπαρα
σκευάσαιτοῖςπρέσβεσιτὸςστρατηγὸςὡ]ςτάχιστακαὶΕὐμάχωικαὶτοῖς
ἄλλοιςπᾶσιΣαμίοιςτοῖςμετὰΕὐμάχοἥκοσ]ιἐπαινέσαιὡςὄσινἀνδράσιν
ἀγαθοῖςπερὶἈθηναίουςκαὶκαλέσαιΕὔμα]χονἐ[πὶδ]εῖπνονἐςτὸπρυτανεῖον
ἐςαὔριονἀναγράψαιδὲτὰἐψηφισμένατ]ὸγγραμμ[ατέατῆςβολ]ῆςμετὰτῶν
στρατηγῶνἐστήληιλιθίνηικαὶκατα]θεναιἐςπόλ[ιντὸςδὲἙλλην]οταμίας
δο̃ναιτὸἀργύριονἀναγράψαιδὲἐΣά]μωικατὰταὐτὰτέ[λε]σι[τοῖςἐκέ]νων.

21. τ]ὶ Lolling.

28. ἐς τἀκριβ]ὲς Lolling.

30. ἀδοκίμος ζητησά]ντων Lolling. Vgl. Pseph. d. Patrokl. b. Andok. I 79 τὰ δὲ ἄλλα πάντα ἐξαλεῖψαι — πανταχόθεν.

31. πράττοντες οἱ στρατηγο]ὶ Lolling. Aber das ἐσπράττειν τὰ σκεύη ist Sache der νεωροί. ([Demosth.] XLVII 21 scheint freilich dagegen zu sprechen: τούτου τοῦ ψηφίσματος γεγενημένου ἡ μὲν ἀρχὴ ἐπεκλήρωσε καὶ παρέδωκε τοὺς ὀφείλοντας τὰ σκεύη τῇ πόλει, οἱ δὲ τῶν νεωρίων ἐπιμεληταὶ τοῖς τριηράρχοις κτλ. Aber ἡ ἀρχή kann keine andere sein, als die § 22 erwähnte, d. i. eben die ἐπιμεληταὶ τῶν νεωρίων, wie § 26 verglichen mit 27 ausser Zweifel setzt. Die Worte οἱ δὲ τῶν νεωρίων ἐπιμεληταί sind also eine an falscher Stelle in den Text gedrungene Erklärung zu ἡ ἀρχή. Die Versuche der Frühern

suchen nur den sprachlichen Anstössen abzuhelfen, während gegen Baiters Vorschlag, nur *δὲ* zu streichen, schon die Wortstellung Bedenken erregt.)

32. *τι ἀβλαβῆ* Lolling.

33. *ἐπικυρῶσαι δὲ τὴν δωρεὰν τοῖς ἥ]κοσιν* Lolling (ein Buchstabe zu wenig).

36. *ἄλλοις Σαμίοις τοῖς μετὰ Εὐμάχο ἐξάμο ἥκοσ]ι* Lolling.

37. *καλοῖς κἀγαθοῖς καλέσαι δὲ τὸς περὶ Εὔμ]αχον* Lolling. *ἀγαθοῖς περὶ Ἀθηναίος καλέσαι δὲ καὶ Εὔμ]αχον* Dittmar oben S. 195, worin ein Buchstabe zu viel. Etwas scheint der Steinmetz versehen zu haben.

39f. *μερισάτω δὲ] ὁ ταμίας [τὸ ἀργύριον ἀναγραφῆναι δὲ καὶ ἐΣά]μωι* Lolling. Das Richtige gab schon Panske oben S. 6.

Die geschichtlichen Voraussetzungen des Beschlusses liegen klar zu Tage. Aus Xenophon ist bekannt, dass nach der Niederlage von Aigospotamoi alle andern Bundesgenossen von Athen abfielen und nur Samos nach blutiger Niederschlagung einer abermaligen Erhebung der aristokratischen Partei ihm die Treue bewahrte. Zwei Gesandtschaften werden bald nach einander nach Athen abgeordnet (Z. 7f.), um das Geschehene zu berichten und treues Ausharren bei der athenischen Sache zu versichern (Z. 10ff.), zugleich aber wohl um Beistand gegen die von Lysander drohende Belagerung zu erbitten.[1]) Aber die Athener, welche selbst den vereinten Angriff der peloponnesischen Land- und Seemacht zu gewärtigen haben, überlassen den Samiern nur die zwanzig Kriegsschiffe, welche Konon und Philokles bei ihrer Fahrt nach dem Hellespont bei der Insel zurückgelassen hatten;[2]) darum werden die Trierarchen dieser Schiffe ihrer Verpflichtung zu deren Rücklieferung entbunden und den Neoren[3]) nur die Einforderung des rückständigen Geräthes

1) Nach Diodor XIII 106 hätte Lysander vom Hellespont sich sofort zur Belagerung der Insel gewendet. Dass dies unrichtig ist, zeigt unsere Inschrift. Aber dass die Belagerung erst nach der Capitulation Athens begonnen hat (Schwartz *N. Rhein. Mus.* XLIV S. 113f.), möchte ich aus Xenophon nicht folgern, da die von diesem bezeugte dreimonatliche Abwesenheit des Theramenes bei Lysander schwerlich denkbar ist, wenn dieser fortwährend vor dem Peiraieus lag.

2) Diodor XIII 104, welche Stelle schon von Lolling herangezogen ist.

3) Der bisher allein aus Hesychios belegte Amtsname *νεωροί* war also im fünften Jahrhundert der offizielle für den später üblich gewordenen *ἐπιμεληταὶ τῶν νεωρίων*.

aufgegeben (Z. 25 ff.). Zugleich aber wird den Samiern, um sie für ihre Anhänglichkeit zu belohnen und zu muthigem Ausharren anzuspornen, in ganz ausserordentlicher Weise das athenische Bürgerrecht gewährt, eine Gunst, wie sie vorher und nachher nur den Plataiern zugestanden worden ist. Aber während diese damit für die Vernichtung ihrer Vaterstadt entschädigt werden sollten, lag der Fall bei den Samiern insofern ganz anders, als der Fortbestand des samischen Staates vorausgesetzt und ihm die sieben Jahre zuvor eingeräumte Autonomie ausdrücklich gewährleistet wird (Z. 15 ff.); darum wird zu *Ἀθηναίους εἶναι* der charakteristische Zusatz gemacht *πολιτευομένους ὅπως ἂν αὐτοὶ βούλωνται*. Freilich war die Gefahr für Samos, dem vereinten Angriff der Lakedaimonier und der vertriebenen Aristokraten zu erliegen, überaus dringend. Dazu trägt das Psephisma deutliche Spuren eiliger Beschlussfassung an sich: nur die allgemeinen Normen werden festgestellt, alle näheren Bestimmungen aber weiteren Verhandlungen nach dem Friedensschlusse vorbehalten (Z. 13 ff., wo *τῶν ἄλλων* eben dies Detail meint, im Gegensatz zu den im Folgenden gegebenen generellen Bestimmungen *τοῖς δὲ νόμοις χρῆσθαι κτλ.*).[1] Nur soweit schon vorher auch hierüber eine Beschlussfassung geboten erscheinen sollte, wird dafür die Modalität der Erledigung vorgesehen (Z. 19 ff.). Auch die Erfüllung der Bitte der schon nach Athen geflüchteten Samier um sofortige Aufnahme in die attischen Phylen und Demen wird erst in dem Zusatzantrag verfügt, welcher wie der Hauptantrag von Kleisophos und den übrigen Prytanen ausgeht.[2] Die weiteren Massnahmen des Psephisma beziehen

---

1) Dieser nothwendige Gedankenzusammenhang wird verdunkelt, wenn man mit Lolling ein Kolon hinter *λέγουσιν* statt hinter *βούλωνται* setzt.

2) Mit der Formel *γνώμη Κλεισόφου καὶ συνπρυτάνεων* vergleichen sich die gleichfalls Anträgen eines ganzen Collegiums geltenden *γνώμη στρατηγῶν* (*Sitzungsber. d. Berl. Akad. d. W.* 1888 S. 244 n. 1), *[γνώμ]η τῶν συγγραφέων* (C. I. A. I n. 58). Wenn es dafür anderwärts (C. I. A. IV n. 27^{b}. 22^{a}, vgl. Andok. I 96) heisst *τάδε οἱ ξυγγραφῆς ξυνέγραψαν*, so möchte ich daraus noch nicht mit Swoboda *Griech. Volksbeschl.* S. 35

sich auf Fortführung des Krieges und eventuelle Friedensunterhandlungen (Z. 19 ff.).

Ueber die Zeit des Volksbeschlusses ist zunächst soviel sicher, dass er nach der Schlacht bei Aigospotamoi und vor dem Beginn der Belagerung von Athen gefasst ist. Die erstere fällt, wie wir jetzt aus Aristoteles Politie der Athener wissen, erst in das Jahr des Alexias (Ol. 93, 4. 405/4), aber in den Anfang deßselben, da der Sprecher von Lysias einundzwanzigster Rede rechtzeitig zurück war, um die Gymnasiarchie für die Prometheien zu übernehmen, die wahrscheinlich in den Boedromion oder Pyanopsion gehören.[1] Andrerseits kann die Einschliessung Athens schwerlich später als im letztgenannten Monate erfolgt sein. Die Prytanie der Kekropis wird also die zweite oder dritte des Jahres gewesen sein.

---

folgern, dass um die Wende des fünften und vierten Jahrhunderts die Formulirung ins Schwanken gerathen sei.

1) Vgl. *N. Jahrb.* CXVII S. 301.

J. H. Lipsius.

ERKLÄRUNG.

In dem mir soeben zugehenden ersten Hefte des 13. Bandes der Leipziger Studien behauptet Herr Dr. Dittmar auf S. 226 und in der Anm. 2 der zweiten angehängten Tafel, dass zwei in dem ἀρχ. δελτίον 1889 p. 93 n. 10 und 1888 p. 184 n. 3 von mir mitgeteilte Inschrifttexte sinnentstellend ungenau wiedergegeben seien. Allerdings gestatten unsere hiesigen Druckereiverhältnisse keine vollkommen genaue Wiedergabe, keineswegs aber war Herr Dittmar berechtigt, die Richtigkeit der Copien des Herausgebers anzuzweifeln, wie die nachstehenden Bemerkungen zeigen können:

1. zu ἀρχ. δελτ. 1889 p. 93 n. 10: Die Reste des Psephisma sehen in Majuskeln wiedergegeben so aus:

— — O · · · · A P X O N T O Σ E Π — — — —
— — · · · · · H Σ Π P Y T A N E I A Σ — —
— — · O · · · · · · · ⌒ Σ P A M N O Y — —
— — · · · · · · · · · · · · · ¦ Ω N O Σ E — —

und diese Stellung ist den Buchstaben im Δελτίον angewiesen, nur dass in Z. 3 die Lücke zwischen den beiden ersten O um eine Stelle zu gross angegeben ist.

2. zu ἀρχ. δελτ. 1888 p. 184 n. 3 bemerkte ich ausdrücklich, dass „τὰ γράμματα ἐνεχαράχθησαν ἀνεπιμελῶς καὶ οὐχὶ στοιχηδόν", die Zeilenlänge lässt sich also nicht genau bestimmen; keineswegs ist mir eingefallen zu glauben, dass das Zahlzeichen X den Raum von 6 Buchstaben einnehmen könne, und völlig unzulässig war es wegen der von mir angenommenen

Zeilenlänge zu behaupten, dass die Inschrift ungenau wiedergegeben sei (satis inaccurate apographum factum esse).

Ich bedaure, dass durch die hier gerügten vorschnellen Behauptungen die sonst so umsichtige Abhandlung entstellt worden ist; eine direkte Anfrage beim Unterzeichneten hätte hingereicht, den Verfasser der in Rede stehenden Abhandlung vor seinen Irrtümern und mich vor seinen Angriffen zu schützen.

Athen, den 12. Dec. 1890.

H. Lolling,
Ἐπιμελητὴς ἐν τῷ ἐπιγραφικῷ μουσείῳ.



Druck von J. B. Hirschfeld in Leipzig.

INHALT.

Druck von J. B. Hirschfeld, Leipzig